Digitized by Google

68 S. 76

Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
I
16
NAPOLI

Digitized by Google

TEOLOGIA
LITURGICA
162
H
16.
BIB.NAZ.NAPOLI

Digitized by Google

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS,

LIBRI DUO.

IN QUIBUS NARRATIONES ET EXIMIA IN VETERES Ritus ad ſacras benedictiones Abbatum & Abbatiſſarum, Profeſſiones Monachorum, Inſtitutiones Canonicorum, Conſecrationes Virginum, Diaconiſſarum & Viduarum, Inaugurationes Imperatorum tam Orientis quam Occidentis, Regum, Principum, Ducum, &c. Dedicationes Eccleſiarum, Altarium, ſacrorumque Vaſorum; Celebrationes Conciliorum, Degradationes & Reſtitutiones Clericorum, Excommunicationes cenſuraſque eccleſiaſticas; Probationes Reliquiarum & rerum dubiarum per ignem, ferrum candens, vomerem, aquam calidam & frigidam, &c. Energumenorum conjurationes, Leproſorum ſeparationes, mortuorum ſepulturas, Commentaria repræſentantur.

Collecti ex variis inſigniorum Eccleſiarum libris Pontificalibus, Sacramentariis, Miſſalibus, Breviariis, Ritualibus, ſeu Manualibus, Ordinariis, ſeu Conſuetudinariis, cùm manuſcriptis tùm editis, ex diverſis Conciliorum Decretis, Epiſcoporum Statutis, aliiſque probatis auctoribus permultis.

Studio & opera R. P. DOMNI EDMUNDI MARTENE, *Preſbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.*

Colleg. Rotomag. Societ.is Jesu


ROTOMAGI,

Sumtibus GUILLELMI BEHOURT, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi.

M. DCC. II.

CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

Digitized by Google



EMINENTISSIMO PRINCIPI

DOMINO D.

LEANDRO COLLOREDÒ

S. R. E. CARDINALI

ET MAJORI POENITENTIARIO.

NON ſatis dignitatis tuæ rationem habere fortaſſe videbimur, EMINENTISSIME DOMINE, qui dimidiatum munus, id eſt duos poſteriores Rituum eccleſiaſticorum libros, Eminentiæ tuæ offeramus. Verum ea fuit inter Te & piæ memoriæ Cardinalem Aguirium, cui duos priores nuncupavimus, neceſſitudo & morum conſenſio, ut non dubitemus quin facile probaturus ſis hoc munus tibi cum illo eſſe commune, quem viventem amicitia tua honoraſti, cui morienti adfuiſti, & quem mortuum præclaro decoraſti elogio. Ob hoc vel unum illius virtutis pri-

ã ij

Digitized by Google

vatum teſtimonium, quod à te recens ex ejus obitu conceptus expreſſit dolor, quodque vix te conſcio publicum evaſit, totum tibi devinxiſti Benedictinum Ordinem, cujus ille profeſſionem tanti faciebat, ut præ ea vix ſe meminiſſet eſſe Cardinalem. Hæc nimirum optimi viri modeſtia erat, quæ id effecit, ut intimo amicitiæ vinculo tibi conjungeretur, quod ipſe præclaro illo conteſtatus es elogio. Hanc quippe virtutem præ ceteris ab ineunte ætate ſectatus es, EMINENTISSIME DOMINE, *cum præclara nobiliſſimæ gentis decora in Vallis-cellæ ſacris latebris depoſuiſti: ubi doctrina, pietate, ceteriſque virtutibus ſic clarus evaſiſti, ut beatæ memoriæ Innocentius XI. te in purpuratorum Patrum numerum ſumma omnium gratulatione provexerit, conceſſa inſuper Clavium apoſtolicarum poteſtate, ut pro tua caritate, prudentia & ſagacitate, facinoroſis quibuſque januam vitæ aperires. His quàm pie ac ſapienter utaris, novit Roma, & ipſa teſtis virtutum tuarum. Has prædicare cum modeſtia tua vetet, ſaltem nobis liceat non reticere toties expertam benevolentiam & beneficentiam in nos tuam, ob quam nos in æternum tibi devinctiſſimos & addictiſſimos Eminentia tua habebit,*

Calendis Februarii
M. DCC. II.

Fr. EDMUNDUS MARTENE
M. B.

PRÆFATIO.

PRODEUNT tandem in lucem *De antiquis Eccleſiæ ritibus* Libri duo, ſacras benedictiones aliosque ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantes ritus commentariis noſtris illuſtratos exhibentes: de quibus nihil præter ea quæ ad librum primum præfatus ſum, in præſentiarum dicendum decrevi. At uno dumtaxat verbo hîc faciam ſatis iis, qui meam improbaverunt impugnaveruntque ſententiam de auctore trium librorum *de Ritibus eccleſiæ catholicæ*, qui ſub nomine Stephani Duranti in ampliſſimo Senatu Toloſano ſupremi Præſidis hactenus vulgati ſunt.

Nimirum dixeram verum ac legitimum horum librorum parentem extitiſſe Petrum Daneſium, epiſcopum Vaurenſem, virum eruditione ſuo ævo nulli ſecundum, & multis ingenii ſui monumentis relictis Pariſiis defunctum: cujus ſcripta cum in varias poſt obitum amicorum ſuorum manus incidiſſent, hactenus delituerunt, præter dictos *de Ritibus eccleſiæ catholicæ* libros, quos una cum Daneſii bibliotheca cùm comparaſſet Durantus, ſub ejus nomine poſt immeritam ipſius cædem publica tandem luce donati ſunt. Hujus ſententiæ patronum habebam Johannem Bertium epiſcoporum Rivenſem, qui à Petro Bertio epiſcopo Montalbanenſi avunculo ſuo, utrique, Daneſio ſcilicet Duranti familiari illam referebat acceptam. Præterquam & quod opus ipſum auctorem ſuum Theologum, non laicum, non uno in loco proclamat.

Huic ſententiæ unicum dumtaxat opponitur argumentum, ſed adeo, ſicuti putant, validum, ut ineluctabile omnino videatur. Repetitur ex ejuſdem Duranti epiſtola, quam in carcere conſtitutus triduo ante mortem dedit ad amicum ſuum Johannem Barrerii Abbatem Fulienſem, virum tunc temporis ſingulari pietate conſpicuum quæ velut in-

certiſſimum amicitiæ ſignum rogat ut poſt ejus obitum, curet Romæ approbari, ac deinde typis mandari *librum ſuum* de ritibus eccleſiæ catholicæ. Ecce, inquiunt, Durantus ipſe perſpicuis ac diſertis verbis librum de Ritibus *ſuum* pronunciat, quid in re tam clara deſideramus adhuc teſtimonium? Quis poſt tanti viri declarationem dubitationis ſcrupulus ſupereſſe poteſt? aut ſine fraude tanto ipſum theſauro ſpoliare?

Verùm argumentum iſtud quod nonnullis videtur Achilleum, mihi plane nullius ponderis aut momenti comprobatur: non quod Durantum in ſuſpicionem malæ fidei vocare velim, quaſi opus alienum ſibi ipſi arrogare temere præſumſerit: (Abſit hoc à viro probo & juſti tenace); ſed quia cum ſoluto pretio Daneſii librum comparaſſet, proprium ac *ſuum* vocare potuit opus, quod jam ſui juris evaſerat, tametſi ipſius auctor numquam extiterit. Maneant ergo Petro Daneſio tamquam legitimo parenti libri tres de *Ritibus Eccleſiæ catholicæ*, donec certiora nobis proferantur argumenta, quæ Petri Bertii viri ſinceri teſtimonio præponderare debeant.

At nonnihil emendari cupio in pagina 358. noſtri tomi primi, ubi tabellam delineari curavi, ſitum miniſtrorum diebus ſolemnibus ad altare ſervientium in Eccleſia Viennenſi exhibentem, juxta conſuetudinem in eadem eccleſia ante decennium obſervatam. Nam monuit me unus ex amicis meis, vir eruditus, & in ſacris ritibus verſatiſſimus, quatuor ab hinc annis illuſtriſſimum Archiepiſcopum Viennenſem ſeptem diaconis, totidemque ſubdiaconis, ac paris numeri acolythis adjeciſſe ſex presbyteros, qui majoris ſolemnitatis diebus ſibi ex primævo ejuſdem eccleſiæ inſtituto ad altare celebranti aſſiſterent: id quod hactenus obſervant religioſe canonici Lugdunenſes etiam epiſcopo non celebrante.

Monuit me etiam idem amicus in eccleſia Lugdunenſi jam dudum abrogatam eſſe conſuetudinem ſtandi ad elevationem ſanctiſſimi ſacramenti in majori ſacro. Quapropter quod in contrarium fultus auctoritate Gilberti Grimaldi qui ante annos quadraginta Lugduni librum de ſacra

Liturgia edebat, pag. 668. ejuſdem tomi conſcripſi, omnino deleri deprecor. Neque enim nos pudere debet aliquando emendare ſi quid forte incautum aut à veritate diſſonum dictaverimus : pergratumque nobis ſemper facient amici noſtri, aut quivis alii; ampliſſimaſque eis reddemus gratias, cum nos errantes ex caritate corrigent, atque eorum cenſuræ ex animo ſubſcribemus, cum nos erraſſe certiſſimis demonſtrabunt argumentis. Verum qui nos injuria, & abſque ratione reprehendent, non eamdem animi ſubmiſſionem à nobis expectare debebunt. Quapropter neglexi hactenus emendationes in Carmine S. Orientii tomo primo novæ Collectionis veterum Scriptorum à me vulgato, factas præterito menſe Auguſto à neſcio quo correctore, utpote vel omnino inutiles & non neceſſarias, vel abſque judicio, aut mala omnino fide vulgatas.

Inutiles ac non neceſſarias eas voco, quo ſcriptoris aut typographi errata tantummodo carpunt, cum abſque correctoris monitu nullo negotio à benevolis lectoribus emendari queant atque ſuppleri. Alioquin emendandus eſſet ipſe corrector, intra cujus quatuor breviſſimas pagellas typographus ſepties erravit. Nam ter *dentis* pro *denſis* poſuit, *latentibus* pro *labentibus*, *uſque* pro *utque*, *delictis* pro *deliciis*, *pratia* pro *prælia*.

Factæ abſque ullo rationis judicio emendationes illæ ſunt, quas ad inſulſam & importunam ſuæ latinitatis oſtentationem temere facere præſumſit. Non enim eodem modo caſtigantur antiquioris ævi, eccleſiaſtici præſertim auctores, quo puerorum in ſcholis ſcriptiunculæ corriguntur. Nam ut ſcite ſcribit Delrius *in eccleſiaſticis ſcriptoribus multa ſæpe contra legem pedariam, ut qui Orbilio manum ſubſtraxerunt.* Quapropter cum primum S. Orientii librum mendoſo in codice reperiſſet, purum putum qualem invenit, ipſa etiam errata quaſi reveritus, typis mandavit, *nihil mutans*, inquit, *eorum quæ in contextu ſunt mendorum.* Eadem religione uſus eſt cl. vir Jacobus Sirmondus, Societatis Jeſu presbyter eruditiſſimus, nec umquam ſine debita laude nominandus, cum beati Eugenii Toletani epiſcopi ac Dracontii diaconi verſus publicam emiſit in lucem; quos quidem non caſtigatos

aut purioris latinitatis ornatu decoros, ſed *rudes atque impolitos, & craſſo ac ſoloce filo textos* edidit, uti ipſe teſtatur in nuncupatoria ad illuſtriſſimum principem Henricum Borbonium epiſtola, qui tum humanioribus litteris comparandis in Claromontano S. J. Collegio Pariſienſi operam dabat. Neque enim, ut ejuſdem Sirmondi verbis utar, vetera hujuſmodi ſanctorum monumenta, è pulvere ac tenebris in quibus per multa jacuerant ſæcula, eruuntur, *ut oratoriæ poëticæque artis exempla tradant*, ſed *ut chriſtianæ mentis officia, moderati, ſobrii, ac caduca atque æterna recte dijudicantis animi documenta* inſpirent: Quæ ſi humili ac Deum reverenti corde quis legat, facile animadvertit *ſub tenui palliolo latere ſapientiam, quæ ipſa plerumque in dictionis artiſque neglectu, velut gemma in centone clarius micat.* Hos ſi Corrector conſuluiſſet magiſtros, Delrium dico & Sirmondum, quibus nec purior latinitas, nec recte emendandi facultas deerat, multo ſane ac incaſſo labori peperciſſet, aut ad utiliorem forte operam calamum direxiſſet. At ſaltem meminiſſe debuerat triti illius in ſcholis proverbii *grammaticæ leges plerumque eccleſia ſpernit.* Certe quam incautæ atque inſulſæ ſint ejus correctiones demonſtrare nullo negotio poſſem, ſi eadem carpendi libidine affectus eſſem, aut lectoribus tædium hiſce næniis procreare non timerem: ne tamen intactum ſe omnino glorietur corrector, nonnullas hic attingam, quas mala prorſus fide, aut diſſimulando, aut fingendo, aut detrahendo, aut corrumpendo verba audaciſſimus ille Corrector facere non erubuit.

Hujuſmodi eſt illa quam in iſtis verſibus pag. 7. noſtræ editionis facere præſumſit

Ecce manum poſcis lapſus, ſolatia mœſtus,
Auxilium trepidus, conſilium dubius.
Id mœſtis, dubiis, trepidis, labentibus offers.

Legendum, inquit Corrector, cum Delrio *offer*, non *offers.* Hic peccat corrector ille acutiſſimus in duobus. Primo quòd diſſimulet hanc meam notam marginalem *l. offer*, qua hunc verſum ita emendandum eſſe ſignificabam, ac omnem correctionis anſam auferebam. Secundo quod abſque ullo mendacii

mendacii ſcrupulo audacter aſſerat Delrium legiſſe *offer* non *offers*. Certe tres ipſius conſului editiones Parienſem, Colonienſem, & Lugdunenſem, quæ omnes ut in mss. conſtanter retinent *offers*, non *offer*.

Pagina 7. noſtræ editionis hunc verſum *Crimine falſo alios inſimulare noli*, ita carpit: Præferenda eſt lectio Delrii *inſimulare time*. Triplicem hic pro unica correctionem meretur corrector. Nam primo editio noſtra non habet *inſimulare*, ſed inſimulaſſe. Secundo Delrius non legit *inſimulare*, ſed *inſtimulaſſe*. Tertio vera & non adulterata Delrii lectio noſtræ non eſt præferenda ut melior, ſed rejicienda ut pejor.

Pagina 8. noſtræ editionis verſui 5. *Ut te quem recte fugiens commendat honeſtas* hanc adhibet correctionem: Potior eſt Delrii lectio *vitæ fugiens*. Mirum plane qua fronte corrector ille hanc emendationem apponere præſumſerit. Nam primo textum meum corrupit, tollendo virgulam poſt *ut te*, quæ ſenſum omnino planum reddit. Secundo ne ſenſus auctoris clarior appareret, ſequentem reticuit verſum qui priori ſubjungi debebat hoc modo:

Ut te, quem rectè fugiens commendat honeſtas,
Perpes poſt obitum gloria ſuſcipiat.

Tertio infideliter omnino Delrii lectionem retulit, ſeparata ſimul verba conjungendo, omiſſis inter mediis, quæ diverſum omnino ſenſum reddunt. Nam integrum hunc verſiculum ita expreſſit Delrius

Vitæ quem rectæ fugiens commendat honeſtas

Quarto quis ſinceram Delrii lectionem qualem ipſe protulit, non qualem effinxit doloſus artifex, noſtræ potiorem niſi omnis prorſus luminis expers exiſtimabit? Immo quis non ut pravam atque corruptam rejiciendam dijudicabit? Quis *honeſtatem vitæ rectæ fugientem* aſſerere audebit? Certe ne ipſe quidem Delrius, qui ut ſenſum aliqualem ſuæ attribuat lectioni, mirum in modum ſuum torquet ingenium, recurrens ad figuratam locutionem. *An hypallage*, inquit; *pro quem vitæ rectæ fugientis (h. tranſactæ) honeſtas commendat.*

Pagina 11. noſtræ editionis ad hunc verſum *Ut membris lacero diſperſis funere Gabaat*, exclamat corrector Scripturam legere *Gabaa* & *Gabaon*, non vero *Gabaat*. Egregia

ē

ſane & acuta correctio, ac ſingulari attentione digna, ſed quæ correctoris ſi non malam fidem, ſaltem inſcitiam prodit. Nam ſi bona eam fide protulit, oſtendit ſe in legendis purioris latinitatis ſcriptoribus profanis longè verſatiſſimum eſſe, quam in evolvendis ſacris Bibliis; alioquin non modo *Gabaa* aut *Gabaon*, ſed etiam *Gabaath* in ſacris codicibus deprehendiſſet. Et ne quis ea de re dubitandi ſcrupulus ipſi ſuperſit, conſulat librum Joſue cap. 18. v. 28. & inveniet *Jebus, quæ & Jeruſalem, Gabaath & Cariath*, & cap. 24. v. 33. *Et ſepelierunt eum in Gabaath.* Legat & librum 2. Regum cap. 23. v. 29. & librum 1. Paralippomenon cap. 11. v. 31. & reperiet *Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin.* Legat & Iſaïæ prophetiam, & cap. 10. v. 29. inveniet *Obſtupuit Rama Gabaath Saulis fugit.*

Pagina 12. noſtræ editionis ad hunc verſum, *Qui nunc in luxa tremulus pia pelle vacillat*, iterum lectoribus imponit Corrector aſſerens legendum eſſe cum Delrio *tremus pes* nam Delrii textus non *tremus pes, ſed tremulus perpelle* habet

Pagina 15. noſtræ editionis ad hoc verſus

Cur itur in ſomnos tenuatur lucida vitro
Marmoribus variis lubrica cella tibi.

Legendum, inquit, *quæritur*, ut notat Delrio. Verum hæc nota non eſt Delrii, ſed Lipſii.

Præponere debueram correctionem verſus 24. paginæ 5.

Aut ſi formidas pelagus, carpenta movebis,
Teque ſuis ſternet terra notata rotis.

Quæ correctio ita effertur: Oportet *ſeque tuis*, non *teque ſuis.* Irrepſit fateor hic vel typographi vel ſcriptoris oſcitantia error in verbo *ſuis* pro *tuis*, quem quivis benevolus lector vel ipſo viſu facillime corrigere poteſt. Hoc verbo igitur ex caritate reſtituto, non poſſum non inſimulare malæ fidei correctorem, qui hanc notam meam marginalem *ſ. ſeque* diſſimulavit, qua ſignificabam forte legendum eſſe *ſeque tuis.* Quod ſi *ſuis* retineri voluiſſem, certe obſervare non omiſiſſem Delrium legiſſe *tuis.*

Ad paginam 6. noſtræ editionis ubi leguntur iſti verſus

Gaudebit certe, ſi quis de nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hoſpicium.

Digitized by Google

Hanc intendit correctionem : Pone cum Delrio *gaudebis* pro *gaudebit*. Hic iterum lectoribus imponit corrector. Nam Delrii lectio perinde ac noſtra non *gaudebis*, ſed *gaudebit* : quæ lectio cum duorum ſit mss. non eſt immutanda, maxime cum optimum efficiat ſenſum, ſi horum verſuum dictio ita conſtruatur. *Si quis blandus ducat in vicinum hoſpicium de nocte viantem*, ille *certe gaudebit*.

His plura adjicere ſuperſedeo, ne forte lectoribus tædio ſint meæ obſervationes, ut certe fuerunt correctoris importunæ emendationes. Sed dum hæc ſcribo, audio menſe Octobri proxime elapſo longe plures ab eo promulgatas ejuſdem farinæ caſtigationes, de quibus, cum eas necdum legerim, nullum ferre judicium poſſum. Sed ſi ſuus ei ſecundus labor ita feliciter ceſſit ut primus, non tam reſponſione indiget quam inſtantiſſimis ad Deum precibus, ut ejus livori & invidiæ pro ſua pietate mederi dignetur. Certe ſi tanta corrigendi prurigine laborat, auctor ſum ei Summam Theologicam Doctoris Angelici caſtigandam ſuſcipiat : ampliſſimam ibi oſtentandæ ſuæ latinitatis ſegetem metet. Sed forte multo utilius corrigendis propriis vitiis ac lugendis peccatis operam navaret. Atque utinam noſtrum utrique hæc ſit deinceps una occupatio. Parcant mihi lectores benevoli has meas obſervationes, quas iteratis amicorum meorum precibus negare non potui. Nam qui me noverunt, quam ſim alienus ab omni contentione haudquaquam ignorant.

Digitized by Google

I N D E X
C A P I T U M.

CAPUT I. De benedictione ſeu ordinatione abbatum & abbatiſſarum, *Pag.* 2
Ordo I. *Ad benedicendum abbatem. Ex mſ. codice Caſinenſis monaſterii*, 5
Ordo II. *Ex mſ. libro ſacramentorum Moiſacenſis monaſterii*, 23
Ordo III. *Ex mſ. pontificali eccleſiæ Biſuntinæ*, ibid.
Ordo IV. *Ex mſ. pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania*, 26
Ordo V *Ex duobus mſſ. pontificalibus eccleſiæ Senonenſis uno annorum* 500. *altero annorum* 300. 30
Ordo VI. *Ex mſ. S. Remigii Remenſis annorum* 500. 33
Ordo VII. *Ex mſ. pontificali inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria*, 39
Ordo VIII. *Ex mſ. pontificali Arelatenſis eccleſiæ*, 40
Ordo IX. *Ex mſ. pontificali eccleſiæ Moguntinæ*, 43
Ordo X. *Ex mſ. codice D. le Tellier Rotomagenſis S. Audoeni monaſterii magni prioris*, 46
CAPUT II. De benedictione monachorum, 49
Ordo I. *Ad benedicendum monachum. Ex pontificali & miſſali Anglicanis mſſ. quorum primum eſt annorum circiter* 900. *alterum annorum circiter* 500. ibid.
Ordo II. *Ex mſ. Rituali Gemmeticenſis monaſterii tempore Theoderici abbatis ſcripto*, 53
Ordo III. *Ex Ordinario mſ. Gemmeticenſi*, 54
Ordo IV. *Ex mſ. pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania*, 55
Ordo V. *Ex mſ. Pontificali eccleſiæ Mimatenſis quod olim uſui Joanni Sairebruche, epiſcopo Catalaunenſi*, 58
Ordo VI. *Ex codice monaſterii S. Georgii in pago Rotomagenſi*, 59
Ordo VII. *Ex mſ. codice monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis*, 60
Ordo VIII. *Ex mſ. codice Beccenſis monaſterii annorum* 400. *in bibliotheca Bigotiana aſſervato.* 64
TRACTATUS de profeſſione monachorum. *Ex mſ. codice Bigotiano ante annos* 500. *exarato*, 65
CAPUT III. De benedictione recluſorum, 93
Ordo I. *Ex Grimlaici Regula Solitariorum cap.* 15. *De diſciplina ſuſcipiendorum fratrum ad recluſionem*, ibid.
Ordo II. *Ad faciendum recluſum. Ex mſ. Rituali eccleſiæ Sueſſionenſis*, 94
CAPUT IV. De benedictione canonicorum regularium, 96
Ordo I. *Ad canonicum regularem benedicendum. Ex mſ. pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania*, ibid.

Ordo II. *Ex mss. conſuetudinibus canonicorum regularium S. Rufi*, 98
CAPUT V. De benedictione ſeu receptione canonicorum ſæcularium, 101
Ordo I. *Ad recipiendum canonicum. Ex antiquis chartariis & regiſtris Capituli eccleſiæ Pariſienſis*, ibid.
Ordo II. *Ex ms. Rituali eccleſiæ S. Martini Turonenſis*, 104
Ordo III. *Ex Chartario inſignis eccleſiæ Bolonienſis*, 106
CAPUT VI. De ſolemni virginum benedictione ſeu conſecratione, 108
Ordo I. *Ad benedicendam virginem. Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi*, 116
Ordo II. *Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis*, 120
Ordo III. *Ex ms. codice S. Gatiani Turonenſis, ante annos* 800. *exarato*, 121
Ordo IV. *Ex ms. Pontificali S. Remigii Remenſis, annorum* 500. 122
Ordo V. *Ex ms. pontificali inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria*, 124
Ordo VI. *Ex ms. codice monaſterii S. Victoris Pariſienſis, annorum* 500. 127
Ordo VII. *Ex ms. Pontificali Cameracenſi annorum* 500. 128
Ordo VIII. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Aquenſis, annorum circiter* 400. 129
Ordo IX. *Ex ms. Pontificali Chriſtiani archiepiſcopi, qui ab anno* 1249. *ad* 1251. *Moguntinam rexit eccleſiam*, 131
Ordo X. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Autiſſiodorenſis*, 133
Ordo XI. *Ex ms. Pontificali Petri epiſcopi Silvanectenſis, qui obiit anno* 1356. 136
Ordo XII. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Senonenſis, annorum* 300. 138
Ordo XIII. *Ex Rituali ſanctimonialium Cartuſienſium*, 141
CAPUT VII. De benedictione viduarum & diaconiſſarum, 142
Ordo I. *Ad benedicendam viduam. Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi*, 146
Ordo II. *Ex Pontificali Beccenſis monaſterii*, 147
Ordo III. *Ex Græcorum Euchologio*, ibid.
CAPUT VIII. De benedictione puerorum ſeu puellarum religioſum habitum ex devotione ſuſcipientium, 149
CAPUT IX. De ſolemni imperatorum benedictione, 151
Ordo I. *Ad benedicendum imperatorem Orientis ex Johanne Cantacuzeno lib.* 1. *Hiſt. cap.* 41. 157
Ordo II. *Ex libro Codini Curopalatæ de officiis & officialibus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cap.* 17. 160
Ordo III. *Ex ms. codice Gemundenſi*, 165
Ordo IV. *Ad benedicendum imperatorem in eccleſia Aquiſgranenſi. Ex ms. codice bibliothecæ regiæ num.* 4226. *annorum minimum* 300. 167
Ordo V. *Ad benedicendum imperatorem in eccleſia Mediolanenſi. Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n.* 4208. *annorum circiter* 400. 173

Ordo VI. *Ad benedicendum Romæ imperatorem. Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria*, 178
Ordo VII. *Ex mss. Pontificalibus Conſtantinopolitano annorum* 500. *&* *Arelatenſi annorum* 400. 180
Ordo VIII. *Ex ms. codice Bigotiano*, 181
CAPUT X. De ſolemni regum benedictione, 183
Ordo I. *Ad regem benedicendum & inungendum. Ex mss. Pontificalibus Egberti Eboracenſis archiepiſcopi & Anglicano monaſterii Gemmeticenſis annorum* 900. 185
Ordo II. *Ex Rogeri de Hoveden Annalium parte ſecunda*, 188
Ordo III. *Ex ms. libro Sacramentorum inſignis eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis*, 190
Ordo IV. *Ad benedicendum regem Francorum. Ex ms. codice Ratoldi abbatis Corbeienſis*, 192
Ordo V. *Ad benedicendum regem Francorum. Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n.* 4464. *ante annos* 400. *ſcripto*, 198
Ordo VI. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Senonenſis, annorum* 300. 209
Ordo VII. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Arelatenſis ante annos* 400. *ſcripto*, 221
Ordo VIII. *Ex ms. Pontificali Petri epiſcopi Silvanectenſis, qui obiit anno* 1356. 224
CAPUT XI. De benedictione principum & ducum, 225
Ordo I. *Ad benedicendum ducem Aquitaniæ. Ex ms. codice S. Stephani Lemovicenſis*, 227
Ordo II. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Laudenſis*, 229
CAPUT XII. De benedictione novi militis, 230
CAPUT XIII. De benedictione ac dedicatione eccleſiarum, 232
Ordo I. *Ad benedicendam ſeu dedicandam baſilicam. Ex ms. miſſali Gellonenſi, annorum* 900. 245
Ordo II. *Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi*, 250
Ordo III. *Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis, annorum* 900. 259
Ordo IV. *Ex ms. codice B. Mariæ Remenſis, annorum* 800. 272
Ordo V. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Noviomenſis, annorum circiter* 800. 276
Ordo VI. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cadurcenſis & duobus codicibus bibliothecæ Colbertinæ n.* 428. *&* 2585. *annorum circiter* 800. 279
Ordo VII. *Ex ms. Pontificali Halinardi archiepiſcopi Lugdunenſis ante annos* 600. *exarato*, 284
Ordo VIII. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cameracenſis, annorum* 500. 294
Ordo IX. *Ex mss. Pontificalibus Apamienſi & Conſtantinopolitano*, 299.
Remigii Autiſſiodorenſis monachi Tractatus de Dedicatione eccleſiæ, 305
Sermo in dedicatione templi auctore, uti videtur S. Cæſario, 324
CAPUT XIV. Quæ fuerit veterum diſciplina circa idolorum tem-

Digitized by Google

pla, ſynagogas Judæorum, & hæreticorum eccleſias, 328
CAPUT XV. De reconciliatione violatæ eccleſiæ, 332
Ordo I. *Ad reconciliandam baſilicam. Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi,* 333
Ordo II. *Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis; annorum* 900. 334
Ordo III. *Ex ms. codice Colbertino annorum* 800. *Bellovacenſi, annorum* 700. *Pontificali Biſuntino annorum* 600. *Senonenſi & Remenſi S. Remigii annorum* 500. *Apamienſi in Syria ejuſdem circiter ætatis, Aquenſi annorum* 400. *& Rituali Sueſſionenſi tempore Nivelonis ſcripto,* 335
Ordo IV. *Ex ms. S. Victoris annorum* 500. ibid.
Ordo V. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ,* 337
CAPUT XVI. De benedictione altaris, 340
Ordo I. *Ad conſecrandum altare. Ex antiquo miſſali Francorum à Thomaſio Romæ vulgato,* 341
Ordo II. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis annorum* 400. ibid.
Ordo III. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ,* 347
CAPUT XVII. De benedictione altaris portatilis, 350
Ordo I. *Ad benedicendum altare portatile. Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cameracenſis,* 351
Ordo II. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria,* 353
Ordo III. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis, annorum* 400. 354
Ordo IV. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ,* 357
Ordo ad conſecrandum lapidem itinerarium ſeu viaticum ſecundum morem aliquarum eccleſiarum ſine impoſitione reliquiarum. 358
CAPUT XVIII. De altarium confractione, *ibid.*
CAPUT XIX. De benedictione ciborii, 360
CAPUT XX. De benedictione cœmeterii, 361
Ordo I. *In conſecratione cœmeterii. Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi,* 361
Ordo II. *Ex ms. Pontificali monaſterii Lyrenſis, annorum* 600. 362
Ordo III. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria,* 363
Ordo IV. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Senonenſis, annorum* 500. 365
Ordo V. *Ex ms. Pontificali Chriſtiani Moguntini archiepiſcopi,* 366
Ordo VI. *Ex ms. Pontificali Romano bibliothecæ Colbertinæ n.* 4160. *annorum* 300. ibid.
CAPUT XXI. De benedictione ſeu baptiſmo ſignorum, 368
CAPUT XXII. De benedictione Turris, 372
CAPUT XXIII. De variis aliis benedictionibus, *ibid.*
ORDO *ad benedicendam crucem. Ex ms. Pontificali monaſterii Lyrenſis annorum* 600. 373
ORDO *ad benedicendam imaginem S. Stephani. Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis,* 377
Benedictio effigiei B. Virginis Catherinæ, 378
Ordo I. *Ad benedicendum ſcrinium vel arcam. Ex ms. Pontificali Angli-*

cano monaſterii Gemmeticenſis, 378
Ordo II. *Ex ms. codice S. Victoris annorum 500.* 379
Ordo *ad benedicendas ſacras veſtes. Ex ms. Sagienſi bibliotheca Bigotiana annorum 200.* 380
Ordo *ad benedicendum baculum & peram peregrinorum*, 382
Benedictio Sportæ ex ms. codice Floriacenſi annorum circiter 500. 384
Benedictio retis, ibid.
Benedictio ferri igniti quod judicii portatur, ibid.
Oratio contra fulgura, 385
Benedictio ad libros dandos, ibid.

DE AN-

Digitized by Google

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS,

LIBER.

De ſacris Benedictionibus.

POST divinorum ſacramentorum adminiſtrationem, quæ ſingularem vim ſanctificandi ab inſtitutione Chriſti ſumpſerunt: nihil in eccleſia ſanctius aut melius excogitari potuit, nihil ad promerendos cæleſtis gratiæ theſauros, nihil ad pias fidelium mentes amore divino inflammandas, devotaſque affectiones excitandas, quam ſacræ benedictiones. Igitur poſtquam de ritibus in ſacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitis fuſe diſſeruimus, æquum eſt, ut de benedictionibus, quæ à ſolis fere pontificibus, citra diſpenſationem, fiunt, quæ in abditis antiquitatis receſſibus vetuſtiſſimiſque Pontificalibus libris Ritualibuſque manuſcriptis reperire nobis licuit, deſcribamus. Benedictiones autem aliæ ſunt perſonarum ut abbatum, abbatiſſarum, monachorum, canonicorum, virginum, viduarum, imperatorum, regum, ac principum, militum, peregrinorum. Aliæ ſunt rerum ſacrarum, ut templorum, altarium, ſacrarum vaſorum & veſtimentorum, cimiteriorum, ſignorum, domorum, imaginum, aliorumque hujuſmodi, quibus hujus libri paginas opplere curabimus.

Digitized by Google

CAPUT I.

De benedictione ſeu ordinatione abbatum & abbatiſſarum.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Abbatum benedictio quam antiqua.

I. DE electione & ordinatione abbatum, cum ex profeſſo jam tractaverimus tum in libro 5. de antiquis monachorum ritibus, tum in Commentario ſuper Regulam S. P. Benedicti, pauca nobis dumtaxat hic obſervanda ſuperſunt. Abbatum autem benedictio alia eſt monachorum, alia canonicorum regularium. Horum nulla eſt mentio apud antiquos ſcriptores, nullus in Pontificalibus libris aut Ritualibus ordo, quorum caracter ſexcentos paululum excedat annos: Nec ſane mirum, cum ad illa tantum tempora canonicorum regularium, quales modo videmus, origo repetenda ſit. At vero abbatum monachorum ordinatio & benedictio antiquiſſima eſt, cujus certa reperimus argumenta ab annis circiter mille ducentis. Nam in Regula S. P. Benedicti extat integrum caput 64. *de ordinando abbate*, & capite 65. dicit in quibuſdam monaſteriis *ab iiſdem ſacerdotibus* id eſt epiſcopis ordinari præpoſitum à quibus & abbas. Acta S. Maximini abbatis Miciacenſis qui circa annum 520. diem clauſit extremum, cap. 5. teſtantur Euſebium epiſcopum [Benedictionem qua patres abbateſque monachorum confirmari ſolent,] eidem impendiſſe. Quod abbatiſſas ſpectat, S. Gregorius papa lib. 6. epiſt. 12. ad Reſpectam abbatiſſam Maſſilienſem ſcribens, jubet, ut poſt ejus deceſſum de congregatione eligatur alia, quæ ipſi ſuccedat, [quam, ſi digna huic miniſterio judicata fuerit, ejuſdem loci epiſcopus ordinet.] Sed & S. Radegundis ex potentiſſima Francorum Regina humilis Pictavienſis Parthenonis, ab ipſa fundati, ſanctimonialis, in epiſtola quam refert Gregorius Turonenſis lib. 9. hiſt. c. 43. ſcribit Agnetem monaſterii ſui abbatiſſam beati Germani Pariſienſis epiſcopi benedictione conſecratam fuiſſe. Ex capitulis tamen Theodori Cantuarienſis archiepiſcopi n. 2. *preſbyter poteſt abbatiſſam conſecrare cum miſſæ celebratione.*

Abbates benedicendi debent eſſe preſbyter.

II. Ut autem abbas benedici poſſit, ſacerdotio debet eſſe initiatus. Id ſtatutum fuit primum in concilio Romano anni 826. canone 27. quamvis id jam longe antea quaſi pro lege haberetur, ut docent nos Acta præcitata S. Maximini, in quibus unum ei defuiſſe dicitur, [quo inſigniri debet *ſecundum regularem ſanctionem*, qui monachis præeſt, ſacerdotale ſcilicet miniſterium :] quod rogante S. Suſpicio ab Euſebio epiſcopo accepit. Idem innuunt Acta S. Leobini Carnotenſis epiſcopi. Fatendum tamen eſt paucos in occidente abbates his legibus conſtrictos fuiſſe, cum plurimi etiam poſt concilium Romanum ſub Eugenio ſecundo preſbyteri non fuerint, adeo ut in concilio Pictavienſi anni

1078. c. 7. ſtatuere opus fuerit, ut [abbates diaconi, qui preſbyteri non ſunt, preſbyteri fiant, aut prælationes amittant.] At vero in Oriente ſub finem ſæculi V. aut ineunte VI. omnes fere abbates ſacerdotio fungebantur, uti demonſtravimus in Commentario in Regulam S. Benedicti p. 888.

Caput I. De Bened. abbatis.

III. [In abbatis vero ordinatione epiſcopus debet miſſam agere, & eum benedicere cum duobus teſtibus vel tribus de fratribus ſuis, & dat ei baculum & pedules.] Ita Theodorus archiepiſcopus in capitulari n. 3. paucis deſcribit totum ordinem benedictionis abbatis, in quo nihilominus nullam facit mentionem impoſitionis manuum ſuper caput ordinandi, quam tamen preſcribit Ordo Romanus editus & ms. in Pontificali Saliſburgenſi, cujus caracter annos 600. ſuperat. Sed hic ritus non ubique videtur fuiſſe receptus. Unde & Ivo Carnotenſis epiſtola 73. ad Bernardum abbatem Majoris-monaſterii ſcribens, [Quid ergo, inquit, diſceptandum eſt de benedictione, abbatis à quocumque epiſcopo eam fuerit conſecutus, in qua nec fit manus impoſitio, nec conſecratio, ſed ſimplex oratio, in qua accepta ſalus ſubditorum nec minuitur nec augetur.] Et revera in Libro Sacramentorum S. Gregorii papæ unica dumtaxat legitur oratio *ad faciendum abbatem*. In Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi ms. miræ & venerandæ antiquitatis, & in Gellonenſi miſſali annorum 900. tres orationes habentur, nullis aliis præſcriptis ritibus. In Moiſacenſi tamen Libro Sacramentorum mentio fit traditionis Regulæ & baculi, cujus meminit Theodorus, quem proinde conſtat ab antiquo traditum fuiſſe abbati in ſua ordinatione, eoque inveſtiri ſolitum infinitis comprobari poſſet exemplis. Unde & qui curam paſtoralem exuere volebant, baculum in capitulo fratribus reſignabant, aut ſuper altare deponebant, vel epiſcopo aut regi vel imperatori, ſi ad eos ſpectabat abbatis electio, remittebant; qui ſucceſſorem, quem elegiſſent, baculo paſtorali donabant. Singularis erat ritus Cormeriacenſis monaſterii, in quo abbas electus de tumulo S. Martini Turonenſis epiſcopi baculum accipiebat. Hunc ritum ita deſcribit ms. liber S. Martini: Abbate [cedente vel decedente, monachi afferunt paſtoralem baculum ad eccleſiam B. Martini, & in dextro latere capſæ B. Martini illum appodiant. Quo facto, mortem vel ceſſionem abbatis denuntiant capitulo noſtro, & petunt licentiam eligendi: qua data, recedunt. Si autem in electione diſcordant, ad capitulum noſtrum diſcordia reportatur; & ibi pace & judicio terminatur. Et ſi concordant, electum nobis præſentant, quibus eſt approbare vel reprobare. Et electione approbata, jurat electus capitulo in hunc modum. Ego N. Sancti Pauli Cormeriacenſis modo abbas inſtituendus, ſuper hoc ſanctum evangelium promitto & juro obedientiam, ſubjectionem, & reverentiam huic eccleſiæ B. Martini ejuſdemque capitulo, &c. Hoc facto decanus vel major perſona eccleſiæ cum aliis ducunt abbatem ad altare B. Martini, & eum ibi de abbatia reveſtiunt, tradendo ei baculum paſtoralem, & ita recedunt monachi cum abbate.] Abbatiſſis ta-

Benedictionis ritus.

Baculus paſtoralis in benedictione abbatis traditus.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

men non dabatur baculus, ſed neque canonicorum regularium abbatibus, in quorum antiquis conſtitutionibus quas manuſcriptas legi in codice inſignis abbatiæ S. Genovefæ Pariſienſis annorum circiter 400. cap. 1. de Ordinando Abbate hæc legi: [Sciendum quoque eſt, quod noſtra conſuetudo abbatibus noſtris baculum nullo modo concedit.] Et in fine capitis: [Nec aliqua eum perſona præter priorem clauſtri poſt benedictionem epiſcopi in ſede ſua ponere debet, maxime cum baculo careat; unde nec ad eum pertinet concilia ſive curias regum vel principum frequentare.]

Mitra quando uti cœperint abbates.

IV. De mitra, chirothecis, annulo, aliiſque pontificalibus ornamentis nullum prorſus verbum extat in noſtris Pontificalibus libris antiquioribus; quia abbatibus non debentur, niſi ex privilegio. Sæculo X. potiſſimum his gaudere cœperunt, id quod permoleſte tulerunt epiſcopi, privilegiis ſuis inde non parum detrahi, licet falſo, exiſtimantes. Unde cum quererentur quod in conciliis & ſynodis abbates, quibus jus mitræ erat, non diſtinguerentur; hoc diſcrimen inſtituit Clemens IV. ut in ſynodis exempti mitris aurifrigiatis, ſed ſine gemmis laminiſque aureis vel argenteis utantur: non exempti ſimplicibus albis & planis: In aliis vero locis locis utriſque iis uti liceat, quas ſedis apoſtolicæ indulta permiſerint. At vero Præmonſtratenſes ex communi conſilio abbatum ordinis ſui ſtatuerunt, quod nullus abbatum mitra vel chirothecis utatur, [ne forſan ex ipſis ſupercilium elationis aſſumat, aut ſibi videatur ſublimis, cum his uti ſe viderit quæ pontificibus & majoribus eccleſiarum prælatis à ſede apoſtolica ſunt conceſſa.] Quod decretum confirmat Innocentius III. epiſt. 197. ſtatuens, [ut ſi qua forſan eccleſia laxioris Ordinis (Præmonſtratenſium) voluerit regulam profiteri, hujuſmodi Pontificalibus, etiamſi ea prius habuerit, ulterius non utatur.] Thomas Cantipratenſis qui ſæculo XIII. florebat vehementer excandeſcit in quoſdam abbates qui mitris contra communem uſum utebantur; [quibus, inquit, non omnibus, ſed ſolis epiſcopis licet uti. Abuſive tamen quidam abbates de novo cum magna mole pecuniæ iis utuntur. Abuſive, inquam, niſi forte uſum paucorum dierum dixerim contra jura civilia, quæ uſum temporis non dicunt, niſi quem ætas legitima hominis in octoginta annis plenius approbaſſet. Certus ſum autem quod iſtud niſi pauciſſimis & ſpecialiſſimis Galliæ monaſteriis, ut in monaſterio S. Dionyſii & Cluniacenſi antiquis temporibus non fiebat: quibus tamen hoc tunc propter vitæ eminentiam ſpiritualibus privilegiis eſt conceſſum.] Ita ille lib. 2. de Apibus myſticis c. 6. n. 2.

De profeſſione abbatum.

V. Quod autem ſpectat ad profeſſionem & obedientiam, quam in ſua ordinatione abbas promittit epiſcopo, ea non ſemper & ubique locum habuit, maxime ab exemptis. Certe inſolitam fuiſſe Uticenſibus abbatibus docet Ordericus Vitalis lib. 10. hiſt. ad an. 1099. eamque Luxovienſi epiſcopo reddere cunctos conſtanter recuſaſſe. Innocentius II. etiam redarguit archiepiſcopum Rotomagenſem quod à quibuſdam abbatibus obedientiam exigeret Spicilegii tom. 2. pag.

Caput I. De Bened. abbatum.

459. Et Urbanus II. apud Gaufridum Vindocinenſem lib. 2. epiſt. 27. irritam declarat eam, quam ab eo extorſerat Carnotenſis epiſcopus, vetatque ne in Gaufridi ſucceſſoribus aliquid hujuſmodi attentare præſumat. At vero abbates Caſſinenſes neque epiſcopo, neque epiſcoporum epiſcopo Summo Pontifici ab eo benedicti obedientiam jurabant: Unde cum Honorius II. Seniorectum abbatem Caſini conſecraſſet, [poſtea cœpit ab eo ſacramentum vehementer exquirere, atque ut Romanæ eccleſiæ fidelitatem faceret omnino inſiſtere. Et fratres modis omnibus reniti & contradicere, & hoc Caſſinenſes abbates numquam feciſſe dicebant. Quibus Pontifex è diverſo reſpondebat, quia quod omnes fere epiſcopi, archiepiſcopi & abbates faciunt, Caſſinenſis abbas agere debet. Cui è diverſo noſtri dicebant, ideo ab illis Romanam eccleſiam fidelitatem extorſiſſe, pro eo quod ſæpius in hæreſim lapſi, contra Romanam eccleſiam ſenſiſſent. Caſſinenſis vero eccleſia numquam in hæreſim decidit, numquam contra ſedem apoſtolicam ſenſit. Qua ratione papa accepta conticuit.] Ita Chronicon Caſſinenſe lib. 4. cap. 95. ſolebant tamen exemti Romano Pontifici obedientiam promittere. Fiſcannenſis abbas ita profitebatur. [Ego N. nunc ordinandus abbas eccleſiæ Fiſcannenſis, canonicam obedientiam & reverentiam Summo Pontifici, ſuiſque ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ perpetuo me exhibiturum promitto & propria manu confirmo.]

Jam vero ſi quis reſcire cupiat quibus precibus ritibuſque abbates benedicerentur. In S. Gregorii Sacramentario unica eaque brevis ponitur *Oratio ad faciendum abbatem.* In pervetuſto Egberti Eboracenſis archiepiſcopi Pontificali, in Anglicano Gemmeticenſis monaſterii ejuſdem conſecratio tribus peragitur orationibus, ſcilicet, *Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum*, &c. *Deus qui ſub tua majeſtatis arbitrio*, &c. *Super hunc famulum tuum Domine*, &c. In antiquo quoque miſſali Gellonenſis monaſterii ante annos 900. exarato tres pro abbatis & abbatiſſæ benedictione habentur orationes, quæ reperiuntur etiam in Ordine Romano, nempe *Cunctorum inſtitutor*, &c. *Omnipotens ſempiterne Deus affluentem*, &c. *Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moïſi*, &c. Verum hæc omnia ex ſequentibus Ordinibus longe melius intelliges.

ORDO I.

Ex mſ. codice Caſinenſis monaſterii.

Ritus electionis abbatis Caſinenſis.

Iſto enim modo Caſinenſis abbas debet eligi. Moriente abbate conveniant omnes fratres in capitulum, & facto ſilentio dicat Præpoſitus.

Noſtis, fratres cariſſimi, qualiter Dei diſpoſitione communis Pater noſter migravit ex hoc ſæculo, & ideo neceſſe eſt Caſinenſi Eccleſiæ providere, & prout Dominus donaverit Paſtorem animarum noſtrarum conſtituere.

Digitized by Google

Caput I. De Bened. abbatis.

Cumque hoc ab univerſis fratribus fuerit confirmatum, eligantur de eadem congregatione preſbyteri tres, diaconi tres, ſubdiaconi tres, acoliti tres, ydiota tres, timentes Deum, de quorum vita & moribus ſecuri ſint, & electio abbatis in eorum arbitrio conſtituatur, & indiſſolubili anathematis vinculo obligentur, ſi vel pro pecunia, vel pro gratia humana abbatem elegerint, ſet magis quem digniorem & meliorem ſecundum Deum, & ſecundum beati Benedicti *regulam preſbyterum, vel diaconem invenerint, abbatem & paſtorem eligant. Et cum hoc ab omnibus fuerit confirmatum, egredientibus illis à capitulo, & introeuntibusin eccleſiam rogaturi Deum, ſurgens protocartularius in medio, legat in ſono vocis capitulum* de Ordinando Abbate. *Quo expleto, faciat præpoſitus ſermonem fratribus de eodem capitulo; & cum ſermonem expleverit, fratres, in quorum arbitrio electio poſita eſt, ingrediantur, & ſtent in tranſverſa linea capituli in medio ante ſedem abbatis; & qui prior eſt inter illos, dicat.*

Nos, fratres cariſſimi, ſecundum veſtræ Paternitatis imperium conſulto habito, & Spiritus ſancti invocata gratia, de corpore noſtræ congregationis eligimus in abbatem hujus ſanctiſſimæ congregationis talem preſbyterum, vel diaconem, nobis ſufficientiſſime cognitum, natalibus, & moribus nobilem, divina & ſeculari diſciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita caſtum, ſobrium, humilem, affabilem, miſericordem litteratum, in lege Dei, & beati Benedicti inſtructum, in ſcripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatum, & ſecundum ſcripturarum tramitem, traditionemque orthodoxorum, & canonum ſano ſenſu eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanoque ſermone docentem, atque ſervantem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, ſermonem fidelem, & cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt, & teſtimonium ab omni parte abentem bonum.

Illo quoque ſermoni faciente finem, dicat præpoſitus fratribus: Adjuro vos per tremendum judicium, & per omnia divina, & humana miſteria, & per fidem, quam debetis Deo, & baptiſmo, & beato Benedicto, ut ſi aliquit ſcitis contra hanc electionem, dicatis. *Et ſi nullus reſponderit, dicat præpoſitus*: Vultis omnes illum? *Tunc reſpondeant omnes*, Volumus. *Et Præpoſitus*: Placet vobis? *Et fratres*: Placet. *Tunc præpoſitus repetit:* Accipite eum. *Demum egreditur electus à capitulo, ſuſtentatus à preſbyteris, ac diaconibus. Poſt quem pergant omnes fratres cantantes in voce magna* Te Deum laudamus; *& ſic incipiant pulſare omnia ſigna. Cum autem eccleſiam intraverint, proſternatur electus in gradibus ante altare beati* Benedicti *toto corpore, uſque dum compleant* Te Deum laudamus. *Qua expleta, faciant letaniam, ea finita, incipiant* Te decet laus. *Sequitur Dominica oratio. Dehinc dicat præpoſitus hanc orationem.*

Deus largitor munerum, dominator clementiſſime, tuam invocamus pietatem ſuper hunc famulum tuum, quem beatiſſimo patri Benedicto vicarium ordinamus, ut ordinis ſui primatum digne eu-

ſtodiat, & quicquit pro ſalute animæ ſuæ digne precatur obtineat, ſit vita probabilis, ſit ſapiens, & humilis, ſit ſcientia verus, religione clarus, conveniens in doctrina, in gravitate decorus, in compaſſione piiſſimus, in operatione cautus, in diſpoſitione ſollicitus, in temptationibus fortis, in injuriis patiens, in pace fixus, in eleemoſynis promptus, monitionibus frequens, in miſericordia efficax, in ſubditis pius, nec ſit immemor, quod à te de ſuis erit factis tuo judicio judicandus, & quicquid à te petierit, clementer impertiri digneris. Per Dominum. CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Dehinc dicat Deo hanc orationem.

Omnipotens, & miſericors Deus, totius ſanctæ religionis origo, omniſque dignitatis in te æterna ſalvatio, qui eccleſiæ tuæ beatiſſimum BENEDICTUM legiſlatorem dediſti, te ſubpliciter petimus, ut hic famulus tuus ſit ab antiqui hoſtis inſidiis ereptus, remotus à cunctis malorum implicamentis, remotus à ſæcularibus pompis, remotus à pravis delectationibus, remotus à preſentis vitæ contagiis, remotus ab omnibus pravorum retinaculis. Doce eum, Domine, hujus vitæ contempnere proſpera, non timere adverſa, injurias non inferre, ſet inlatas æquanimiter tolerare, inimicos diligere, pro perſequentibus, & calumniantibus ſuppliciter deprecare, nichil concupiſcere carnaliter, vel ambire: non ſuperborum injuriis fatigatus deficiat, non eum ſuperbia inflet, non ardor avaritiæ inflammet, non vana gloria turpiter jactet, non gula, aut ebrietas præpediat, non ambitio ventoſa præcipitet, non ardor animoſæ contentionis examinet, non deſiderium humanæ opinionis elevet, non diabolus auctor perditionis lædat, aut perdat, ſed tuæ pietatis dextera clementiſſime Deus à cunctis ſervet malis, eumque in præſenti, & in futuro ſæculo protegat, atque gubernet, ut te timeat, imitetur, & diligat. Aperi ei ſenſum, ut in divinarum ſtudiis litterarum te legat; corde, ore, & opere meditetur; & intellecto die noctuque ſervet, cæleſtia & æterna ſapiat, terrena reſpuat & caduca, monachos ſibi ſubditos perfectè inſtruat, amicos & inimicos pro tui nominis amore amet & diligat, humilitatem & vilitatem teneat, æque & exerceat; caſtimoniam & pudicitiam corde & corpore complectat & teneat, patientiam & longanimitatem arripiat atque cuſtodiat, jejunium & abſtinentiam ſtudeat ſimul, & amet, gemitum & orationem deſideret atque vigiliam, peccata ſua inceſſanter cum lacrymis & ſuſpiriis accuſet, & te Deum omnipotentem corde & opere circumferat ſemper, atque deſerviat, vitam æternam jugiter diligat, teneat atque ſectetur, quatinus ad æternæ vitæ, quam in te perſeverantibus promittere dignatus es, gloriam pervenire mereatur. Per Dominum.

Deus, qui ſub tuæ Majeſtatis arbitrio omnium Rectorum eccleſiæ tuæ contines poteſtatem, tibi ſupplices fundimus preces, humiliter exorantes, ut hunc famulum tuum à nobis indignis in gradum abbatis electum, tuæ ſupernæ ſummæque ſanctificationis gratia conſervare

Digitized by Google

digneris, ut in diebus ejus, interceſſione beatiſſimi Patris BENEDICTI confeſſoris tui, quem præcipuum monaſticæ diſciplinæ legiſlatorem dediſti, devotio renaſcatur diſciplinæ, & ut te adjuvante ſuis ſubditis tibi placita præbere poſſit exempla, tibique cum timore ſubditus, ac manſuetus militans tuæ majeſtatis mereatur ubique clipeo pacifico protegi. Deſtera tuæ Divinitatis eum digneris locupletare, ut opem frugalem fratribus inferre, & omnibus undique advenientibus pie poſſit profutura exhibere. Tu illi eſto honor, tu gaudium in Caſino, in itinere ſocius, in mœrore ſolatium, in ambiguitate conſilium, in ægritudine medicina, in laboribus adjutor, in adverſis defenſor, in tribulatione patientia. Ponat in te providentiam mentis, per te diſcat cum conſilio commiſſi ſibi gregis gubernacula ſapienter moderari: ut ſemper felix, ſemperque exultans, de tuæ bonitatis ditatus beneficiis, mereatur gaudere, & prolixitatem præſentis vitæ per temporalia bona benigne ſuſcipere, ac ſupernis civibus, angelorumque choris per æterna commercia copulari. Per Chriſtum.

Super hunc famulum tuum electum noſtrum, Domine, quæſumus dignanter intende, & da ei ſcientiam veram, ſpem firmam, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus inveniatur ad accipiendum patris BENEDICTI ſacratiſſimum thronum, quatinus & ipſe ſine offenſione ejus veſtigia ſequatur, ſuoſque ſequaces ſanctis ammonitionibus ſequi faciat, ſciatque, quia qui ſuſcipit animas regendas, in die judicii pro his omnibus rationem redditurus eſt Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit, & regnat.

Expleta oratione, ſurgat electus de loco, in quo proſtratus jacuerat, & ſtet ante gradus altaris, & præpoſitus accipiat virgam abbatiæ ſuper altare, & det ei dicendo ita.

Accipe baculum paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens, in ira judicium ſine ira tenens, cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens. Per.

Tunc det ei regulam dicens:

Accipe regulam ſacratiſſimis manibus patris BENEDICTI deſcriptam, ad regendum, cuſtodiendumque gregem tibi à Domino JESU CHRISTO creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, ac fragilitas humana permiſerit. Per eumdem.

His expletis, vadunt cum electo, & ponant eum in ſede juſta chorum, cantantes, Ceperunt poſt modum. *Et inde ſurgens electus vadat cum fratribus per omnes monaſterii eccleſias, faciendo apud unamquamque ſeptiformem letaniam, & ſic revertantur ad eccleſiam ſancti* BENEDICTI, *cantantes reſponſorium*, Vir enim Domini inter tot miracula. *Cumque eccleſiam intraverint, vadat electus ad altare poſitis ſacroſanctis evangeliis, & deſuper ponit protoſcriniarius repromiſſionem de ſcrinio; & jurat electus coram omnibus per ſancta Dei evangelia, & per corpus beati* BENEDICTI *obſervaturum ſe ſuis pro viribus, ac pro ſuo ſcire regulam, & nullum niſi clareſcentibus culpis de monaſterio projecturum, vel degradaturum;*

turum ; & ut theſaurum , poſſeſſiones , Eccleſias , & omnem ſubſtantiam monaſterii ubique terrarum non ſubſtraat vel alienet ; obedientias , ſicut beatus Benedictus juſſit , diſtribuat , & laicum ſuper monachum non præponat.

Quo facto , imponat ſtatim decanus Gloria in excelſis Deo , *& oſculato altari , vadant omnes in Capitulum , & reſidente electo in cathedram , vadat Protocartularius , & legat in ſono vocis ,* qualis debeat eſſe abbas. *Quo expleto ſurgens præpoſitus ruat ad pedes electi , & det ei pacem , deinde decanus , & cæteri per ordinem , & ſtatim poſt oſculum punga electus cingitur , quod eſt gazophilacium , unde pauperibus eleemoſynam ſubminiſtret.*

Tunc deferat manſionarius claves eccleſiæ , & det præpoſito , & præpoſitus ponat in manus electi , dicens : Accipe claves ſanctuarii , & ita temedipſum irreprehenſibiliter exhibe , ut poſt præſentis vitæ labores , pervenire merearis cum grege tibi credito , ad perennem felicitatem. *Qui claves accipiens , reddat manſionario , & ille inclinato capite recedat. Statimque bibliothecarius ſurgens in medio det claves bibliothecæ in manus præpoſiti , & præpoſitus ponat eas in manus electi , dicens :* Nunc tibi Dominus Jeſus Chriſtus & Pater ſanctiſſimus BENEDICTUS tibi committit eloquia divina , nunc tibi tradit divina miſteria , nunc tibi reſerat ineffabilia ſacramenta. Commenda memoriæ , quæ oculis perſpicis , lecta prædica , prædicata opere comple : accende in mentibus ſubditorum claritatis lumen , ut per præſentis vitæ lectionem , & operationem , precibus beatiſſimi BENEDICTI pervenire merearis ad æternam conſolationem. *Electus autem claves accipiens , reddat bibliothecario , & ille inclinato capite recedat. Poſt quem veniat veſturarius , & faciat ſimiliter.*

Hoc autem notandum eſt , quod in ordinatione abbatis Religioſi viri , & abbates debent intereſſe. Paſtoralis autem virga , & Regula à morte abbatis uſque ad electionem alterius ſuper aram Patris Benedicti die , noctuque permaneat. Unuſquiſque autem preſbyter eo die cantent Miſſam de Spiritu-ſancto , in conventu autem de ſancto BENEDICTO. *Deinde Romano Pontifici pro electo deſtinent epiſtolam , cujus iſte eſt ſenſus.*

Sanctiſſimo , atque beatiſſimo Patri N. Summo Pontifici , & univerſali Papæ , Congregatio Caſinenſis devotiſſimum famulatum. Veſtræ paternitati notum eſſe non ambigimus , Dominum noſtrum N. hujus ſacri Caſinenſis cœnobii abbatem de præſentis vitæ tenebris ereptum , migraſſe ad Dominum. Ne autem Chriſti eccleſia diutius proprio Paſtore careret , unanimi conſenſu preſbyterorum , diaconorum , necnon reliquorum fratrum cœnobii Caſinenſis , invocata Spiritus-ſancti gratia , abſque odio , gratia , venalitate , ambitione , diſcordia , eligimus in beati BENEDICTI cathedra N. venerabilem virum , quem à veſtra paternitate petimus benedici , & confirmari , quatinus veſtro ſtudio , & ſagacitate beati BENEDICTI grex augmenta bonæ meliorationis percipiat. Præterea , ſecundum antiquam Caſinenſis eccleſiæ

CAPUT I. De Bened. abbatis.

conſuetudinem, ejus electionem unanimi monachorum voto, & conſenſu factam litteris comprehendentes, vobis notificare curamus, cujus exemplar eſt iſtut.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni, anno Incarnationis ejus N. indictione decima tertia. Nos filii beati BENEDICTI, preſbyteri ſcilicet, & diacones Caſinenſis eccleſiæ cum reliquis fratribus in baſilica ejuſdem patris noſtri unanimiter congregati, juxta ejuſdem ſtatuta, cum omnium conſenſu, abſque gratia, ambitione, venalitate, odio, diſcordia, amore, juſta quod ſanctus BENEDICTUS & ſancti canones præcipiunt, gratia Spiritus-ſancti cooperante, communi voto, Dominum N. preſbyterum, vel diaconum, virum utique prudentem, benignum, carne & ſpiritu nobilem, in abbatem & paſtorem animarum noſtrarum feliciter elegimus. Ut autem, quod præſtante Domino de ejus promotione fecimus, ratum, autenticum, atque canonicum habeatur, præſenti ſcripto de ipſius electione à nobis facta, propriis manibus roborando ſubſcripſimus. Ego frater N. Caſinenſis præpoſitus, & diaconus elegi, & ſubſcripſi. Ego frater N. Caſinenſis decanus ac ſacerdos elegi & ſubſcripſi. *Similiter omnes preſbyteri, & diaconi ſubſcribant. Ydiota vero ita.* Ego frater N. Ydiota confirmavi, & ſignum crucis feci. *Hic autem, qui eligendus eſt preſbyterii, vel diaconii honore ſit præditus. Nam ſi aliter factum fuerit, ratum eſſe non poterit*, &c.

QUALITER CASINENSIS ABBAS A ROMANO PONTIFICE CONFIRMANDUS SIT, PROUT IN SCIDULIS MAJORUM INVENIMUS, DESCRIBIMUS.

R*Eſidente namque pontifice in cathedra, fratres ante pontificem veniant, ejus electionem notificantes: quibus papa dicat:* Qui ſunt, qui elegerunt eum? Oportet enim eos vitam habere probabilem, & teſtimonium ex omni parte habere bonum, & inſpicere qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conſcientia, quove merito ſint, ſi pro Deo, aut pro pecunia, aut inimicitia, vel odio hunc elegerint, nec ne.

Et cum eorum vitam cognoverit, examinetur vita electi, & ſi probata fuerit, vita ejus, tunc ducatur ante pontificem, & interroget eum pontifex ita.

Vis ea, quæ ex divinis ſcripturis legis, & verbo docere, & exemplis? *Reſpondeat*, volo.

Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? *Reſpondeat*, volo.

Et papa. Vis caſtitatem, & ſobrietatem cum auxilio cuſtodire, & docere Dei? *Reſpondeat*, volo.

Et papa. Vis ſemper in divinis negotiis eſſe mancipatus, & à terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana hæc fragilitas conſenſerit poſſe? *Reſpondeat*, volo.

Et papa. Vis humilitatem, & patientiam in temedipſo cuſtodire, & monachos ſimiliter docere? *Reſpondeat*, volo.

Digitized by Google

Et papa. Pauperibus, & peregrinis, omnibuſque indigentibus vis eſſe propter nomen Domini affabilis, & miſericors? *Reſpondeat*, volo. CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Et papa. Vis obſervare regulam ſancti BENEDICTI uſque ad iota unum, & unum apicem ſecundum tuum ſcire, & poſſe? *Reſpondeat*, volo.

Et papa. Vis res monaſteri intus, ac foris, ac ſi altaris vaſa ſacrata, cuſtodire, conſervare, non diſpergere, vel alienare? *Reſpondeat*, volo.

Et papa. Noveris te ad hoc eſſe electum, ut ædifices & plantes, non ut diſperdas ac deſtruas. Nam patris BENEDICTI cathedra eum, qui cupit eam & audacter expetit, non requirit, ſet ornatum moribus, & in verbis eruditum. Oportet autem te, fili cariſſime, irreprehenſibiliter vivere, & ſummo ſtudio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejuſſor exiſtas, ne advocatus litium fias, neve in nulla aliqua occupatione prorſus inveniaris mundialis negotii occupatione perplexus, neque enim judicem, aut cognitorem rerum ſecularium hodie te ordinare vult Chriſtus, aut pater ſanctiſſimus Benedictus, ut ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum beati BENEDICTI regulam ſecernere bonos à malis, nemo te revocet ab his ſtudiis, per quæ ſalus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen eſt, neglectis verbi Dei ſtudiis, ſollicitudines ſuſcipere ſeculares, ita unicuique monachorum peccatum eſt, niſi invicem ſibi etiam in his, quæ ad communis vitæ uſum pertinent, operam fideliter dederint. Te vero ſecurum facere ab his, quibus debes vacantes omnes communiter elaborent. Quod ſi fortè à ſemedipſis monachi hoc non intelligunt, per decanos edocendi ſunt, ut tibi ſolius regulæ ſollicitudines derelinquant, quo ipſam, ut dignum eſt diſpenſare ſufficias; & veritatis verbo abundantius, & ſtudioſius deſervire. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & te ipſum decipies, & eos qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad ſalutem pertinent, plenius ſingulis, quibuſque diſtinguere, & ex eo fit, ut & tu, tamquam qui non docueris, quæ ad ſalutem monachorum pertinent, deponaris, & monachi per ignorantiam pereant. Idcirco quidem ad hoc ſolum vacato, ut oportunè, & ſine intermiſſione doceas verbum Dei, per quod ſalutem monachi conſequi poſſint; illi verò cum tanta reverentia tua verba ſuſcipiant, ut ſciant te legatum, & præconem eſſe veritatis. Pudicitiam obſervare ſtude, adulterium vita. Nam quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Secundum namque in pœnis obtinet locum; quoniam quidem primum illi habent, qui aberrant à Deo, etiamſi ſobriè vixerint. Propter quod monaſterii tui eccleſiam excole, & adorna Sponſam Chriſti ad pudicitiam: Sponſam autem dico omnem eccleſiæ Congregationem, quæ ſi pudica inventa fuerit à Sponſo ſuo, ingentibus ab eo donis, & muneribus honorabitur, & tu velut miniſter ſponſæ, & amicus Sponſi ingenti gaudio, & lætitia perfrueris. Si verò ſponſa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipſa quidem tanquam indigna abſtrahetur à regalibus thoris, tu autem pœnas dabis, ſi fortè per tuam negli-

Digitized by Google

Caput I. *De Bened. abbatib.*

gentiam, vel deſidiam obrepſerit contagio ſæva peccati. Idcirco igitur ante omnia ſobrietatis, & pudicitiæ ſollicitudinem gere. Valde enim grave crimen dicitur fornicatio, cujus ſpecies plures ſunt. Si ergo caſtus non fueris mente, & corpore, quomodo poteris, & humanus, & miſericors fieri, per quod & ipſe æternam à Deo miſericordiam conſequaris? Sane ſicut adulterii venenum cunctis malis perniciofius eſt, ita amor fraternus, & caritas totius boni faſtigium tenet. Et ideò dilige omnes fratres tuos, & cum religione, ac miſericordia reſpice ad omnes. Orphanis exhibe temedipſum ut patrem, viduis victuum curam impende, cum omni caſtitate, quæ neceſſaria ſunt præbens, debilibus miſericordiam fac. Caritatem præ ceteris virtutibus in corde tuo fige, cujus caritatis, & recipiendæ & habendæ maximum erit fomentum, ſi frequenter communem cibum tuum, & menſam omnibus facias, & in quantum prævales, communem cibum tuum cum tuis fratribus ſume. Per hæc enim præcipuè caritas comparatur, & cauſa totius boni in hujuſmodi communione conſiſtit. Ubi autem pax, & bonitas, ibi eſt ſalus, propter quod communem fac cibum tuum cum his, qui ſecundum Deum fratres ſunt, quia per hæc temporalia officia caritatis & pacis gaudia æterna mereberis. Multo enim ſollicitius eſurientes refice, ſitientibus potum da, nudis veſtimentum, ægros viſita, & eos, qui in carcere ſunt, prout poſſibile eſt, juva, peregrinos ſatis promptè in monaſterio ſuſcipe. Si qui ex monachis negotia habuerint inter ſe, ſecundum beati Benedicti Regulam judicentur. Super omnia autem avaritiam fuge, quæ homines occaſione præſentis lucri ſeparat à Deo, ab æternis bonis. Pondera, menſuras, ſtateras pro locis quibuſque æquiſſima cuſtodi; depoſita fideliter reſtitue. Hæc omnia ſollicitè, & diligenter imple, futurum Dei judicium ſine intermiſſione in tuo corde volve. Non enim peccare poteris, ſi ſemper ante oculos tuos Dei judicium portas, quod in fine mundi certum eſt agitandum, ut tandem qui in hac vita bona egerint, conſequantur repoſita bona, peccatores autem, ut conſequantur præparatas pœnas. Ante omnia abice à corde tuo diſcordiam, & animi diſſentionem, ex quibus omne opus malum procedit, & benignitatem, ac ſimplicitatem tota mente ſerva. Quod ſi fortè alicujus cor, vel liber, vel infidelitas latenter inrepſerit, tibi confiteantur, ut à te per verbum Dei, & conſilium ſalubre curentur. Eos autem, qui in præcipitium lapſuri ſunt, commone, ut revocentur, & non corruant in peccatum: negligentiores quoque commone. Eſto eruditus, doctus, irreprehenſibilis, maturus, pavidus. Perſecutiones, tribulationes, ac pericula æquanimiter ſuſtine. Porta laborem, & tuum, & omnium fratrum; & quia omnibus præes, ſingulos, prout potueris, juva, & ſingulos releva, qui & ſingulorum onus, & ſollicitudinem portas. Regulam beati Benedicti, quam ille Spiritu-ſancto dictante compoſuit, uſque ad iota unum, & unum apicem per omnia, & in omnibus ſerva, quam ſi toto animo, & tota virtute

non obſervaveris, à pontifice Sedis Apoſtolicæ de abbatia deicieris. Eſto confidens, & fortiter tolera labores, quia ibi mercedem, & præmia pro omnium ſalute ſuſcipies, ſi hic pro omnium incolumitate vigilaveris. Itaque ſi te aliqui ex fratribus propter rigorem juſtitiæ, & conſervationem ſanctæ regulæ odio habuerint, ex hoc quidem non læderis, ſet ex hujuſmodi odio amor tibi conciliabitur Dei. Et ideo ſatage magis, & refuge, ne lauderis ab iniquis, & ne à peſſimè agentibus diligaris, ſet propter juſtitiæ diſpenſationem, & beati BENEDICTI æquiſſimam regulam diſciplinæ à Chriſto conlaudari merearis. Laycum verò ſuper monachum, vel idyotam ſuper monachos, ſubdiaconos, diaconos, vel preſbyteros eſſe, vel injurias eis inferre, nullatenus permittas, ſive accuſationem facere, vel teſtimonium reddere; nam hos in talibus eccleſiaſtici canones non ſuſcipiunt. Nullum monachum in omnibus monaſterii obedientiis aliquid agere abſque tuo, & Caſinenſis congregationis nutu permittas: alienas res non concupiſcas, tibi ſubditos ſcandalum, in quantum vales, pati non permittas; quia qui ſcandalizaverit unum de puſillis illis, qui in ſe credunt, ait Dominus, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Homicidia monachos cavere prædica, nam tria homicidiorum genera, & pœnam eorum parilem eſſe, manifeſtiſſimum eſt; quia, & qui occidit, & qui odit fratrem ſuum, & qui detrahit, pariter homicidæ ſunt. Ne ergo mutare ordines velis in Caſino, quos Pater BENEDICTUS conſtituit: nam licet in abbatibus poteſtatem dederit, non tamen ſunt eo religioſiores, ſapientiores, & doctiores. Monaſteriorum omnium, qui ſub regula beati BENEDICTI ſunt, curam poſt Romanum pontificem agere ſtude. Nam quod Romanus pontifex obtinet per Petrum ſuper totum orbem terrarum, hoc tu, ſi bene vixeris, ſuper monachos poſſides per BENEDICTUM, quia quanto major es in honore, tanto ſi malè vixeris, deterior eris in dampnatione. Eos autem, qui ſui præpoſiti normam, vel regulam neglexerint, in teſtimonium, vel accuſationem ne recipias, vel recipi permittas. Tranſgreſſores autem ſponte legis ſuæ, ejuſque violatores, apoſtatæ nominantur. Omnis autem apoſtata refutandus à te eſt, & non eſt recipiendus in teſtimonio, vel accuſatione; quia vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis; & niſi idonei, & probatiſſimi fuerint in vita ſua, & tales, qui ſuſpicionibus, & ſceleribus careant, accuſatores, vel teſtes eſſe non poſſunt. Teſtes autem vel accuſatores à te ita examinandi ſunt, ut diſcutias ſuſpiciones, vel opiniones eorum, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conſcientia, quove merito, ſi pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia, vel odio, aut cupiditate iſtas fecerint accuſationes, vel teſtimonia reddiderint, nec ne. Ante omnia autem præcipio tibi in virtute Domini, & per poteſtatem, quam Dominus beato Petro, & ſucceſſoribus illius conceſſit, ut te à præcipitatæ ſententiæ prolatione compeſcas. Deus nam-

Digitized by Google

Caput I. *De Bened. abbatis.*

que omnipotens, ut electos ſuos ab hoc compeſceret, cum omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priuſquam manifeſtè agnoſceret, quæ dicebantur. Mala autem audita non te moveant, nec paſſim dicta abſque certa probatione umquam credas, ſet ante audita diligenter inquire, nec præcipitando quicquam aliquid agas. Prædia autem, & res monaſterii à te alienari, vel diſtrahi interdicimus, & penitus prohibemus. Nam quicumque monaſterium devaſtat, ejus prædia, & donaria expoliat & invadit, ſacrilegus per omnia judicatur, & ſacrilegii reus exiſtit: & ſicut majus eſt peccatum, quod in Deum committitur, quam quod in hominem: Sic gravius eſt ſacrilegium agere, quam fornicari. Cavere autem te oportet, ne abſente eo, cujus cauſa ventilatur, ſententiam proferas, quia irrita erit. Proditoris verò nec calumnia aput te, nec vox audiatur: quia qui fratres accuſant, non eos diligere, ſet odire probantur. Quicquid ergo reprehenſibile eſt, fuge. Infidelibus quoque nec jungaris, nec cum eis ullam participationem habeas: nam: quæ pars fideli cum infidele? aut quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Fidelium verò oblationes, quæ in monaſterio offeruntur, ne in alienos uſus convertas, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum. Quod (ſi quod abſit) ſecus egeris, dampnationem Ananiæ & Saphiræ percipies, & ſacrilegii reus eris, ſicut illi fecerunt, qui prætia prædictarum rerum fraudaverunt. Unde, fili cariſſime, valde cavendum & timendum tibi eſt, quia res monaſterii non propriæ, ſet communes ſunt, & Domino oblatæ, ne ſacrilegii reatum incurras, ſi eas de monaſterio abſtrahas, ubi repoſitæ ſunt, & oblata, & quod pejus eſt anathema maranatha fiant, & anima tua, quæ potior eſt corpore mortua & alienata à conſortio fidelium cadat, & in profundum baratri labatur. Præcipimus etiam ſub beati Petri, & patris Benedicti auctoritate, & divini judicii cenſura, ut in omni loco, diebus, ac noctibus, ſemper teſtes tecum ſex preſbyteros, & ſex diacones habeas; & in monaſterio quidem tot, à foris autem quindecim, ut teſtimonium ab omni parte habeas bonum ab his, qui foris ſunt. Peregrina verò judicia vita, fuge jactantiam, virtutes dilige, ut auctorem virtutum felici cernere poſſis intuitu.

Hoc expleto, preparet ſe Pontifex ad miſſam celebrandam. Completa autem epiſtola, proſternat ſe pontifex ante altare, & abbas electus ſacris veſtibus indutus, & paraphoniſta incipiat letaniam.

Sequitur Dominica oratio, Pater noſter: Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem in te. Dominus conſervet eum, & vivificet eum. Et beatum faciat eum. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum. Ex hoc nunc. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Cuſtodiat. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion. Nichil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis. Eſto illi Domine. A facie. Exurge Domine. Et libera nos. Domine exaudi. Et clamor meus.

Digitized by Google

Concede quæſumus omnipotens Deus affectui noſtro miſerationis affectum, & famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum ad gubernandas eccleſias præpoſitos inſtituiſti, tibi ſupplices effundimus preces, teque devotis mentibus exoramus, ut hunc famulum tuum, quem conhibentia & electio famulorum tuorum abbatem hodie ovium tuarum inſtituit, protectionis tuæ gratia munire digneris, ſicque regere ſubditas, commendataſque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cœlorum adeptus, quatenus te, Domine, opitulante, apoſtolicis jugiter fultus doctrinis, centeſimo cum fructu lætus introeat portas Paradiſi, atque te, Domine, collaudante audire mereatur: Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui; quod ipſe præſtare digneris.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditatus, interceſſione beatiſſimi Confeſſoris tui patris BENEDICTI, quem præcipuum monaſticæ diſciplinæ legiſlatorem dediſti, & tuæ majeſtatis gratiam poſſit acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Chriſtum.

Deus innocentiæ, & totius ſanctitatis amator, qui omnia per Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum mirabiliter diſpenſas; effunde, quæſumus, ſuper hunc famulum tuum, quem in officium abbatis ordinamus, gratiam Spiritus-ſancti, ut illius ſervitium tibi omni tempore dignanter complaceat, eumque dextera potentiæ tuæ benedicere digneris in opus miniſterii tui condignum, quatinus actum miniſtrationis ſibi per beatum BENEDICTUM creditæ fideliter exequatur, & ejuſdem Sancti Spiritus ſeptiformis gratiæ virtute corroboretur. Requieſcat ergo ſuper eum precamur Domine Spiritus ſapientiæ, & pietatis: reple eum Spiritu timoris tui, concede ei gravitatem actuum, cenſuram vivendi, ut in lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua cuſtodiat, dictis tuis obediat, ſacris lectionibus inſiſtat, terrena & tranſitoria deſpiciat, atque omni tempore bonis operibus inſerviat, omnem libidinem pravæ voluptatis ſuperet, amorem honeſtæ caſtitatis teneat, redundet in eo ſancti patris BENEDICTI conſtantia, animi fortitudo, Mauri obedientia, totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſervantia diſciplinæ; in moribus ejus BENEDICTI regula fulgeat; & cunctis ſibi ſubditis verbo; & exemplo imitationem bonam præbeat, & uſque ad exitum in ſancta converſatione firmus, aç ſtabilis perſeveret, atque ita hanc obedientiam te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem te donante pervenire mereatur. Per.

Poſt hæc ante Pontificem promittat ſub jurejurando coram Deo & ſan-

CAPUT I. De Bened. abbatis.

ctis ejus obſervaturum ſe regulam beati BENEDICTI *uſque ad iota unum, & unum apicem ſecundum ſuum ſcire, & poſſe, & nullum monachum, niſi clareſcentibus culpis de monaſterio projecturum vel degradaturum; & ut theſaurum, poſſeſſiones, eccleſias, & omnem ſubſtantiam monaſterii ubique terrarum non ſubſtrahat, vel alienet; obedientias, ſicut beatus* BENEDICTUS *juſſit, diſtribuat, & laycum ſuper monachum non præponat. Hoc ordinato, reducatur ad pontificem, & pontifex imponat manum ſuper caput ejus, dicens orationem hanc in modum præphationis.*

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis famulo tuo N. nobis orantibus propitiatus infunde; ut qui per manus noſtræ hodie impoſitionem abbas conſtituitur, ſanctificatione tua digne à te electus permaneat, ut numquam poſtmodum de tua gratia ſeparetur indignus. Suſcipiat te Domine largiente hodie in bono opere perſeverantiam, in adverſis conſtantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis deſiderium, in inpietatibus miſericordiam, in humilitate principatum, in ſuperbia odium, in fide dilectionem, in doctrina vigilantiam, in caſtitate continentiam, in luxuria abſtinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam. Te tribuente, Domine, talis in hoc miniſterio perſeveret, qualis levita electus ab apoſtolis ſanctus Stephanus meruit perdurare. Totam ab hodie diabolicam converſationem deſpiciat, tua Domine benedictione largiente contempnat præſentia, diligat cœleſtia, deſideret ſempiterna. Sit exemplum, & forma juſtitiæ ad gubernandam regendamque eccleſiam tuam fideliter, ut ſpeculator idoneus inter ſuos collegas ſemper efficiatur, ſit magni conſilii, induſtriæ, cenſuræ, efficaciæ, diſciplinæ. Ita te, Domine, tribuente in omnibus mandatis tuis ſine reprehenſione tibi mundo corde ſerviat, ut ad bravium ſupernæ vocationis intercedente ſanctiſſimo Confeſſore tuo BENEDICTO multiplicato fœnore cum centeſimo fructu, coronaque juſtitiæ, & ad cœleſtium theſaurorum donativa perveniat, præſtante.

Hoc expleto, incipiat paraphoniſta reſponſorium. Indicabo tibi homo; quid ſit bonum. *Et Chorus reſpondeat:* Facere judicium, & juſtitiam. *Finito reſponſorio, tradat papa regulam in manus abbatis dicens:*

Accipe regulam Spiritu-ſancto inſpirante dictatam, & ſacratiſſimis manibus patris BENEDICTI deſcriptam ad regendum, cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, ac fragilitas humana permiſerit.

Accipe monaſticæ converſationis regulam, ad quam propriam, & ſubditorum corrigere debes vitam, & vide, ut non ſolum adjutor, ſet etiam ſatagas eſſe illius operator.

Tunc imponat paraphoniſta antiphonam: Confirma hoc Deus. *Et Chorus reſpondeat:* A templo ſancto tuo. *Deinde dicat papa hanc orationem.*

Te omnipotens, & piiſſime deprecamur Domine, hunc famulum tuum

Digitized by Google

tuum propitius intuere, ut gratia tua auxiliante in ſua ſubjectorumque converſatione præcepta ſanctæ Regulæ efficaciter ſtudeat adimplere, ut tranſacto villicationis ſuæ tempore, unà cum commiſſo ſibi grege perpetua potietur beatitudine.

Domine Deus omnipotens, exaudi preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum N. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, ut cæleſti munere ditatus, & tuæ gratiam poſſit majeſtatis adquirere, & benè vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

Reſpice, Domine, ſuper hunc famulum tuum, quem ad regimen animarum abbatem ordinamus; ſit in eo, Domine, per donum Spiritus tui prudens modeſtia, ſapiens benignitas, gravis lenitas, caſta libertas: ferveat in caritate, & nichil extra te diligat, laudabiliterque vivat, & laudari non appetat; te timeat, tibi amore ſerviat, tu honor ei, tu gaudium, tu in mœrore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium, tu in injuria defenſio, in tribulatione patientia, in paupertate habundantia, in jejunio cibus, in infirmitate ſis medicina, quod eſt profeſſus cuſtodiat, ut & hoſtem antiquum devincat, & vitiorum ſqualores expurget, quatenus electorum tuorum conſortio, te donante, mereatur uniri. Per Dominum.

Omnipotens clementiſſime, tuam omnipotentiam ſubplices deprecamur, ut infundere digneris ſuper hunc famulum tuum N. quem tuo ſervorumque tuorum ſervitio mancipamus, Spiritum ſapientiæ, & intelligentiæ, diſcretioniſque dona ei in Caſinenſi cœnobio tuo ita agere, ut injunctum ſibi temporibus officium ſuum adminiſtrare, ut & tibi placere valeat, & utilitatem ſervorum tuorum, te auxiliante perfectiſſimè expleat, propter quod hic, & in futuro ſæculo mercedem laboris ſui in conſortio ſanctorum tuorum à te piiſſimo largitore percipiat. Per Dominum.

Benedictio baculi.

Tu baculus noſtræ & Rector per ſæcula vitæ,
Iſtum ſanctifica pietatis jure bacillum,
Quo mala ſternantur, quo ſemper recta regantur.

Tunc imponat chorus, Virgá æquitatis, alleluia: Virga regni tui, alleluia. *Tunc tradat papa ei baculum, dicens:*

Accipe baculum paſtoralitatis, quem præferas catervæ tibi commiſſæ, ad exemplum juſtæ ſeveritatis, & correptionis.

Accipe prælationis virgam paſtoralis cuſtodiæ, curam ſignificantem & diligentiam; quatenus in commiſſis tibi ovibus tam in coërcendis erratibus, quam in omnibus prævidendis utilitatibus omnino ſis ſollicitus. Accipe baculum paſtoralis officii, & monaſtici regiminis, & ſis in corrigendis vitiis ſæviens, in ira judicium ſine ira tenens, cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens. Accipe, inquam, baculum, ſacri moderaminis ſignum, ut imbecilles conſolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam ſalutis æternæ, præſtante Do-

CAPUT I. De Bened. abbatis.

mino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus.

Dehinc imponat paraphoniſta antiphonam hanc. Dixit autem pater ad ſervos ſuos: cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manu ejus, & calciamenta in pedes ejus.

Dehinc papa dicat ſuper anulum hanc benedictionem.

Deus cœleſtium, terreſtriumque creaturarum, atque humani generis benigniſſime Reparator, dator ſpiritualis gratiæ, omniumque benedictionum largitor, qui juſtitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo, id eſt Unigenito tuo ſcribis, cui magi in Ægypto reſiſtere non valentes, concinnabant dicentes: digitus Dei eſt hic: tu immitte Spiritum-ſanctum tuum paraclitum de cælis ſuper hunc anulum arte fabrili decoratum, & ſublimitatis tuæ potentia ita eum emundare digneris, ut omni nequitia lividi, venenoſique ſerpentis procul expulſa, metallum à te bono conditore creatum immune à cunctis ſordibus inimici maneat. Benedic, Domine, & ſanctifica anulum iſtum, & mitte ſuper ſeptiformem Spiritum ſanctum tuum, quo famulus tuus eo fruens anulo fidei ſubarratus virtute Altiſſimi ſine peccato cuſtodiatur, & omnes benedictiones, quæ in ſcripturis divinis reperiuntur, ſuper eum copioſè deſcendant. Circumda eum, Domine, ubique potentia dexteræ tuæ, quo ſanctiſſimi Patris Benedicti inſigniis redimitus, & vitæ merito decoratus, tibi in omnibus actibus ſuis complaceat, & per tramitem recti itineris inoffenſo gradu incedendo, te opitulante in patris Benedicti cathedra collocatus, diu hic incolumis, poſtque ſuccedentia tempora perhennibus bonis locupletari mereatur per eum, cui cum coheterno patre manet honor, & perpetuitas per immortalia ſæculorum ſæcula.

Poſt hac papa det anulum abbati dicens:

Accipe anulum diſcretionis, & honoris, integræ fidei ſignaculum; ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt prodas, & ut credentibus per fidem baptiſmatis divinæ miſericordiæ viſcera pandas. Lapſis autem, & pœnitentibus per miniſterium reconciliationis januas regni cæleſtis aperias, tibi verò, commiſſis fratribus, ſimul & cunctis fidelibus de theſauro Dominico nova & vetera proferas ad æternam ſalutem, omnibus tota conſolatione conſolatis, largiente gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre.

Deus cui omnis poteſtas, & dignitas famulatur, da famulo tuo N. proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat.

Poſt hac incipiat parophoniſta reſponſorium. Vos qui ſecuti eſtis me, dicit Dominus, ſedebitis ſuper ſedes. *Et ſic ducatur abbas à diaconibus ex præcepto pontificis, & ponatur in ſede, quæ eſt juſta chorum, tenens in manu ſua cambuttam, & regulam, & juſta eum ſint ſex preſbyteri, ac ſex diaconi, qui eum omni tempore cuſtodiant nocte, dieque ſimul, ſicut ſanctus Maurus præcepit, ne in aliquo à rectitudine regularis tramitis de-*

dinet. Hi autem qui abbatem cuſtodire debent, digni, & irreprehenſibiles ſint, & omni careant ſuſpicione, vel inimicitia, & qui ſanctiores, & meliores, & religioſores in congregatione in activa, & contemplativa vita permanſerint. CAPUT I. De Benedi abbatis.

Expleto autem reſponſorio, dicat papa hanc orationem.

Omnium Domine foris bonorum, juſtorumque provectuum remunerator, tribue quæſumus huic famulo tuo N. adeptam benè gerere dignitatem, & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per.

Et ſic peragatur miſſa ordine ſuo. Completo evangelio, offerat abbas papæ duas oblationum coronas, & duas faculas accenſas. Eo die abbas nichil aliut, niſi panem & aquam comedat, & canonica ſeptem orarum officia in Commemoratione beati patris BENEDICTI *numquam dimittat, ſalvo ſcilicet eo quod in honore ſancta Dei Genitricis perſolvi conſuetudo eſt.*

QUALITER PONTIFEX ABBATEM NOVITER ORDINATUM BENEDICERE DEBEAT.

ANte expletionem namque miſſæ, det papa ſuper eum hanc benedictionem.

Benedicat te Deus cœli, atjuvet te Chriſtus filius Dèi, corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodire, & conſervare dignetur. Mentem tuam illuminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat; ab omni malo te liberet, deſtera ſua te defendat, & qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat ipſe te adjuvet, & ad cœleſtia regna perducat. Aſpiciat, & benedicat te Dominus rector æternus, & in omni parte conſervet. Det tibi Dominus Angelum ſuum lucis, ut conſervet te in gratiam, quam profudit. Mentem regat, vias dirigat, actus probet, cogitationes ſanctas inſtruat, opera confirmet, vota perficiat, præterita indulgeat, præſentia emundet, futura moderetur. Quietem nutriat, proſpera tribuat, caritatem muniat, & ab omnibus diabolicis, & humanis inſidiis ſua te ſemper protectione, & virtute defendat. Et ita devotionem tuam placatus ſemper ſuſcipiat, ut quæcumque ab eo poſtulaveris, clementer concedat. Sit manus Domini auſiliatrix tui, & brachium ſanctum illius opituletur tibi: ſit miſericordia ejus ſuper te, & pietas illius ſubſequatur te. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti deſcendat ſuper te, & pax Domini ſit ſemper tecum.

Poſt hæc vadant ad comedendum; & poſtquam comederint, vadant in capitulum, & reſidentibus eis dicat papa ad monachos.

Vos cariſſimi, fratres, & filii mei, huic qui præſidet vobis ad veritatem docendam in omnibus obedite, ſcientes, quod ſi quis hunc contriſtaverit, Chriſtum, & Patrem ſanctiſſimum Benedictum, qui ei ſuam cathedram credidit, non recipit, & qui Chriſtum, & patrem ſanctiſſimum Benedictum non ſuſceperit, nec Deum Patrem ſuſcepiſſe judicabitur, & ideo nec ipſe ſuſcipietur in Regno Cœlorum. Quapropter,

CAPUT I. *De Bened. abbatu.*

ſatis agite, ut non velut negligentes, & deſides à Judice Chriſto condempnemini. Convenientes verò ad veſtrum abbatem, date omnes operam pro ipſo ſentire, & ſummo ſtudio favorem veſtrum erga ipſum dependere: Scientes quia propter ſingulos vos ipſos magis infeſtat inimicus, & in ipſo majora ſuſcitat bella. Oportet ergo vos ſummo ſtudio niti, ut omni erga illum vinculo amoris innexi, pleniſſimo erga eum inhæreatis affectu, ſed vos quoque ipſi unanimes in omni concordia perdurate, quo facilius etiam illi obedire omnes pari conſenſu, & unanimitate poſſitis, propter quod, & vos ſalutem conſequi, & ille poſſit obtemperantibus ſibi vobis promptius impoſiti honoris pondus exibere. Quædam etiam ex vobis ipſis intelligere debetis, ſi qua ſunt, quæ ipſe propter inſidias hominum malorum non poteſt evidentius, & manifeſtius proloqui. Si autem inimicus eſt alicui pro actibus ſuis, vos nolite expectare, ut ipſe vobis dicat, cum illo nolite amici eſſe, ſet prudenter obſervare debetis, & voluntati ejus abſque communicatione obſecundate, & avertere vos ab eo, cui ipſum ſentitis averſum; ſet ne loqui his, quibus ipſe non loquitur, ut unuſquiſque, qui in culpa eſt dum cupit omnium veſtrum amicitias ferre, feſtinet citius reconciliari ei qui omnibus præeſt; & per hoc redeat ad ſalutem, cum obedire cœperit monitis præſidentis. Si verò quis amicus fuerit his quibus ipſe non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis, qui exterminare Dei monaſterium volunt. Et cum corpore vobiſcum eſſe videatur, mente & animo contra vos eſt, & eſt multo nequior hoſtis hic, quam illi, qui foris ſunt, & evidenter inimici ſunt. Hic enim per amicitiarum ſpeciem, quæ inimica ſunt gerit, & monaſterium diſpergit, ac divaſtat. Abbatis autem eſt, vos inſtruere ea, quæ ad vitam æternam attinent: veſtrum eſt ei obedire ut Deo, cujus legatione fungitur dicente Domino: qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.

Nichil enim injuſtius, vel inhoneſtius eſt, quam filios patribus rebelles, aut monachos abbatibus, ſeu diſcipulos magiſtris inobedientes, vel propter vos exiſtere. Liquido enim noſtis primum hominem per inobedientiam cecidiſſe, idcirco omnes hoc vitium cavere monemus; quia Deus ſupetbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Præcepit beatus Benedictus abbati docere, præcepit monachis abbati ſuo fideliter obedire, quoniam nec aliter terra parit fructus ſuos, niſi antea receperit ſemen, & irrigata germinaverit, & pariat quæ eſt paritura. Omnis autem monachus, qui libenter non receperit verbum Dei, illutque in corde ſuo germinare non ſinerit ac minimè crediderit abbati, & ei non benevolus, ſet rebellis extiterit fructum non faciet, nec pariet, ſet ſimilis eſt arbori illi, de qua Dominus ait: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Majores ergo veſtros fratres ac filii onorate, abbatem veſtrum patris ſanctiſſimi veſtri Benedicti locum tenentem diligite, ad ſalutem anima-

rum veſtrarum in his quæ ad Deum, & ad beati Benedicti regulam pertinent, fideliter obedite, ſcientes, quod ſive honor, ſive injuria, quæ ei defertur in legiſlatore Benedicto redundat, & à Benedicto in Jeſum Chriſtum Deum, ac Dominum noſtrum. Quod ſi ſecus egerit, ei dicite: obedire oportet Deo magis, quam hominibus, & quia Moab homo, & non Deus, & quia ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Nam pater Benedictus abbatem non prodigum, non lucris ſecularibus inhiantem, ſet juſtum, & ſanctum requirit. Audire ergo bonum abbatem à monachis attentius oportet, & ab ipſo ſuſcipere ſalutaria monita: nam ſicut antea vobis dixi, qui rebelliter vivit, & diſcere, vel agere bonum recuſat, magis diaboli, quam Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis, quam fidelis monſtratur. Veſtrum ergo eſt præbere obedientiam, & occupationes ſuperfluas, ac ſollicitudines amputare, nec bonum verbi ſemen enecet noxium germen. Poteſt enim fieri, ut multi temporis neglegentiam brevis, & aſſidua reparet diligentia. Incertum enim eſt uniuſcujuſque tempus, & ideò feſtinandum eſt ad ſalutem, ne fortè cunctantem mors repentina præveniat. Et ob hoc acrius vobis innitendum eſt, ut dum eſt temporis ſpatium, collecta malæ conſuetudinis vitia reſecentur. Quod non aliter facere poteritis, niſi ut iraſcimini quodammodo adverſus voſmedipſos pro his, quæ inutiliter geritis multotiens. Hæc enim eſt juſta, & neceſſaria iracundia, ut unuſquiſque monachus in his, in quibus erravit, & perperam geſſit, indignetur, & ſemedipſum accuſet. Ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro ſterili immiſſus conſumptis, & excoctis radicibus peſſimæ voluptatis bono ſemini verbi Dei fœcundiorem cordis præparat glebam. Semper mortificationem Jeſu in corpore veſtro circumferte, quia carnalis amor non habet, ubi ſe intra vos diffundat neceſſario, ſet omnis veſtra delectatio in Deum tranſeat. Prudens etenim monachus, & ad ſalutis ſuæ cuſtodiam vehementer intentus, tanta reprimendis vitiis ſollicitudine ſemper invigilat, ut perfectæ mortificationis cingulo lumbos ſuos, & ventrem, renes una cum lateribus undique circumſtringat. Set quid prodeſt à peccatorum perpetratione deſiſtere, niſi & hæc ipſa, quæ perpetrata ſunt, ſtudeatis pœnitentiæ ſatisfactione delere? Set ad te nunc fili cariſſime redeo: Fac ipſe quod præcipis, exerce, quod prædicas, imple quod mandas. Non vita diſcordet à lingua, non opera videantur à ſermone diſcreta, nec aliud doceat auctoritas præſidentis, aliud exhibeat operatio converſantis; raro autem proceſſurus egredere, ut ſemen verbi, quod ſparſeras, jugiter valeas excolendo rigare. Non itaque hoſpitem te Caſinenſis monaſterii frequens diſcurſus exhibeat; ſet habitatorem potius, atque domeſticum diuturnitas moroſæ gravitatis oſtendat. Commendet inedia jejunia prædicantem, nec loquentis ſententias comedentis fauces impugnent. Melius nempe ſobrietate docet manus, cum ad os ſub moderamine ducitur, quam ſi veſcentis lingua loquatur. Porrò vivida ſatis, & efficax in monachorum menti-

Caput I. De Bened. abbatis.

bus prædicatio eſt, alvos ad menſam impellere, impollentem vero in rigore jejunii permanere. Sic intenta delinquentibus ferulam, ut in te motum iracundiæ ſub rigida cohibeas diſciplina. Interim vero dum corripis, dum minaris, dum terroribus culpabilem concutis, in temedipſum oculos revoca, modum humanæ fragilitatis attende, & temedipſum corripi poſſe, ſi cenſor adeſſet, ſuptiliter meditare. Nec mireris ſi ſubjectus quiſpiam forte tranſgrediens, cuncta juſſionis tuæ mandata non impleat, cum tanta ſit condicio humanæ fragilitatis, ut ipſa etiam corporis tui membra prorſus in omnibus tibimed obtemperare non poſſint. Ut autem quod dicimus evidenter eluceat præcipe oculis tuis, ut eis accedia non obrepat; cordi, ut cogitationum phantaſmata non admittat; indica genitalibus pudicitiam, ut aliquando incentiva luxuriæ non titillent; gulæ ſobrietatem, ut ad alimenta exculentiora non pruriat; poſtremo toti ſimul corpori, ut morbis irruentibus non pateſcat. Et cum liquido probaveris, hæc à temedipſo exigere quidem, ſet penitus impetrare non poſſe, quid mirum ſi in his, qui à te perſonis, & moribus disjuncti ſunt, perfectam in omnibus nequeas obedientiam reperire. Plane ſi hæc in te ſollerti meditatione conſideres, fraternæ quoque imbecillitatis exceſſum æquanimiter feres; ſi quit forte patrimonii latioris acceſſerit, ſi ſubpetere copia cernitur, ſi Dei domus augetur, noli tuis meritis, ſive ſtudiis arrogare, ſet beneficiis duntaxat divinis, ac Benedicti patris interceſſionibus, & meritis aſcribe. Revoca ante oculos tempora quando privatus eras, & recole, quia tibi nullatenus ita provenerant. Conſtat ergo, quia non tibi, ſet Chriſti conferri eccleſiæ, quod tu ſine illa aſſequi nequiviſti. Non menſam fratrum cœnaturus exhorreas, non te convivia privata delectent, & cum quibus tibi eſt altaris menſa communis, non indignos judices, qui tibi participent etiam in corporalibus alimentis. Noli monaſterii bona prodigere, nec popularis auræ favorem proprium de communi velis utilitate captare. Si enim credimus, quod ditantium eccleſias peccata ſolvuntur, credendum eſt etiam quia minuentes, & dilapidantes eas, gravis ſacrilegii vinculis innectuntur, & inde ſunt illi peccatis obnoxii, unde repperiuntur iſti peccatorum ſuorum nexibus abſoluti. Plane timendum tibi eſt valde quod dicitur, quia de omnibus animabus tibi commiſſis reddirurus es rationem, addita & animæ tuæ. Stude igitur fili ita pro te, & pro grege tibi commiſſo, ut cum eis, ſanctiſſimo legiſlatore Benedicto intercedente, ad vitam pervenias ſempiternam.

ORDO II.

Ex ms. libro Sacramentorum Moiſacenſis monaſterii.

ORDO AD ORDINANDUM ABBATEM VEL ABBATISSAM.

IN primis indutus alba cum ſtola in collo veniat proſtratus ante altare. Et pontifex adſiſtat contra eum indutus ſtola, & dicat hanc capitulam. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Exaudi nos quæſumus omnipotens Deus, & famulum tuum ill. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Alia.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas eſt, da famulo tuo proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Deinde accipiat virgam Domnus pontifex, & dicat: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, accipe baculum paſtoralem ad cuſtodiendos greges & reddendos paſtori paſtorum. Amen.

Tunc mittit eum domnus pontifex in ſua ſede ubi conſiſtere debet, & dicat ipſe ſive archidiaconi antiphonam iſtam. Sit Dominus Deus tuus benedictus. *Deinde ſequitur oratio.*

Cunctorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum ad gubernandas eccleſias, &c. *ut in Ordine Romano.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem illum ſpiritum tuæ benedictionis famulo tuo nobis orantibus propitiatus infunde, &c.

ORDO III.

Ex ms. pontificali eccleſiæ Biſuntinæ.

ORDO AD FACIENDUM DECANUM CANONICORUM.

DUm obierit decanus alicujus eccleſiæ ubi congregatio canonicorum ſit; veniat epiſcopus, ad quem pertinet locus, capitulum, & per conſilium ac laudationem fratrum eligatur talis qui proſit ad hoc opus. Poſtquam autem inſtructus fuerit ab epiſcopo qualiter in officio debet converſari; tradat ei epiſcopus per regulam donum. Suſcepto dono, incipit cantor antiphonam: Confirma hoc Deus quod operatus es. *Pſ.* Exurgat Deus & diſſipentur: *Et ſic pergant ad eccleſiam cantando. Epiſcopus vero ducit electum. Cum autem venerint in chorum, proſternat ſe electus. Finito*

Caput I. De Bened. abbatis.

pſalmo epiſcopus dicat cap. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei auxilium de ſancto. Memor eſto congregationis tuæ. *Et orationem.* Deus qui corda, &c.

Tunc præparet ſe epiſcopus, & incipiatur miſſa. Dicto officio, antequam incipiatur Kyrie eleiſon, *ponantur tapetia ante altare, & proſternantur pariter epiſcopus & electus, & fiant letaniæ. Finita letania, incipit cantor feſtive* Kyrie eleiſon : *& ſurgant epiſcopus & electus. Epiſcopus accedat, faciat miſſas, electus in ordine ſuo ſtet. Antequam evangelium legatur fiat ſilentium & proſternatur electus. Tunc epiſcopus dicat has orationes ſuper eum.* *Oratio.*

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Benedic, Domine, hunc famulum tuum N. quem ad regimen animarum elegimus, ut ſit ei fideliſſima cura ſubditos ad bona provocare, ſeipſum irreprehenſibilem cuſtodire bona ſemper agere, prava vitare, ſtudium in divinis habere. Illumina, Domine, cor ejus gratia Spiritus tui, cujus plenitudine repletus mundana deſpiciat, proſpera contemnat, in adverſis fortis & inſuperabilis exiſtat, odio habeat ſuperbiam, diligat humilitatem, amplectatur caſtitatem, præ oculis habeat ſemper caritatem, dilectione Dei & proximi ſemper utatur, vitia reprehendat, contra ſuperbos erectus exſiſtat, errantes ad viam veritatis reducat, bonis ſe parem faciat. Expande ei, Domine, theſaurum ſapientiæ & ſcientiæ tuæ, ut ſciat & intelligat, ceteroſque doceat verba ſacræ legis tuæ, ut veteri & novo teſtamento, inſtructus voluntatem tuam faciat, & in finem uſque perficiat. Dominator, Domine, de cujus munere venit quod bonum, da ei poteſtatem ligandi & ſolvendi ſubditos, & ita rem eccleſiaſticam moderari ut in nullo diſſentiat à vero, ſed ita ducat ſubditos, ut cæleſtis patriæ faciat colonos, ipſeque in finem à te mereatur audire. Euge, ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multo te conſtituam intra in gaudium Domini tui, quod ipſe præſtare digneris.

Surgens novus decanus ab oratione, tradat ei epiſcopus regulam canonicorum ita dicendo :

Accipe gregis Dominici paternam providentiam & animarum procurationem, ut per divinæ legis incedendo præcepta, ſis ei dux ad cæleſtis hæreditatis paſcua, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, &c.

His rite peractis, accipiat præſul novum decanum per manum dextram unus autem ex majoribus teneat eum per ſiniſtram, & ſic deducatur in chorum, & ſtatuatur in ſede ubi anteceſſor ejus ſolitus erat ſtare, dicente ſibi epiſcopo.

Sta, & retine locum à Deo tibi delegatum : potens eſt autem Deus ut augeat tibi gratiam. Qui vivit.

Et ſic incipiat Te Deum laudamus. *Tunc dent ei cuncti fratres pacis oſculum cum omni paterna reverentia, flectentes genua, ſicque eum de cetero*

tero ut Dominum & à Deo ſibi ſpiritualem patrem conſtitutum honeſto humiliterque provideant.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

INCIPIT DE ORDINATIONE ABBATIS MONACHORUM.

CUm obierit abbas, cum conſenſu epiſcopi in cujus parrochia eſt abbatia, eligatur alter loco ejus ab omni congregatione quam recturus eſt, & dono recepto ab illo ad quem pertinet abbatia, ducatur ad civitatem; & ſi voluerit epiſcopus, veniat ad ipſam abbatiam, & veniens capitulum faciat, ſicut ſuperius ſcriptum eſt in ordinatione decani: tamen priuſquam ordinetur interrogetur ab epiſcopo ita:

Cariſſime frater, quia gratia Dei & electio fratrum prioriſque vitæ tuæ converſatio ad hoc te provocavit officium, volumus per te ipſum ſcire utrum velis cum illis bene eſſe, & mores tuos ab omni malo temperare, & ad omne bonum quantum Deus dederit commutare? ℟. Volo.

Vis B. Benedicti regulam cuſtodire, per te ipſum operari & alios docere? ℟. Volo.

Vis ea quæ intellexeris ex divinis per te ſervare & alios inſtruere? ℟. Volo.

Vis caſtitatem & ſobrietatem ſervare? ℟. Volo.

Ea quæ per incuriam vel per negligentiam à loco ſunt imminuta intus vel exterius vis reſtaurare ſecundum ſcire & poſſe? ℟. Volo.

Vis ſanctæ N. eccleſiæ, mihi & ſucceſſoribus meis eſſe ſubjectus ſecundum regulam B. Benedicti? ℟. Volo.

Tunc in ſchedula ſcriptam legat profeſſionem hoc modo.

Ego ille N. nunc ordinandus abbas ſubjectionem & reverentiam à ſanctis Patribus conſtitutam, & obedientiam ſecundum præceptum S. Benedicti ſanctæ ſedi N. eccleſiæ in præſentia Domni epiſcopi N. perpetuo me exhibiturum promitto & propria manu firmo.

Eodem ordine ante evangelium benedicatur quo decanus; ſed de manu epiſcopi accipiat baltheum & vvantos inconſutiles ad cantandum miſſam, dicente ſibi epiſcopo:

Baltheo veræ caſtitatis & gratia Sancti Spiritus præcingat renes tuos Dominus; mundet manus tuas, ut acceptabiles hoſtias offeras Deo omnipotenti, cujus eſt honor & gloria in ſæcula.

Et ſic conſecret eum epiſcopus.

Oremus. *Oratio.*

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut famulum tuum N. quem hodie ad regimen animarum, eligimus, gratiæ tuæ dono proſequaris, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Sequitur benedictio.

Omnipotens æterne Deus, fons & origo bonorum te ſuppliciter deprecamur, ut affluentem ſpiritum tuæ benedictionis famulo tuo N. *&c. ut in ord. Rom.*

D

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Alia oratio.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum N. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, ut cæleſti munere ditatus, & tuæ gratiam majeſtatis poſſit acquirere, & bene vivendi ovibus ſibi creditis exemplum valeat præbere. Per.

Alia.

Cunctorum inſtitutor Deus, *&c. ut in ord. Romano.*

Alia.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, da famulo tuo N. per Spiritum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibi jugiter placere contendat. Per.

Alia.

Omnium, Domine, fons bonorum, &c.

Finita benedictione detur baculus, ita dicente epiſcopo:

Accipe baculum paſtoralem, & animarum tibi commiſſarum gere ſollicitudinem, pro quibus Deo redditurus es rationem. Per.

Et det ei regulam S. Benedicti dicendo:

Accipe gregis Dominici paternam providentiam. *Require retro in ordinatione decani, & fiant omnia ſicut diximus de decano.*

ORDO AD ABBATISSAM BENEDICENDAM.

Cum obierit abbatiſſa, alia quæ loco ejus ordinanda eſt, eodem modo eligatur, quo de decano ſupra diximus, & faciat profeſſionem hoc modo. Ut in benedictione abbatis monachi.

Poſtea benedicatur. *Oratio.*

Exaudi, Domine, preces noſtras & ſuper hanc famulam tuam, &c. *ut in Pont. Rom.*

Alia.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam, &c.

Poſtea deducatur ad ſedem & fiant omnia quæ ſuperius de decano ſcripſimus.

ORDO IV.

Ex ms. pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania, annorum circiter 500.

INCIPIT ORDO ELECTIONIS VEL CONSECRATIONIS ABBATIS.

Primum eligatur ab omni congregatione frater ille, qui ordinandus eſt, in præſentia ejuſdem diœceſis epiſcopi, aut regis, vel ſeniorum, vel etiam quarumlibet poteſtatum, aut quos vel quas abbatia illa pertinet, & cum conſilio vicinorum abbatum & ſpiritualium patrum, qui non ſunt ejuſdem monaſterii, & ſic ordinetur ibi abbas. Et ſi inter ipſos non eſt inventus frater qui tanti oneris pondus poſſit portare, conſilio ſpiritualium

patrum mittantur nuncii ubicumque melius poſſunt, ad ſpiritualem patrem monaſterii cujuſlibet, & petant ab eo unum ex fratribus ſuis, qui dignus ſit tanti pondus oneris ſuſtinere, ut in domo Dei dignus & bonus ordinetur diſpenſator. Et ſi aut ex ipſa congregatione ſit, aut ex alia, hoc tamen ordine ſit ordinatus. Tunc ſcribatur electio ſic : CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Dei omnipotentis judicio actum eſt, ut monaſterium ſanctæ ill. vel ſancti ill. proprio deſtitueretur paſtore, & quia æquum non erat, ut ſancta mater eccleſia diu deſtituta tali ſolatio maneret; cœperunt fratres inter ſe quærere ut de gremio matris eccleſiæ aliquis eligi potuiſſet, qui curam tanti officii digne exerceret ſecundum quod S. Benedictus jubet.

Si electus ex eadem congregatione fuerit, ita ſcribatur.

Auxiliante autem Dei gratia ex eadem congregatione inventus eſt unus frater regulari diſciplina bene doctus, nomine ill. ſcilicet vir reverendiſſimus, caſtus, ſobrius, miſericors & in ſuis imperiis bene conſideratus & providus, quem nos condigne fratres cuncti ſuſcepimus, nobiſque patrem præeſſe decrevimus & uno animo omnes elegimus, conſentiente ill. epiſcopo aut imperatore, ſeu quibuſlibet poteſtatibus cum conjuge & filiis ſub quorum cura præfatum eſt monaſterium, & ut electio hæc certius teneatur & firmius, præſentem paginam propriis corroboravimus manibus.

Si ex eadem congregatione non fuerit, ita ſcribatur :

Sed quia inter eos nullus inventus eſt, qui ſarcinam tanti ponderis ferre valeret : concordi voto parique conſilio miſerunt ad patrem ill. ut eorum neceſſitatibus caritative conſcenderet, qui diu multumque rogatus, petentium adquievit precibus, unum è propriis largitus eſt fratribus, quem divina diſpenſante gratia regula edoctum bene noverat, ill. nomine ſcilicet, reverentiſſimum, caſtum, *&c. ut ſupra*

Poſtea vero in teſtimonium duodecim fratres propriis manibus ſcribant; & fiat roborata ab omnibus fratribus, & confirmata ab epiſcopo, vel rege, ſeu etiam quibuſlibet poteſtatibus, ad quorum curam pertinet monaſterium : & cum percepta ab eo fuerit donatione & roborata electione ab omnibus, tunc incipiat epiſcopus antiphonam Confirma hoc Deus. *Quam ſubſequatur omnis chorus pſallentium excelſa voce canentium. Pſ.* Exſurgat Deus. *Sicque cum tali triumpho teneat epiſcopus eum qui ordinandus eſt manu, & ſic deducat eum in ſecretarium & ibi reveſtiant, ſicut quando miſſam celebrant. Remanentibus vero aliis in choro atque pſallentibus Pſ.* Deus in nomine tuo. *Pſal.* Beati immaculati, *uſque* legem pone. *Cum vero reveſtiti fuerint epiſcopus & electus, veniant ante altare. Cum autem ibi fuerint, tunc apprehendat unus cui juſſum fuerit brevem, & aſcendat ambonem ut videatur ab omnibus, & legat ibi excelſa voce electionem.* Dei omnipotentis judicio, *& reliqua. Ita legatur ut audiatur, & laudetur, & roboretur ab omnibus utriuſque ſexus. Quando confirmatur à monachis ita ſcribant.* Ego ill. prior monaſterii ſancti ill. domnum illum reverendiſſimum virum abbatem elegi. Ego ill. monachus & ſacerdos aut dia-

Digitized by Google

CAPUT I. *De Bened. abbatu.*

conus, aut ſubdiaconus, aut converſus domnum illum benigniſſimum virum abbatem elegi. *Ceteri vero teſtes ita ſcribant :* Ego ill. epiſcopus, aut imperator, aut qualiſcumque poteſtas in hac electione conſenſi & manu mea ſubter confirmavi.

Cum autem fuerit laudata & confirmata ab univerſis utriuſque ſexus, tunc ſtratis ante altare tapetibus, proſternant ſe ſimul pontifex, & qui ab eo benedicendus eſt. Similiter & virga paſtoralis debet poni juxta abbatem ſupra tapetum ; & cum ipſo ſit conſecrata. Tunc incipiant in choro ſtantes vij. pſalmos ſubjungentes letaniam ſub brevitate, non prolixas. Quibus decurſis, cum noviſſimum Kyrie eleiſon *dixerint & orationem Dominicam compleverint, erigat ſe ſolus pontifex. Proſtrato tamen eo qui benedicendus eſt, dicat epiſcopus hoc capitulum.* Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei auxilium. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Sequitur oratio.

Exaudi nos, quæſumus Domine, omnipotens Deus, & famulum tuum ill. quem ad regimen animarum eligimus gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Alia.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas eſt, da famulo ill. pro ſpiritu dignitatis effectum, in qua ſemper te timeat tibique jugiter placere contendat. Per.

Deinde accipiat virgam domnus pontifex, & dicat ;

In nomine Dei noſtri Jeſu Chriſti, accipe baculum paſtoralem ad cuſtodiendos greges & reddendos paſtori paſtorum. Amen.

Tunc mittat eum Dominus pontifex in ſedem ubi conſiſtere debet, & dicat ipſe & clerus antiphonam iſtam.

Sit Dominus Deus tuus benedictus qui complacuit ut daret tibi ſedem honoris & benedicat tibi in æternum Deus noſter. ℣. Longitudinem dierum & annos vitæ apponat tibi Dominus miſericordia & veritas non te deſerat.

Sequitur oratio.

Cunctorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum, &c. *ut in Ord. Rom.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem ſpiritum tuæ benedictionis, *&c. ut in Ord. Romano.*

ORDO AD ABBATEM CANONICORUM VEL MONACHORUM FACIENDUM.

CUm obierit abbas alicujus eccleſia ubi congregatio canonicorum vel monachorum ſit : veniat epiſcopus ad quem pertinet locus in capitulum, & per conſilium & laudationem fratrum eligatur talis qui proſit ad hoc opus. Poſtquam autem inſtructus fuerit ab epiſcopo, qualiter in hoc officio debeat converſari, incipiat cantor Te Deum laudamus, *& antiphonam* Confirma hoc Deus. *Pſ.* Exurgat Deus. *Et ſic pergant ad eccle-*

Digitized by Google

ſiam cantando. Epiſcopus autem ducat electum. Cum vero pervenerint in chorum, proſternat ſe electus, finito pſalmo, & dicat capitula. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Et de Sion. Memor eſto congregationis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia ſolus, prætende ſuper famulum tuum & ſuper congregationem illi commiſſam.

Tunc præparet ſe epiſcopus & incipiatur miſſa, & antequam legatur evangelium, adveniat electus & interrogetur ab epiſcopo diligenter ita.

Cariſſime frater, quia gratia Dei & electio fratrum prioriſque vitæ tuæ converſatio ad hoc te provocavit officium; volumus per te ipſum ſcire utrum velis cum illis bene eſſe & mores tuos ab omni malo temperare, & ad omne bonum quantum dederit Deus commutare? ℟. Volo.

Interrog. Vis regulam canonicorum communiter viventium cuſtodire, per te ipſum operari, & alios docere? ℟. Volo.

Interrogat. Vis ea quæ intellexeris ex divinis per te ſervare & alios inſtruere? ℟. Volo.

Interrogat. Vis caſtitatem & honeſtatem & ſobrietatem ſervare? ℟. Volo.

Interrogatio. Ea quæ per incuriam vel per negligentiam à loco ſunt diminuta intus vel exterius vis reſtaurare ſecundum ſcire & poſſe? ℟. Volo.

Interrogatio. Vis ſanctæ eccleſiæ Conchenſi, & mihi, ſucceſſoribus meis obediens eſſe & ſubjectus ſecundum inſtituta ſanctorum canonum? ℟. Volo.

Tunc in ſchedula ſcripta legat profeſſionem.

Ego N. nunc ordinandus abbas canonicorum vel monachorum ad titulum ſanctæ ill. obedientiam & ſubjectionem & reverentiam ſecundum præceptum ſanctorum canonum tibi Pater ill. epiſcope, & ſanctæ Conchenſi eccleſiæ, ſucceſſoribus tuis epiſcopis perpetuo me exhibiturum promitto & propria manu confirmo.

Oratio.

Benedic, Domine, hunc famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, *&c. ut ſupra in Pontificali Biſuntino, pag.* 24.

Surgens novus abbas ab oratione, tradat ei epiſcopus regulam canonicorum ita dicendo:

Accipe gregis Dominici paternam providentiam & animarum procurationem, & per divinæ legis incedendo præcepta, ſis eis dux ad cæleſtis hæreditatis paſcua. Per Chriſtum.

Oratio ad dandum baculum.

Accipe baculum paſtoralis officii, ut ſis in corrigendis vitiis pie ſæviens, judicium ſine ira tenens, in fovendis virtutibus auditor, animos demulcens, in tranquillitate ſeveritatis cenſuram non deſerens.

Lecto evangelio, abbas ordinatus ex conſuetudine ſancta Romana eccleſiæ offerat epiſcopo duos panes, & duos ardentes cereos, & communicet de

CAPUT I. De Bened. abbatis.

manu epiſcopi. His rite peractis, deducatur in locum ſuum, & in choro per campanas eccleſia inveſtiat eum epiſcopus, dicens:

Accipe poteſtatem regendi hanc eccleſiam & congregationem ejus; & omnia quæ ad eam intus & exterius pertinent.

Poſt hac reverenter ſtatuatur in ſede ubi anteceſſor ejus ſolitus erat ſtare, nihilominus dicente ſibi epiſcopo.

Sta in juſtitia & ſanctitate, & retine locum à Deo tibi delegatum, potens eſt autem Deus, ut augeat tibi gratiam.

Tunc dent ei cuncti fratres pacis oſculum cum omni reverentia paterna, genua flectentes, ſicque eum de cetero ut Dominum & à Deo ſpiritualem ſibi patrem conſtitutum honeſte humiliterque permaneat. Deinde dicantur hac capitula ab epiſcopo.

Salvum fac ſervum tuum. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eo. Memor eſto congregationis tuæ. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces noſtras & ſuper hunc famulum tuum N. Spiritum tuæ benedictionis emitte; ut cæleſti munere ditatus, & tuæ gratiam majeſtatis poſſit acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.

Ordinatio abbatiſſa canonicam regulam profitentis, ut in Ord Rom.

ORDO V.

Ex duobus mss. pontificalibus inſignis eccleſia Senonenſis, uno annorum 500. altero circiter 300.

BENEDICTIO VEL ORDINATIO ABBATIS QUOMODO EPISCOPUS EUM DEBEAT ORDINARE.

(a) *IN ordinatione abbatis debet epiſcopus miſſam cantare, & cum benedicere cum duobus vel tribus de fratribus ſuis* (a) *inclinato capite, & dat ei baculum & regulam.*

Poſt datam orationem dicant monachi: Adeſt electus noſter ad benedictionem ſuam ſuſcipiendam. *Et epiſcopus*: Eſt electus ſecundum regulam B. Benedicti à fratribus? *Et fratres:* Canonica in eum fratrum conſenſit electio. *Et epiſcopus:* Habetis inde ſcriptum? ℟. Habemus. *Et epiſcopus*, Legatur. *Quo lecto, dicat epiſcopus*: Quia ergo in eum fratrum vota conſentiunt, prius eum cenſemus apoſtolica auctoritate examinandum, ſi ſuum propoſitum & S. Benedicti regulam velit ipſe tenere vel obſervare, ſibique ſubjectos ut idipſum faciant diligenter inſtruere, res quoque locorum hactenus diſperſas injuſte quantum præ-

(a) Pontificale recentius *cum duobus vel tribus abbatibus inclinato capite, & induto amicto, alba, manipulo, ſtola & pluviali loco caſula. Eodem modo abbates aſſiſtentes.*

valet congregare, eaſque in uſus eccleſiæ & fratrum, pauperum, etiam peregrinorum obſervare, ſicque dignum eſſe ad ordinem accedere.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Interrogatio epiſcopi & reſponſio abbatis.

Vis tuum propoſitum & S. Benedicti regulam obſervare, tibique ſubjectos ut idipſum faciant regulariter inſtruere? Volo.

Vis rebus eccleſiæ inibi coadunatis fideliter cuſtodiam adhibere, & injuſte diſperſas, quantum prævales, recolligere, eaſque in uſus eccleſiæ, & fratrum, pauperum etiam peregrinorum fideliter diſtribuere? Volo.

Vis Senonenſi eccleſiæ, & mihi, meiſque ſucceſſoribus ſubjectionem & obedientiam exhibere ſecundum canonicam auctoritatem & decreta ſanctorum pontificum? Volo.

Augeat tibi Deus fidem & conſtantiam ut adimplere & ſervare ea valeas. Amen.

Eo autem profitente pro viribus ſe hac adimplere, perficere debet ipſe abbas profeſſionem (b) *: qua facta incipit pontifex hanc antiphonam* Confirma hoc Deus, *& reliqui reſpondeant Pſal.* Exurgat Deus. *Et ſic pergant ante altare decantando illum uſque in finem. Et tunc proſternat ſe epiſcopus ante altare, & abbas ſacris veſtibus induti: fiant ibi letania, deinde ſequitur.* Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Dominus conſervet eum & vivificet eum. Dominus cuſtodiat introitum tuum. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Nihil proficiat inimicus in eo. Eſto illi Domine turris fortitudinis. Exurge, Domine, adjuva nos. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. (b)

Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus affectui noſtro, &c. Domine Deus omnipotens exaudi preces noſtras, &c. Exaudi, Domine, preces noſtras quas in conſpectu tuæ majeſtatis, &c.

Tunc datur ei regula.

Accipe regulam à ſanctis Patribus vobis traditam ad cuſtodiendum & regendum gregem tibi à Deo creditum, quantum ipſe te Deus confirmaverit & humana fragilitas permiſerit. *Electus.* Amen.

Tunc datur ei baculus.

Accipe baculum paſtoralem, quem præferas catervæ tibi commiſſæ ad exemplum juſtæ ſeveritatis & correctionis. *Electus.* Amen.

Quæ ſequuntur extant tantum in recentiori Pontificali.

(b) In recentiori pontificali profeſſionem facit benedictus abbas poſt miſſam hoc modo: *Miſſa rite peracta, antequam archiepiſcopus recedat ab altari, duo abbates aſſiſtentes abbati ordinato, unus ad dexteram & alter ad ſiniſtram, ducunt ipſum ad majus altare ante conſpectum archiepiſcopi, & ibidem faciat abbas ordinatus profeſſionem ſuam ſuper altare in modum qui ſequitur:*

Ego frater N. humilis abbas talis loci, Deo, ſanctæ matri Senonenſi eccleſiæ, & tibi pater N. tuiſque ſucceſſoribus debitam ſubjectionem & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundum regulam S. Benedicti ore promitto & manu confirmo. *Et tunc idem abbas ſubſcribat.*

Ipſa autem abbatis benedictio in miſſa, quæ eſt propria, ante epiſtolam peragenda præſcribitur.

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

ELECTIO ABBATIS CANONICORUM.

E*Odem ordine fiat quo ſuperius digeſta eſt electio abbatis monachorum; & omnibus eodem ritu expletis pſalmis, litaniis & precibus, dicat ſuper electum has benedictiones:* Adeſto ſupplicationibus noſtris, *& ut ſupra in Pontificali Biſuntino, pag.* 24.

Benedictio.

Benedic, Domine, hunc famulum tuum N. quem ad regimen animarum, *& ibid.*

Hic tradat ei epiſcopus regulam canonicorum & legendo dicat:

Accipe gregis Dominici paternam providentiam, & animarum procurationem, ut per divinæ legis incedendo præcepta, ſis ei dux ad cæleſtis hæreditatis paſcua, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, &c.

Et poſtea legendo det ei virgam dicens:

Accipe virgam paſtoralis ſollicitudinis, & ſic vigila ſuper gregem Dominicum tibi commiſſum, quatenus ſicut fidelis ſervus & prudens merearis intrare in gaudium Domini tui.

Poſt hæc legatur epiſtola & perficiatur miſſa uſque ad offertorium, & tunc debet novus abbas accedere, & ibidem offerre, videlicet duas torchias cum pecunia ad voluntatem ipſius in ipſis depicta cum duobus magnis panibus & duobus potis vini. Collecta vero, ſecreta, poſtcommunio dicantur in miſſa ſicut dictum eſt ſuperius in ordinatione abbatis monachorum. Et in ipſa miſſa debet novus abbas communicare. Et antequam archiepiſcopus recedat ab altari, faciat abbas novus profeſſionem: eodem modo quo ſupra dictum eſt in ordinatiotione abbatis monachorum.

IN ORDINATIONE ABBATISSÆ.

D*Ebet pontifex miſſam celebrare, & eam benedicere cum duabus vel tribus abbatiſſis, & antequam incipiatur introitus miſſæ, aliqua moniales de abbatia cujus eſt electa deducant electam examinandam coram archiepiſcopo pontificalibus induto, & caſula, & ſedente in loco examinationis dorſo verſo ad majus altare, ex tunc dicant moniales antedictæ* Adeſt Reverende Pater, &c. *ut ſupra in benedictione abbatis monachorum uſque ad preces.*

Exaudi preces noſtras, & ſuper hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis infunde, *&c. ut in Ord. Rom.*

Omnipotentiam tuam, Domine, humiliter imploramus, *&c. ut in Ordine Romano.*

Præfatio. Adeſto precibus noſtris, adeſto votis, adeſto famulatibus, *&c. ut in Ordine Romano.*

Tunc det ei regulam, & dicat legendo.

Accipe regulam ſanctæ converſationis, ſimulque gratiam divinæ benedictionis

benedictionis, & ut per hanc cum grege tibi credito in diſtricti die judicii Domino incontaminata repræſentari valeas. Ipſe te adjuvare dignetur, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. *Electa*. Amen.

Tunc det ei baculum legendo dicens :

Accipe baculum paſtoralitatis, quem perferas catervæ tibi commiſſæ ad exemplum juſtæ ſeveritatis & correctionis. *Electa*. Amen.

Sequitur oratio : & dicatur à pontifice in modum orationis.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam, *&c. ut in Ordine Romano.*

Deeſt quædam hic rubrica.

ORDO VI.

Ex ms. S. Remigii Remenſis annorum 500.

ORDINATIO ABBATIS.

Capitulum ex canone Theodori.

IN ordinatione abbatis epiſcopus debet miſſam complere, & eum benedicere inclinato capite, cum duobus vel tribus de fratribus ſuis, & det ei baculum, & pedules. Poſt antiphonam ad introitum, & data oratione, annunciat epiſcopus in populum dicens :

Allocutio.

Eccleſiæ noſtræ fratres cariſſimi Pater electus ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Unde apoſtolica prius eum cenſemus auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & S. Benedicti regulam ſi velit obſervare, ſibique ſubjectos, ut idipſum faciant diligenter inſtruere, res quoque eccleſiæ ubique locorum hactenus diſperſas injuſte quantum prævalet congregare, eaſque in uſus eccleſiæ & fratrum, pauperum etiam & peregrinorum obſervare, ſicque dignum eſſe ad ordinem accedere.

Eo autem profitente pro viribus ſe hæc adimplere, proſternat ſe epiſcopus ante altare, & abbas ſacris veſtibus indutus, fiantque ibi letaniæ. Sequitur.

Pater noſter. Salvum fac ſervum. Dominus conſervet eum & vivificet eum. Et beatum faciat eum. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. Ex hoc nunc. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Cuſtodiat animam tuam Dominus. Mittat tibi auxilium. Nihil proficiet inimicus in eo. Eſto illi turris. Exurge, Domine, adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. *Oremus.*

Concede quæſumus omnipotens Deus, affectui noſtro tuæ miſerationis effectum, & famulum tuum quem ad regimen animarum eligi-

mus gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſo tibi noſtra electione placeamus. Per.

Priuſquam ordinetur, interrogatur ab epiſcopo ita :

Cariſſime frater, quia gratia Dei & electio fratrum prioriſque vitæ tuæ converſatio ad hoc provocavit officium te, volumus per te ipſum ſcire, utrum velis cum illis bene eſſe, & mores tuos ab omni malo temperare, & ad omne bonum quantum Deus dederit commutare? ℟. Volo.

Interrogatio. Vis B. Benedicti regulam cuſtodire : per te ipſum operari & alios docere? ℟. Volo.

Interrog. Vis ea quæ intellexeris ex divinis per te ſervare, & alios inſtruere? ℟. Volo.

Interrog. Vis caſtitatem & ſobrietatem ſervare? ℟. Volo.

Interrog. Et ea quæ per incuriam vel per negligentiam à loco ſunt imminuta intus vel exterius · vis reſtaurare ſecundum ſcire & poſſe? ℟. Volo.

Interrog. Vis Remenſis eccleſiæ, mihique, & ſucceſſoribus meis eſſe ſubjectus ſecundum regulam B. Benedicti? ℟. Volo.

Tunc in ſchedula ſcriptam legat profeſſionem hoc modo :

Ego ille N. nunc ordinandus abbas ſubjectionem & reverentiam à ſanctis Patribus conſtitutam, & obedientiam ſecundum præceptum S. Benedicti ſanctæ Sedi Remenſis eccleſiæ in præſentia Domni archiepiſcopi N. perpetuo me exhibiturum committo, & propria manu firmo.

Conſecratio abbatis.

Cunctorum bonorum inſtitutor Deus qui per Moyſen famulum tuum ad gubernandas eccleſias, *&c. ut in Ordine Romano.*

Tunc imponat ei manum dicens :

Per omnia ſæcula ſæc. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. *Præfatio.*

Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Reſpice, quæſumus, ſuper hunc famulum tuum, quem in tui nominis vice cuſtodem monachorum ordinamus. Immitte ei, Domine, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, & reple eum Spiritu timoris tui. Nihil contra præceptum tuum faciat, doceat, conſtituat, ſed magis mentes diſcipulorum tam exemplis bonorum operum quam verbis inſtruat; & quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria in operibus ſuis indicet non agenda. Sit in omnibus operibus ſuis providus & conſideratus, ſit ſobrius & caſtus, ſit vita probabilis, ſit ſapiens & humilis : ſit benignus & caritativus, ſit in pauperum & peregrinorum ſuſceptione aſſiduus : ſit in hoſpitalitate hilaris : ſit pius & miſericors; & ſemper miſericordiam exaltet ſuper judicium, ut ipſe à te æquiſſimo judice veniam conſequatur. Fac eum, Domine, te ſolum ex totis viribus ſuis diligere, jejunium amare, corpus caſtigare, delicias non appetere, tribulantibus ſubvenire, neminem odiſſe, zelum injuſtum

& invidiam non habere, ſuſpitionem omnino devitare, in tuo nomine pro inimicis exorare. Fac eum, Domine, ſemper agnoſcere, quia tibi redditurus eſt rationem villicationis ſuæ, & quantas ſub cura ſua animas habuerit, ipſas ſine dubio ante ſedem majeſtatis tuæ ſit laturus. Quapropter tibi piiſſimo paſtori ſupplicamus, ut ad humilitatis noſtræ orationes cor ejus gratia illuſtres, quo poſſit quæque ſingula diſcernere atque temperare, ut fortes habeant quod cupiant, & infirmi quod non refugiant. Da ei, Domine, ſpem compunctionis, ut cæleſtia ſemper diligat, & inextinguibilem gehennæ ignem ante mentis oculos proponat, quatinus ſupernorum dulcedine gaudiorum & infernalium amaritudine tormentorum ſemetipſum irreprehenſibilem cuſtodiat, ut cum creditis ſibi ovibus in tremendo examine gaudeat, & cum omnibus ſanctis tuis immarceſſibilem cæleſtis regni coronam accipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem ſpiritum benedictionis famulo tuo N. orantibus nobis propitiatus infunde, *&c. ut in Ord. Rom.*

Alia.

Deus omnium fidelium paſtor & rector, *&c. ut in Ord. Rom.*

Eodem ordine ante evangelium benedicatur quo & decanus; ſed de manu epiſcopi accipiat baltheum & vvantos inconſutiles ad cantandam miſſam dicente ſibi epiſcopo:

Baltheo veræ caſtitatis & gratia Sancti Spiritus præcingat renes tuos Dominus. Mundet manus tuas, ut acceptabiles hoſtias offeras Deo omnipotenti: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio in ordinatione abbatis.

Omnium creaturarum Dominator, Domine, qui inter cetera potentiæ tuæ opera, ad te adorandum, te laudandum, teque glorificandum humanam ſpeciem ex limo terræ formaſti, & ſenſu rationale beaſti, ut non tranſitoria, ſed toto deſiderio concupiſceret æterna; & tranſcendens ea quæ à te creata ſunt, te creatorem liberius inveniret: Super hunc ſervum tuum, quæſumus, propitiatus intende, & quem in Patris vicem elegiſti famulis tuis præficere, benedictionis & gratiæ tuæ munera dignanter indulge: tuæ voluntati jugiter eum intentum eſſe concede, ut nihil temporale, nihilque carnale amori tuo præponat, ſed in beneplacitis tuis virili mentis propoſito perſiſtat atque commiſſarum ſibi animarum profectibus tibi gratanter inſerviat, & per interceſſionem glorioſæ genitricis tuæ Mariæ ac S. Petri apoſtolorum principis, cujus normam beatus Pater Benedictus ſervandam nobis inſtituit. Concede eum inter ſacrarium ſcientiæ ſpiritalis admitti, ut & ſe & quoſcumque ſibi ſubjectos tamquam lapides vivos idoneus ſit ædificio expolire cæleſti. Longe fac eum à ſæcularibus pompis & inſere ornamentis vitalibus cunctas hujus ſæculi cupiditates de ejus corde funditus extirpa, ne aliquo terrenæ concupiſcentiæ pulvere fœdatus plus gerat ſollicitudinem de rebus tranſitoriis, quam de animabus

Caput I *De Bened. abbatis.*

injunctis, quia ubi exercentur terrena negotia, negliguntur ſpiritalia lucra. Remove ab illius mente avari & cupidi regis Haab ſententiam, qui Iſraelitico populo prælatus ex invadenda alterius poſſeſſione & ſanguinis effuſione ſuam polluit præfecturam, occidens & poſſidens: libera eum ab Ananiæ & Saphiræ fraude nequiſſima, ne de numero ad numerum invigilet, ſed de virtute in virtutem tranſeat, de bonis ad meliora tendat, paſtoris officium fideliter & potenter, te donante, exerceat, ut in domo tua, ſancta videlicet eccleſia, conſtitutus omniumque bonorum floribus exornatus, fiat cunctis aſpicientibus lumen ſanctitatis, ſpeculum bonitatis, exemplum ſalutis; quatenus ei & omnibus qui ejuſdem ducatu & monitis ad ſupernæ Jeruſalem erudiuntur paſcua à te Domino Jeſu Chriſto perpetuæ felicitatis conferatur palma. Qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivis.

Alia.

Omnipotens, piiſſime, & miſericordiſſime Domine Deus noſter, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus & petimus ſuper hunc famulum tuum N. qui ex providentia diſpoſitionis ad regimen animarum hodie rector & paſtor aſſumitur & eligitur, ut ei tuæ benedictionis per interceſſionem dilecti filii tui Benedicti, pii patris ac paſtoris noſtri, pleniſſimam largitatem infundas. Tua eum miſericordia jugiter præveniat & ſubſequatur, & quem ad gubernandum gregem tuum præeſſe diſpoſuiſti, immenſâ tuæ miſerationis clementia facias ubique circumdari & muniri. Da ei, Domine, cor prudens & docibile: gratia tuæ ſapientiæ mentem ejus adimple, ut ſciat & intelligat juſte & prudenter familiam tuam diſponere, tuam voluntatem in præceptis tenere, & ſibi ſubjectis operibus ſuis ædificationem præbere, & in omnibus ubique modis commiſſis animabus prodeſſe. Infunde ei timorem & amorem tuum ut te diligat, te timeat, ſecundum te ſapiat, ſecundum te vivat, ſecundum te diſponat & ordinet, per te currat, ad te perveniat. Non de officiis ſibi injunctis tepore ac negligentia à te judicandus, ſed de crediti talenti multiplicato lucro à te perpetua remuneratione feliciter donandus. Per.

Sequitur alia.

Oremus. Exaudi, Domine quæſumus, preces noſtras, quas in conſpectu tuæ majeſtatis ſuper hunc famulum tuum N. fundimus, qui vice nominis ad gubernaculum ovium tuarum ſtatuitur, ut eum reſpicere interveniente B. Benedicto patrono & gubernatore noſtro, & benedicere digneris, & qui ad redemtionem & protectionem noſtram de cælis deſcendiſti: & mundo te verum & ſummum paſtorem exhibuiſti dicens: Ego ſum Paſtor bonus: te invocamus, te ſuppliciter deprecamur, huic ſervo tuo, quem paſtorale culmen ſubire voluiſti, tua bonitas aſſit, & benedictio omnibus diebus vitæ ſuæ. Protege eum, Domine, & defende ab omnibus viſibilium & inviſibilium adverſitatibus inimicorum. Dirige greſſus ejus in viam pacis & juſtitiæ, & largire tuarum dona virtutum, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem & pru-

dentiam, caritatem, ſobrietatem, patientiam, longanimitatem, conſtantiam inſuperabilem, fidem non fictam, ſpem inconcuſſam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modeſtiam, unanimitatem, pacem, & concordiam, caſtitatem, abſtinentiam, vigilantiam, diſcretionem, rectitudinem, ſcientiam, pietatem, conſilium, & in cunctis bonis actibus inviolatam perſeverantiam. Aufer, Domine Jeſu Chriſte, ab eo quicquid pravum & diſtortum eſt, quicquid ſaluti contrarium, quicquid animæ nocivum, ſuperbiam ſcilicet, jactantiam, vanam gloriam, elationem, quicquid ad ultimum tibi diſciplicens eſſe poteſt, & oculos tuæ puritatis offendit. Circumda eum interius & exterius tuæ protectionis auxilio, ut te defenſore ſit tutus, te protegente ſecurus, te docente ſcius. Oſtende ei viam per quam ambulet, tribue theſauros ſapientiæ, ut ſciat & habeat unde nova & vetera proferat. Fac eum in omnibus tua ſequi veſtigia, & de ſua miniſtratione gradum bonum adipiſci, ut poſt hujus ſæculi excurſum cum ante tribunal tuum venerit, cum multiplici fructu animarum, illud præmium illi largiaris cum omnibus quos tibi reportabit, quod fidelibus diſpenſatoribus tuis pro tuo nomine laborantibus in terris te promiſiſti daturum eſſe in cælis. Qui cum Patre & Spiritu-ſancto, vivis & regnas. Per.

Tunc det ei regulam dicens:

Accipe regulam à ſanctis Patribus nobis traditam ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, ac fragilitas humana permiſerit.

Sequitur oratio.

Te omnipotens & piiſſime deprecamur, &c. *ut in Ord. Rom.*

Benedictio baculi.

Deus ſine quo nihil poteſt benedici vel conſecrari, hunc baculum benedicere dignare, ut quotienſcumque famulus tuus illum geſtando ex te in corde tenendo per hunc ſuſtentatur, tuæ benedictionis ubertate repleatur. Per.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ineffabili bonitate votis ſupplicantium aſſiſtis, quique ex tuæ pietatis abundantia affectum petendi attribuis, baculo huic quem ad paſtoralis officii ſignum in tuo nomine dedicamus, tuæ benedictionis vim copioſe infunde, ut eo paſtor inſignitus, ſic populum tuum ſollicite cuſtodiat, quatenus ab unitate eccleſiæ nullatenus deviare permittat; ſed infractum redintegret, quaſſatum conſolidet, ſeque una cum grege ſuo integrum tibi atque immaculatum conſervet. Per.

Hic tradat ei baculum dicens:

Accipe baculum paſtoralitatis, quem perferas catervæ tibi commiſſæ ad exemplum juſtæ ſeveritatis & correptionis.

Sequitur oratio.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, de famulo tuo N.

proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Hic ponatur in ſede, dicente ſibi epiſcopo.

Sta & retine locum à Deo tibi delegatum. Potens eſt autem Deus ut augeat tibi gratiam. Qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio pro adepta dignitate.

Omnium, Domine, fons bonorum juſtorumque provectuum, &c. *ut in Ord. Rom.*

Sequitur Te Deum laudamus. Kyrie eleiſon. *Poſtea dicatur hac oratio.*
Deus æternæ lucis inventor, *&c. ut in Ord. Romano. Et peragatur miſſa in ordine ſuo.*

MISSA PRO ABBATE.

PRotector noſter. *Pſ.* Quam dilecta tabernacula. *Oratio.* Concede quæſumus, Domine, famulo tuo abbati, ut prædicando & exercendo quæ recta ſunt, exemplo bonorum operum animos ſuorum inſtruat ſubditorum, & æternæ remunerationis mercedem à te piiſſimo paſtore percipiat. Per.

Secreta.

Munera noſtra, quæſumus, Domine, ſuſcipe placatus, & famulum tuum ſemper & ubique protege. Per.

Benedictio.

Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei vivi, corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodire & conſervare dignetur. Amen.

Mentem tuam illuminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat. Amen.

Ab omni malo te liberet, dextera ſua te defendat, & qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvet & ad cæleſtia regna perducat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris omnipotentis & Filii, & Spiritus-ſancti, ſuper vos deſcendat. Amen. Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Poſtcommunio.

Hæc nos communio purget à crimine, & famulum tuum benigna pietate conſervet. Per.

ORDO AD ABBATEM CANONICORUM FACIENDUM.

IDem prorſus eſt quem ſupra deſcripſimus ex codice pontificali Conchenſi, niſi quod in hoc codice Remenſi nulla ſit mentio tradendi baculi, quia revera olim eo non utebantur abbates canonicorum regularium, uti obſervavimus. In ordine tamen ad benedicendam abbatiſſam qui ſequitur idem

Digitized by Google

paucis exceptis qui in ord. Romano, habetur benedictio & traditio baculi, qui tamen primitus abbatiſſis non concedebatur.

ORDO VII.

Ex ms. pontificali metropolitanæ eccleſiæ Apamienſis in Syria.

ORDO AD ABBATEM BENEDICENDUM VEL ABBATISSAM.

Conſimilis eſt enim utriuſque benedictio, niſi quod abbatiſſa in benedictione ſua non induitur niſi conſuetis veſtibus, nec datur ei baculus.

Poſtquam ergo electio facta eſt à congregatione; & confirmata ab epiſcopo, die ſtatuto accedat abbas ad benedictionem. Et tunc ubi ab epiſcopo proceſſum fuerit in miſſa uſque ad evangelium, ille qui ab eo benedicendus eſt abbas, indutus ſuper propria veſtimenta, albam, & cappam de pallio, proſternat ſe ſuper tapetia ſtrata ante altare, & epiſcopus procumbat ſuper fandeſtolium ſuum, deinde cantentur letaniæ. Cum autem dicitur: ut abbatem iſtum benedicere digneris, *bis dicatur verſiculus ille ab eo qui letaniam cantat, & epiſcopus in ſingula reſponſione, quæ fit à choro ſignet ſuper illum. Finitis letaniis erigat ſe ſolus epiſcopus, & dicat.* Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Dominus conſervet eum & vivificet eum. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto. Hic accipiet benedictionem à Domino. Eſto illi Domine turris fortitudinis. Nihil proficiet inimicus in eo. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Actiones noſtras quæſumus, Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & à te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur. Per.

His ita peractis, ſurgit ille qui benedicendus eſt, & ipſo caput inclinante, proſequitur epiſcopus ſubſcriptas orationes. Verumtamen ſciendum eſt quoniam juxta Romanum ordinem prædicta omnia non dicuntur: ſed ubi epiſcopus proceſſerit in miſſa uſque ad evangelium, tunc præſentatur ei qui benedicendus eſt abbas, & ipſo caput inclinante proſequitur epiſcopus ſubſcriptas orationes.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut famulum tuum N. quem ad regimen animarum elegimus, &c. *ut in Ord. Rom.*

Alia.

Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc imponit ei manus ſuper caput ejus, & dicit hanc orationem in modum præfationis.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem ſpiritum tuæ benedictionis ſuper hunc famulum tuum N. nobis orantibus propitiatus infunde, *&c. ut in Ord. Rom.*

Digitized by Google

CAPUT I. De Bened. abbatis.

Tunc tradit ei regulam dicens.

Accipe regulam à ſanctis Patribus nobis traditam, ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, & fragilitas humana permiſerit. Per.

Sequitur oratio.

Te omnipotens & piiſſime deprecamur Domine, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc tradit ei baculum dicens.

Accipe baculum paſtoralitatis, quem præferas catervæ tibi commiſſæ ad exemplum juſtæ ſeveritatis & correctionis.

Sequitur oratio.

Deus cui omnis dignitas & poteſtas famulantur, *&c. ut in Ord. Rom.*

Oratio ſpecialiter pertinens ad benedictionem abbatiſſæ.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moïſi Mariam, &c. *ut in Ord. Rom.*

Oratio communis abbatis & abbatiſſæ pro adepta dignitate.

Omnium, Domine, fons bonorum juſtorumque provectuum munerator, tribue quæſumus N. famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem, & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per. *ut in Ord. Rom.*

Benedictione completa epiſcopus ordine ſuo miſſam proſequatur.

ORDO VIII.

Ex ms. pontificali eccleſiæ Arelatenſis.

DE ORDINATIONE REGULARIS ABBATIS QUALITER PER ORDINEM REGULARIS ORDINANDUS EST ABBAS.

P*Rimum eligatur ab omni congregatione in præſentia archiepiſcopi ejuſdem diœceſis & ſenioris ad quem abbatia pertinet. Tunc percepta ab eo donatione, & roborata ab omnibus electione, incipiat epiſcopus vel cantor antiphonam* Confirma hoc Deus quod operatus es, *quam ſequitur omnis chorus pſallentium cantando excelſa voce pſal.* Miſerere mei Deus, *ut quidam dicunt, ſed convenientius* Exurgat Deus. *Sicque cum triumpho teneat epiſcopus eum qui ordinandus eſt, manu deducit eum in ſecretarium, remanentibus aliis in choro atque pſallentibus, & cum ibi venerit, proſternat ſe electus. Cum vero pſalmus* Exurgat Deus *fuerit cantatus, dicat epiſcopus.*

Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Memor eſto congregationis tuæ. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia ſolus, &c.

Item alia oratio.

Actiones noſtras, &c.

Faciat hanc profeſſionem.

Ego ill. ſancti ill. vocatus abbas promitto coram Deo & ſanctis ejus & hoc

& hoc præſenti altari & fratrum frequentia ſollemni dignam ſubjectionem Domino ill. epiſcopo & ſucceſſoribus ejus, à modo & deinceps obedire, ſalvo & digno miſericordiæ reſpectu, ſicut ſanctorum canonum docet auctoritas & inviolabilis Romanorum pontificum præcipit eademque auctoritas.

Iſto quippe ordine reveſtiri ſe debent conſecrator & abbas in hac ordinatione: in albis, ſtolis, & cappis, teneatque epiſcopus baculum ſuum in manu ſua, & iſdem baculus quem abbati debet dare ſit juxta abbatem in tapeto. Dum proſtratus jacet ad conſecrandum; tunc ſtratis ante altare tapetibus, proſternunt ſe ſimul pontifex, & qui ab eo benedicendus eſt abbas. Incipiunt qui in choro ſunt vij. pſalmos pœnitentiales, ſubjungentes letaniam quæ habetur in dedicatione eccleſiæ, non prolixam, ſed ſub brevitate: quibus decurſis, dum noviſſimum Kyrie eleiſon *dixerint, erigatur ſolus pontifex, proſtrato eo qui benedicendus eſt, dicet* Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei. Hic accipiet benedictionem à Domino. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Inde ſequatur benedictio.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut famulum tuum ill. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono digneris proſequi, ut te largiente cum ipſa noſtra electione placeamus.

Alia oratio.

Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, qui per Moïſen famulum tuum, *&c. ut in Ord. Rom.*

Hic imponat manum ſuper caput ejus dicens hanc orationem in modum præfationis.

Æterne Deus, omnium fons bonorum, te ſuppliciter deprecamur ut affluentem ſpiritum tuæ benedictionis famulo tuo, *&c. ut in Ord. Rom.*

Alia oratio.

Suſcipiat te largiente hodie, Domine, in bono opere perſeverantiam in adverſis conſtantiam, &c.

Alia oratio.

Omnium fons bonorum juſtorumque remunerator profectuum, *&c.*

Conſecratus accipiat baculum de manu archiepiſcopi, dicatque archiepiſcopus:

Accipe baculum paſtoralis officii, ut ſis in corrigendis vitiis pie ſæviens, & cum iratus fueris, miſericordiæ memor eris.

Alia oratio.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, &c.

Poſtea dat ei metropolitanus regulam ita dicens:

Accipe gregis Dominici paternam providentiam, & animarum procurationem, & per divinæ legis incedendo præcepta, ſis ei dux ad cæleſtis hæreditatis paſcua, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Vel aliter.

Accipe regulam à ſanctis Patribus traditam ad regendum cuſtodien-

CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

dumque gregem tibi à Deo creditum quantum Deus ipſe confortaverit & fragilitas humana permiſerit.

Sequitur oratio.

Te omnipotens ac piiſſime deprecamur, Domine, hunc famulum tuum propitius intuere, *&c.*

Quibus expletis, incipiat archiepiſcopus, aut unus ex abbatibus, qui affuerint excelſa voce Te Deum laudamus. *Statuente archiepiſcopo eum in ſtatione, vel in loco qui abbati in choro deputatus eſt & dicente :*

Sta in juſtitiæ ſanctitate, & retine locum à Deo tibi delegatum : potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam.

Cum autem ad ſecundum verſum ventum fuerit, ubi dicimus Te æternum Patrem, *incipientes eum oſculari fratres congregationis per ordinem reverenter, petant veniam. Finito* Te Deum, *dicat archiepiſcopus.* Salvum fac ſervum. Eſto illi turris fort. Nihil proficiat. Memor eſto congregationis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum ſpiritum tuæ benedictionis, &c.

Lecto evangelio, ordinatus offerat archiepiſcopo duos cereos ardentes & duos panes.

De Conſecratione abbatiſſæ.

Ordo ad abbatissam faciendam.

Primum eligatur ab omni congregatione ancillarum Dei. Deinde in præſentia epiſcopi ad cujus parrochiam ejus monaſterium pertinet, electio ejus præcipiente epiſcopo in capitulo legatur : deinde in ambone eccleſiæ, ut ab omnibus audiatur atque laudetur. Electa vero antequam dicatur evangelium interrogetur ut ſupra in benedictione abbatis, & poſt proſternat ſe ante altare ſupra tapetum, & ſtatim ſorores ejus incipiant letaniam ſub brevitate in choro, qua finita cum oratione Dominica, dicat conſecrator, Et ne nos inducas. Salvam fac ancillam tuam. Mitte ei. Nihil proficiat. Dominus conſervet eam & vivificet eam. Domine exaudi. *Oratio.* Concede quæſumus omnipotens Deus affectui noſtro, &c.

Cunctorum bonorum inſtitutor, *&c.*

Tunc imponat ei manum ſuper caput ejus, orationem hanc dicens in modum præfationis.

Æterne Deus omnium fons & origo bonorum te ſuppliciter deprecamur, *&c.* *Alia.*

Suſcipiat te largiente hodie, Domine, in bono opere per ſinceram in adverſis conſtantiam, &c.

Oratio.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, &c.

Oratio.

Omnium, Domine, fons bonorum juſtorumque profectuum remunerator, tribue quæſumus, &c.

Conſecrata accipiat regulam & baculum de manu epiſcopi, dicatque epiſcopus : accipe regulam *ut ſupra in benedictione abbatis. Poſtea det ei baculum dicens :* Accipe baculum, *ut ſupra. Quibus expletis, incipiat conſecrator* Te Deum laudamus, *ſtatuente conſecratore eam in ſtatione vel loco qui abbatiſſæ in choro deputatus eſt, & dicente :* Sta in juſtitia & ſanctitate, *ut ſupra in benedictione abbatis. Cum vero ad ſecundum verſum ventum fuerit, ubi dicimus* Te æternum Patrem, *incipientes eam oſculari ſorores congregationis per ordinem reverenter petant veniam. Finito* Te Deum laudamus, *dicat conſecrator :* Salvam fac ancillam tuam. Eſto ei, Domine, turris. Nihil proficiat. Memor eſto congregationis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus, famulæ tuæ abbatiſſæ, &c.

Si alibi conſecrata fuerit, regreſſæ illi ad monaſterium omnis chorus virginum cum proceſſione plenaria occurrat.

Sequitur oratio.

Famulam tuam, Domine, tuæ cuſtodia muniat pietatis, &c.

Alia oratio quando ponitur in cathedra.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, &c.

ORDO IX.

Ex ms. Pontificali Moguntino quod extat in bibliotheca regia n. 3870.

Ordo ad benedicendum abbatem.

ET licet ſolum ſine coaſſiſtentia aliorum abbatum die feriata vel non feriata abbatem benedici ſacris canonibus non repugnet ; univerſalis tamen omnium quodammodo eccleſiarum uſus induxit, ut coaſſiſtentibus duobus abbatibus, die Dominica, & hora tertia, inter miſſarum ſollemnia, id fieri debeat cum ſollemnitate infra notata, debita & conſueta.

*Die ergo Dominica hora tertia in eccleſia ubi abbas benedici debet, diſponatur menſa in medio chori, ſuperpoſita * menſali ; & ponantur duo panes albi, & duæ flaceæ plenæ vino, & habeantur duo honeſti cerei ; & epiſcopus indutus pontificalibus miſſam celebraturus cum debito ordine miniſtrorum, ſi fieri poteſt ad altare procedat ; & ipſi abbates induti albis, & deſuper cappis choralibus, in medio eorum electum ducentes accedant ad chorum ; & epiſcopus dicat* Confiteor Deo. *Abbates* Miſereatur veſtri. *Epiſcopus :* Amen. *Item ipſi :* Confiteor Deo. *Item epiſcopus :* Miſereatur veſtri. Indulgentiam : *His dictis, incipiatur introitus ad miſſam.* Spiritus Domini, &c. *vel aliud officium juxta devotionem epiſcopi, & concludatur cum collecta officii iſta quæ ſequitur ſub eodem* Per Dominum.

* f. *miſſali.*

Quæſumus omnipotens Deus, famulum tuum quem ad regimen ani-

marum elegimus gratiæ tuæ dono proſequaris, ut te largiente cum ipſa tibi electione placeat. Per.

His duabus collectis concluſis, epiſcopus ponat ſe ſuper ſedem ſuam converſus ad abbates electum examinet in hæc verba.

Vis propoſitum tuum & S. Benedicti vel S. Auguſtini regulam obſervare, tibique ſubjectos ut idipſum faciant regulariter inſtruere? *Reſpondeat electus*: Volo.

Vis rebus eccleſiæ tuæ inibi coadunatis fideliter cuſtodiam adhibere, injuſte diſperſa quantum prævales colligere, eaque in uſus eccleſiæ, & fratrum tuorum, pauperum & peregrinorum diſtribuere? *Electus*: Volo.

Vis clauſtralem diſciplinam & eccleſiaſticum officium inſtaurare? *Electus*: Volo.

Vis epiſcopo tuo in cujus parrochia ordinandus es, ejuſque catholicis ſucceſſoribus ſubjectionem & obedientiam exhibere ſecundum canonicam auctoritatem & decreta ſummorum pontificum? *Electus*: Volo.

Vis in iſtis quæ tibi prædicta ſunt, quantum prævales & humana fragilitas te permiſerit, permanere?

Electus ſuperpoſitis duobus digitis manus ſuæ dexteræ ſuper librum epiſcopi juret per hæc verba: Volo. Et ego ordinandus abbas ſubjectionem & reverentiam à SS. Patribus conſtitutam & obedientiam ſecundum præceptum & regulam S. Benedicti, vel S. Auguſtini, ſanctæque ſedi N. eccleſiæ, & tibi O. N. epiſcope tuiſque catholicis ſucceſſoribus perpetuo me exhibiturum promitto, & propria manu firmo, ſalvo ordine noſtro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſacra verba.

Epiſcopus: Augeat tibi Deus in his fidem & conſtantiam ut adimplere & conſervare ea valeas. *Clerus*: Amen.

Poſt hæc epiſcopus & abbates proſternant ſe ſuper ſedes ſuas, & dicatur letania à duobus clericis, & cum perventum fuerit ad illum locum: Ut pacem nobis dones, *erigat ſe epiſcopus, & accepto baculo in manu ſua, converſus ad abbates, dicat*: Ut electum & confirmatum iſtum in abbatem benedicere † ſanctificare † & conſecrare † digneris. *Clerus*: Te rogamus. *Hoc ter repetente epiſcopo, clerus ſibi totiens reſpondeat*: Te rog.

Poſt hæc reponat ſe ſuper ſedem ſuam epiſcopus uſque ad finem letaniæ. Qua completa, epiſcopus ſubjungat: Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Dominus conſervet eum & vivificet eum. Dominus cuſtodiat introitum ſuum & exitum ſuum, Dominus cuſtodiat eum ab omni malo. Mittat ſibi auxilium de ſancto. Nihil proficiat inimicus in eo. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oremus. Concede quæſumus, Domine, huic famulo tuo electo ut prædicando, &c. *ut in Pontif. Rom. Item epiſcopus ſine* Oremus: Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, *&c. ut in Pontif. Rom. Deinde exaltet vocem ſuam per modum præfationis & cantet*: Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Affluentem ſpiritum tuæ benedictionis famulo tuo N. nobis orantibus propitiatus infunde, ut qui per manus noſtræ hodie

impoſitionem abbas inſtituitur. *Hic ponat epiſcopus manum ſuam dextram ſuper caput electi, & continuet præfationem :* Sanctificatione tua digne à te electus, &c.

Oremus.

Deus omnium fidelium paſtor & rector, &c.

Hic epiſcopus tradat electo regulam ſuam, & dicat : Accipe regulam à SS. Patribus nobis traditam, &c.

Item tradat ſibi baculum dicens : Accipe baculum paſtoralitatis, &c.

Item tradat ſibi anulum, & dicat : Accipe anulum fidei ſignaculum,&c.

Si abbas fuerit qui mitra uti conſueverat, epiſcopus mitram ſibi tradat, & dicat : Accipe, frater cariſſime, veteris & novi teſtamenti ſignum figurativum, & per ſcientiam utriuſque teſtamenti gregem tibi creditum ſic illibatum cuſtodias, ut ſimul cum eo lætus introeas portas paradiſi : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Quibus expeditis, epiſcopus dicat : Dominus vobiſcum. Oremus. Deus æternæ lucis inventor, &c.

Hic legitur epiſtola, & procedatur uſque ad offertorium modo conſueto. Tunc abbas benedictus offerat illos duos cereos, duos panes, & duas fialas de vino. Deinde agatur miſſa, & concludatur ſecreta de officio miſſæ cum ſecreta hujus officii.

Oremus.

Munera noſtra, quæſumus Domine, ſuſcipe placatus, & famulum tuum quem hodie in abbatem ovium tuarum conſtituimus ſemper, & ubique miſericorditer protege. Per.

Et cum in miſſa perventum fuerit ad illum locum. Et pax ejus. *Diaconus converſus ad populum, dicat :* Humiliate vos ad benedictionem. *Clerus.* Deo gratias.

Epiſcopus. Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei vivi, corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodire & conſervare dignetur. *Clerus.* Amen.

Epiſcopus. Mentem tuam illuminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat. *Clerus.* Amen.

Epiſcopus. Ab omni malo te liberet, dextera ſua te defendat, & qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvet, & ad cæleſtia regna perducat. *Clerus.* Amen.

Epiſcopus. Quod ipſe præſtare, &c.

Epiſcopus det benedictionem, dicens : Benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filii, † & Spiritus-ſancti † deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. *Clerus.* Amen.

Poſtea accedat abbas, & dicat : Confiteor Deo. *Epiſcopus :* Miſereatur tui. *Item epiſcopus :* Indulgentiam & abſolutionem. *His peractis, compleatur miſſa, & concludatur complementum officii cum iſta quæ ſequitur.*

Hæc nos communio Domine purget à crimine, & famulum tuum benigna pietate conſervet. Per.

Caput I. De Bened. abbatis.

ORDO X.

Ex mſ. codice D. le Tellier Rotomagenſis S. Audoeni monaſterii magni prioris.

Modus et forma eligendi abbatem.

Primum oportet mittere duos monachos ad Dominum regem Franciæ ſupplicare & petere licentiam eligendi. Habita licentia, prior & conventus præfigunt vel aſſignant diem eligendi talem, ut habeant ſpatium ſic longum, quod omnes priores de regno Franciæ & ſocios ſuos poſſint intereſſe ad dictum diem. Die veniente, poſt Primam miſſa matutinalis erit de Spiritu-ſancto. Cappa in choro. Miſſa dicta, conventus vadit in capitulo: legitur in capitulo de regula capitulum lxiv. de abbate ordinando, in abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur. *Poſt correptiones factas, quidam prædicator religioſus vel ſæcularis venit in capitulo facere unam collationem conventui de forma & modo eligendi: & cum illo prædicatore veniunt duos advocatos curiæ eccleſiæ de conſilio noſtro cum uno tabellione vel duobus. Collatione facta, tunc unus advocatorum proponet conventui formam eligendi, videlicet viam Spiritus-ſancti, viam compromiſſi, viam ſcrutinii. Poſtea prior vel ille præſidens qui tenet capitulum dicet coram omnibus:* Si in iſta congregatione eſt monachus excommunicatus vel inhabilis ad iſtam electionem intereſſe, exeat de capitulo. *Hoc facto, cantor incipit* Veni creator. *Hymno dicto, omnes ſæculares exeunt de capitulo, prior vel alius Spiritus-ſancti repletus dicens*: Talis eſt idoneus ad regendum iſtam eccleſiam & conventum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus; ſi placet omnibus, ſit paſtor noſter. *Si omnes concordant, tunc omnes ſæculares veniunt in capitulo audire electionem. Audita electione facta & recordata ab omnibus exiſtentibus de conventu, ſuper hoc de conſilio peritorum inſtrumentum fiat de electione facta & pluribus teſtibus de collectione recordata. Hoc facto cantor incipit* Te Deum laudamus, *&c. Et cito levetur electus à conventu, & fertur in humeris ſuis ſuper altare B. apoſtolorum. Hymno finito, electo deſcendente ab altare, venit ad primum gradum de ante altare. Facit orationem ad voluntatem ſuam. Oratione autem facta, prior vel alius habet unam cedulam in manu ſua de notario ſcriptam, dicendo ſic electo:* Vis tu acceptare & dare aſſenſum tuum ad honorem & beneficium in quo nominatus es? *Poſtea electus legit ſcriptum quod ſibi traditum eſt à notario coram omnibus:* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, & in honore B. Virginis Mariæ, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Audoeni & omnium ſanctorum, in quo eccleſia iſta fundata eſt, electioni de me factæ conſentio, & meum præbeo aſſenſum. *Hoc dicto, prior ducit electum in ſtallo ſuo in choro tam in ſuperiori loco quam in inferiori: & ita in capitulo cum conventu: poſtea revertuntur in choro; & prior cum notario publico dicunt omnibus aſſiſtentibus tam*

Digitized by Google

in choro quam extra chorum : Hodie eſt facta electio in noſtro capitulo, CAPUT I.
& habemus talem electum N. & ita vobis annunciamus , & eſt de *De Bened.*
gremio noſtro vel de conventu noſtro, & pronunciatus omnibus quia *abbatis.*
ſic audiviſtis. *Et poſtea ſubhaſtationes dicti electi facere per decanum chriſtianitatis. Dictus electus non exercitabit officium ullum, nihil faciet, donec erit confirmatus , & benedictus , & receptus in eccleſia ſua cum conventu ſuo.*

Subhaſtationes factæ , & die confirmationis electi aſſignato per Dominum archiepiſcopum , vel ejus vicarium ; & proceſſu dicta electionis dicti electi propoſito ab uno advocato vel alio , & dicta confirmatione facta ab archiepiſcopo vel ejus vicario , dictus electus non veniet ad abbatiam , ſed ad unum de maneriis ſuis : & ſit ibi uſque ad terminum benedictionis ſuæ. Veniente die , & miſſa celebrata ab archiepiſcopo vel epiſcopo , & benedictione facta, & omnibus rebus & caremoniis factis quæ pertinent ad dictam benedictionem , ſicut plenius continetur in libro epiſcopali , dictus abbas confirmatus & benedictus poteſt venire ad abbatiam ſuam quando voluerit. Die veniente, ad monaſterium abbatiæ ſuæ receptus erit à priore & conventu ſuo in albis & cappis cum cruce & candelabris & thuribulo & aqua benedicta , cum textu evangelii quem prior portat vel alius uſque ad oſtium navis monaſterii. Veniente abbate cum cappa ſua ſæculari inducta , cum ſuis capellanis & aliis qui ſecum ſunt , deſcendente de equo ſuo , venit ad crucem cimiterii : unus de ſuis famulis diſcalciat eum & nudis pedibus venit ad dictum oſtium , ubi conventus eum expectat. Cantor tradit priori librum in quo juramentum continetur. Tunc prior aperit librum ubi juramentum abbatis S. Audoeni Rotomagenſis in jocundo adventu receptionis ſuæ , primo dicat & pronunciet prior vel alius de majoribus verba quæ ſequuntur in introitu portæ navis monaſterii.

Adeſt, Reverende Pater, tua ſponſa noſtra mater. Hæc ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli almique Audoeni Rotomagenſis eccleſia cum immenſo gaudio recipere te parata, ut eam regas ſalubriter, potenter protegas & defendas.

Reſponſio abbatis.

Hæc Deo donante me facturum promitto.

Iterum prior vel alius.

Firma juramento quæ te facturum promittis.

Abbas.

Ego N. Dei patientia humilis abbas & miniſter hujus eccleſiæ juro ad hæc ſancta Dei evangelia quod ipſam eccleſiam contra quoſlibet tam in bona quam in perſonas ipſius invaſores & oppreſſores pro poſſe protegam viriliter & defendam ; quod etiam ipſius eccleſiæ jura, libertates , privilegia , ſtatuta , & conſuetudines approbatas , ſervabo fideliter, quodque bona hujus eccleſiæ non alienabo , nec alienari permittam , quin pro poſſe ſi quæ alienata fuerint revocabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia.

Hoc dicto , prior incenſat abbatem , & aſpergit ipſum aqua benedicta , &

tradit textum ad oſculandum. Hoc facto, cantor incipit ℟. Honor virtus *alta voce. Tunc prior accipit Dominum abbatem per manum vel cappam ſecularem : & ambo intrant in navem monaſterii, priore dicente abbati.* Intra in gaudium Domini tui & in eccleſia tua, in jocundo tuo adventu, conventu præcedente, *Interim theſaurarius reliquiarum in choro præparat oratorium Domini abbatis pro oratione ſua facienda. Finito* ℟. *à conventu. Tunc cantor tradit librum priori pro oratione dicenda ſuper abbatem. Poſtea prior dicit alta voce.* Salvum fac ſervum tuum. Mitte eis auxilium de ſancto. Dominus vobiſcum. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo N. & dirige eum ſecundum clementiam tuam in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat & tota virtute perficiat. Per Dominum.

Oratione dicta à priore, tunc abbas ſurgat ab oratorio. Tunc prior vadit cum abbate in theſaurario, ubi ſunt ſotulares pro ſe recalciare. Iterum prior & conventus ſe deveſtiunt de albis & cappis & frocos ſuos induunt. Hoc facto, ſi eſt poſt capitulum, abbas vadit in camera ſua. Si eſt ante capitulum, ſi vult ibit in capitulo; & legitur de regula capitulo : Qualiter debeat eſſe abbas. *Poſt correptiones factas, & ſe recommendabit conventui ſuo, & accipiet obedientiam à conventu, unus poſt alium. Prior inchoabit & habebit regulam B. Benedicti in manibus ſuis : & ibit ad abbatem, & dicet flexis genibus :* Vobis facio obedientiam ſecundum regulam B. Benedicti. *Tunc prior venit ad locum ſuum, regula remanente ſuper genua abbatis. Poſtea alii vadunt facere obedientiam. Hoc facto, ſi vult facere miſericordiam in jocundo adventu ſuo alicui fratrum, qui ſit in aliqua ſententia, faciat & abſolvat. Poſt capitulum ſi habet devotionem cantare miſſam, cantat in capella ſua, ſi non vult cantare magnam miſſam : ad prandium erit in refectorio cum conventu ſuo & cum aliis nobilibus viris. Poſt prandium in camera ſua, ut eſt conſuetudo, &c. iſtud non eſt vix.*

Si iſta eccleſia reſervata eſt à ſummo pontifice, oportet ire ad curiam, & facere proceſſum electionis, ſi ita quod electio facta ſit, & ſupplicare quod noſtra electio teneat : & illi qui commiſſi erunt de iſto negotio faciant ſecundum conſilium peritorum cardinalium & aliorum. Si electus obtineat quod ſit pronunciatus in conſiſtorio, oportebit ſolvere ſervitium Domino papæ & cardinalibus, & ſolvere bullas, videlicet unam pro electo, ſecundam pro archiepiſcopo, tertiam pro conventu, quartam pro aliquocumque epiſcopo pro benedictione ſua facienda, quintam pro juramento ſuo, quod faciet dicto epiſcopo; ſextam quæ legitur ad populum. Omnes ſolemnitates & ſubhaſtationes, tam de vita & moribus &c. factæ erunt ad curiam.

Forma juramenti de curia.

Ego N. abbas monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis Ordinis S. Benedicti, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero S. Petro ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino meo Domino N. papæ ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus : non ero in conſilio aut conſenſu vel facto ut vitam perdat aut membrum; vel capiatur mala captione,

captione. Conſilium vero quod mihi tradituri ſunt per ſe aut nuncios ſive litteras ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad remedium, & defendendum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem legatum apoſtolicæ ſedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apoſtolorum limina, curia Romana exiſtente citra, ſingulis annis; ultra vero montes, ſingulis bienniis viſitabo, aut per me, aut per nuncium, niſi apoſtolica abſolvat licentia. Poſſeſſiones vero ad monaſterium meum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeodabo, neque aliquomodo allenabo inconſulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. CAPUT I. *De Bened. abbatis.*

Sequitur obedientia capituli B. Mariæ Rotomagenſis.

Ego N. Dei gratia abbas monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis Ordinis S. Benedicti, Reverendo Patri Domino Dei gratia archiepiſcopo & eccleſiæ Rotomagenſi canonicam obedientiam & reverentiam me facturum promitto & manu propria confirmo.

CAPUT II.

De benedictione monachorum.

DE benedictione ſeu profeſſione monachorum cum plura jam dixerimus, tum in commentario ſuper regulam S. P. Benedicti, tum in libro 5. de Antiquis Monachorum Ritibus, hoc caput præteriiſſe potuiſſemus. At ne materiam hic loci omnino neceſſariam relinqueremus intactam, aliquos ſaltem Rituales libros de monachorum benedictione hactenus ineditos deſcribere duximus operæ pretium: quibus obſervationum præviarum ſeu commentarii loco ſubjiciam non contemnendum tractatum *de Profeſſione monachorum* qui ſæculo XII. ſcriptus fuiſſe videtur. CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

ORDO I.

Ex Pontificali & miſſali Anglicanis mss. quorum primum eſt annorum circiter 900. alterum annorum circiter 700.

INCIPIT PROBATIO NOVITIORUM.

CUm autem novitius novitiorum regula examinatione jam bene probatus fuerit, egrediatur de ea, pariterque cum ſuo magiſtro veniat in capi-

CAPUT II. De Bened. monachorum.

tulo. Ipſe vero novitius ut ſibi traditum fuerat, proſternat ſe ante pedes abbatis, reſidentibus fratribus cunctis, & depoſcat ſe ſociari ſanctæ congregationi. Si autem ſibi conceſſum fuerit, ocius feſtinet, & oſculetur pedes abbatis. Deinde in conſpectu omnium fratrum, flexis genibus, & inclinato capite, vertat ſe ante & retro. Tunc veniat ante abbatem, & ſtet ante eum, & multimodam gratiarum actionem ei vel congregationi ſuppliciter reddat. Abbas vero jubeat ſibi ſcribere profeſſionem, aut certe ſi non ſcit ſcribere, alius ab eo rogatus ſcribat qui ſcit. Jamque cum hora tertia decantata fuerit vel letania, præſente abbate & cunctis adſtantibus fratribus, ipſe novitius ſecum geſtans cartulam veniat ante altare elevataque voce dicat:

Ego frater Deodatus promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum regulam S. Benedicti abbatis, coram Deo & ſanctis ejus, in præſentia Domni N. abbatis.

Mox ipſe manu ſua eam ſuper altare ponat, ſtatimque ante ipſo altare inclinus, vertat ſe ante & retro tribus vicibus, & dicat hunc. ℣. Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam, & ne confundas me ab expectatione mea. *Et flectat genua tribus vicibus. Quem verſum omnis congregatio reſpondeat. Deinde toto corpore proſtratus in pavimento jaceat cum gemitu & compunctione cordis. Tunc abbati deferatur à miniſtris ſtola, necnon & codex & aqua benedicta, & ipſe ſurgat, & dicat;* Kyrie eleiſon, Chriſte. Kyrie, *ter.* Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine. Nihil proficiet. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Præſta quæſumus Domine, huic famulo tuo renuntianti ſæcularibus pompis gratiæ januas aperiri, &c.

Alia.

Tu famulum tuum, quæſumus, Domine, bonis moribus placatus inſtitue. Tu in eo quod tibi placitum eſt dignanter infunde, & præſta ſemper ad te toto corde concurrere, tibi ſubdita mente ſervire, tuam miſericordiam ſuppliciter exorare, ut dignus ſit & tua valeat beneficia promereri. Per.

Alia.

Deus qui famulum tuum à ſæculi vanitate converſum ad ſupernæ vocationis accendis amorem, pectori illius purificando illabere, & gratiam qua in te perſeveret infunde, ut protectionis tuæ munitus præſidio, quod te donante promiſit impleat, & ſuæ profeſſionis executor effectus ad ea quæ perſeverantibus in te dignatus es promittere pertingat. Per.

Da quæſumus, Domine, famulo tuo ill. indulgentiam ſuorum delictorum, quatinus de omnibus quæ carnali delectatione vel animi cogitatione, atque vana hujus ſæculi ambitione contra tuorum rectitudinem præceptorum perfecit, in præſenti vita perſeverans in monaſterio veniam accipere mereatur. Per.

Tunc novitius erigat ſe de pavimento, & ſtet incurvatus quo uſque dicta

Digitized by Google

ab abbate ſuper veſtimentum cucullæ fuerint hæ orationes.

Deus bonorum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, exaudi preces noſtras, & hæc veſtimenta, quibus famulus tuus N. pro conſervandi monachatus & beatæ obedientiæ ſigno, ſe ad operiendum expoſcit, benedicere & ſanctificare digneris, quatinus his perceptis & indutus ſanctarum virtutum ornamentis, intra ſepta monaſterii divinorum præceptorum obtemperator exornatus procedat, illuſque obtentu nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod nos indigni famuli tui hæc veſtimenta majorum exemplis benedicentes, nominare & invocare præſumimus, ubique contra antiqui hoſtis temptamenta latenteſque inſidias defendi mereatur. Per.

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

Hæc oratio uti & ſequens contractiores habentur in ſecundo codice, quæ vero has ſequuntur in primo deſiderantur.

Deus qui veſtimentum ſalutare & indumentum æternæ jocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hoc indumentum mortificationem carnis, humilitatem cordis, & compunctum contemtumque mundi ſignificans, quo famulus tuus ſancto viſibiliter informandus propoſito propitius benedicas, ut monaſticæ religionis habitum, quem te ſpirante ſuſceperit, te protegente & gubernante inviolabilem uſque ad finem vitæ cuſtodiat, quatinus cum ſanctis patribus noſtris Paulo, Antonio, Machario, ceteriſque innumerabilibus, necnon & B. BENEDICTO æternæ vitæ bravium perſeverans coram Chriſto Domino noſtro percipere mereatur.

Alia.

Deus qui renuntiantibus ſæculo manſionem paras in cælo, dilata hujus famuli tui habitaculum mentis, & reple cæleſti deſiderio, ut fraterna teneatur compagine caritatis: præcepta regulæ cuſtodiat, ſobrius, ſimplex, & quietus gratis ſibi datam gratiam noſcat, concordet ejus vita cum nomine, profeſſio ſentiatur in opere. Per.

Tunc exuatur novitius veſtimentis quibus utebatur, & aſperſa aqua benedicta ſuper cucullam, nec non & ſuper ipſum novitium, induatque eum abbas dicens:

Accipe veſtem, indue ſanctitatis decorem, ornare habitu B. Benedicti cum timore & reverentia, quem interveniente B. Dei genitrice ſemper Virgine Maria cum bonorum obſervantia operum, ignito caſtitatis lampade ſuffultus immaculatum ante tribunal Chriſti perferas. Per.

Induente ſe fratre, ab omni choro altibohando antiphona canatur: Beati eritis cum vos oderint homines. Beati immaculati. *Eo induto, ipſe abbas ſuper novitii caput cucullæ inducat capitium. Dehinc hæ ſequuntur orationes:*

Clementiſſime dominator, Domine, tuam invocamus pietatem ſuper hunc famulum tuum N. quem à ſæculo converſum......

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus ſanctæ religionis origo, omniſque profeſſionis in te æterna ſalvatio, ſuſcipe propitius vota profeſſioneſque famuli tui, qui de hujus ſæculi vanitate & turbine ad te confugit. Sit quæſumus, te adjuvante, ab omni ſæcularium ſtrepitu exutus, à dele-

ctationibus ſpectaculorum præſentium evulſus, à cunctis mundi occupationibus extraneus, ab antiqui hoſtis inſidiis ereptus, mundo huic mortuus, mundi blandientis inlecebris crucifixus, remotus à cunctis malorum implicamentis, remotus à ſæcularibus pompis, remotus à pravis delectationibus, remotus à præſentis vitæ contagiis, remotus ab omnibus pravorum retinaculis, remotus à cunctis antiqui hoſtis inſidiis. Doce eum, Domine, omnia hujus vitæ contemnere proſpera, non timere adverſa, injurias non inferre, ſed æquanimiter tolerare, inimicos diligere, pro perſequentibus & calumniantibus ſuppliciter deprecari, nihil concupiſcere carnaliter, vel ambire. Non ſuperborum injuriis fatigatus deficiat, non eum ſuperbia inflet, non ardor avaritiæ inflammet, non vana gloria turpiter jactet, non gula aut ebrietas præpediat, non ambitio ventoſa præcipitet, non ardor animoſæ contentionis exanimet, non deſiderium humanæ opinionis elevet, non diabolus auctor perditionis lædat aut perdat, ſed tuæ pietatis dextra clementiſſime Deus à cunctis eruat malis, eumque in præſenti & futuro ſæculo protegat atque gubernet, ut te timeat, imitetur, & diligat. Aperi ei ſenſum ut in divinarum ſtudiis litterarum te legat, corde, ore, & opere meditetur, & intellecta die noctuque ſervet, cæleſtia & æterna ſapiat, terrena & caduca reſpuat, obediens ſit & alios inſtruat, amicos & inimicos pro tui nominis amore amet & diligat, humilitatem & vilitatem teneat æque & exerceat. Caſtimoniam & pudicitiam corde & corpore amplectetur & teneat, patientiam & longanimitatem arripiat atque cuſtodiat, jejunium & abſtinentiam ſtudeat ſimul & amet, gemitum & orationem deſideret atque invigilet. Peccata ſua inceſſanter cum lacrymis & ſuſpiriis accuſet, & te Dominum omnipotentem corde & opere circumferat ſemper atque deſerviat. Suſcipe quæſumus, Domine, Pater omnipotens hunc famulum tuum N. quem de hujus ſæculi naufragiis & periculis eruiſti, & ad monaſticam vocare dignatus eſt gratiam. Concede propitius ut arctam & anguſtam quam profeſſus es vitam jugiter diligat, teneat, atque ſectetur, quatenus ad æternam quam in te perſeverantibus promittere dignatus es, gloriam pervenire mereatur. Per.

His expletis, ſecundum regulæ præceptum ſingulorum proſtratus pedibus pacis accipiat oſculum, ſicque in ultimo conſtituatur gradu. Capitium vero cucullæ in capite die noctuque uſque in tertio die habeat, necnon & ſummum ſilentium teneat & ad miſſam offerat & communicet. Tertia jam die poſt evangelium miſſæ matutinalis mox ut oblatum habuerit, tollat abbas capellum de capite & ammodo in congregatione reputetur perſeverans uſque ad mortem. Amen.

Eumdem ordinem reperi in pervetuſto Pontificali Anglicano ab annis circiter nongentis ſcripto, quod aſſervatur in inſigni Eccleſia Rotomagenſi. Sed rubricas nonnumquam abbreviat.

Digitized by Google

ORDO II.

Ex ms. Rituali Gemmeticenſis monaſterii tempore Theoderici abbatis ſcripto.

[OBLATIO PUERI.]

EGo frater ill. offero hunc puerum ill. cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manum ejus involutam, ad nomen S. Petri ſanctorumque quorum hic reliquiæ continentur, & domni Theoderici abbatis præſentis. Trado coram teſtibus regulariter permanſurum; ita ut ab hac die non liceat ei collum de ſub jugo excutere regulæ, ſed magis ejuſdem regulæ fideliter ſe cognoſcat inſtituta ſervare, & Domino cum ceteris gratanti animo militare; & ut hæc noſtra traditio inconvulſa permaneat, promitto cum jurejurando coram eodem ſancto Petro, quia numquam per me, numquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egredi ei de monaſterio tribuam occaſionem. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu mea ſubterfirmavi, teſtibuſque tradidi roborandam.

Tunc data benedictione cucullæ quæ inantea eſt requirenda, veſtitoque puero ſancto habitu, ſubſequatur hæc oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo nomine habitum ſacræ religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in eccleſia perſiſtere & vitam percipere mereatur æternam, Per.

[AD BENEDICENDUM MONACHUM.]

D*Enique ducto in eccleſia converſo, dicatur ab omnibus pſalmus* Miſerere mei Deus, *quo dicto, faciat profeſſionem diu deſideratam, minime negligendam.*

Ego frater ill. ſacerdos vel diaconus promitto ſtabilitatem meam & converſionem morum meorum & obedientiam, ſecundum regulam S. Benedicti coram Deo & ſanctis ejus in hoc monaſterio Gemmetico quod eſt conſtructum in honore S. Petri apoſtoli in præſentia domni Theoderici abbatis. †

Tunc dicat tertio verſum Suſcipe me, Domine, * *quem verſum tertio repetatur ab omnibus &* Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *His dictis, ſubſequatur pſalmus* Domine quis habitabit. Dominus regit me. Domini eſt terra. *Deinde capitula* Salvos fac ſervos. Mitte eis Domine. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Deus indulgentiæ Pater, &c. *Alia.* Deus qui per coæternum filium tuum, &c. *Alia.* Domine Jeſu Chriſte, qui es via, &c. *Alia.* Sancte Spiritus, &c. *Alia.* Domine Jeſu Chriſte, qui tegimen, &c.

* l. qui verſus.

Ad exuendum habitum ſæcularem. Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis. Amen.

Ad induendum habitum monachum. Induat te Dominus novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Amen.

Poſt hoc dicto pſalmo, Lauda Jeruſalem, *ſubſequatur hæc oratio, ſicque dato pacis oſculo omnibus, permaneat cum ſummo ſilentio uſque ad tertium diem.*

Deus miſericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil ſanctum inchoatur, nihilque bonum perficitur, adſint noſtris humillimis precibus tuæ pietatis aures, & hunc famulum tuum cui in tuo ſancto nomine ſacræ religionis habitum impoſuimus, à mundi impedimento vel ſæculari deſiderio defende, & concede ei ut in hoc ſancto propoſito devotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum percepta, ad electorum tuorum pervenire valeat conſortium. Per.

ORDO III.

Ex Ordinario ms. Gemmeticenſi.

De profeſſione monachorum. Conſuetum eſt ut feria ſexta fiat profeſſio monachorum. Quare ſciendum eſt, quod die illo quo debent profiteri omni tempore tam diebus ferialibus quam feſtivis, finita hora quæ dicitur ante miſſam, ſive tertia, ſive ſexta, dictiſque pſalmis familiaribus, ſcilicet in xii. lectionibus, vel cantata in tribus lectionibus letania, mox intrabunt chorum novitii cum magiſtro in frocis ſive cucullis, incipientes pſalmum Miſerere mei Deus, *chorus ſtatim ſuſcipiet ipſum pſalmum, & mox proſternent ſe ante gradum, finitoque pſalmo, ſurgent, & ibunt juxta magnum candelabrum, unus poſt alium; ubi legant profeſſiones in tono lectionis. Deinde ibunt ad altare, & ſic offerant profeſſiones ſuas flectendo genua, altare ſimiliter oſculando, deinde propriis manibus ſignum crucis faciant. Abbas debet eſſe ad altare reveſtitus in alba ſimplici cum ſtola & manipulo, tenens baculum paſtoralem, qui recipit dictas profeſſiones ſua propria manu. Quo facto, ibunt novitii cum magiſtro in choro ante gradum, & dicent omnes una voce flectendo genua hunc verſum:* Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam; *& ſurgendo dicent ſic*: Et non confundas me ab expectatione mea. *Tunc chorus ſtatim ſuſcipiet dictum verſum. Hoc fiet ſecundo & tertio. Terna autem reiteratione facta in choro, dicent novicii cum magiſtro* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter. *Tunc faciant ante & retro totum in circuitu. Quo facto, proſternent ſe ante gradum, & dicantur illi tres pſalmi, ſcilicet* Domine quis habitabit. *Pſ.* Dominus regit. *Pſ.* Domini eſt terra. *Ab utroque choro quibus dictis, abbas tenens baculum paſtoralem inter magnum candelabrum, & lampades. dicet tres orationes ſuper novitios proſtratos.*

quibus dictis, ibit abbas ad ſedem ſuam. Mox incipiat cantor hymnum Veni Creator, *qui cantabitur ab utroque choro ſimul; hymnoque dicto, abbas revertetur, ut prius & dicet iſtam orationem* Sancti Spiritus: *qua dicta ſurgent novitii. Poſtea benedicet abbas cucullas, verſa facie ad altare: quibus benedictis & aſperſis aqua benedicta, induit novitios flectentes genua, dicens:* Exuat te Dominus, &c. *His peractis, ibunt novitii in chorum, ut prius, & capitibus non velatis, iterum proſternent ſe. Tunc cantor incipiat pſal.* Lauda Jeruſalem Dominum. *Poſt pſalmum dicet abbas orationem* Deus miſericors *ſuper novitios proſtratos. Qua dicta, ibit abbas ad ſedem ſuam. Novitii vero venient ad ipſum per ordinem, & dabit eis pacis oſculum velando capita eorumdem. Dum vero à ceteris fratribus oſculantur, incipietur miſſa, ad quam novitii facient oblationem, & accipient pacem à ſacerdote, poſtea recipient Corpus Chriſti. Ad omnes autem horas erunt ultimi in alto choro. Poſt gratias prandii remanebunt in choro, & habebunt ſua pſalteria; intervalloque facto, ibunt tres vel quatuor ſimul in dormitorium ad exigentiam naturæ, quibus reverſis, ceteri faciant ſicut primi. Poſt veſperas ibunt ſi voluerint in dormitorium, & calciamenta non mutabunt, ſed redibunt ad chorum, ubi erunt uſque dum ſignum pulſabitur ad bibendum. Quo ſigno audito, ibunt in refectorium cum conventu. Sabbato fient omnia ſicut ſupra; non erunt in capitulo, ſed remanebunt in choro. Ad mandatum erunt cum ceteris in capitulo, nec lavabunt niſi manus ſuas. Dominica ducet magiſter novitios ad miſſam abbatis, ad quam accipient pacem cum abbate, & communicabit illos illorum capita detegendo. Poſt miſſam vero ibunt cum magiſtro ad Primam, niſi dicta fuerit vel in clauſtrum. Illo die debent in capitulo remanere, & officia ſua ſicut ceteri exercere. Si poſt paſcha contingat fieri profeſſio, ibunt novitii in dormitorium poſt prandium quieſcere cum conventu.*

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali eccleſia Conchenſis in Hiſpania.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM MONACHORUM.

DOmine Deus virtutum, bonorum dator, & omnium benedictionum largitor, &c.

Alia.

Domine Jeſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis, &c.

INCIPIT ORDO QUALITER CONSECRARI DEBET QUIS NOVITER VENIENS AD MONASTERIUM.

EGo ill. ſacerdos, vel diaconus, vel converſus, promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti, coram Deo & ſanctis ejus, in hoc

monaſterio quod eſt conſtructum ad honorem Beati ill. in præſentia Domini abbatis ill. jam dicti cœnobii.

Hac in ſe habente profeſſione, & prius ſcribat, & poſt modum coram fratribus ante altare legat, vel ipſe novitius, vel vice ejus quilibet fratrum rogatus ab eo, ſi forte neſciat litteras. Qui tamen in cartula ſua promiſſionis propria manu ſignum ſanctæ crucis exprimat in præſentia fratrum. Lectam igitur profeſſionem, ſecundum id quod ſuperius dictum eſt, ipſe qui conſecrari debet monachus ponat ſuper altare, quod & oſculetur ſupra & infra. His ita peractis, novitius tunc genuflexo circumcirca gyrando ſe tribus [vicibus] hunc ter dicat verſiculum. Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam. Et ne confundas me ab expectatione mea. *Quem videlicet verſum omnes fratres ſimiliter tertio repetant: cui & ſubſequatur* Gloria Patri. *Hoc autem facto, proſternat ſe ante altare, & cantent fratres pro eo vij. pſalmos, quibus finitis, dicant:* Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac ſervum. Convertere, Domine, uſquequo. Mitte ei, Domine, auxilium. Nihil proficiet. Dominus cuſtodiat te ab omni. Dominus cuſtodiat introitum. Domine exaudi orationem. Domine Deus virtutum converte nos. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Deus caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum animarum amator, reſpice ſuper hunc famulum tuum ill: qui in manum divinæ majeſtatis tuæ propoſitum continentiæ ſuæ collocans tibi devotionem offert, & da ei protectionis tuæ munimen & regimen, ne hoſtis antiquus per aliquam mentis ſerpet incuriam, & rapiat de cuſtodia ejus ſanctam cuſtodiam. Sit, Domine, in hoc famulo tuo ill. per donum ſpiritus tui prudens modeſtia, ſapiens benignitas, caſta libertas. In caritate vera ferveat, nihil extra te diligat, amore te timeat, timore tibi ſerviat, tu ei honor ſis, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium, tu in injuria defenſio, in tribulatione patientia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina, in te habeat omnia quem diligere appetit ſuper omnia, & quod profeſſus eſt cuſtodire te donante valeat. Per.

Alia.

Deus indulgentiæ Pater, qui ſeveritatem tuæ dilectionis temperans indulſiſti, &c. *ut in Rituali monaſt.*

Alia.

Deus qui per coæternum filium tuum, &c. *ibid.*

Alia.

Domine Jeſu Chriſte, qui es via ſine qua nemo venit ad Patrem, &c. *ibid.*

His finitis orationibus, ſurgant qui proſtrati ſunt novitii, & exuantur ſuperiori qua induti ſunt veſte. Et tunc primum induantur cucullis, quæ ſolis debentur monachis, hoc videlicet modo. Exuens autem eos abbas, dicatur ab eo verſus iſte: Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus & moribus ſuis. *Tunc eum abbas induat cuculla, & dicat:* Induat te

Dominus.

Dominus novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. *Statim abbas cooperiat caput ejus cucullo, & donet illi pacis oſculum. Hoc ſic peracto, iterum novitius proſternat ſe ante altare, & dicat abbas ſuper eum has orationes.* CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere digneris, quem in tuo ſancto nomine habitu ſacræ religionis induimus, ut te largiente devotus ac obediens in monaſterio perſeverare, & vitam percipere mereatur æternam. Per.

Alia.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hunc famulum tuum, qui tibi vovit ſervire pura mente, mundoque corde, ut eum ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum qui virgines permanſerunt, in quorum ore dolus non eſt inventus, ita & hunc famulum tuum facias permanere immaculatum. Per immaculatum filium tuum, cum quo vivis & regnas in unitate Spiritus-ſancti.

Alia.

Præſta, Domine, famulo tuo renuncianti ſæcularibus pompis, gratiæ tuæ januas aperiri, qui deſpecto diabolo confugit ſub titulo Chriſti, jube eum venientem ad te ſereno vultu ſuſcipi, ne de eo inimicus valeat triumphare, tribue ei brachium infatigabile auxilii tui, mentem ejus fidei lorica circumda, ut felici muro vallatus, mundum ſe gaudeat evaſiſſe. Per.

Alia.

Sancte Spiritus, qui te Dominum ac Deum revelare mortalibus dignatus es, &c. *ut in Rituali monaſtico.*

Deus, qui renunciantibus ſæculo manſionem paras in cælo, dilata hujus converſationis habitaculum temporale cæleſtibus bonis, ut fraternæ teneantur compagine caritatis, unanimes continentiæ præcepta cuſtodiant, ſobrii, ſimplices, & quieti, gratis ſibi datam gratiam fuiſſe cognoſcant, concordet illorum vita cum nomine, profeſſio ſentiatur in opere. Per.

His ita peractis omnibus atque expletis, det pacis oſculum omnibus fratribus; & deinde per totos tres dies indiſrupte ſuum cuſtodiat ſilentium, induto ubique caput cucullo, ſimiliter tribus diebus. Die autem tertio cantet miſſam abbas, & inter oſculando diſcooperiat caput ejus, & communicet eum, atque ſic toto illo die in ſuo perſeveret ſilentio: ſed non eſt obmittendus quod per ſingulos dies debet communicare.

ORDO V.

Ex mſ. Pontificali eccleſiæ Mimatenſis, quod olim fuit uſui Johanni de Saireberuche, epiſcopo Catalaunenſi.

De professione novitiorum.

Novitius profeſſionem facere volens, poſt offertorium coram altari exiſtens, & ibi genuflectens, conventu fratrum in circuitu ejus manente dicit ter ℣. Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum, &c. *Fratribus ſimiliter ter reſpondentibus.* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, *cum* Gloria Patri. *Deinde novitio ibi proſtrato, dicuntur ij. pſalmi*, Miſerere mei Deus ſecundum. Ecce quam bonum. *Quibus finitis, proſternit ſe prælatus, & dicitur letania: qua expleta, ſurgens dicit:* Pater noſter, Salvum fac ſervum, Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Nihil proficiat. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere huic famulo tuo, & dirige eum, &c. *Oremus.* Deus qui non vis mortem peccatoris, ſed pœnitentiam, &c. *Oremus.* Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum, &c.

Tunc ſurgens novitius, legat cartam ſuæ profeſſionis hoc modo:

Ego frater talis offerens trado me ipſum monaſterio tali, & promitto tibi tali ejuſdem monaſterii prælato tuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus obedientiam & reverentiam debitam ſecundum canonicam regulam talis ſancti vel ordinis. Promitto etiam tibi & conventui ejuſdem loci præſenti & futuro me perpetuam ſervaturum continentiam quantum humana fragilitas permiſerit, atque ſtabilitatem in loco, & morum emendationem, & renuntio propriis.

Lecta carta, ponat ipſam ſupra altare, prælato incipiente antiphonam Confirma hoc Deus. *Poſtea prælatus det ei commmunem ſocietatem congregationis dicens hanc exhortationem ſancti Auguſtini.*

Quamvis per gratiam baptiſmi, fratres, unum ſimus in Chriſto, & unum patrem habeamus in cælo, ſi ejus præceptis prout poſſumus obſequimur; procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus & beneficiis nos invicem copulamus, quemadmodum in primitiva eccleſia ſancti Patres quibus cor unum & anima una erat, feciſſe leguntur; quorum plures Chriſti amore mente accenſi, poſſeſſiones & facultates rerum vendentes congregatis cum Patre Jeſu in unum pretia deferebant gaudentes, quæ apoſtoli accepta tribuebant omnibus pro ut opus erat. Sicque iſte nihilominus Deo inſpirante eorum exemplo commonitus noſtris optat jungi conſortiis. Idcirco damus ei communem ſocietatem vivendi nobiſcum, quantum à Domino poſſumus promereri & noſtrum eſt largiri, quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromiſſa percipere. Per.

Tunc prælatus & omnes fratres oſculantur eum ſucceſſive, & ponitur in choro ultimus.

Similis pene ordo habetur in Pontificali Narbonenſi Petri Judic. archiepiſcopi.

ORDO VI.

Ex ms. codice monaſteri S. Georgii in pago Rotomagenſi.

D*Ucto in eccleſiam converſo, dicatur ab omnibus* Miſerere mei Deus. *Quo dicto, faciat profeſſionem ſuper altare.*

Ego frater N. promitto ſtabilitatem meam & converſionem morum meorum & obedientiam ſecundùm regulam P. Benedicti coram Deo & ſanctis ejus in hoc monaſterio quod eſt conſtructum in honore ſancti Georgii martyris Chriſti in præſentia Domni N. abbatis. †

Poſtea dicat tertio hunc ℣. Suſcipe, &c. *Quem ℣. tertio repetant omnes, cum* Gloria, Kyrie, Pater. *Hiis dictis, ſubſequuntur Pſal.* Miſerere. Ad te levavi, De profundis, Gloria, Kyrie, Pater. Salvum fac, Mitte ei Domine. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus indulgentiæ Pater. Deus qui per coæternum. Domine Jeſu Chriſte, qui es via. Sancte Spiritus qui te Deum.

Benedictio cucullæ. Domine Jeſu Chriſte qui tegimen. *Et ſparſa ſuper eadem aqua benedicta, induat cucullam dicens in exuendo habitum ſæculi* Exuat te. *Poſt hæc ſubſequatur, & dicat:* Induat te.

Poſt hoc dicto Lauda Jeruſalem, *ſubſequatur mox oratio.* Deus miſericors.

MISSA PRO MONACHIS.

Dicenda tribus diebus poſt illorum benedictionem.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui arctam & anguſtam juſſiſti arripi viam, famulum tuum N. de hujus ſæculi periculis ad te confugientem propitius ſuſcipe, & delictorum catenam qua ſe ſentit conſtrictum eſſe clementer dirumpe, perſeverantiamque boni operis & præmia ei largire perpetua. Per.

Secreta.

Munera quæſumus, Domine, famuli tui N. dignanter ſuſcipe, & quem deſiderio æternæ beatitudinis mundano ſegregaſti propoſito, & à delectatione carnali, & ab omnibus antiqui hoſtis inſidiis potenter eripe. Per.

Poſtcommunio.

Hæc nos quæſumus, Domine, divini Sacramenti perceptio à noſtris emundet offenſis, & famulum tuum N. a mundanis pravitatibus & omnibus carnalium delectationibus clementer eruat. Per.

Digitized by Google

CAPUT I. *De Bened. monachorum.*

ORDO VII.

Ex ms. Rituali monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis.

QUando Dominus abbas vult recipere, & induere, vel veſtire clericos in habitu monachali, in principio debet ſe informare de illis, de vita, de moribus & de ætate, de literatura, de cantu, & ſi ſunt de matrimonio: & poſtea debet providere monachum religioſum de gremio ſuo, qui ſciat & faciat & doceat religionis ſtatum; & illi tradat clericos receptos ad inſtruendum & docendum qualiter & quomodo debent facere, & requirere Domino abbati religionis ſtatum & modo in capitulo veniendi. Et antequam in capitulo veniant, abbas cum illo monacho qui magiſter illorum erit, ordinent & ſtatuent qui prior eorum erit & reſiduum per ordinem, & qui erunt in choro dextro & qui in ſiniſtro. Poſt hæc magiſter illorum debet illis demonſtrare & docere modum & formam in capitulo veniendi, & quomodo magnam veniam accipere debent ſuper natam, & ſtatum religionis Domino abbati poſtulare, vel requirere, &c. Hora capituli magiſter illorum adducere clericos ſuos debet ab abbate receptos per portam clauſtri juxta colloquium regularem; & introitu capituli gradibus deſcendentibus omnibus per ordinem debent inclinare, manibus cruce ſignatis, capitium non habentibus in capite, illi qui erunt in dextro choro tenebunt dextram partem; alii autem ſiniſtram partem. Venientibus autem omnibus ad natam per ordinem, & ante natam antiquiores ſunt in medio & per ordinem: tunc omnes inclinare debent Domino abbati, & poſt inſimul accipere magnam veniam ſuper natam. Tunc dicit eis abbas: Quid vultis dicere? *Ipſi proſtrati debent dicere vel reſpondere:* Dei ſocietatem & veſtram requirimus & habere volumus. *Tunc abbas dicit illis:* Surgite & accedite. *Poſtea abbas exponit eis tria vota religionis, videlicet vota paupertatis, continentiæ, & obedientiæ. Hoc facto adjungit:* Et de hoc volo voluntatem veſtram ſcire. *Tunc prior illorum debet incipere & dicere:* Sire de ce je ne me fie en moi, mais en Dieu & madame ſainte Marie, & en tous ſaints & ſaintes, & en vous, Sire, & de ſaint convent de chiens: que je ſerai obedient juſqu'à la mort. Et ſe le diable me vouloit de ce retraire: je vous prie, Sire, que me fiſſiez tenir à force. *Et debent omnes dicere ſigillatim unus poſt alium. Tunc abbas concedit eis ſocitatem Poſt ea vadunt per ordinem, unus poſt alium oſculari pedes abbatis, non per ſuper natam, ſed à latere natæ; illi qui ſunt de dextro choro per dextrum latus; & alii per ſiniſtrum, primi antiquiores. Et tunc omnes exeant de capitulo, quilibet in choro ſuo & per ordinem, & magiſter cum illis, qui ducet illos per dictam portam clauſtri ad cameram hoſpitum monachorum ad raſuram. Hoc facto induantur veſtes religionis, & ſint in dicta camera uſque ad magnam miſſam. Tunc camerarius debet accipere veſtimenta ſæcularia illorum, & ponere in camera ſeparatim.*

Miſſa incœpta. Tum magiſter illorum debet illos adducere ad monaſte-

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

rium ad evangelium, & intrare in choro ad horam offertorii per magiſtrum oſtium chori. Et intrantibus in choro per ordinem omnes debent inclinare, manibus cruce ſignatis. Et vadat unuſquiſque in choro ſuo antiquiores per ante.

Miſſa dicta, magiſter debet adducere novitios ſuos in capitulo, & illos docere quomodo debent facere & ſe continere in dormitorio, in refectorio, in monaſterio, in clauſtro uſque ad quartum diem, vel uſque ad voluntatem magiſtri ſui, nihil de ſervitio ſuo reddentes; & in illis diebus magiſter illorum monſtrare & docere illis debet religionis ſtatuta, ordinem, & magiſtros tradere, quibus lectiones ſervitii ſui reddent. Et poſtea quando magiſter illorum videbit quod tempus erit, debet eis legere & exponere regulam S. Benedicti per ſe vel per alium, non per unam vicem, ſed per duas vel tres, & illos corrigere de delictis ſuis & malefactis ſuis & monſtrare & docere dura & aſpera; & in prima Dominica omnium menſium anni ſunt communicaturi ad magnam miſſam; & primo debet ire ad confeſſionem, confeſſoribus & magiſtris ordinum deputatis à Domino abbate.

Abbas per plures vices debet tenere capitulum in loco deputato cum magiſtro illorum; & ſi quid ſit ad corrigendum, debet corrigere, & ſecundum delictum dare licentiam; & adhuc à dicto magiſtro debet inquirere de ſtatu & converſatione illorum. Si autem ſunt bene obedientes, & de ſuo ſervitio bene reddentes; & in monaſterio de hoc quod ſciunt laborantes. Et antequam veniat dies profeſſionis eorum, adhuc abbas debet ſe informare de magiſtro illorum, & à conventu ſuo de vita, & moribus, & obedientia illorum. Si autem invenerit in aliquo vel in aliquibus per informationem prædictorum ut ſint inhabiles propter aliquam infectionem vel ægritudinem extraneam, vel diſſolutionem, vel alias; à congregatione & à monaſterio expulſentur, & veſtes ſæculares reddantur. Si tamen boni & habiles inveniuntur, faciat abbas profeſſionem ſuam, & antequam profeſſionem faciant, magiſter illorum debet eis legere capitulum quinquageſimum octavum de ordine ſuſcipiendorum fratrum, *qui incipit* Noviter veniens.

Die profeſſionis unuſquiſque debet mundare conſcientiam ſuam, & peccata ſua confiteri confeſſori ſuo, & ante horam capituli debent eſſe in monaſterio in aliquo loco ſecreto, & removere unuſquiſque cucullam ſuam, & induere frocum ſuper veſtes ſuas: & hora capituli poſt correptiones factas debent venire in capitulo per portam monaſterii deſcendendo in clauſtrum; & intrantibus in clauſtrum debent inclinare manibus ſignatis quaſi ſuper brachiale; & hi qui ſunt de dextro choro ibunt per dextrum, & alii per ſiniſtrum. Venientibus omnibus ad natam, ſeniores erunt in medio per ordinem; & poſt ſuper natam debent magnam veniam accipere. Tunc adjungit abbas: Quid vultis dicere? *Ipſi proſtrati debent reſpondere omnes inſimul, in gallico:* La ſocieté Dieu & la voſtre veuil avoir. *Tunc dicit eis abbas:* Surgite & accedite. *Poſtea exponit eis tria vota religionis, ut prius, videlicet vota obedientiæ, paupertatis & continentiæ. Hoc facto, dicit:* Voluntatem veſtram de hoc volo ſcire. *Tunc debent ſigillatim per ordinem à ſeniore incepto dicere:* Je ne me fie mie en moi, mes en Dieu, &c. *unus poſt alium. Hoc dicto, tunc abbas eis concedat ſocieta-*

Digitized by Google

Caput II. De Bened. monachorum.

tem. Poſtea eunt omnes per ordinem oſculari manus abbatis, unus poſt aliam non per ſuper natam, ſed à latere unuſquiſque per ſuum chorum; & ut venerunt ad natam in ordine ſuo inclinare debent Domino abbati. Poſt hae exeunt de capitulo in ordine ſuo per dextrum chorum & ſiniſtrum cum magiſtro ſuo. Et iterum debent ire in monaſterio in loco ſupradicto ubi erant ante capitulum, & ſint ibi cum magiſtro uſque ad magnam miſſam. Et interdum unuſquiſque debet ſcribere manu ſua propria in uno rotulo pergameni vota ſua videlicet. Ego frater N. promitto, &c. *Et camerarius debet providere de cucullis novitiorum, ut ſint per famulos de ſartrino apportati in choro.*

Magna miſſa incœpta, & evangelio lecto, ſacerdote dicente Dominus vobiſcum, *choro reſpondente*, Et cum ſpiritu tuo; *adjungit ſacerdos* Oremus. *Tunc choro ſilente, poſtea omnes novitii per ordinem cum magiſtro ſuo intrant in choro per venticula, in cujus latere fuerunt incluſi novitii. In monaſterio ipſis intrantibus, cantor incipit,* Miſerere mei Deus. *Interdum debet magiſter ordinare ſuos novitios, ut ſint ante gradum magni altaris à longe circa medium preſbyterii, ut poſſint accipere ſuam magnam veniam ante dictum gradum, & erunt priores per medium & per ordinem tenentes unuſquiſque cedulam ſuam ſcriptam de propria manu ſua.*

Interdum debet ire domnus abbas cum capellano ſuo ad dextrum cornu altaris magni, & theſaurarius reliquiarum apportabit crocham, mitram, & ſtolam Domino abbati, & cantor librum in quo orationes & benedictiones ſunt: & unus de clericis monaſterii apportabit aquam benedictam. Quo finito, Miſerere mei Deus *à conventu. Tunc prior illorum ad modum lectionis legere incipit cedulam ſuam videlicet:*

Ego frater N. promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum & obedientiam ſecundum regulam B. Benedicti coram Deo & ſanctis ejus, in hoc monaſterio quod eſt conſtructum in honorem apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Audoeni, in præſentia Domini N. abbatis.

Quo dicto, ponat cedulam ſuper altare, ipſum oſculando, & ſic alii ſimiliter faciant per ordinem. Hoc facto, omnes ſint per ordinem in dicto loco, ut prius; & dicant inſimul hunc verſum per tres vices: Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam, *parvam veniam accipiendo flexis genibus, & poſtea dicentes reſurgendo:* Et non confundas me ab expectatione mea. *Converſus reſpondet ter:* Suſcipe me, &c. *adjungit in fine* Gloria Patri & Filio. Sicut erat. *Hoc dicto, omnes novitii debent unum parum ſe elongere ab invicem, & ponere genua & brachia ſua ſuper pavimentum à modo parva venia, & volutare ſe ſuper terram vel pavimentum in circuitu ter faciendo ante & retro, & poſt ſe extendere in longam veniam, & in tali ſtatu eſſe debent, quo uſque omnes orationes &* Veni Creator *finiantur. Et cito quod dicti novitii magnam veniam accipiunt, tunc cantor dicat* Pater noſter. *Hoc dicto, Domnus abbas dicit:* Et ne nos: Sed libera nos, *à conventu reſpondetur. Tunc abbas* Salvos fac ſalvos tuos. Mitte eis auxilium. Domine ex. Dominus vobiſcum.

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

Oratio. Deus indulgentiæ Pater. *Aliæ oratio.* Deus qui per coæternum. *Alia oratio.* Domine Jeſu Chriſte. *Poſt iſtas tres orationes cantor incipit* Veni Creator; *& cantatur de choro in chorum ſine* Laus Patri. *Sequitur oratio de Spiritu-ſancto. Oratio.* Sancte Spiritus qui te Deum ac Dominum. *Oratione dicta, omnes novitii ſurgant. Poſtea Dominus abbas benedicit cucullas novitiorum, quæ poſita ſunt ante pedes ejus ad terram, ad dextrum cornu altaris & ſic dicit* Dominus vobiſcum, *à cantore & capellano reſpondetur:* Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.* Deus qui tegimen. *Oratione dicta, aſtantes reſpondent,* Amen. *Et aqua benedicta jactata à Domino abbate ſuper cucullas. Hoc facto, omnes novitii eunt per ordinem ante abbatem flexis genibus, abbate dicente ad exuendum frocum:* Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis. *Stantes reſpondent.* Amen. *Interim dicit abbas ad induendum cucullam.* Induat te Dominus novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. *Stantes reſpondent:* Amen. *Et cito quod primus eſt indutus de cuculla ab abbate, induat frocum ſuum, & ſuitur capucium ſuum de cuculla ſubtus faciem, à famulis de ſartrino, qui ibi ſunt, & ita fit per ordinem, unus poſt alium.*

Hoc facto, & omnes ſuti à famulis de ſartrino debent ire ante gradum altaris per ordinem, priores in medio; & flexis genibus ſuper gradum. Tunc cantor incipit Lauda Jeruſalem Dominum, *cum* Gloria Patri *ſine* Kyrie eleiſon & Pater noſter. *Et interim Dominus abbas dicit orationem cum* Dominus vobiſcum. *Oratio.* Deus miſericors, Deus qui cuncta bona. *Oratione dicta, tunc omnes ſurgunt, & vadunt omnes per ordinem oſculari Dominum abbatem ſicut ſunt in ordine ſeniores primi, deinde alii: deinde ſacerdotem cum miniſtris ſuis, & poſtea dextrum chorum ſicut ſunt ad miſſam, & poſt ſiniſtrum chorum: & eſt totus conventus in altis ſtalis per ordinem.*

Hoc facto, tunc cantor incipit offertorium, & incontinenti omnes novitii vadunt adminiſtrare ſacerdotem de pane & vino: & prior illorum facit adminiſtrationem, & dat ei ad lavandum, & ſocii ejus tenent manutergium ad abluendum manus, & magiſter illorum cum illis; & ad miſſam dictam ſunt communicaturi, & die ſequenti ad magnam miſſam. In dormitorio debent removere vel expoliare frocum, & ſotulares removere de pedibus ſuis; & corrigiam de die, & illam cingere de nocte tantummodo; & ſic jacere quilibet in lecto ſuo. Secunda die in capitulo poſt tabulam lectam, & dicto Benedicite *à præſidente, omnes debent ſurgere & facere ante & retro, nihil dicendo; & ita exire de capitulo & ire in choro: & in prima nocte jacere in dormitorio, ut prius. Tertia die debent audire miſſam ante primam, ſi non ſit prima ad diem, & magiſter illorum debet capellam præparare, & cum dicitur* Agnus Dei, *debent diſſui, & ad pacem ſumendam, & ad perceptionem Euchariſtiæ debent totaliter caputia ſua deponere, & poſt miſſam dictam omnes debent oſculari magiſtrum ſuum in ore ſuo, & de bono ſervitio ſuo regratiare, & à modo debent illum diligere & multum honorare.*

ORDO VIII.

Ex mſ. Conſuetudinario Beccenſis monaſterii annorum 400. in Bigotiana bibliotheca aſſervato.

Quomodo fit monachus ad ſuccurrendum.

P*Rimum dicantur vij. pſalmi. Deinde antiphona:* Parce, Domine, parce famulo tuo quem redemiſti, Chriſte, pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac ſervum. Mitte ei. Eſto ei, Domine. Dominus vobiſcum. *Oratio.*

Oremus, fratres cariſſimi, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo, qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum-ſanctum, qui habitum in eo perpetuum conſervet, & ab omni mundi impedimento vel ſæculari deſiderio cor ejus defendat, & ſicut mutatur in vultu, ita manus ejus dextra ei virtutis tribuat incrementa, & omni cœcitate humana [expulſa] oculos ejus aperiat, & lumen æternæ gloriæ accendat. Qui vivit.

Interim tondeatur & radatur. Antiphona. Tu es Petrus. Conſerva me Deus. Gloria Patri. *Antiphona.* Tu es qui reſtitues. *Item antiphona* Hæc eſt generatio. *Pſ.* Domini eſt terra & Gloria Patri. *Deinde antiphona* Hæc eſt generatio. *Item antiphona* Univerſæ. *Pſal.* Ad te Domine levavi & Gloria. *Deinde antiphona* Univerſæ viæ Domini, *&c. quæ ſequuntur.* Dominus vobiſcum.

Oratio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, huic famulo tuo, cujus hodie capitis comam pro divino amore depoſuimus, ut in tua dilectione perpetua permaneat, & eum ſine macula in ſempiternum cuſtodiat. Per.

Hic induatur habitu, ſi præ nimia infirmitate poſſit fieri, dicatur oratio.

Oratio.

Deus immenſe, & ineffabilis pietate, Pater miſericordiæ, qui dixiſti te malle vitam peccatoris quam mortem, per interceſſionem Virginis tuæ matris, & ſanctiſſimi Confeſſoris tui Benedicti, excelſam tuam miſericordiam petimus, ut ſuper hunc famulum ſæculo renuntiantem, & ad te Deum vivum ſuum & verum redeuntem, gratiam tuam propitius infundas, & dones ei cor pœnitens, indulgentiam peccatorum ſuorum, & recognitionem; quia in te ſperavit & credidit, & formam religionis accepit. Mitte Sanctum Spiritum tuum paraclitum qui eum cuſtodiat, foveat, & protegat, & in bono propoſito perſeverare faciat, & mandatis tuis obedire & præceptis, & operibus diaboli renunciare; veritatem, pacem, juſtitiam, & ſanctitatem toto corde diligere; & poſt iſtius temporis curſum ad æternam vitam feliciter pervenire, & tecum ſine fine gaudere. Qui cum Deo. Dominus vobiſcum. Benedicamus Domino.

TRACTATUS

TRACTATUS DE PROFESSIONE MONACHORUM.

Ex ms. codice Bigotiano ante annos 500. exarato.

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

PRINCIPIUM monaſtici ordinis ab apoſtolis & ceteris credentibus, qui de Judæis primi crediderunt, initium ſumſit. Cum enim beatiſſimus Lucas evangeliſta veriſſimus & luculentiſſimus perorator divinorum operum in libro ſuo, qui inſcribitur de Actibus Apoſtolorum, Domini Aſcenſionem deſcripſiſſet, deinde reformationem duodeni numeri Apoſtolorum per Matthiam, qui per Judam perierat; dehinc Spiritus Paracliti adventum ſuper diſcipulos in igneis linguis, ad quorum voces cum multitudo Judæorum qui de diverſis mundi partibus illuc confluxerant miraretur, & aliqui illorum eos exiſtimaſſent plenos eſſe Baccho, Petrus obtrectationem illorum, repletus Spiritu-ſancto, prophetico teſtimonio compeſcuit: Deinde doctrina ſua ita eos imbuit, ut ſtatim tria millia ex illis crederent in Chriſtum: in narrando ſubjunxit. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus baptiʒati ſunt;* *Act. 2. 41.* *& appoſita ſunt in illa die animæ circiter tria millia. Erant autem perſeverantes in doctrina apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor, multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos fiebant in Jeruſalem, & metus erat magnus univerſis. Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia; poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus pro ut cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui ſalvi fierent quotidie in idipſum.* Hoc expleto, *Act. 3. 6.* narrat idem Evangeliſta miraculum de claudo qui ante portas templi jacebat, quem Petrus & Johannes ſolo verbo ſanaverunt in nomine Chriſti. Ad quod miraculum cum omnes circumquaque occurrerent, ſtupentes & admirantes tale factum mirabile. Ad quorum admirationem iterum Petrus ſtans in medio reddidit rationem, oſtendens non hoc per ſe & Johannem operatos fuiſſe, ſed per illum quem illi crucifixerant, & qui à mortuis reſurrexit, & ad cælos aſcendit. Ad hanc

CAPUT II. De Bened. monachorum.

iterum concionationem Petri ex audientibus crediderunt quinque millia, ita inquiens Evangeliſta: *Multi autem de his qui audierunt verbum crediderunt; & factus eſt numerus virorum quinque millia.* Et poſt aliquanta ſubſequentia: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apoſtolorum. Dividebantur autem ſingulis pro ut cuique opus erat.* (*Act.* 4. 4.)

Poſt mortem vero Stephani, facta perſecutione in Eccleſia à Judæis, ita ut Jacobus frater Johannis ab Herode decollaretur, diſperſi ſunt credentes per regiones Judææ & Samariæ; & inde cœperunt habitare credentes ſeparatim per abdita loca, non tamen longe ab hominibus & à converſatione publica. Cumque in hunc modum multitudo monachorum, propagaretur per regiones Thebaïdis & Ægypti deſerta, eſſetque innumerabilis eorum multitudo, quidam Patrum cœperunt conſtruere monaſteria, & illic adunare choros monachorum & vivere in commune ad exemplum apoſtolorum, & illorum qui primi crediderunt. Tamen illis qui recipiebantur non facilis erat ingreſſus, ſed ante per aliquot dies multis injuriis & diverſis laboribus probabantur ſecundum apoſtoli præceptum *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Nullus enim tam facile recipiebatur quam nunc: quod in illo probatiſſimo monacho qui Paulus Simplex dictus eſt, & in Johanne alio monacho, & in Mutii abbatis necnon Pynuphii converſione perſpicue videre quis poterit, qui Vitas Patrum atque Inſtituta illorum legere voluerit. Primum namque, ut diximus, antequam etiam ipſum introitum illi pateret; pro foribus per plurimos dies excubabat, inditium perſeverantiæ, ac deſiderii ſui, pariterque humilitatis, ac patientiæ demonſtrans. Tunc deinde ex induſtria ab omnibus refutabatur & deſpiciebatur, tamquam qui non religionis, ſed neceſſitatis obtentu monaſterium optaret intrare. Deinde, ut ſuperius diximus, multis injuriis & exprobrationibus affectus, experimentum dabat conſtantiæ ſuæ, & qualis futurus eſſet in tentationibus opprobriorum tolerantia declarabat. Sed cum viderent in eum perſeverantem voluntatem fixumque animum ad omnia ſufferenda recipiebant eum intus; & iterum longo tempore probabant eum. Tunc demum requirebant ab eo, ut ore proprio diceret, ſi monachus eſſe vellet, & ſi omnibus rebus omnibuſque deſideriis ex toto renuntiaret: cumque hæc omnia ore proprio, coram omnibus, ſe omnimodis obſervaturum profiteretur; concedebant ei ut in nomine Domini eſſet unus ex illis: non tamen de ſtabilitate, id eſt ut in illo loco tota vita ſua perſeveraret aliquam promiſſionem faciebat, vel exigebatur ab aliquo. Nam cum alicui agere placebat vitam ſolitariam, vel ſe honorari à ceteris pro aliquo magno

[Margin: Probatio tyronum antequam admitterentur. — 1. *Joan.* 4. 1. — Antiqui monachi ſtabilitate alicui loco non alligabantur.]

Digitized by Google

opere videbat (quod nimium antiqui ſancti fugiebant , quod nunc econtra illi qui nomen ſanctitatis ſuper ceteros habere videntur quam maxime appetunt & requirunt) licentiſſime & abſque ulla contradictione, vel timore, & damno animæ ſuæ, ibat quo volebat; tantummodo obſervans propoſitum & habitum religionis. CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

Sed cum illi ardor , de quo Dominus dixit : *Ignem veni mittere in terram , quem volo ut ardeat* , qui ignis quam maxime in ordine monachiæ temporibus Apoſtolorum & eorum ſucceſſorum ardere viſus eſt, tepeſcere cœpiſſet , & ſæviſſima iniquitas & inexplebilis voraxque cupiditas exardeſcere cœpiſſet per monachos : ita ut vere illud Dominicum verbum impleri videretur , *quoniam abundavit iniquitas , refrigeſcet caritas multorum* , ſicut diverſa genera hæreticorum , ſic diverſa genera monachorum eſſe cœperunt : quorum genera ſex inveniuntur, tria bona , & tria mala. Primum & optimum bonorum eſt cœnobitarum , id eſt in commune viventium adinſtar illorum qui temporibus Apoſtolorum in Jeroſolymis fuerunt : qui ita in commune habitabant, ut nullus dicere auderet aliquid proprium ; ſed erant illis omnia communia, & anima & cor unum in Domino. Horum exemplo & inſtitutione monaſteria ſumſerunt principium. Secundum genus eſt Eremitarum , qui procul ab hominibus recedentes , deſerta loca & vaſtas ſolitudines habitare perhibentur , ad imitationem ſcilicet Eliæ & Johannis Baptiſtæ , qui eremi receſſus penetrarunt ; & penitus ab omnium conſpectu remoti , divino tantum colloquio perfruuntur , cui puris mentibus inhæſerunt , & propter cujus amorem non ſolum mundum , ſed etiam hominum conſortia reliquerunt. Tertium genus exiſtit & eſt Anachoretarum , qui includunt ſemetipſos in cellulis procul ab hominum conſpectu remoti , nulli penitus ad ſe præbentes ingreſſum ; ſed ſola Dei contemplatione viventes : quos uſitato more vocamus recluſos. Hujus religionis auctor & inſtitutor fuit magnus Antonius.

Luc. 12. 49.

Matth. 24. 12.

Monachorum ſex genera.

Nunc alia tria videamus. Primum malorum eſt qui ſub ſpecie Anachoretarum vivunt , quorum genus elapſum eſt ; & ſi eſt , non agnoſcitur. Secundum genus eſt quod antiquitus Circilliones dicebantur , eo quod non aliud intendebant , niſi diverſas provincias , & diverſas [regiones] circuire , & uſquequaque vagare : quos B. Benedictus Gyrovagos vocat , vera etymologia , nam gyrant & circumeunt diverſa loca & diverſas provincias. Tertium itidem genus eſt malorum qui Sarabaitæ dicuntur , & alio nomine Celliones , vel potius le k. vel Rennuoth , Renuitæ vocantur , eo quod bini aut terni in cellulis manent , nullam regulam conſervantes , nec alicui eccleſiæ vel abbati ſe ſubmittere volentes ; ſed ipſi ſibimet ſunt magiſtri , & pro lege eis eſt ſola voluntas : ita ut quicquid putant bonum eſſe , hoc dicunt ſanctum ; & quod noluerint , hoc omnino putant non licere.

Hæc tria genera falſorum monachorum , maxime Circillionum , qui maxime & præcipue ordinem ſanctum maculaverunt , & commacu-

Caput II De Bened. monachorum.

lant, de cœnobitis proceſſerunt & prodeunt: tunc tamen maxime, quia nullum retinaculum alicujus ſtabilitæ profeſſionis eos artabat. Hac enim cauſa ita tunc dæmonum atrocitas contra ſanctum ordinem invaluit, & ardor monaſtici ordinis intepuit, ut vix in ſacratiſſimis locis & magnis cœnobiis pauciſſimi reperirentur electi viri, & qui de toto corde ad Deum reverterentur. Hæc diverſitas monachorum uſque ad tempora B. BENEDICTI, qui præcipuus inſtitutor atque reformator ſancti Ordinis, piuſque Ordinator cœnobialis inſtitutionis in occiduis partibus fuit, permanſit. Qui Beatiſſimus Pater primum habitum ſanctæ religionis, à quodam monacho nomine Romano ſumſit: quo accepto ſtatim eremiticam ſimul & anachoreticam vitam arripuit, in quodam arctiſſimo ſpecu, ubi deguit per tres continuos annos, omnino incognitus hominibus, niſi ſoli Romano monacho qui ei modicam annonam certo tempore præbebat. Sed poſt cognitus hominibus, plurimi ſub ejus diſcipulatu coadunati ſunt fratres: qui ut vidit multos ſub ſuo magiſterio ad ſervitium Dei currere, conſtituit xii. monaſteria, & per ſingula bis ſenos monachos cum patre proprio conſtituit: quibus regulam ſtatuit, quam propria manu ſcriptam confirmavit, plenam totius diſciplinæ ſimulque diſcretionis. Quam Regulam B. Gregorius papa multum collaudat in Libro Dialogorum ſuorum, ubi vitam prædicti patris Benedicti ex ordine ſcribit.

Ordo monaſticus per S. Benedictum reformatus.

Lib. 2. c. 36.

Regulæ S. Benedicti elogium.

Et merito à tanto doctore & ſummo paſtore ſanctæ Eccleſiæ, & laudata, & auctoritate confirmata eſt. Primum, quia tam puram ſcripturam atque mundiſſimam vix aliquis reperiat. Quamvis enim de diverſis rebus loquatur, ſicut res & materia expoſtulat: tamen ita pure loquitur, ut nec mentio alicujus turpitudinis, vel etiam levitatis in ea reperiatur. Qui eam legit, advertere poteſt quanta munditia, qualis pudicitia in eo & in ſuis ſubjectis extiterit, cum nec mentio ſecundum Apoſtoli præceptum inter eos fuerit de aliqua re turpi. Si enim inter ſubjectos aliquid tale reperiſſet, non tacuiſſet, ſed diſtricte emendaſſet. Et iterum ſi aliquid in corde illius verſaretur, non omnino ita ſilentio comprimere poſſet, quod ſcriptum eſt *Ex abundantia cordis os loquitur.* Deinde conjunctionem & concordiam inter pietatem & diſciplinam, inter miſericordiam & magnam diſtrictionem quis non admiretur in ejus regula? Ita enim modaratur & temperat ſua inſtituta, ut non ſit ætas vel diſcretio quæ non poſſit eſſe ſub ejus diſciplina. Ibi enim ſimul invenitur & lacteus potus quo tenera fidelium nutriatur infantia, & ſolidus cibus, quo robuſta perfectorum juventus ſpiritualia ſanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi infirmorum ſolatia, illic ſanorum laborioſa operatio. Illic puſillanimorum remedia, illic zelantium in opere Dei magna & continua exercitatio. Fortes & debiles, ſani & infirmi, litterati & non litterati, nobiles & innobiles; pueri, juvenes, ſeneſque ſub ea poſſunt vivere, atque animas ſuas ſalvare. Quidquid enim dicit, quidquid præcipit, & ordinat, aut ad ſubventionem infirmorum, ut pia mater prærdinat; aut ad correptionem ſuperborum, & inobe-

Luc. 6. 45.

dientium, & indiſciplinatorum, ut verus pater exhibet & docet diſciplinam. Tanta namque in ea eſt prudentia atque menſura, ut nec pietas diſciplinæ, nec diſciplinæ pietati locum tollat. In qua inter cetera ille de quo legitur quod virtutum omnium juſtorum plenus extiterit ordinat ſecundum inſtituta Tabenniſietarum quomodo qui veniens ad converſionem debeat recipi : addens quod in illa non erat inſtitutum, ſcilicet ut nullus prius recipiatur in congregatione, quam coram Deo & ſanctis ejus ; abbatis quoque, ſimulque congregationis præſentia, ante promiſerit, ſe permanſurum in illo cœnobio quandiu vixerit. Addens quoque id quod in cunctis regulis inſtitutum fuerat, ut ſimul converſionem morum & obedientiam promittat Hæc tria jubet ut ſcribendo promittat, id eſt ſtabilitatem, morum converſionem, & obedientiam. Duæ ut diximus promiſſiones, id eſt morum converſio & obedientia ſemper ab omnibus requirebantur & exigebantur antequam reciperentur. Illa vero quæ eſt de ſtabilitate, non ab omnibus ſed à quibuſdam. Multi namque ante B. BENEDICTUM fuerunt patres qui regulas conſcripſerunt, qui nihil de hoc ſcripſerunt, & etiam B. Baſilius. Tamen ex illis tres reperiuntur qui hoc idem quod B. BENEDICTUS jubet de ſtabilitate ſtatuerunt, id eſt Iſidorus, * Aurelius, Fructuoſus. Scilicet ut nullus ante reciperetur, niſi ſe prius in ſcriptis ſua profeſſione ſponderet permanſurum. Sed quomodo tunc componebatur eadem profeſſio neſcimus. Nam nunc diverſe componitur per diverſa cœnobia. Nam ſicut diverſi uſus tenentur per diverſas eccleſias in omni re eccleſiaſtica ; ita & in hoc. Tamen quantumcumque ſint prolixiores & breves, ſemper in omnibus hæc tria reperiuntur ; id eſt ſtabilitas, morum converſio, & obedientia. Et hæc omnia ſecundum regulam S. Benedicti. Hoc vero quod poſtea in monachatus confirmatione additum eſt, id eſt benedictio ſancti Ordinis, in nulla regula invenitur inſtitutum : ſed qui hoc inſtituit, valde neceſſariam rem atque dignam tanto ordini providit. Si enim ordini monachico defuiſſet benedictio & conſecratio, vilipenderetur idem ſacer ordo, videlicet quam maxime : quia nullus ſacer ordo eſt in ſancta eccleſia qui non habeat propriam benedictionem.

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

* f. Aurelianus.

Benedictio monachorum.

De benedictione hac & de hac profeſſione multi diverſe ſentiunt. Quidam enim dicunt nullum eſſe vel poſſe eſſe monachum abſque profeſſione, nam profeſſione non ſolum res ſæculi, ſed etiam ſeipſum ex ſeipſo denegat qui profeſſionem facit, quod eſt proprie eſſe monachum : quod nemo poteſt contradicere. Ex altera parte ſunt qui dicunt quod illa conſecratio, quam monachus accipit, licet deſit profeſſio, ita eum ligat & facit perfectum monachum, ut nullo modo deinceps ad ſæculum redire fas ei ſit, nec habitum ullo modo mutare, nec ullo modo ſalvum eſſe poſſe, ſi voluntate & proprio ore, illud petierit, vel aliquo nutu conceſſerit ; & hoc nemo poteſt averſari. Sunt vero alii qui hoc diverſe ſentiunt. Nam alii dicunt ſola profeſſio ſufficit modo abſque benedictione ; alii ſola benedictio ſufficit modo abſque profeſſio-

CAPUT II. *De Bened. monachorum.* ne. De hac re quantum Dominus donaverit, pro poſſe noſtro dicemus. Si cui placuerit, Dei dono attribuat: ſi cui aliter, non contra contendemus, ſed aurem libenter apponemus, ut ſi melius ſenſerit, diſcere poſſimus. Scimus enim ſcriptum, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.

Tria homo poteſt dare Deo. Tria ſunt quæ homo poteſt Deo dare, ſua, & ſeipſum ex parte, & inſuper ſeipſum totum. Primum datum requirit Deus ab omni homine. Sine hac donatione ſalvus eſſe aliquis non poteſt. Quæ eſt iſta datio? Eleemoſyna, miſericordia. Dicit veritas: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* (*Luc. 11. 41.*) Et Salomon: *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperi, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* (*Prov. 19. 17.*) Et Eccleſiaſtes: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* (*3. 33.*) Et Tobias filio ſuo Tobiæ: *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna eſt coram Deo ſummo eleemoſyna coram omnibus facientibus eam.* (*Tob. 4. 11.*) Et angelus Raphaël ad eoſdem: *Bona eſt oratio cum jejuno & eleemoſyna magis quam theſauros auri condere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire vitam æternam.* (*Ibid. 12. 9.*) Multaque ſimilia in divinis ſcripturis ſæpe inveniuntur. De miſericordia vero dicit veritas: *Miſericordiam malo quam ſacrificium.* (*Matth. 9. 13.*) Et in Eccleſiaſtico: *Libera eum qui injuriam patitur de manu ſuperbi, & non acide feras in anima tua.* (*4. 9.*) Item *in judicando eſto pupillis miſericors pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater*, (*Ibid. 4. 10.*) & multa his ſimilia. In his exemplis, & in multis aliis datur intelligi dare de ſuo pauperibus, & miſericordiam impendere his qui opus habent, valde acceptum eſſe Deo, ſi tamen puro animo id fit.

Secunda datio eſt cum quis ea quæ licite poteſt uti relinquit; & ab his pro Dei amore ſe omnino abſtinet, ſicut eſt legale conjugium, carnium & vini perceptio, mollia indumenta, auri & argenti cupido, terrenæ poſſeſſiones, atque ſæculares honores, parentum omnium affectiones, & cetera talia quæ licite poteſt homo uti abſque damno animæ ſuæ, ſi ita uſus eis fuerit, ſicut religio chriſtiana prærordinat. Qui iſta dat Deo, multum proficit, quia illud Domini juſſum adimplet: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* (*Marc. 10. 21.*) Sed propter iſtam dationem adhuc non eſt monachus. Quia adhuc omnino ita eſt ſuus; ut ſi voluerit, illa quæ dimiſit libere poſſit repetere & reſumere, ſicut ſunt illi qui ſe ſponte exilio tradunt, vel liberi Eremitæ, quos communis locutio vocat Burdones. Iſtos liberos ideo voco, quia de ſe omnino adhuc ſunt liberi. Faciunt enim quod volunt, nec habent aliquod retinaculum ad ſæculum ex toto redeundi, ſi voluerint, & facere quidquid illis libuerit, niſi ſibi præponant ſolum Dei timorem, ſi id non voverint ante obſervandum.

Qui vero ita proficit, ut cum abjectione rerum terrenarum, illud ſubſequentibus Domini præceptum adimplere velit, id eſt *Et ſequitur me*; monachus eſt. Sed quomodo aliquis hoc adimplet? Cum quis

monachilem habitum, quod eſt proprium ſignum ſæculum & ea quæ ſæculi ſunt reliquiſſe, propria voluntate accipit, & inde ſicut ſacer ordo requirit benedicitur. Hic talis ſine dubio monachus eſt. Quomodo? quia ipſa benedictio eum alligat Deo & ſancto ordini, ut deinceps ad ſæculum ſine ſua perditione redire nullatenus poſſit. Propriè enim de talibus dicit Veritas: *Nemo ponens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Quiſquis itaque accepto ſancto ordine cum ſtatuta benedictione, ſi poſt ad ſæculum redierit, & ipſum habitum abjecerit, ſine dubio Apoſtata eſt. Apoſtata namque retro incedens interpretatur. Secundum Domini dictum qui manum ſuam in aratro miſerit, ſi poſt retro reſpexerit, apoſtata ſine dubio convincitur eſſe, nec ullatenus regno Dei aptus. De hac re B. Gregorius in nona homilia ſuper Ezechielem ita dicit: « Sicut apoſtata eſt qui fide recedit à Deo: ita qui ad perverſum opus poſt profeſſam religionem recedit ab omnipotenti Deo, apoſtata abſque dubitatione ulla deputatur, etiamſi fidem tenere videatur. » Si igitur doctor eximius de omni criminali peccato hæc dicit; quanto magis de illo in quo poſt negationem fidei chriſtianæ plus aperte apparet apoſtaſia. Nullum enim peccatum majus mihi videtur præter abnegationem fidei chriſtianæ, quam cum monachus ordinem ſuum relinquit, & ſe denegat ore & actione eſſe monachum. Qui taliter agit non fur eſt hominis, ſed Dei. Et quid Deo furatur? Aurum, vel argentum, vel aliquam terrenam ſupellectilem? Non, ſed illam rem pro qua Deus dignatus eſt fieri homo, & pro qua ſanguinem ſuum fundi permiſit; id eſt animam & corpus hominis. At cum aliquis ita deſertus à Deo aliquam terrenam rem furto ſecum aufert, non pro magno debet videri alicui ſenſato homini. Hæc dicens contra memetipſum loquor. Sed quid? cum veritatem loquimur quamvis averſum ſit cordi noſtro, non debemus tacere. Cum enim quis ſeipſum, id eſt animam & corpus ſuum Deo & ſanctis ejus, cui ſe donaverat, furto aufert, quid mirum ſi aliquam rem minorem ſecum furatur? Si enim deteſtabile ſacrilegium eſt furari ſacrum de ſacro, quanto magis furari animam ad Dei ſimilitudinem factam à ſocietate ſanctorum, immo à paradiſo. Hinc Beatus Gregorius in epiſtola ad Venantium ex monacho Patricium dicit inter cetera: « Penſa quid facturus eſt Deus de perverſo opere, ſi quoſdam in judicio ſuo reprobat de otioſo ſermone. Scis quia morte Ananias multatus eſt qui pecunias quas Deo voverat partim obtulit, partim ſubſtraxit. Si igitur morte dignus fuit, qui nummos abſtulit; penſa qua pœna dignus ſit, qui ſeipſum per ſuæ profeſſionis oblivionem Deo ſubtrahit. » Septempliciter igitur peccat qui ſe Deo ita aufert: primum tripliciter in cogitatione, dehinc quadrupliciter in operatione. Primum cum cogitat & deliberat facere illam rem pro qua poſtea fugit. Secundo cum propter hoc deliberat fugere, ut liberius & opportunius hoc quod cupit facere, poſſit adimplere. Tertio cum res eccleſiæ etiam excogitat exportare, vel quod pejus eſt furari. Quarto cum hoc quod

De Bened. monachorum.

Luc. 9. 62.

Apoſtata quis.

Digitized by Google

CAPUT II
De Bened. monachorum.

cogitat, opere adimplet, primum de ſe, dehinc de rebus eccleſiæ. Sexto cum habitum religionis abjicit. Septimo cum verbo & opere ex toto renunciat ſe eſſe monachum. Dehinc quanta mala ſubſequantur quis enumeret? Ut igitur breviter cuncta comprehendam, non enim aliquid ſingulare volo dicere vel exprimere, ne aliquis putet me alicui notam velle ingerere, nullus ſæcularis, nec etiam aliquis ſcurra, in omni re turpi tam effrænate & impudenter ſe præcipitat, quam monachus qui habitum ſanctæ profeſſionis projecit, & ſe monachum ex toto abnegat eſſe. Dei enim judicio ita in poteſtate diaboli perducitur, ut nec ad momentum, ut ita dicam, illi diabolicæ operationi ſeu tentationi poſſit contraire; ſed ſæpiſſime quod pejus in talibus illud divinum
Prov. 18. 3. dictum compleri conſpicimus, *impius cum venerit in profundum malorum*
» *contemnit*. Nec mirum, nam ut B. Hieronymus dicit: Omne flagitium,
» ſi terminos pudoris exceſſerit, crimina auget criminibus, & ſemper ad deteriora procedit. Non enim illam terribilem communicationem cu-
1. Cor. 3. 17. rant quæ dicit: *Qui templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*. Quis hoc dixit? Apoſtolus, immo Chriſtus per Apoſtolum. Ipſe enim dicit:
2. Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* De quo templo hoc dixit? De materiali, an ſpirituali? De illo ſcilicet de quo ſu-
2. Cor. 6. pra dixerat. Et quid? *Vos eſtis, inquiens, templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitat in vobis*. Ac deinde ſubjunxit quod ſupra poſuimus: *Si quis vero templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*. Quiſquis igitur ab hac apoſtaſia vult eſſe liber, caveat omnimodis elationem & ſuperbiam, quia pro nulla re, ut ſancti Patres teſtantur, tam cito Deus ſinit hominem labi in hac apoſtaſia quam pro ſuperbia. Vix vero aliquis reperitur qui hanc apoſtaſiam faciat, niſi pro aliquo carnali delicto. Sic enim de hac re dicit B. Gregorius in xxxij. libro Moralium:
» Liquido omnibus patet, quia poſtquam ſemel ſuperbia hominis ſpiritum
» cœperit, mox ſe ad corruptionem carnis extendit. Et in libro homilia-
» rum ſuarum idem doctor: In luxuriæ voraginem neminem diabolus
» uſque ad conſenſum mergit, niſi eum qui prius in oculis Dei ſuper-
» biendo cadit; quod ipſe primus homo oſtendit, qui poſtquam ſuper-
» biendo peccavit, mox genitalia membra erubuit. Nam quia Deum
» ſuperbiendo contemſit, mox à ſubdita carne prælium ſumſit. Unde pro-
Oſea 5. 5. » pheta, *Reſpondebit*, inquit, *arrogantia Iſraël in faciem ejus*, id eſt per
» meritum latentis ſuperbiæ in apertam luxuriam eadem permittit. Qui
Ibid. » ut oſtenderet quod libido ex merito ſuperbiæ prorupèrit, ait: *Spiritus*
» *fornicationis in medio eorum*. Si enim pie ſub Deo premitur caro, ſuper
» ſpiritum illicite non elevatur. Quiſquis ergo ſuperna appetit, ſi poſtea
» à voluptate proſternitur, non tunc ſe victum judicet, cum aperte ſu-
» peratur: nam ante Dei oculos in culpæ voraginem cecidit, cum ſeſe
» ultra quam deberet efferens latenter intumuit. Hi vero qui pro alia ali-
» qua cauſa hoc faciunt, funem à navi ex toto non abrumpunt, id eſt ſanctum habitum quod eſt maximum & præcipuum retinaculum ſancti ordinis non abjiciunt; ſed eſt eis quaſi magnum retinaculum contra

inſidias

Digitized by Google

inſidias diaboli. Si quis vero hæc legens propter hoc iraſci voluerit, de ſe dictum fatebitur, cum forte ille qui ſcripſit, de alio hoc ſenſerit. Ex altera parte hi qui cœnobiis præſunt, magno ſtudio & ſumma diligentia de ſalute iſtorum debent eſſe ſolliciti. Non enim ſolummodo periculoſa res eſt iſta his qui delinquunt in hoc, ſed quam maxime & præcipue his qui eis præſunt, ſi aliquo modo cauſa ruinæ iſtorum exiſtunt; vel ſi eis qui in [illegible]li damnatione ſunt, non omnimodis & omni arte qua poſſunt prodeſſe talibus, non ſubveniunt ut ſalvi ſint. Meminiſſe ſemper deberent cui paſtori, immo cui Domino reddituri ſunt rationem. Si enim de otioſo verbo reddituri ſunt rationem, & de minimis operibus ſuis, quanto magis de ſalute animarum ſibi commiſſarum, pro quarum ſalute tantum pretium donatum eſt. Sed quid dicam? plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei. Eloquar, an ſileam? Sed melius eſt ad modum tacere quam eloqui plura. Non hoc dico propter timorem, quia nihil habet timeri, qui nihil habet perdere, ſed propter temporis oportunitatem; ſcriptum eſt enim: Tempus loquendi & tempus tacendi. Nunc ad cœpta redeamus.

Caput II. De Bened. monachorum.

Diximus ſupra quod ſola aſſumtio ſacri habitus cum benedictione faciat monachum, quod evidentius debemus oſtendere, ne aliquis malivolus ſub ridendo dente canino me ſubmordeat. Monachilis benedictio habet proprium ſcrutinium ſicut ceteri ſacri ordines. Quidquid igitur promittitur in profeſſione, ſi recte advertitur, & in monachili ſcrutinio hoc idem promittitur. Non enim abſque ſcrutinio debet aliquis benedici, aliter res non recte agitur. Omnis namque ſacer ordo habet proprium ſcrutinium & propriam conſecrationem. Non enim debet conſecrari quis in aliquo ſacro ordine, niſi ante requiſitus & examinatus fuerit, ſicut ſacer ordo quem recipere debet expetit. Septem gradus eccleſiaſtici ordinis ſinguli habent propria ſcrutinia, ſicut baptiſmus & impoſitio manuum epiſcopi, licet iſtud prætermiſerint pene omnes epiſcopi. Dicunt enim ſufficere cuique baptizato ſcrutinium baptiſmi: Nam quod promittitur in ſcrutinio baptiſmatis, hoc & in ſcrutinio confirmationis quamvis breviter. Habet & ſcrutinium ſuum epiſcopalis conſecratio, nec non & abbatis conſecratio. Et ſi omnes eccleſiaſtici gradus habent propria ſcrutinia & proprias conſecrationes, ille ordo qui quodammodo videtur ſuper excellere ceteros gradus, quam maxime expoſcit proprium ſcrutinium & propriam benedictionem. Hoc quod diximus monachicum ordinem quodammodo ſuperexcellere ceteros gradus eccleſiæ, ita intelligi debet ſecundum evangelicam perfectionem, non gradu & ordine. Confitemur enim & veraciter affirmamus ordinem ſacerdotii majorem eſſe monachico ordine officii dignitate. Nam quis neget magnæ eſſe dignitatis, magnæque ſanctitatis ſacerdotale officium. Preſbyter enim vicem Chriſti tenet & portat; & quis ſuper Chriſtum ſe audeat ponere? Tamen ſecundum evangelicam perfectionem monachus preſbytero major eſt. Preſbyter enim omnia quæ ſunt ſæculi poteſt uti & poſſidere libere, excepto conjugio: quod

Aſſumtio habitus cum benedictione facit monachum.

Monachus ſecundum evangelicam perfectionem major preſbytero.

CAPUT II. De Bened. monachorum. monachus non poteſt. Non enim licitum eſt monacho poſſidere proprium, ſi vere monachus eſt. Inquirat & diligenti ſtudio perſcrutetur totum evangelium quiſque, & inveniet ni fallor nullum hominem poſſe ſic adimplere pleniter omnia præcepta evangelica, quomodo monachus: Et ut de multis pauca referantur, quis unquam potuit adimplere illud Domini juſſum, *nolite ſolliciti eſſe de craſtino*, niſi monachus vivens in commune? Et quis eſt qui & illud poſſit pleniter adimplere, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*, niſi monachus? Et ſecundum Matthæum: *Qui amat patrem aut matrem ſuper me non eſt me dignus; & qui non accipit crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et ſecundum Lucam: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem ſuam, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, & qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc omnia quis umquam tam perfecte ex toto poteſt adimplere quam monachus? Sciendum inter hæc quod dignitas officii non dat locum majoris meriti; ſed vitæ perfectio: quod in uno poſſumus advertere. Integra virginitas ſuperiorem locum obtinet inter alias virtutes poſt fidem & martyrium: & tamen quamvis ita ſit, ſublimioris tamen meriti eſt apud Deum humilis continens quam ſuperba virgo. Sic monachus quamvis officio & dignitate inferior ſit ſacerdote; tamen quantum ad meritum major eſt; quia ut ſcriptum eſt, qui plus laborat, plus mercedis accipit: ita qui plus dat Deo, plus recipiet: qui vero plus recipit, plus diligitur; & qui plus diligitur, majorem locum meretur & obtinet; & qui majorem locum obtinet, quis eſt qui poſſit recte dicere minoris eſſe meriti apud Deum, quamvis obtutibus hominum videatur vilis, ſicut ordo ipſe expoſtulat?

Matth. 6. 34.

Ibid. 19. 21.

Ibid. 10. 37. & 38.

Luc 14. 26.

Aliud videamus. Monachicus ordo recte ex parte præponitur ceteris ordinibus: quia ceteri requirunt ſanctos, ſed non faciunt. Monachicus vero requirit peccatorem & facit ſanctum: ita ut ad ceteros gradus per iſtum poſſit aſcendere. Multi namque eliguntur ad ſacerdotium, immo ad præſulatum, qui ſi monachi non fuiſſent, nullo modo ad iſta officia eccleſia illos admitteret: quia ut diximus, ceteri ordines requirunt ſanctos, non faciunt: monachicus vero requirit non ſanctum, & facit ſanctum, ſicut baptiſmus.

Item aliud videamus. Nullus ordo eſt vel in clericali ordine, vel in laicali, qui non poſſit dimitti quoquomodo abſque peccaro: monachicus vero ſemel aſſumtus, nullo modo, nulla ratione poteſt dimitti abſque damnatione animæ. Hinc eſt quod ii qui de hoc ordine ad præſulatum aſſumuntur, nullo modo monachicum habitum debent vel audent dimittere: & ſi aliquando alia deſuper induunt indumenta; tamen ſubtus ſemper geſtiunt habitum monachilem. Nam ſi ex toto illum abjicerent, apoſtaſia deputaretur. In hoc quiſque perpendere poteſt quantæ ſanctitatis ſit ordo monachicus in operatione, cum ipſe habitus, quamvis viliſſimus tantæ dignitatis ſit, ut nec ſummæ perſonæ eccleſiaſticæ

NOTA.

Digitized by Google

eum relinquere valeant. Ex altera parte perpendendum eſt quanta damnatione eſt dignus, qui tantum & tam ſanctum ordinem & habitu & actu abjicere non dubitat. Monachilis vero habitus ſecundum S. BENEDICTI regulam cuculla eſt & dicitur. Eſt enim ſignum innocentiæ. Simplex namque eſt veſtimentum quod vix ad cubitorum ima pertingit, nudas de reliquo circumfert manus in modum colobiorum, ut amputatos habere eos actus & opera mundi hujus ſuggerat abſciſſio manicarum. Capitium vero quod in eodem continetur veſtimento, mortificationem ab amore & ſæculi actibus ſignat, juxta Apoſtoli dictum: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Eo habitu nullus recte poteſt vel debet uti, niſi monachus: & ſine hoc monacho quoque nullo modo licitum eſt incedere. Sine enim hoc quiſquam non agnoſcitur eſſe hujus religionis. Cilicinum vero veſtimentum quod ſubtus ad carnem geſtat monachus, communi locutione vocatur ſtaminia, ſignat propriæ carnis mortificationem. Tonſuram vero clericalem quam geſtat monachus, ab Apoſtolis & primis diſcipulis fertur traditam, qui primi monachi fuerunt, & primi in novo teſtamento per clericale officium eccleſiaſticos gradus adminiſtraverunt. Licet enim in Inſtitutis Patrum hoc non inveniatur ſtatutum, tamen qui vitam B. MAURI diſcipuli patris BENEDICTI perlegit, invenit quod qui ſub norma illius vivebant, tonſuram clericalem habebant, ſive fuiſſent clerici, ſive laici.

Monachilis habitus, quid ſignificat?

Coloſ. 3. 3.

Qui igitur ita proficit voluntate, ſpecie & actione, de illis profecto eſt, quibus dicit Dominus: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Quibus dicit hoc Veritas? Apoſtolis videlicet qui veriſſimi & perfectiſſimi monachi fuerunt: quia non ſolum quod poſſidebant reliquerunt, ſed etiam voluntatem habendi à ſe penitus abjecerunt, nec aliquid niſi Chriſtum deinceps aſſequi optaverunt. Qui igitur Apoſtolorum veſtigia in quantum poſſunt, ita imitari ſatagunt, nullus contraire recte poteſt quin ſint monachi. Non enim omnes una ſemita ad Chriſtum perveniunt. Sic namque diverſæ manſiones ſunt paratæ bene operantibus. Sic diverſæ viæ eundi ad Chriſtum. Si quis igitur vitam Apoſtolorum, ut jam diximus, imitari ſtudet voluntate, ſpecie, & actione, quis neget eum eſſe monachum, quamvis adhuc aliquid perfectionis deſit? Quod credendum eſt in Apoſtolis & apoſtolicis viris fuiſſe: quam perfectionem tertia donatio perficit & adimplet, de qua quantum Dominus donaverit, breviter dicere cupimus.

Matth. 19. 29.

Tertia donatio eſt cum quis voluntatem ſuam ex toto deſerit & denegat ſibi, & vice Dei alicui mortali homini ſe ita ſubdit, ſicut dicit Pſalmographus: Ut jumentum factus ſum apud te. Hic talis ſecundum Domini juſſum crucem ſuam bajulat. Crux dicitur à cruciatu. Cum quis igitur ita ſe ipſum offert, abnegans ſemetipſum, id eſt omnem ſui poteſtatem, immo propriam voluntatem, Chriſto ejuſque vicariis

Digitized by Google

Caput II. De Bened. monachorum. tribuens, crucifixus recte dicitur. Cruci enim qui affixus eſt, poteſtatem ſui non habet, non ſecundum ſuum voluntatem ſe movere poteſt. Joan. 6. 38. Hic & monachus. Sed oportet ut ille qui ſic bajulat crucem Chriſti, perficiat hoc quod Veritas adjunxit. Et quid Veritas adjunxit? *Non veni voluntatem meam facere, ſed ejus qui miſit me.* Et quid eſt ſequi Chriſtum, niſi imitari illum? Et quis eſt qui eum imitatur? Qui facit quod dicit, & opere Phil. 2. 8. adimplevit. Et quid eſt quod dixit? *Non veni voluntatem meam facere, ſed ejus qui miſit me.* Et quomodo hoc adimplevit? Apoſtolum audi: *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et ipſe in paſſione ad patrem: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.* Et apoſtolus Petrus aperte oſtendit quid ſit ſequi Chriſtum, I. Pet. 2. 21. cum dixit: *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Quomodo peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat*, & reliqua. Qui igitur hanc ſui ipſius donationem ita Deo offert, ut inde chartam ſignatam faciat, eamque coram teſtibus Deo ſuper ipſius altare legat, & offerat; quid plus poſſit offerri Deo, & quid firmius non video. Plus quippe nemo poteſt dare, quam ſua omnia & ſeipſum totum. Cum aliquis homo alicui alii homini dat aliquam rem, & eamdem rem ſub teſtimonio hominum illi tradit, non debet, nec poteſt ille qui rem dederat, iterum repetere. Si vero fecerit, ille cui data eſt, ut rem propriam vindicare & defendere debet & poteſt. Si autem de ipſa datione ei cui dedit donum fecerit ſcriptum, & ſubſcriptione firmaverit; ad hoc tantummodo valet ſubſcriptio, ut firmiter maneat quod dedit: non quod ipſa datio per hoc augeatur. Sic in monachili ordine. Cum enim monachus in ſcrutinio ſe dat Deo & ipſam donationem & ſeipſum in benedictione & in perceptione ſancti habitus tradit Deo, quidquid amplius facit, non eſt niſi confirmatio ejuſdem dationis. Subſcriptio enim profeſſionis ideo monachis conſtituta eſt, ut ſtabiles ſuo ſint in loco, & de ſtabilitate ſervanda ſignum faciant; ut ſi forte de mutabilitate præſumſerit, illud eis opponatur. Hac ratione jubet Inſtitutor ſanctæ regulæ, ut ipſa ſubſcriptio in monaſterio conſervetur, ut ſi forte diſcedere voluerit, vel fregerit pactum quod cum Deo iniit, ei anteponatur; ut ſciat quem irridet, illum damnaturum niſi reſipuerit. Seu etiam ut ille qui ei vice Dei præeſt, ſi voluerit coercere eum poſſit, & quaſi rem propriam, non quæ illius ſit retinere, ſibique, immo Deo, cui rem propriam vult auferre, ſummitti diſtrictis coercitionibus. Namque hæc ſubſcriptio non efficit monachum, ſed potius vincit: quoniam ſine tali ſubſcriptione monachus eſſe poteſt: ſed tali vinculo, tali connexione patres decrevere homines colligare, quoniam non ignorabant eos mutabiles. Talis ſubſcriptio non officit monachico ordini, immo proficit nimium, nec malum aliquod inde poteſt oboriri. Quod igitur non nocet, immo juvat, nequaquam prætermittendum eſt. Tamen non eſt damnabile ſi aliquando prætermittatur, quia non eſt ex canonica auctoritate tradita, ſed ex traditione hominum, quamvis multum

neceſſaria ordini monachico. Nam ex quo fervor monachilis ordinis cœpit tepeſcere, nulla res ſic reſtrinxit ipſum ordinem, quam hoc vinculum perfectionis.

At ſi aliquis confirmare voluerit non poſſe eſſe monachum niſi qui profeſſionem fecerit, huic contra pacificis verbis dicemus: Quid igitur? Monachi non fuerunt ſancti patres qui ante S. Benedictum fuerunt, & profeſſionem non fecerunt? Monachi non ſunt qui ipſam regulam modo non obſervant, ſed adhuc antiqua ſtatuta retinent, ſicut ſunt Græci, & Ægyptii, & Armenii, & multi alii, & etiam in latinitate plurimi? Vere profitendum eſt quod veri & perfecti monachi fuerunt & ſunt. Et ut ad nos veniamus, quid de pueris dicent qui voto parentum offeruntur & infra annos ſancto habitu induuntur, & benedicuntur, & monachi appellantur, & ſub tanta cuſtodia atque diſciplina nutriuntur, ut illicitum ſit eis facere aliquid, & ſi fecerint, non impune prætermittitur? Iſti tales quia præſcriptam profeſſionem uſque ad annos intelligibiles non faciunt, & ab eis non requiritur: nam ita ordo & ratio expoſtulat, monachi non ſunt? O quam perdita vita, ſi vitam monachilem in omnibus & per omnia cuſtodiunt, & monachi non ſunt propter hoc ſolummodo, quia nondum ſubſcripſerunt! Monachi non ſunt qui periculo mortis requirunt & accipiunt toto deſiderio monachilem habitum? Nimium deluduntur cum ad iſtam religionem quaſi ad portum vel ad munitum aſylum contra infeſtationem immundorum ſpirituum ad acies refugiunt; & in hoc portu atque munitiſſimo & firmiſſimo aſylo ſperant ſalvari, ſi hoc non eſt verum propter hoc quia non ſubſcribunt. Sed abſit hoc à mentibus fidelium. Tanta enim in hoc ſacro ordine creditur & ſperatur ineſſe ſanctitas & purificatio, ut qui ſolummodo habitum monachilem fideli mente aſſumſerit; ſi pœnituerit & confeſſus fuerit peccata ſua; abſque ulla dubitatione monachus eſſe certiſſime credatur. Si eſt qui deneget, monachum non poſſe eſſe niſi qui ſubſcripſerit, videat & perſpiciat quam magnum honorem aufert huic ſacro ordini, & quam magnam ſpem veniæ rollit peccatoribus. Namque præcipuum & maximum adjutorium & refugium aufert omnibus ordinibus. Nam ad iſtud adjutorium atque refugium currunt non ſolum pauperes, mediocres, litterati, ſed etiam duces, tyranni, & nimium litterati: quin immo ſummæ eccleſiaſticæ perſonæ non ſolum in morte ad hunc portum ſalutis currunt; ſed etiam in vita ad eum pervolant, & quaſi ſingulari lorica ſe muniunt, credentes & ſperantes quod qui illam fideli mente induerint, mortali vulnere eos occidere vel vulnerare inimicus nullus poterit.

Qui dicit non poſſe eſſe monachum niſi qui ſubſcripſerit, tale eſt ac ſi dicat, non poteſt eſſe quis chriſtianus niſi qui chriſma in capite & inter ſcapulas perunctus fuerit, vel albis indutus, vel candelam in manu non tenuerit. O quam multi in cæleſti gloria ſunt martyres coronati, & quam multi veriſſimi chriſtiani ſalvati, qui numquam in baptiſmo iſta perceperunt. Hæc enim omnia non ſunt niſi quædam ornamenta ſacri

Digitized by Google

 baptiſmatis. Nam abſque his omnibus poteſt eſſe quis fidelis chriſtianus. Nam cum Dominus diſcipulos ſuos miſiſſet per univerſum mundum, non dixit : Ite, baptizate, inunguite, inalbate, candelas in manibus ponite ; ſed tantum, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Non iſta dicimus quaſi pro magno non habeamus quod apoſtoli & apoſtolici viri ſtatuerunt. Abſit hoc ab animo chriſtiano. Non enim ſolummodo laudamus, ſed etiam veneramur, & amplectimur quod ſancti ſtatuerunt in ſacramentis eccleſiæ. Quidquid enim in eccleſia pene agitur, aut ſacramentum eſt, aut figura alicujus ſacramenti. Sed ideo iſta propoſuimus, quia multi qui ſibimet videntur ſcioli, & ideo multo aliter ſentiunt de pluribus rebus quam oporteret. Non enim ut ad rem redeam in ſubſcriptione eſt perfectio, ſed in adimpletione ſubſcriptionis. Nam ſive ſubſcribat, ſive non ſubſcribat, ſi implere ſtuduerit, monachus pro certo erit. Et quæ eſt impletio profeſſionis? Ipſe Dominus qui eſt vera perfectio nobis oſtendit

Matth. 16. 24. paucis verbis quod ordo monachicus expoſtulat, cum dixit : *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Quid brevius? quid perfectius? Pauciſſima verba ſunt, ſed ponderoſa & graviſſima ad adimplendum, de quibus jam ſuperius plura diximus, & adhuc pauca dicere volumus, quia in his eſt ſumma monaſticæ religionis. Quid namque eſt gravius quam abnegare ſemetipſum? Et quid eſt abnegare ſemetipſum, niſi ſuam propriam voluntatem omnino deſcribere & ſibimet ex toto denegare? Semetipſum ſibimet abnegat, qui ſuam voluntatem omnino deſerit & ſupponit Deo, immo homini propter Deum. Cum factus eſt primus homo, à Deo factus eſt beatus in corpore & in anima: ſumma vero beatitudo illius poſt Dei viſionem fuit ut eſſet quidquid vellet ſine ulla contradictione. Nihil autem erat contra ejus voluntatem; quia nihil volebat contra Dei voluntatem: At cum peccavit, & contra Dei voluntatem fecit; perdidit illam beatitudinem partim in anima, ex toto vero in corpore ex quo peccaverat. Voluntas vero ita ei remanſit libera, ut niſi ipſe ſibi eam tollat, nullus ei auferre poſſit. Omnia igitur poteſt velle, ſed adimplere non poteſt, quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem.* Et hæc eſt magna miſeria de qua Apo-

Sap. 9. 15.

Rom. 7. 18. ſtolus alio loco dicit: *Velle adjacet mihi, perficere non invenio:* & propter hoc exclamat: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Id eſt quis me ad illam beatitudinem, in qua conditus fui, reformabit? Statimque ipſe oſtendit quis. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, id eſt Chriſti per ſuam mortem, non merito meo ſed gratuito ſuo dono. Et hoc eſt quod Dominus dicit, ut ſi quis vult poſt eum venire, id eſt ad illam beatitudinem quæ ipſe eſt; abneget ſemetipſum, id eſt quod ſuum eſt proprium, ſcilicet propriam voluntatem. Cum ita ſe ſubdit mortali homini propter Deum, ut nihil ſuo ar-

Perfectio bitrio ultra velit facere. Hæc eſt enim perfectio quam requirit mona-

Digitized by Google

chica profeſſio, ut nullam omnino rem faciat propria voluntate; ſed alterius judicio. Id eſt non ſtet, non ſedeat, non ambulet, non manducet, non vigilet, non dormiat, niſi alterius arbitrio & ordinatione. De iſtis communibus rebus cur hoc dicimus, cum nec etiam aliquod bonum ipſa perfectio requirat, ut ille qui ſe dat Deo, faciat niſi voluntate & permiſſu illius qui vice Dei ſe ſummiſit: quod mirum videtur, & contrarium rationi aliquibus, ſed non eſt.

CAPUT II. De Bened. monachorum. monaſticæ profeſſionis.

Multi namque ſunt qui non facile diſcernere prævalent ſua opera, teſte Salomone, qui dixit: *Sunt viæ quæ videntur hominibus recta, quarum finis uſque ad profundum inferni demergit.* Et ideo quia ſunt multi qui inter dexteram & ſiniſtram pleniter neſciunt diſcernere, nec regiam viam tenere, ſed per viam latam & tortuoſam incedunt: ita ut quodcumque eos deſideriorum duxerit pes, mox aſſenſu ſequuntur, non recordantes, quia mors ſecus introitum delectationis poſita eſt. Sed ii quibus ad vitam æternam ambulandi amor incumbit, iſtam latam viam deſerunt & anguſtam arripiunt; id eſt non ſuo arbitrio vivere cupiunt, vel deſideriis, & voluptatibus ſuis obedire volunt; ſed ſemetipſos ſubdunt alieno judicio & imperio, Dominum imitari cupientes qui dixit: *Non veni voluntatem facere, ſed ejus qui miſit me.* Hi igitur de animæ ſuæ ſalute ſolliciti ſunt: quia ſive bene, ſive male paſtor jubeat & exerceat, illum tangit in diſcuſſionis judicio rationem reddere qui imperat, non qui imperata perficit: Tantum non ſit peccatum. De illis enim de quibus certum eſt quod qui fecerit, judicium non evadet, nullo modo obedire oportet. Ceterum vero per omnia obedire oportet. Et ſi aliquando fallitur, veniale erit. Defendit enim ſubditum à timore judicii quod examinaverit judicantis cenſura. Nam cui alieni ponderis imponitur moles, totum portat quod ſuſcipit. Majus namque periculum judicantis eſt, quam ejus qui judicatur. Scriptum eſt enim, Judicium durum ſuper his qui præſunt. Quicumque ergo ſemper interrogat, & quod juſſum ſervat, numquam errabit: & ſi erraverit alterius judicio, fides credentis & labor obedientiæ non errabunt, neque mercede carebunt. Ex parte cum quis ſubditus per ſe vult aliquid facere boni, & non examinatione magiſtri: in hoc ipſo coram Deo arguitur culpæ, quod judicare præſumſit, qui alieno judicio cuncta agere diſpoſuerat. Nam etiamſi rectum fuerit, pravum illi deputabitur, ſicut inſtitutor ſanctæ regulæ in ſententia de quadrageſimæ obſervatione aperte demonſtrat. Sed hæc via arta & anguſta eſt pluribus, & maxime qui propria deſideria adimplere volunt, & non quod volunt perficere poſſunt, ſed alieno judicio jugum Domini trahentes, quo ire delectationibus ſuis voluerint, denegatur; & quod animus ipſorum optaret, ab his omnimodis ſubtrahitur. Sed non debet deſperare qui in tali carcere ſe poſuit propter Deum. Scriptum eſt enim: Voluntas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.

Prov. 16. Joan. 6. 38.

Dicet aliquis, mercedem non expecto de invito opere bono, Reſpondeo mercedem expectare potes, tantum non conſentias pec-

Digitized by Google

CAPUT II *De Bened. monachorum.*

cato. Tria ſunt in homine, ratio, voluntas, & appetitus. Dum ſervit voluntas rationi, quamvis appetitus doleat, vivit homo ſpiritualiter. At cum appetitus ſuperat rationem, ex hoc contra ſe animaliter vivit. Nulla ergo deſperatio ineſſe debet his qui non voluntate peccant, quia fidelis eſt qui repromiſit. Et quid repromiſit? *Quicumque perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Ille quippe animam ſuam, id eſt vitam ſuam perdere videtur, qui quaſi pro nihilo vivit, & videtur quaſi non eſſe. Hoc ſtultis videtur, ſed deſipiunt cum hoc putant. Neque enim, ut B. Auguſtinus dicit, utiliter in tempore vivit, niſi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Qui ita perdit animam ſuam; in vitam æternam inveniet eam, cum id ei à Domino dabitur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Pro hoc non debet aliquis deſperare ſi cum tædio & quaſi per vim agit bonum quia ſcriptum eſt: *Regnum cælorum vim patitur & violenti diripiunt illud.* Deus enim prænoſcens infirmitates hominum propitiator eſt humanæ fragilitati. Non enim ultra quam ferre poteſt ſinit quemquam tentari, nec reputat damnabile quicquid appetitus carnis in homine commovet. Tantum ratio per conſenſum operationis non ſuperetur, atque ſubjiciatur. De hoc enim ita dicit Apoſtolus Paulus, *Nihil damnationis eſt his qui in Chriſto ſunt, qui non ſecundum carnem ambulant.*

Matth. 16. 25. *Ibid. 11. 12.* *Rom. 8. 1.*

Scrutinium ante profeſſionem faciendum.

Nunc opitulante Domino, de ſcrutinio aliquid dicamus. Sunt enim multi qui non ſolum illud prætermittunt propter ſubſcriptionem, ſed etiam neſciunt quid ſit, aut quo modo agi debeat. Sive enim ſubſcribatur, ut jam ſuperius diximus, ſive non ſubſcribatur, ſemper ante benedictionem ſcrutinium eſt peragendum. Nam ſine ſcrutinio aliquis ſacer ordo in eccleſia non recte peragitur. Cum benedici petierit qui benedicendus eſt, coram omnibus ab illo qui præeſt prædicentur ei omnia dura & aſpera, quod monachilis ordo & diſciplina in ſe continet, id eſt aſperitatem ordinis, difficultatem obedientiæ, & inſuper abrenuntiationem propriæ voluntatis ſecundum inſtitutionem ſanctæ regulæ. Et cum hæc oſtenta ei fuerint, dicatur ei: Ecce lex ſub qua militare vis, ſi potes obſervare ingredere; ſi vero non potes, liber diſcede. At ille ſi promiſerit ſe omnia cuſtodire ſingillatim hæc quatuor interrogentur ab illo. Vis eſſe monachus? ℟. Volo. Vis eſſe perſeverans & ſubjectus huic eccleſiæ? ℟. Volo. Vis mutare mores tuos de malo ad bonum? ℟. Volo. Vis eſſe obediens abbati & præpoſitis tuis ſecundum inſtituta regulæ? ℟. Volo. Et ille qui præeſt: Dominus verus paſtor adjungat te ſuis ovibus, & omnes ſancti ſuorum conſortio. Et reſpondeant omnes, Amen. Hoc eſt ſcrutinium. Deinde ad miſſam poſt evangelium, ſicut moris eſt, benedicitur, & communicetur, & ſit in ſilentio tribus diebus.

Si vero in infirmitate poſitus ſanctum habitum petierit: Si uxoratus eſt, coram teſtibus dimittant ſe invicem. Nullus quippe, neque ſanus neque infirmus, ante debet accipere tonſuram & habitum monachilem, quam ſi uxoratus eſt, utrorumque conſenſu ab invicem ſeparentur. De hoc habemus multas auctoritates, quas ſuperſedemus hic ponere propter prolixitatem

prolixitatem & tædium legentium. Hoc peracto, ſi tunc eum benedici voluerit timore mortis, dicat qui eum benedicturus eſt: Vis eſſe monachus? Reſpondet, ſi poteſt loqui; & ſi non poteſt, parentes & amici ejus pro eo, Volo. Vis perſeverare in hoc ſacro ordine quod petis. ℞. Volo. Vis eſſe obediens huic eccleſiæ, & abbati, & præpoſitis illius? ℞. Volo & cupio. At ille: Et nos in nomine Domini ſacrum habitum quem petis hac pactione tibi damus. Tunc primum faciat eum clericum ſicut ordo expoſtulat, ut ſit quod ſonat. Clericos hinc appellatos dicunt, quia Matthias ſorte electus eſt: quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Cleros enim græce, ſors vel hæreditas dicitur latine. Propterea ergo dicti clerici, quia de ſorte Domini, vel quia eum partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur omnes qui in eccleſia Chriſti deſerviunt, quorum vij. ſunt gradus. Quo peracto, benedicat eum ita incipiens: *Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea*, & cetera quæ ſequuntur, ſi exitus mortis non coegerit, ut aliquid de inſtitutis orationibus dimittatur: ſi ad ſanitatem redierit, quæ acta dictaque fuerunt non repetantur: Quæ vero acta non ſunt, perficiantur. Hic idem modus ſervetur in pueris.

CAPUT II. *De Bened. monachorum*

Pſal. 118. 116.

Iſtis breviter demonſtratis, modo ſi placet inſpicere ſtudeamus quid ſit quod promittit monachus & in ſcrutinio & in profeſſione. Et quid promittit? Stabilitatem, morum converſionem, & obedientiam. Quo modo promittit? Ego frater N. promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti, coram Deo & ſanctis ejus, in hoc monaſterio quod eſt conſtructum in honorem ſancti N. in præſentia domni N. abbatis.

Profeſſionis modus.

Cum aliquis hæc audit, & ſingula hæc diligenter inſpicit, ac deinde ubi, & cui, & ſub quorum teſtimonio; contremiſcit, & obſtupeſcit, & dicit inter ſe durus eſt hic ſermo: dura & difficilis hæc promiſſio, & quis adimplere eam fideliter poteſt? Arta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam. Reſpondemus. Non negamus, difficilem rem quantum ad humanum reſpectum promittit, qui iſta promittit. Vere arta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam. Sed tamen ſicut Dominus dicit de divitibus quod impoſſibile videtur hominibus, Deo eſt facile. Ipſe enim eſt potens in omnibus & per omnia, & quos vult facit potentes in omnibus quæ præcipit. Videamus nunc ſingula.

Promitto ſtabilitatem meam. Cum hoc dicit, promittit nullo modo ſe iturum quoquam abſque licentia ſui majoris, nec locum mutaturum pro qualibet cauſa propria voluntate, ſed uſque ad finem ibi permanſurum. Magnam promiſſionem & multis difficilem. Qui hoc promittit, in magno carcere propter Deum ſe ponit. Sed ſunt multi & vere multi, qui cum hoc promittunt neſciunt quod promittunt. Nam ſi ſcirent, non promitterent. Nam carcer eſt hæc promiſſio multis non omnibus. Nam quibus Deus facit aſperas vias planas, ſicut dat camelo tranſire per foramen acus, id eſt divitem ſæculi ad gaudia pervenire perpe-

CAPUT II *De B.ned. monachorum.*

tua; ſic & iſtis. Multi quippe vocati ſunt pauci vero electi. Multi quidem fuerunt ſancti magni nominis, ſicut legimus & multos novimus qui magnam opinionem inter alios homines habebant ſanctitatis, qui hanc virtutem ſtabilitatis, quamvis promiſiſſent, minime obſervare potuerunt. Sæpe enim de loco in locum pergunt, nec uſpiam ſunt ſtabiles: & quod plus mirandum, hoc ipſum quod faciunt, abſque ulla offenſa ſe facere exiſtimant. Videant quid faciunt: non eſt meum illos judicare. Veniet, & quotidie venit qui de occultis judicat & judicabit. Ad illos veniamus quibus Deus facit carcerem paradiſum voluptatis.

Stabilitas loci qua ratione dulceſcat.

Qui hanc promiſſionem vult adimplere, oportet ut omnino animum apponat, ut locum in quo ſtabilitatem promiſit diligat, & quaſi maternum gremium amplectatur; & cum propheta ore & corde ſemper dicat: hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Deinde opus eſt illi ut omnino otium fugiat. Nam homo otioſus uno loco nullo modo conſiſtere poteſt; & otioſitas inimica eſt animæ. Qui enim otioſus eſt tædio afficitur; & qui in tædio eſt, nullo modo diu locum proprium diligere poteſt; & locus non dilectus quam ocius deſeritur. Igitur qui locum proprium non diligit, & ab otio non ſe præcavet, nullo modo hanc pactionem obſervare diu prævalet.

Hanc ſtabilitatem intelligere quis poteſt etiam fidelitatem. Sunt enim multi qui ſtabiles ſunt propriis locis corporaliter multis ex cauſis; ſed non ſunt fideles ſuis eccleſiis. Nam aut fraudatores ſunt de rebus eccleſiæ, aut quod pejus fures & ſacrilegi. Quid igitur? fraudator propriæ eccleſiæ non eſt fur? Immo ſacrilegus dupliciter, quia res pauperum aufert, & eccleſiam expoliat de re propria. Sunt qui ab his iniquitatibus apertis ſe cuſtodiunt, ſed tamen nihil conquirere volunt ſuis propriis locis cum poſſent. Sed quod pejus, palliatis occaſionibus quidquid poſſunt exportant. Et ſunt alii qui hanc nequitiam non faciunt, ſed nihil facere pro ſe volunt, vel in aliqua re proficere ſuis eccleſiis cum nimis prodeſſe illis poſſent, immo ſibi. Hi omnes quales æſtimandi ſunt? Vere inſtabiles, quia infideles. Nam ſi corpore permanent quod vix efficitur, mente tamen & voluntate per mundum vagantur. Sunt enim multi intus, qui ſunt foris; & multi foris, qui intus remanent. Quomodo? Ponamus aliquem qui vix paucis diebus demoretur in eccleſia propria, & tamen ubicumque vadit, ubicumque eſt, ſemper cor & animus illius ad profectum ſuæ eccleſiæ ſemper intendit & inhæret. Semper de loco in locum pergit, & more prudentis apiculæ & ingenioſæ ſemper ubicumque eſt, utilitatem & profectum propriæ eccleſiæ quærit & operatur. Iſte talis ſi à peccatis ſe cuſtodit & præcavet ne per illum eccleſia ſua diffametur de aliqua re turpi, immo ſacer ordo; iſte talis ſtabilitatem propriam bene cuſtodit. Si autem hoc idem fecerit permiſſu ſui paſtoris, quid de illo dicendum eſt, niſi qui & ſtabilis eſt & obediens eſt?

De morum converſione.

Sequitur & converſionem morum meorum. Arta & anguſta via. Hic promittit qui hæc promittit mutationem vitæ præteritæ, ut ſi fuit ſuperbus, deinceps ſit humilis; ſi levis moribus, deinceps maturus; ſi

Digitized by Google

lubricus, deinceps firmus in bono; ſi iracundus & impatiens, deinceps mitis & patiens; ſi vinolentus & gluto, deinceps ſobrius & continens; ſi cupidus & avarus, deinceps largus & amator paupertatis; ſi delicioſus & ſcurrilis, deinceps vilis & maturus. Sic in cæteris. Sed ad hæc quid dicemus? Multi iſta promittunt, ſed pauci adimplent, ſed beati qui promiſſa cuſtodierint. Sed quod pejus, multi quod promittunt, non ſolum obſervare nolunt, ſed etiam ipſam promiſſionem mutant, quantum in ipſis eſt. Quo modo? Audiat & intelligat qui vult. Sunt multi qui in ſæculari habitu bene & recte vivunt: ſed nullus tam bene vivit, qui melius vivere non poſſit, nec ullus ita ſanctus, qui ſanctior eſſe non poſſit: & ideo cum aliquis bonæ vitæ efficitur monachus, ideo facit quia monachicam vitam ſanctiorem æſtimat ceteris ordinibus ſanctitate & perfectione. Et qui hæc putat non errat. Cum vero ad hanc profeſſionem quis pervenit, converſionem morum ſuorum promittit, de id ſcilicet quod nondum eſt, non de id quod eſt. Si enim fuit caſtus conjugatus, promittit dehinc perpetuam continentiam; ſi deditus eleemoſynis ex proprio ſuo, dehinc promittit omnia relinquere, non ſolum quæ poſſederat, ſed etiam ſe ipſum; ſi fuit ſobrius & vigilans atque ſtudioſus ad audiendum opus Dei poſt ſpatia temporum, deinceps continuatim & abſque intermiſſione; ſi dilexit amicos, deinceps diligat inimicos. Qui igitur illam bonitatem quam habebat in ſæculo relinquit & pejor fit quam erat in ſæculo, nonne iſte mutat vitam ſuam de bono in malum? Quod exemplis multis poſſemus oſtendere, ſed de multis pauca dicamus quæ viſu & auditu experti ſumus. Multi dum in ſæculari habitu ſunt, ita in opere Dei ſunt ſtudioſi, ut nullo modo dies prætereat, quo miſſam non audiant, & ſæpiſſime duas vel tres: qui ut ſunt tonſorati & manicati, & ut mos eſt conſecrati, ita ſe inertiæ conferunt, ut non dicam unus dies, ſed etiam plurimi prætereant eis abſque miſſa. Iſti quid faciunt? Nonne hoc quod diximus? Novimus & alios qui cum in ſæculo eſſent, os ſuum à juramento & maliloquio omnimodis cuſtodiebant, qui ut burlatam veſtem ſunt induti, è contrario ita juratores incipiunt eſſe, quaſi ipſe ordo hoc requirat. Et quid de loquacitate & ſcurrilitate dicam, cum melius poſſint æſtimari quidam confabulatores quam monachi? Sunt alii qui cum in ſæculo ſunt, ita ſe humiliter agunt, verbo, habitu, & aſpectu, ut his qui illos aſpiciunt, ad memoriam reducatur ille evangelicus publicanus, qui ad cælum oculos erigere non audebat, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Domine propitius eſto mihi peccatori. Iſte talis cum eſt tonſoratus, & præparatus quaſi ovis ad victimam, fit non ſolum aries qui cornibus impetit, ſed etiam ut indomitus taurus qui craſſa cervice incedit, vel ut equus indomabilis qui ungula terram fodit. Et qui ante ſe peccatorem, reum, & omni vilitate dignum ſe adclamabat, nec dignum aliqua appellatione; poſt modicum ita ſe elevat, non ſolum mente, ſed etiam operatione, ut dedignetur alloqui & coram aſſiſtere nobilibus & honeſtis viris, & eis pro aliqua cauſa vix reddere rationem; eſtque in eo-

Digitized by Google

Caput II. De Bened. monachorum.

major ſuperbia, cum ſit infimo genere, quam eſt in viris ſæcularibus tyrannica poteſtate. Sunt & alii qui in ſæculo nil habuerunt quod computari poſſit: hi poſtquam monachi ſunt nominati de beneficiis & oblationibus fidelium ſe extollunt & divites fiunt, & per hoc in tantam ſuperbiam ſe elevant mente & actione, ut mirabile ſit non ſolum dicere, ſed etiam cogitare. Nam qui ante monachatum vix parvum tugurium habebant, & vix unum ſolidum conquirere poterant, poſtea de eleemoſynis divitum fidelium fiunt poſſeſſores magnarum poſſeſſionum & adunatores magnarum opum. Qui cum ſe adunaſſe multitudinem pecuniæ, auri ſcilicet & argenti vident, fiunt inde curiales & legatarii regum & principum, adquiruntq; gratiam principum favorabilibus obſequiis in tantum, ut per hoc ad eccleſiaſticos honores perveniunt. Sunt vero alii qui ad hoc pertendere non poſſunt, ſed tamen quantumcumque poſſunt, luxu & voracitatibus atque crapula totam vitam ſuam in hoc expendunt. Sed quid in his diu immoror? Multi in monaſteriis inveniuntur, qui extra ſunt pannoſi, & intus portant ſuperbiam tyrannorum: vultus habent pallidos, & animos plenos invidiæ: caput ſpecie tenus circulatum, cor ſpelunca latronum, & omni ſpurcitia contaminatum: facies incomta & inculta, caro luxurioſa: demiſſum ſupercilium: corpus petulcum: verba bleſa, mens impudica. Quid igitur de iſtis omnibus dicam? Nonne omnes hi quos commemoravimus mutant vitam ſuam, immo commutant de bono ad malum, de ſanctitate ad iniquitatem, de paupertate ad divitias, de humilitate ad ſuperbiam, immo de amore Dei ad amorem ſæculi. His omiſſis ad tertiam promiſſionem veniendum eſt. Sequitur.

Obedientia profeſſionis tertia promiſſio.

Et obedientiam ſecundum regulam S. Benedicti. De hac tertia promiſſione quæ gravior & difficilior eſt ceteris duabus ad implendum (Nam in ea pendet omnis perfectio monaſticæ inſtitutionis,) jam multa locuti ſumus in tertia datione, nec opus eſt, ut in hoc immoremur quæ jam diximus. Qui pleniter ſcire deſiderat quæ ſit obedientia monachi, & quomodo adimplere ei oporteat, legat regulam ſupradicti Patris Benedicti; & ibi in multis locis inveniet, maximeque in ſententia quæ ſic incipit: Primus humilitatis gradus eſt obedientia ſine mora; & illam quæ eſt in fine regulæ, quæ ſic incipit, Si cui fratri aliqua forte gravia & impoſſibilia injungantur: inveniet pleniſſime monachicam obedientiam. Quam perfectionem nullus pleniter implere poteſt, niſi qui in monaſteriis converſantur. Iis vero qui hæc adimplere ſtuduerint, erit perfecta remuneratio, ſicut & perfecta datio. Nullus eſt enim, teſte B. Auguſtino, melior morum religione, quam monachus bene propoſitum ſuum ſervans; nec ullus pejor, quam ii qui hoc propoſitum commaculant & obſervare negligunt. Sic namque dicit in quadam epiſtola ad Hypponenſes: Simpliciter fateor caritati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper anima mea, ex quo Deo ſervire cœpi, quo modo difficile ſum expertus meliores quam qui in monaſteriis profecerunt: ita non ſum expertus pejores quam
22. 11. qui in monaſteriis ceciderunt. Ita ut hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum:

Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. "

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

In id vero quod ſequitur: *Coram Deo & ſanctis ejus*, nulla controverſia eſt, quæ recte opponi poſſit: quia certum eſt quod & Deo promittuntur iſta & coram Deo, teſte pſalmiſta qui dixit: *Ante te omne deſiderium meum.* Et idem propheta ſatis in CXXXVIII. pſalmo de Dei cognitione loquitur, oſtendens nullam rem omnino poſſe abſcondi ab ejus præſentia. Eſt hoc verbum quod dicit *Coram Deo* ſimile prophetæ dicto: *Ecce Dominus mandabit & percutiet domum magnam ruinis, & domum parvam ſciſſionibus.* Quod ſequitur, *In hoc monaſterio quod eſt conſtructum in honorem ſancti N.* ad promiſſionem ſtabilitatis proprie pertinere videtur, licet ad alias duas aptari poſſit. De id vero quod in fine dicitur: *In præſentia domni N. abbatis*, multi errant, maximeque abbates exiſtimantes per hoc ſcriptum illos quos benedicunt ſuos eſſe profeſſos, quod falſum omnino eſt, & verecundiæ dicere & æſtimare. Non enim eſt aliud in hoc niſi teſtis. Nam hoc quod dicitur *In præſentia domni abbatis*, non eſt niſi confirmatio dationis, ſicut in ſcriptis terrenarum donationum in fine dicitur & ſubſcribitur, teſte iſto, teſte illo. Sicut enim nullus preſbyter dicit, hic meus baptizatus, vel meus chriſtianus: Nam unus eſt qui baptizat, de quo ad Johannem dicitur, hic eſt qui baptizat. Et ſicut nullus epiſcopus poteſt dicere, hic eſt meus ordinatus, vel meus conſecratus: nam unus eſt qui ordinat & conſecrat: ſic nullus abbas poteſt & debet dicere hic eſt meus profeſſus, vel meus monachus: nam unus eſt cui ſubſcribitur, & unus qui benedicit. Hoc namque verbum quod dicitur, hic eſt meus monachus; vel meus profeſſus, mendacium eſt, & procedit ex fonte nimiæ ſuperbiæ, ſicut & illud quod dicunt de hominio laicorum, hic eſt meus homo, cum forſitan ille qui hominium facit ſit comes, vel alicujus magnæ dignitatis, & ille qui recipit infimo & viliſſimo genere. Cum hæc aliquis dicit, inter ſe deberet dicere, qui ſum ego & quis iſte? De qua re facit mihi teſtimonium, de patrimonio meo, & de re propria, an de re aliena? Certe non de re propria, ſed de rebus eccleſiæ, & de rebus pauperum. Nam quis ego? Nonne diſpenſator & cuſtos, non Dominus & poſſeſſor? Et ne longius protrahamus iſta, hominium quod eccleſiaſticæ perſonæ accipiunt à laicis de rebus & pro rebus eccleſiarum ita intelligendum & accipiendum eſt, ut illud hominium quod reges & principes faciunt ſuis hominibus de rebus ſuis ab aliis hominibus.

Pſal. 37. 10.

Amos. 6. 11.

Cum igitur iſta ſcriberentur, & aliqui ea libenter legerent, cœperunt inde aliqui proponere quæſtiones. Si profeſſio, inquiunt, monachi nihil ad abbates reſpicit, niſi quod teſtis eſt ſubſcriptionis, quam Deo & eccleſiæ ſuæ monachus vovit, quid eſt quod abbates tam libere dant ſuis ſubjectis licentiam diſcedendi de ſuis cœnobiis, cum aliqua controverſia inter eos exoritur, quaſi ſibi & non Deo & eccleſiæ illi fecerint profeſſionem?

RESPONSIO. Quamvis nodoſa ſit quæſtio ad diſſolvendum, tamen quantum Dominus donaverit ſua gratia breviter diſſeremus. Propoſi-

Digitized by Google

Caput I. *De Bened. monachorum.*

tio eſt de magiſtris utrum eis liceat ſubjectos liberos facere atque abſolvere à profeſſione quam Deo & eccleſiæ ſuæ fecerunt, an non? Nunc videamus breviter textum profeſſionis; utrum quæ in ea dicuntur reſpiciant ad abbates, an non. » Ego, inquit noviter converſus, » promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & » obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti, coram Deo & » ſanctis ejus, in hoc monaſterio, quod eſt conſtructum in honorem » S. N. in præſentia hujus abbatis. Tria promittit, primum ſtabilitatem; deinde morum converſionem; tertio obedientiam. Cui? huic monaſterio vel in hoc monaſterio: utrumque namque tantumdem valet. Coram quibus teſtibus? Deo & ſanctis ejus. Non dicit huic abbati promitto hoc, ſed huic monaſterio, quaſi dicat, mutentur, moriantur abbates, huic monaſterio obedientiam & ſtabilitatem promitto me uſque in finem ſervaturum. Si enim abbati qui præſens adeſt tantum ad teſtimonium vel benedicendum id promitteret, revera dum moreretur fieret profecto liber à profeſſione, ſicque neceſſe eſſet, ut ſingulis abbatibus qui eo vivente ſuccederent, eadem promitteret, fierentque tot profeſſiones, quot abbates haberet: quod ſtolidiſſimum eſt non ſolum facere, ſed & dicere. Quapropter firmiter eſt tenendum quod id quod promittit, non abbati promittit, ſed Deo & eccleſiæ cui ſe ſubdit: ita etiam ut ſi caſu eccleſia deforet ab abbate; non liceret ei pro hoc promiſſum violari. Quod vero in fine dicitur *in præſentia hujus abbatis*, non eſt aliud niſi quod teſtis eſt, ut diximus, hujus ſubſcriptionis, & ſi ab ea deviaverit qui ſubſcripſit; licite eum conſtringet obſervare quæ promiſit, ut miniſter Chriſti & vicarius eccleſiæ cui ille ſubſcripſit. Id vero quod in quibuſdam cœnobiis cum abbatis teſtimonio etiam totius congregationis ponitur ita *in præſentia iſtius abbatis & totius hujus congregationis*, propter hanc controverſiam de qua agimus, ut credo, inſtitutum eſt: ne quis abbatum crederet ſibi facere profeſſionem cum ſe audit nominari in ipſa profeſſione, quod cautiſſima proviſione ſtatutum eſt. Nunc ad propoſita veniamus.

Unuſquiſque cum ad religionem monachicam attingere cupit; quia arta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui per eam ſciant pergere recto tramite, ſecundum quod Jeremias propheta dicit: 10. 23. *Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos; & ſupra ſtultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua*; cum ad hunc ordinem, ut diximus quiſque venit; ſubdit ſe uni homini vice illius qui dixit: *Ego ſum paſtor bonus*, & *ego ſum oſtium*, & *via & veritas & vita*; & ſub diſciplina illius ponit animam & corpus ſuum, promittens ei obedientiam & omnem ſubjectionem, ut ille ſit ei pater & paſtor vice illius qui dixit: *Ego ſum paſtor bonus*, & ipſe illi ſit ut filius. Abbas vero hac pactione illum recipit, & curam animæ & corporis illius ſuper ſe omnino ponit. Quam pactionem non eſt licitum abrumpere quamdiu abſque damno animarum utriuſque ſimul eſſe poſſunt. Si vero aliqua controverſia inter eos exorta fuerit, aliquo tempore, & non

poterint id quod promiſerant cuſtodire abſque damno vel detrimento alicujus illorum vel certe amborum, melius eſt ut unus ſalvetur, quam uterque in præruptum damnationis cadat. Nam de magiſtris dicit veritas diſcipulis: *Si oculus tuus ſcandalizat te, abſcide eum & projice abs te & ſi manus tua vel pes tuus ſcandalizat te abſcide eum & projice abs te, & reliqua.* De diſcipulis vero doctor gentium dicit magiſtris: *Auferte malum ex vobis*, Et *infidelis ſi diſcedit, diſcedat.* B. BENEDICTUS cum hoc exemplum poneret, adjunxit quare, ne una, inquiens, ovis morbida totum gregem contaminet. Id eſt ſi talis eſt ut non ſolum ſibi ſed & aliis noceat, melius eſt ut ipſe ſolus damnetur quam alii propter eum. De illa vero profeſſione quam monachus Deo & eccleſiæ ſuæ vovit, & ſubſcripſit, nulla ratione debet aut poteſt eum abſolvere abbas: quia omnino non eſt ſuum hoc facere. Sicut enim ullus preſbyter non poteſt aliquem chriſtianum abſolvere à vinculo chriſtianitatis, ſic nec abbas aliquem monachum à ſubſcriptione quam Deo & eccleſiæ ſuæ fecit.

CAPUT II. De Bened. monachorum.

Matth. 5. 30.

1. Cor. 7. 15.

1. Cor. 5. 10.

Tamen hoc tantum videtur nobis illum poſſe concedere, ut ab illa ſubjectione quam ei ille promiſit in ſcrutinio ante profeſſionem poteſt eum abſolvere quoquo modo antequam pejus faciat & aliis noceat. De duobus enim malis levior aſſumendus eſt, ut majus evitetur. Dubia res eſt valde, ſed uſu quaſi in auctoritate verſo. Sed hanc auctoritatem & hunc uſum verterunt Domini abbates in damnationem ſibi ſuiſque ſubjectis. Cum enim aliquem ex ſubjectis odio habent, vertunt diſciplinæ auctoritatem in dominationem & tyrannidem, ſuaque odia atque iras palliant velamine diſciplinæ, ad medium deducentes dictum apoſtoli qui dixit: *Auferte malum ex vobis.* Verum eſt quia apoſtolus hoc dixit, hoc juſſit; ſed numquid probare poſſunt quod juſſerit hoc odio? Nullo modo. Certum namque eſt ex his quæ ſequuntur, quia nec ex ira vel aliqua mala motione hoc præcepit, ſed ex fonte caritatis & zelo diſciplinæ. Vis audire quomodo? Dicit in ſecunda epiſtola ad eoſdem quibus hoc præceptum dederat in prima, id eſt ad Corinthios: *Sufficit illi qui hujuſmodi eſt objurgatio hæc quæ fit à pluribus; ita ut econtra magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiore triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.* Statimque adjungens apertius manifeſtat quo corde illa ſuperius dixerat: *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illo caritatem.* Quare? *Ne forte abundantiore triſtitia abſorbeatur.* Non dixit, non juſſit, perpetualiter excludi illum à veſtro conſortio; ita ut nec pœnitens reverti poſſit: Sed dixit *confirmetur in illo caritas, ne forte abundantiore triſtitia abſorbeatur:* Dominum ſuum per omnia imitari ſtudens, qui dixit per prophetam: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.* Ipſe pius Dominus dixit in evangelio: *Omnis qui venit ad me non ejiciam foras.* Contra hoc Domini abbates non ſolum non recipiunt extra venientes, ſed etiam projiciunt, immo expellunt intus ſtare volentes. Salvator cui cuncta ſunt quæ ſubſiſtunt, ipſe in paſſione dixit ad Patrem: *Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam.* Et Domini abbates non ſolum non admittunt quod tra-

1. Cor. 5. 13.

2. Cor. 2. 6.

Ezech. 33. 11.

Joan. 18. 9.

Digitized by Google

CAPUT II. *De Bened. monachorum.*

ditum eſt illis ad cuſtodiendum, verum etiam & expellunt. Pius paſtor dixit: *Venit filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Et Domini abbates ſecundum quod propheta dicit: Quod craſſum eſt occidunt, & quod infirmum non conſolidant, & quod ægrotum non ſanant, & fractum non alligant, & quod abjectum non reducunt, & quod perit non quærunt; ſed cum auſteritate imperant eis & cum potentia. Paſtores volunt videri & appellari, ſed illum imitari nolunt, cujus locum honoris tenent, qui dixit *Ego ſum paſtor bonus.* Qui ſubdens oſtendit quomodo ſit bonus paſtor. *Cognoſco eas* per dilectionem, non per potentiam & tyrannidem: *& illæ me cognoſcunt*: illæ ſcilicet ſubaudis quæ ſunt meæ cognoſcunt me per amorem & præceptorum obedientiam, non per timorem & odium. Et quali quantaque dilectione eos cognoſcendo diligat protinus manifeſtat, cum ſubdit: *Pono animam meam pro ovibus meis.* O vos quibus nomen paſtoris delectat ad voſmetipſos reducite mentes veſtras & inſpicite, ſi eſtis tales qualis ille fuit cujus nomen & vicem portatis. Sed vos nomen & honorem Summi Paſtoris tenere vultis, ſed opus ejuſdem Paſtoris nec ad modicum implere ſtudetis; ſed, quod pejus eſt, quod ille mirabiliter creavit, & mirabilius reformavit, non aliunde quam pretioſo ſuo ſanguine, hos Domini abbates contenditis propellere & demergere in id unde eos Chriſti ſanguis redemit.

Luc. 19. 10.

Deinde proponitur. Et monachus illam profeſſionem quam Deo & eccleſiæ ſuæ fecit, aliqua cauſa poteſt mutare?

RESPONSIO. Videtur aliquibus quod poſſit mutari tribus ex cauſis; aut cum ille qui præeſt aliqua macula ſimoniæ agnoſcitur eſſe maculatus. Non enim juſtum aut rectum judicatur cum excommunicato habere conſortium: vel ſi eccleſia in qua profeſſus eſt ita exiſtat exordinata, ut nullo modo poſſit in ea monaſtice vivere: tertio ſi is qui præeſt vel cohabitantes pro juſtitia moverint ei perſecutionem. His tribus cauſis perhibent ſeniores monachum poſſe mutare profeſſionem, conceſſu tamen ſui epiſcopi. Mihi vero videtur melius & ſecurius, ut & profeſſionem ſuam modo ſervet, & ad tempus ſecundum Domini juſſum det locum iræ atque diſcordiæ.

Poſt hæc quæritur cum abbas ille, cui ſe ſubdidit primum monachus, & coram quo ſubſcripſit, mortuus fuerit, illi abbati qui mortuo ſuccedet, debet eſſe ſimiliter ſubjectus ſicut priori an non?

RESPONSIO. Plane quantum ad rectitudinem & ad perfectionem. Nam cum quis promittit obedientiam, non parietibus quæ ſunt inſenſibiles creaturæ illud promittit, ſed prælatis qui vices Chriſti in eadem eccleſia tenent, & qui ſecundum Deum ibi conſtituti ſunt. Sed quia his diebus tanta perverſitas, tam magna ſuperbia in monachis & maxime in abbatibus invenitur quanta in nullo ordine: ideo in hac re diverſi diverſa ſentiunt, de quibus duo ponenda ſunt. Aiunt quidam: Nullus homo poteſt animam meam ſub poteſtate ſua habere, niſi ei dedero. Hac ratione Deus cum condidit hominem, dedit ei liberum arbitrium

arbitrium, id eſt liberam voluntatem ſive ad bonum ſeu ad malum. Cum vero peccavit homo, & ſua præclariſſima dona ei Deus pene abſtuliſſet, eumdem tamen liberum arbitrium, quod in paradiſo dederat, reſervavit, ut ſemper voluntas hominis in homine libera foret, ut ad quod vellet ſe libere converteret ſive ad bonum ſive ad malum, licet non ſic perfecte ſicut prius. Nam antequam peccaſſet, libere volebat quidquid volebat. Ideo libere, quia ſtatim quod volebat erat, & recte quia nihil contra Dei voluntatem volebat. At cum contra Dei voluntatem voluit, bonum etiam quod inde voluit quaſi cum quadam difficultate voluit. Unde ſolent homines dicere: Id volo, ſed cum difficultate. Hunc liberum arbitrium hominis nemo alius homo debet aut poteſt habere ullo modo, ulla ratione, niſi qui ſponte eam tradiderit alicui homini propter Deum. Hanc donationem nullus alius probatur poſſe facere, niſi ſolummodo monachus, qui ſe ita totum dat Deo, ut renuntiet ſe à ſemetipſo, ut ultra non ſit ſuus, non ſolum in operatione, verum etiam in voluntate. Igitur cum diſcedit is cui voluntatem ſuam vice Dei tradiderat, liber fit a donatione quam homini fecit, & niſi alteri iterum idem conceſſerit, vel ut certius dicam tradiderit, ſcilicet curam animæ ſuæ, & ſub illo ſubmiſerit voluntatem ſuam, quamvis abbas vocetur qui ſubſtitutus eſt, & in ea quæ deforis ſunt videatur habere poteſtatem in animam illius, nulla ratione habet poteſtatem, & eſt à cura animæ illius omnino liber: & ille ab illius ſubjectione, ſi vult. Quod plane rectum & rationabile judicatur. Eccleſiaſtica namque dominatio non eumdem modum habet, quam tyrannica ſæculi dominatio. Tyrannica nempe dominatio cum acquirit terras & diverſas provincias atque etiam regna, vult ut omnes habitantes in eas, velint nolint, ſint ei ſubjecti, & quicumque contradixerit, gladio feriatur. Econtra eccleſiaſtica cenſura tyrannidem non requirit, lites odit, ſcandala præcavet, faſtum & arrogantiam execrat, illum imitari ſemper cupiens qui dixit *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: *Et qui vult inter vos major eſſe, fiat omnium ſervus*. Contra hoc Domini abbates volunt habere per dominationem tyrannicam, quod eccleſia Chriſti timet & præcavet habere per rectitudinem ſemper timens illam ſententiam, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Quæ enim furia? quæ amentia eſt illum velle habere quaſi ſervum empticium, qui nihil mihi debet pluſquam ego illi? Sumus enim pares, & in natura, & in Chriſto.

Caput II. *De Bened. monachorum.*

Joan. 14. 26.

Marc. 10. 44.

Alii iſta ſic exponunt: Canonicalis regula eſt ut unuſquiſque grex chriſtianus per orbem diffuſus ſecundum ſuos gradus & ordines habeat proprium paſtorem: qui regulariter debet eligi antequam præponatur. Si epiſcopus eſt, cleri & populi electione præficiatur. Si abbas, communi omnium fratrum electione, prorſus excluſa omnis favoralis gratia, & omne munus ſive à manu, ſeu à lingua, ſeu ab obſequio. Breviter iſta perſtrinximus, nam nimis prolixum eſt omnes regulas & omnes auctoritates Patrum de iſta re in unum colligere. Tamen ne omnia omnino prætériiſſe videamur, pauca de multis ponenda ſunt. Colles-

M

CAPUT II *De Bened. monachorum.*

TINUS PAPA: Nullus invitis detur epiſcopus, cleri & plebis & ordinis conſenſus requiratur, & tunc alter de altera eligatur eccleſia, ſi de civitatis ipſius clero, cui eſt epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. EX CONCILIO AURELIANENSI: Nullus ordinandus eſt epiſcopus, niſi convocatis clericis & parochianis, & in unum conſentientibus. GREGORIUS Mariniano. Defuncto abbate, non aliunde ibi abbas ordinetur, niſi in propria eccleſia non fuerit idoneus. ITEM GREGORIUS Petro ſubdiacono. Monachus qui in lapſum corporis inciderit, non ordinetur abbas: ordinatus autem cognitus deponatur. EX CONCILIO AFRICANO. Illud ſtatuendum eſt, ut quando ad eligendum epiſcopum convenimus, ſi qua contradictio oborta fuerit, non præſumant ad purgandum eum tres tantum epiſcopi; ſed poſtulentur ad hunc numerum, ſi haberi poſſunt duo, & diſcutiantur primo perſonæ contradicentium, poſtremo etiam illa quæ ſubjiciuntur pertractentur: & cum purgatus fuerit ſub conſpectu publico, tunc demum ordinetur. EX CONCILIO AURELIANENSI. Ut epiſcopi judicio metropolitanorum & epiſcoporum qui circumcirca ſunt provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem: hi videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei quam rectæ converſationis exemplo. Si quis epiſcopus aut abbas vel preſbyter per pecuniam obtinuerit aliquam eccleſiaſticam dignitatem, dejiciatur ipſe & ordinator ejus, & à communione ſancta modis omnibus arceatur. GREGORIUS. Si quem ad epiſcopatus gradum provehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conſcientia, ſincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum ſacerdotii pretii venalitate mereatur. Ita caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur epiſcopus, ut locorum quocumque pervenerit, omnia vitæ ſuæ propriæ integritate purificet, & non pretio, ſed precibus ordinetur epiſcopus. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola ſibi ſuffragetur neceſſitas excuſantis. Profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus. ITEM GREGORIUS. Antiquam Patrum regulam ſequens, nihil umquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum. Sicut enim non decet pontificem manum quam imponit vendere; ita miniſter & notarius non debet in ordinatione ejus vocem & calamum venumdare. Pro ordinatione ergo & uſu pallii ſeu chartis atque paſtellis eum qui ordinandus eſt omnino aliquid dare prohibeo. ITEM IPSE. Sunt nonnulli qui nummorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros ordines pro humana gratia largiuntur. Hi nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia nummum favoris de impenſo officio ſanctitatis expetunt. Unde cum virum juſtum deſcriberet Iſaias ait: Qui excutit manus ſuas ab omni munere: quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud á manu, aliud munus à lingua. Munus ab obſequio ſubjectio indebite impenſa, munus à manu pecunia, munus à lingua fa-

Digitized by Google

tor. GREGORIUS EPISCOPIS PYRI. Admoneo atque conteſtor, ut omnino ſitis ſolliciti, & nihil ſibi commodi datio, nihil gratia, nihil quarumlibet ſupplicatio perſonarum in ſacris ordinibus vindicet. ITEM IPSE. Non eſt pura ante Deum ordinatio, ubi ſubeſt favor, vel aliqua gratia hominum. ZOZIMUS papa in decretis ſuis: Eccleſiaſticis diſciplinis non pleniter imbutus, & laicus ad epiſcopatum non accedat. ET CÆLESTINUS in ſuis. Laicus, aut criminibus irretitus ad ſacros ordines non accedat. ITEM IPSE. Invitis non detur epiſcopus.

Sciendum vero eſt quod quidquid juſſum eſt de epiſcopis, ſimiliter intelligendum eſt de abbatibus. Diximus vero ſupra quod communi conſilio & permiſſu clericorum atque laicorum ſit ordinandus, & abbas communi omnium fratrum electione: quod certiſſimum eſt ita debere exiſtere. Sed quia difficile eſt ut in tot electionibus quiſque grex ſemper in unum conſentiat. Non enim omnes uno ſenſu, una ætate, uno ſexu, una voluntate ſunt; decreverunt ſancti patres, ut in unaquaque electione paſtoris grex proprius requiratur, & in unum congregetur, & eorum voluntatem poſt actas orationes in commune audiatur. Si omnes ſimul conſenſerint in idoneam perſonam, Deo gratias: Si non, quod majores natu & ſanctiores ſanctitate & prudentiores ſapientia cum timore & amore Dei elegerint præponatur, nec propter rixas & diſſentiones indoctorum atque inſipientium differatur. Similiter in electione abbatis faciendum eſt. Sed ſciendum quod major conſideratio omnimodis debet & oportet haberi in abbatiali quam in epiſcopali regimine vel ſuſceptione, quia duplicem onus ſuſcipit. Nam omnia quæ in epiſcopo debent eſſe, debent & in abbate, & multo plus, ni fallor. Et ut multa prætercam, epiſcopus non habet curam nec aliquam ſollicitudinem niſi de animabus ſibi commiſſis. Nam ſinguli quique chriſtiani, ſive ſint clerici ſive laici, licite poſſident ſua. Abbates vero non ſolum animarum, verum & corporum recipiunt curam. Utique illos recipiunt ad gubernandum, qui nihil in hoc ſæculo debent habere proprium: qui ſi habent damnabile eſt illis. Et B. BENEDICTI. inſtitutor S. Regulæ dicit quia ad abbatem reſpicit quidquid à diſcipulis delinquitur. Et ideo ſicut de animabus illorum ſunt reddituri Deo rationem, ſic procul dubio de corporibus.

Quarto interrogatur. In abbatis electione illos qui contradicunt, abbas noviter ordinatus debet illos pro hoc foras expellere an non?

RESPONSIO. Nullo modo. Non enim ulla auctoritas vel regula iſtud præcipit.

INTERROGATIO: Quomodo igitur erit?

RESPONSIO. Si pacifice & ordinate voluerint habitare in eccleſia, quandiu hæc fecerint, nullo modo pro illa contradictione debent expelli, vel aliquam moleſtiam ſuſtinere. Sed ſi in eccleſia pacifice habitare voluerint, tractet eos abbas prudenter & omnem amorem & obſequium eis exhibeat etiam pluſquam aliis, Domini ſui, cujus vicarius

eſt, implens conſilium, qui dixit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens congeres carbones in unum ſuper caput ejus.* At ſi voluerint pacifice vivere; ſed ſcandala, & contentiones, & exordinationes moverint in eccleſia; & viderit abbas per illos turbari eccleſiam ſibi commendatam, admoneat eos per ſe & per ſeniores eccleſiæ, ut quiete & ordinate vivant. Si non emendaverint, in notitiam epiſcopi ſui deferat: qui & ipſe admoneat eos ut ſe emendent: Si non fecerint; tunc jam clareſcentibus culpis, & coram epiſcopo examinatis, per conſilium epiſcopi debet eos conjurare. Si noluerint, ſed pertinaciter contra ejus interdictum remanere tentaverint, debet & poteſt eos expellere. Si tamen talis eſt malitia eorum ut eccleſiæ noceat. Hinc Gregorius Euſebio archiepiſcopo: Providi ſollicitudo paſtoris debet eſſe ut ovem languidam, quæ curationem non recipit, ne alias languoris ſui labe contaminet, à ſanorum conſortio non differat ejicere, ſciens ceterarum ſe ſanitatem non aliter niſi hujus poſſe ejectione ſervare.

Igitur quam ponderoſa ſit gubernatio monaſtici ordinis, & quam gravis & difficilis monachica ſubjectio, ſatis, ut opinor, in hoc Tractatu oſtendimus. Sicut qui longa probatione & exercitatione didicimus. Qui ordo quamvis ſit eminens & ſupereminens ceteris religioſis ordinibus, qua propior eſt Deo, ideo propior quia religioſior, ideo religioſior quia perfectior, & quantum perfectior tantum & difficilior ad tenendum & obſervandum, quia arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, ideoque utrobique difficilis, quia ex una parte quicumque credit ſcripturis, pro certo intelligit certa ratione quam inſipiens, immo amens eſt, qui ſuper ſe ponit curam animarum, de quibus ſingulis eſt redditurus rationem tam diſtricto judici, cum de ſua anima tantum erit impeditus, ut vix ab illa terribili examinatione poſſit quis per ſe evadere. Ex altera parte quanta ſit vecordia tradere animam & corpus ſuum, immo voluntatem ſuam, quam omnino habet liberam alicui mortali homini propter Deum, niſi talem ante cognoverit illum eſſe, qui ſciat & poſſit illum ducere recto tramite ad illum pro cujus amore ſubdidit ſe illius poteſtati. Nam ſicut ſtultum ſe probat ille qui in aliam patriam vult pergere onuſtus auro & gemmis; & timet malos occcurſus latronum ſi ſe homini committit, quem ante bene non novit virum eſſe fidelem atque prudentem in re hujuſmodi: ita ſtultus eſt multo plus qui curam animæ & corporis ſui committit homini, quem ante non noverit diuturna probatione.

CAPUT III.

De benedictione recluſorum.

QUÆ ſuperiori capite retulimus, ea potiſſimum illos ſpectant monachos, qui in cœnobiis degentes, communem cum pluribus vitæ ſocietatem ineunt, ſed quia ex iis nonnulli olim poſt diuturnam in monaſterio probationem, majoris perfectionis ſtudio, ſingularem vitam ambientes, in privatis cellis, ſive intra ſive extra monaſterii clauſtrum, ad tempus aut in perpetuum retrudebantur, de quibus egimus in Commentario in Regulam S. P. Benedicti cap. 1. iique ſingulari ritu ac precibus variis Deo conſecrabantur; horum recludendorum modum & ordinem hic referre etiam operæ pretium duximus. Illud autem ex duplici fonte hauſimus, ex Grimlaici Regula Solitariorum, quam ſæculo IX. hujuſmodi recluſis ſcripſit; & ex Rituali Sueſſionenſi tempore Nivelonis epiſcopi ſcripto. CAPUT III. *De Bened. recluſorum.*

ORDO I.

Ex Grimlaici Regula Solitariorum, cap. 15. de Diſciplina ſuſcipiendorum fratrum ad retruſionem.

NOviter venientem quemque ad Dei ſervitium, oportet per multa prius experimenta probare, & poſtea recipere, ne forte quis ſimulata mente ac fallaci animo ad hanc ſolitariam vitam præſumat accedere. Ergo oportet de præterita ejus vita & converſatione inquirere, ſi eſt moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſapiens, ſi humilis, ſi obediens, ſi affabilis, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ipſa inſtructione cautus. Cum ergo his ſingulis aliiſque experimentis fuerit probatus, ſi perſeveraverit pulſans, & illatas ſibi injurias & difficultatem ingreſſus, poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere affectu petitionis ſuæ, annuatur ei ſive ab epiſcopo, ſive ab abbate ſuo ingreſſus. Sine licentia autem & conſenſu epiſcopi aut abbatis proprii atque omnium fratrum ejuſdem monaſterii, in quo idem frater educatus fuerit, nihil omnino de hac re fiat. Prohibendum eſt etiam, ut in nullo alio loco hac religionis propoſitum à quoquam aſſumatur, niſi in cœnobiorum congregationibus tantum. In villis autem aut in campeſtribus eccleſiis, ſive in aliis quibuſlibet locis nullatenus præſumatur aſſumere, niſi forte quis more antiquorum Patrum ad eremum velit ſecedere. Poſtquam autem epiſcopus aut prælatus monaſterii licentiam ei retrudendi conceſſerit, unum annum habitet inter fratres, ita ut extra clauſtra niſi tantum in eccleſiam non exeat, quatenus in ipſo ejus probetur

Digitized by Google

CAPUT III. De Bened. recluſorum.

voluntas vel ſtabilitas. Si autem in eodem monaſterio aut in circumvicinis monaſteriis ſolitarius eſt, probatus ei aliquis deputetur ad probandum. Si vero ſolitarius ibidem minime reperitur, deputetur ei ſenior talis qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omnino curioſe intendat, & ſollicitus ſit, ſi revera Deum quærit, ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad orationem, ad lectionem, & cetera hujuſmodi. Prædicentur ei dura & aſpera, per quæ itur ad Deum; & ſi promiſerit ſtabilitatis ſuæ perſeverantiam, legatur ei hæc regula, & dicatur ei: Ecce lex ſub qua militare vis, ſi potes ſervare, ingredere; ſi vero non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, legatur ei hæc regula ſedule, ut ſciat ad quod ingreditur, & probetur in omni patientia. Et ſi habita ſecum deliberatione, promiſerit ſe omnia cuſtodire, tunc blande leniterque ſuſcipiatur ad deſtinatum propoſitum, ſciens ſe lege regulæ conſtitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi ex ipſa retruſione, nec collum excutere de ſub jugo regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit excuſare aut ſuſcipere. Suſcipiendus autem in oratorio coram epiſcopo & omni clero promittat verbis tantum de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, coram Deo & ſanctis ejus, ut ſi aliquando, quod abſit, aliter fecerit, à Deo ſe damnandum ſciat quem irridet. Tunc frater ipſe proſternatur ad pedes epiſcopi, & omnium fratrum ibidem adſtantium, ut orent pro eo, Ipſi omnes illico orent pro eo, quantum eis viſum fuerit. Signa autem ad ejus ingreſſum, ſi epiſcopus aut abbas juſſerit, ſonent, ut omnes illud ſignum audientes, pro eo orent. Res vero ſi quas habet, ſicut in ſuperioribus capitulis continetur, aut eroget prius pauperibus, aut facta ſolemniter donatione, conferat monaſterio; nihil ſibi reſervans ex omnibus. Cum talibus autem veſtimentis intret, cum qualibus manere debebit: & ſic deinceps in ſolitaria vita permaneat. Poſt ingreſſionem autem præcipiat epiſcopus oſtium retruſionis cellulæ apoſphragiſmo ſuo ſigillare, ne forte aliqua in aliquo remaneat opinio.

ORDO II.

AD RECLUSUM FACIENDUM.

Ex ms. Rituali eccleſiæ Sueſſionenſis.

PRimum *fiat letania. Pro miſſa, antiphona:* Exaudi nos Domine. *Expleta letania, tanquam pro mortuo celebratur miſſa, eo ſemper jacente proſtrato. Deinde poſt miſſam epiſcopus vel abbas indutus alba cum ſtola tenens baculum in manu incipiat. Pſ.* Verba mea. *Sequitur* ℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

Oratio.

Pie, Domine, qui attriti cordis gemitum priuſquam proferatur intelligis, effice, quæſumus, hunc famulum tuum templum Spiritus-ſancti, ut mereatur ſcuto cæleſtis benevolentiæ coronari. Per.

Pſ. Dominus regit me. ℣. Reminiſcere miſerationum.

Oratio.

Rege hunc famulum tuum, Domine, ſuavibus tuæ dilectionis habenis, ut æterni tabernaculi habitatione percepta, plenitudine perennis gloriæ repleatur. Per Dominum.

Pſ. Dominus illuminatio, &c. ℣. Domine eduxiſti ab inferis.

Oratio.

Defende hunc famulum tuum à caſtris & præliis inimici, adjutor omnium Deus; ut in domus tuæ perpetuitate permanens, mereatur vultum tuum ſpirituali contemplatione * ſuſcipere. Per Dominum. *ſ. ſuſpicere.

Pſ. Quemadmodum. ℣. Audivit Dominus & miſertus eſt mihi.

Oratio.

Vultus noſtri ſalutare mirificum Domine, quem animæ fidelium ardenter ſitiunt ſervulorum, tribue, quæſumus, huic famulo tuo; ut dum te viſibili lacrymarum imbre paſtus requirit, inviſibiliter intra pectoris tabernaculum colloceris, Per Dominum.

Pſ. Exaudi Deus deprecationem. ℣. Beatus quem elegiſti.

Oratio.

Anxietatum noſtrarum miſericordiſſime conſolator Deus, protege famulum tuum à facie inimici, ut à te qui es turris fortitudinis præmunitus, inhabitare tabernacula mereatur æterna. Per Dominum.

Pſ. Quam dilecta. ℣. Domine Deus virtutum converte nos.

Oratio.

Tabernaculorum cæleſtium, æterne Deus, diſpone quæſumus aſcenſus in corde famuli tui, quibus conſcendere valeat ad tua tabernacula ſine lapſu peccati. Per Dominum.

Pſ. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quia audiſti, &c. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos.

Oratio.

Multiplica, Domine, virtutem tuam in anima hujus ſupplicis ſervi tui, ut te adorans jugiter in templo ſancto ſuo, in conſpectu tuo cum ſanctis Angelis tuis poſt modum ſine fine gaudeat. Per Dominum.

Pſ. Voce mea. ℣. Suavis Dominus univerſis.

Oratio.

Beata ſpes fidelium tuorum & in terra viventium ſatietatis æternæ pleniſſima portio Deus; quæſumus ut hunc famulum tuum, quem adventus filii tui expectatione ſuſpenſum ad oſtium ſui tabernaculi hodie tui nominis invocatione ponimus, ſic cuſtodias, quatenus cum veneris accenſa lampade de carceris ſui clauſtris educi, & ad amplitudinem Cæleſtis Jeruſalem mereatur feliciter introduci. Per eumdem Dominum.

Poſt hæc deducat eum epiſcopus uſque ad oſtium domus cui recludi debet: cantantibus omnibus pſalmum Qui habitat. *Quo expleto, ingrediatur epiſcopus ſolus vel abbas cum miniſtro quo voluerit, & benedicat domum dicens hanc orationem.*

Benedic, Domine, Deus omnipotens, locum iſtum, ut ſit in eo ſa-

Caput III. De Bened. recluſorum

mulo tuo ſanitas, caſtitas, virtus & victoria, charitas, ſanctimonia humilitas, manſuetudo, lenitas, plenitudo legis & obedientia Patri & Filio, & Spiritui-ſancto; & ſit benedictio ſuper hunc locum & ſuper habitatorem in eo. Per te Deus noſter, qui vivis, &c.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, Deus æterne, & mittere dignare ſanctum angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet & defendat famulum tuum habitantem in hoc habitaculo. Per.

Expleta benedictione, introducat eum dicendo pſalmum Exaudiat te Dominus. *Illo vero introducto, egrediatur; & finito pſalmo, incipiat antiphonam* O Clavis David! ℣. Te decet hymnus.

Oratio.

Conſolatio dulciſſima Deus, famulum tuum tibi ſoli derelictum, de te ipſo conſolare ut gratiam tui ſpem in filii tui beatis amplexibus die noctuque mereatur repauſare. Per eundem.

CAPUT IV.

De benedictione canonicorum regularium.

ORDO I.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania.

ORDO AD CANONICUM REGULAREM BENEDICENDUM.

Caput IV. De Bened. canonic. regul.

Ante miſſam ſtent novitii in gradibus ante altare, & incipiat epiſcopus hymnum Veni Creator; *quo cantato* ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

Deus qui apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, concede his famulis tuis piæ petitionis effectum, ut quibus dediſti fidem largiaris & præmium. Per.

Qua dicta, veniant novitii ante altare, & legant ibi profeſſiones ſuas ita dicentes:

Ego frater ill. regulam à ſanctis Patribus conſtitutam, Deo juvante ſervare promitto, & propter vitæ æternæ præmium humiliter militaturum me ſubjicio, in loco qui eſt conſecratus in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Dei, vel alterius ſancti N. & aliorum ſanctorum, in præſentia Domini N. civitatis ill. epiſcopi. Promitto huic etiam ſedi, rectoribuſque ejus ſemper obedientiam & ſtabilitatem & converſionem morum meorum coram Deo & angelis ejus ſecundum præcepta canonum.

Qua lecta, revertantur ad gradus, & dicant flectendo genua: Suſcipe me

me, Domine, ſecundum eloquium tuum eſt vivam. Et non confundas me ab expectatione mea.

Et omnis chorus reſpondeat. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, *uſque* Dextera tua. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. *Pſal.* Levavi oculos meos. Gloria Patri. ℣. Oſtende nobis Domine. Salvos fac ſervos tuos.

Hic accipiant benedictionem. Pſal. Ecce quam bonum. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Fac, quæſumus, hos famulos tuos toto ſemper ad te corde concurrere, tibi ſubdita mente ſervire, tuam miſericordiam ſuppliciter exorare, tuis jugiter beneficiis gratulari. Per.

Alia.

Clementiſſime dominator, Domine, tuam invocamus pietatem ſuper hos famulos tuos, quos à ſæculo converſos in numero electorum tuorum accerſire dignatus es; quæſumus ut converſionis ſuæ propoſitum, te donante, digne cuſtodiant, & quicquid pro animæ ſuæ ſalute fuerint deprecati obtineant: ſint vitæ probabiles, ſint ſapientes, ſint ſcientia veri, obedientia clari, ſint convenientes in doctrina, in increpationibus immobiles, in gravitate decori, in paſſione piiſſimi, in operatione cauti, in diſpoſitione ſolliciti, in tentatione fortes; in injuriis patientes, in pace fixi, in eleemoſynis promti, in orationibus frequentes, in miſericordia efficaces, in ſubditis pii. Ne ſint immemores quod à te de ſuis erunt factis tuo judicio judicandi. Horum quoque, Domine, deprecamur, ut munera placatus ſuſcipias, & quicquid à te petierint clementer impertias. Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus.

Præfatio.

Æterne Deus, totius ſanctæ religionis origo, omniſque profeſſionis vita & æterna ſalvatio, ſuſcipe propitius vota profeſſionemque ſervorum tuorum ill. qui de hujus ſæculi vanitate & turbine ad te confugiunt. Sint, quæſumus, te adjuvante, ab omni negotiorum ſæcularium ſtrepitu exuti, delectationibus ſpectaculorum præſentium evulſi, & à cunctis mundi occupationibus extranei, ab antiqui hoſtis inſidiis erepti, mundo huic mortui, mundi blandimentis & illecebris crucifixi, remoti à cunctis malorum implicamentis, remoti à ſæcularibus pompis, remoti à pravis delectationibus, remoti à præſentis vitæ contagiis, remoti ab omnibus pravorum retinaculis, remoti à cunctis hoſtis antiqui inſidiis. Doce eos, Domine, hujus vitæ contemnere proſpera, non timere adverſa, injurias non inferre, ſed æquanimiter tolerare, inimicos diligere, & pro perſequentibus & calumniantibus ſuppliciter deprecari, nihil concupiſcere carnaliter vel ambire. Non ſuperborum injuriis fatigati deficiant, non eos ſuperbia inflet, non ardor avaritiæ ſuccendat, non incentiva luxuria inflammet, non vana gloria turpiter jactet, non gula, non ebrietas præpediat, non ambitio ventoſa præcipitet, non ardor animoſæ contentionis exanimet, non deſiderium humanæ opinionis

elevet, non diabolus auctor humanæ perditionis lædat, aut perdat. Sed tuæ pietatis dextera eos clementiſſime Deus ſanctificet atque gubernet, à cunctis malis eruat, in præſenti & in futuro protegat, regat, atque gubernet, ut te timeant, imitentur & diligant. Aperi eis ſenſum, ut divinarum ſtudiis litterarum intendant corde, ore, atque opere meditentur, die noctuque tibi ſerviant, cœleſtia & æterna ſapiant, terrena & caduca reſpuant. Sint obedientes & inſtruant amicos, & inimicos pro tui nominis amore ament atque diligant, humilitatem & vilitatem teneant atque exerceant, caſtimoniam & pudicitiam corde & corpore complectantur & teneant : patientiam & longanimitatem arripiant atque cuſtodiant, jejunium & abſtinentiam ſtudeant ſimul habere & ament : gemitum & orationem deſiderent atque invigilent, peccata ſua inceſſabiliter cum lacrymis & ſuſpiriis accuſent, & deleant, & te Deum omnipotentem undique in ſe circumferant atque tibi deſerviant. Per.

Item oratio.

Suſcipe quæſumus, Domine, preces noſtras, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus; & hos famulos tuos ſanctifica quos de hujus ſæculi naufragiis & periculis eruiſti, & ad canonicam vocare dignatus es gratiam. Concede ergo propitius, ut artam & anguſtam quam profeſſi ſunt vitam jugiter diligant, teneant atque ſectentur, quatinus ad æternam quam in te perſeverantibus promittere dignatus es gloriam pervenire mereantur. Per.

Deinde epiſcopus aquam benedictam & incenſum tam ſuper eos quam ſuper veſtimenta eorum aſpergat, & induat ſuperpelliceum dicendo : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Oratio.

Indue hos famulos tuos, Domine, veſtimento ſalutis & indumento juſtitiæ, & galea ſalutis, & præcinge lumbos eorum cingulo fidei & virtute caſtitatis, & aufer ab eis ſpiritum ſuperbiæ, cui reſiſtis; & da eis cor contritum & humiliatum, quod non ſpernis; quia tu dixiſti, jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tunc cantando antiphonam, Confirma hoc Deus, *ducantur in chorum in loca ſua. Ipſo vero die communicent.*

ORDO II.

Ex ms. Conſuetudinibus canonicorum regularium S. Rufi.

Qualiter canonici recipiantur.

Noviter quis veniens ad canonicam converſionem, non facile recipiatur à fratribus, niſi perſona adeo nota fuerit, ut utilitatem eccleſiæ conferre videatur. Ignota vero perſona tanto ſpatio temporis examinanda eſt, uſque dum de eo qualis ſit innoteſcat. Et interim præ-

Digitized by Google

dicentur ei paupertas loci, aſperitas domus, ſeveritas diſciplinæ, & quantus labor ſit in illius profeſſionis obſervatione; quam gravis caſus in tranſgreſſione, & cetera quæ ad rigorem diſciplinæ pertinent, ut probetur fervor deſiderii illius atque intentio. Sic enim ait apoſtolus: *Probate ſpiritus utrum ex Deo ſunt.* Interim etiam mores, actus, & qualitates ejus diligenter notandi ſunt; & ſi ad ea quæ poſtulat poſſit eſſe idoneus. Quod ſi eum recipi placuerit, ſtatuto die dicatur fratribus in capitulo, ut hoc eorum conſilio atque conſenſu fiat: adducaturque novitius, & coram omnibus interroget abbas vel qui in loco ejus fuerit, illius voluntatem. Ibidem etiam demonſtratur ei uſus loci, & diſciplina canonica, & regula, atque obedientiæ onus, & omnia quæ demonſtranda ei etiam viſum fuerit abbati: ne quicquam ignarus aut coactus faciat; ne poſtmodum occaſiones valeat invenire. Et ſi promtam voluntatem habuerit, & verbo indicaverit ordinem ſe velle ſuſcipere, & omnia propter Deum tolerare, ſtatuatur ante abbatem flexis genibus; & exuat eum abbas, & induat regulari * dicens ita: *Exuat te Deus veterem hominem cum actibus ſuis, & induat novum qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Deus exaudi. Dominus vobiſcum.*

CAPUT IV. *De Bened. canonic. regul.*

* *Deeſt unum verbum ſcilicet* habitu.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, immenſam clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut præſentem famulum tuum cui in tuo ſancto nomine habitum ſacræ religionis imponimus, benedicere & ſanctificare digneris: quatinus in propoſito regulari ſic tibi deſervire valeat: ut ad vitam pervenire mereatur æternam. Per.

Et ſtatuatur in ultimo loco, commendeturque uni ex fratribus boni teſtimonii, timenti Deum, qui doceat eum regulam, uſum, & diſciplinam monaſterii: primum qualiter ambulare, ſupplicare, ſtare, ſedere debeat, & in omnibus motibus ſuis ſignum habere humilitatis, caput ſubmittere, terram aſpicere, memor eſſe illius publicani qui non audebat oculos ſuos levare in cælum, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Qui ſi adeo ſimplex fuerit, ut qualiter orare debeat neſciat, inſtruatur.

DE NOVITIIS.

NOvitius volens facere profeſſionem, poſt offerenda veniat ante altare, & conventus in circuitu; & dicat novitius flectendo genua ter hunc ℣. *Suſcipe me Domine.* Fratribus ter reſpondentibus. *Suſcepimus* cum *Gloria.* Deinde proſtrato novitio, dicuntur hii pſalmi *Magnus Dominus. Miſerere. Ecce quam bonum.* Quibus finitis, incipiat prælatus, vel cui ipſe juſſerit, letanias; & in fine dicatur, *Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac. Mitte ei Domine. Eſto ei Domine. Nihil proficiat. Domine exaudi.* Oratio.

Deus qui non mortem peccatoris, ſed pœnitentiam & emendatiorem vitam

ſemper inquiris: ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo ſæcularibus actibus renuntianti larga tuæ pietatis gratiam infundere digneris: quatenus caſtris tuis inſertus, ita tibi militando, ſtudium vitæ præſentis percurrere valeat: ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat. Per.

Oratio alia.

Deus qui nos à ſæculi vanitate converſos ad ſupernæ vocationis accendis amorem, pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in te perſeveremus infunde: ut protectionis tuæ muniti præſidiis, quod te donante promiſimus impleamus; & noſtræ profeſſionis executores effecti, ad ea quæ credentibus in te digitatus es promittere pertingamus. Per.

Oratio.

Deus qui renunciantibus ſæculo manſionem præparas cœlo, dilata hujus congregationis temporale habitaculum cœleſtibus bonis: & præſta ut fraterna teneantur compagine charitatis unanimes, continentiæ præcepta cuſtodiant; ſobrii, ſimplices, & quieti, gratis ſibi datam profeſſionis ſuæ gratiam fuiſſe cognoſcant: concordet illorum vita cum nomine, ut profeſſio ſentiatur in opere. Per.

Tunc ſurgens novitius, legat cartam ſuam hoc modo.

Ego frater ill. offerens trado me ipſum Deo, eccleſiæ ſancti N. & promitto obedientiam ſecundum canonicam regulam S. Auguſtini domno N. præfatæ eccleſiæ abbati, & ſucceſſoribus ejus, quos ſanior pars congregationis canonice elegerit.

Et ponat eam ſuper altare, prælato dicente cum fratribus antiphonam *Confirma hoc Deus* tertio. Poſtea prælatus donet novitio ante ſe ſtanti communem ſocietatem congregationis, dicens hanc ſancti Auguſtini exhortationem *Omnes quamvis per gratiam baptiſmi fratres ſimus in Chriſto, & unum Patrem habeamus in cœlo, ſi ejus præcepta, prout poſſumus, exequimur, procul dubio tunc maxime vivimus quando orationibus de beneficiis invicem noſmet copulamus, quemadmodum & primitiva eccleſia, quibus cor unum erat & anima una: quorum amore plures accenſi mente, poſſeſſiones & facultates rerum vendentes, congregati cum Matre Jeſu, munerum precia deferebant gaudentes. Quæ apoſtolis accepta tribuebant omnibus prout opus erat. Sicque iſte nihilominus, Deo inſpirante, eorum exemplo commonitus, noſtris optat jungi conſortiis. Idcirco damus communem ſocietatem vivendi nobiſcum, quantum ad nos poſſumus promereri, & noſtrum eſt largiri: quatenus cum electis à Remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromiſſa percipere. Per.*

Tunc prælatus & omnes fratres oſculentur eum. Et ponatur in choro ultimus.

CAPUT V.

De benedictione ſeu receptione canonicorum ſæcularium.

ORDO I.

Ex antiquis Cartulariis & Regiſtris capituli eccleſiæ Pariſienſis.

Canonico recipiendo capitulum ingreſſo, & coram decano genuflexo, admittit cum decanus, dicens: Nos admittimus te in canonicum & fratrem noſtrum. *Danſque illi librum canonum, qui quotidie mane legitur in capitulo poſt necrologium in fine prime dicit:* Et tradimus tibi regularis obſervantiæ formam in hoc volumine contentam. *Statim novus canonicus proſtratus reſpondet*, Amen. *Deinde manens genuflexus, tactis ſacroſanctis evangeliis ſibi à ſecretario capituli præſentatis promittit obedientiam Domino decano & capitulo; & cætera quæ continentur in forma juramenti.* CAPUT V. *De Bened. ſeu recept. can. ſæc.*

Poſtea in clauſtro veſtitur veſte canonica, ſcilicet alba linea ad talos protenſa, & cappa nigra ex panno, cum capucio floccido ejuſdem coloris & materiæ: eum ſic veſtitum domnus cantor ducit in chorum, in cujus ingreſſu factis verſus orientem, deinde verſus occidentem, debitis humiliationibus, in ſtallum inducit dicens: Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. *Et canonicus proſternens ſe dicit, mediocri voce orationem Dominicam uſque ad* Et ne nos *excluſivè. Et dominus cantor ad aquilam dicit ſequentes verſus.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. *Chorus* ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvum fac ſervum tuum fratrem noſtrum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Deus omnium bonorum principium & finis, virtutum dator & meritorum benigniſſime præmiator, obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam, ut per preces & merita beatiſſimæ Virginis Mariæ, & invictorum martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii, tribuas huic famulo tuo N. quem noſtro dignatus es adſcribere collegio, tibi tam pie jugiter famulari, ſicque in hac domo tua per veram caritatem cum fratribus converſari, ut poſt decurſum præſens vitæ ſtadium, te donante, ſperatum incorruptibilis vitæ bravium comprehendat. Per Chriſtum. ℟. Amen.

Poſt hæc ſurgens ex proſtratione canonicus ſuſcipit librum pſalterii de manu

Digitized by Google

CAPUT V. De Bened. ſeu recep. can. ſæc.

domini cantoris : poſtremo admiſſus ad oſculum domini decani & reliquorum fratrum, ad ſedem ſuam in pace dimittitur : niſi ſimul tunc admittatur ad aliquam dignitatem : tunc enim illi decanus dicit : Amice adſcende ſuperius, *& aſſignatur ei locus dignitatis ſuæ.*

In æſtate ſtatim poſt deoſculationem fratrum, dato ſigno per dominum cantorem dimittet cappam & capucium nigrum, eaque veſtimenta primus acolythus infert in veſtiarium.

DE VITA CANONICI.

NOvus canonicus frequenter perlegat ea quæ ſequuntur.

Canonici omnes in eccleſia perpetuo reſidere debent in obedientiâ, caſtitate, caritate, oratione, lectione, pſalmodia, contemplatione & ſobrietate ; aliqui eorum preſbyteri, aliqui diaconi, aliqui ſubdiaconi ſemper exiſtentes : ad altare Dei ſacerdotes viciſſim per ſeptimanam miniſtrant, diaconis & ſubdiaconis pariter viciſſim inſervientibus.

Hi communi conſilio omnia eccleſiæ negotia tractant, & in victu eorum ſit juſta rerum diſtributio : ideo non debent abeſſe à ſua eccleſia, & in aliis locis degere, nec debent amare mundum, nec curſum ſæculi ſequi, quoniam in eorum manibus tota eccleſia eſt poſita, ut in gratia Dei eam regant & gubernent.

DE OFFICIO DIVINO DIVERSIS HORIS CELEBRANDO.

MEdia nocte pſallunt cum cappis & capuciis nigris toto anni tempore excepta ſeptimana paſcha : ad reliquum officii amiciuntur albis à benedictione fontium in vigilia paſchæ, uſque poſt expletam per octo dies ſolemnitatem S. Dionyſii : qua expleta, deinceps cappas nigras cucullatas ſuperimponunt veſtimento albo ; cum quo habitu nigro ſemper recipiuntur, & in tumulo deponuntur.

Oriente ſole, redeunt ad chorum laudes Deo ſoluturi : inde ad capitulum progrediuntur, ubi geſtis ſanctorum, & dyptichis defunctorum perlectis, fiunt preces pro eorum requie. Poſtea ter petito Dei adjutorio, ſubjungitur verſus cum collecta ; & lector data benedictione legit canonem ſeu caput regulæ, quod omnes cum ſumma reverentia auſcultant ſedentes : iterumque data ab hebdomadario benedictione ſecedunt ad fundationes fidelium exequendas, ſi aliqua huic diei ſint adſcriptæ.

Hora diei tertia hymno, pſalmodia, lectiuncula, proſtrationibus & oratione peractis, aſſiſtunt miſſæ cum ſummo timore & tremore cantante introitum, Kyrie, *Graduale & antiphonas oblationis & communionis cum pſalmo. In meridie antequam reficiantur, hymnum Deo perſolvunt qui incipit* Rector potens, *cum pſalmodia & reliquo, ut dictum eſt de hora ante miſſam.*

Eumdem precum ritum obſervant hora tertia poſt meridiem iſque vocatur officium nona.

Sed officium ſolemnius perſolvunt circa occaſum ſolis cum lucernis ac ce-

reis accenſis; ad quod fie major concurſus fidelium, quia negotia per urbem peracta ſunt: fitque ad illud officium mutatio cantus ad ſingulos pſalmos; & in dominicis & ſolemnioribus diebus, quando triplex facta eſt vigilia nocte precedente, duo moderantur chorum eundo & redeundo quiſquis verſus ſuum chorum, ut illum regat, ſed ſine baculo, quod reſervatur domino cantori. CAPUT V. De Bened.ſeu recep. can. ſæc.

In ſolemniſſimis diebus Paſcha, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Epiphaniæ & Natalis, in feſtis Aſſumptionis B. Mariæ, ac Paſſionis SS. Dionyſii & ſociorum, peracto cantico S. Mariæ cum antiphona & oratione, ſtatim cœnatur.

Antequam autem lecto decumbant, quiſque recedat in ſuo oratorio vel in eccleſia, & recitet preces quæ dicuntur completorium.

De cæremoniis in choro.

AD hæc omnia debent ſe modeſtiſſime gerere, ſimul chorum ingredi, ſimul recedere. Qui venerit poſt primum pſalmum, foris ſtet. Ingreſſi chorum, verſus orientem Deo profundiſſime inclinabunt, & ad ſtalla accedunt, inde non receſſuri, niſi graviſſima expoſcat cauſa.

Ibi ſimplices & erecti ſtent; caveant à confabulatione, cachinno & riſu, ſed pſallant graviter & modeſte coram Deo, memores eorum facta aliis minoribus miniſtris exemplum fore. Stationes, inclinationes, proſtrationes, converſiones, ſeſſiones & ceteros geſtus in ſervitio divino digne ſervent; requiſiti ut canant aliquid vel incenſent, non recuſent, agnoſcentes ſe legibus chori inſervire debere.

Qui ad altare miniſtrat, debet eſſe noviter tonſus, raſus, purus & nitidus, quo doceat ſe omnem quam poſſit reverentiam ſacramento exhibere. Caveant canonici & reliqui de choro, ne veſtes hyemales nimia brevitato dependeant, aut longitudine nimia defluant, ſed modum in omnibus, ut convenit teneant.

Tonſura, vultu, habitu, geſtu, omni denique motu tales ſint, ut decet. Colloquia cum mulieribus ubique vitent, ſed in eccleſia maxime.

In proceſſionibus bini & bini ſervato ordine & juſta diſtantia incedant, vultibus in terram dimiſſis; in quibus omnino caveant ne confabulentur. Tempore officii divini caveat quiſque, ne in navi, aut alio, aut alibi extra chorum appareat: dedecoroſum enim eſt apoſtaſi ſimile, fratrem in eccleſia vagare, præſertim ſi ſit ſine habitu canonico, cum reliqui fratres ejus in choro divino officio mancipantur.

De modo se gerendi in capitulo et in vestiario.

CUm congregantur fratres ſive in capitulo, ſive in veſtiario, abſit omnis clamor, ira, & contumelia, ſed modeſte dicto verſu illumina, *& oratione* Mentes noſtras, *modeſte & quiete ſedeant, & caput cooperiant, ac re à decano aut alio præſidenti propoſita, quiſque ordine dicat ſententiam*

CAPUT IV. De Bened ſeu recep. can. fac. *quodque decano & ſaniori canonicorum parti viſum fuerit faciendum, id fiat, & pro rato habeatur: idque à ſecretario capituli in regiſtris inſcribatur.*

Omnibus feriis ſextis audiat capitulum defectus chori in hebdomada, & delinquentes examinentur, errataque corrigantur. Omnes fratres maneant in clauſtro, ne patiantur mulieres ingredi domos ſuas; quod ſi acciderit, admoneantur & graviter reprehendantur à decano.

Ipſe quoque decanus in his omnibus exemplum honeſtatis & caſtimoniæ exhibeat, ne volens tollere alienas feſtucas, ipſe propriam in oculo trabem habeat: etiam ne volens curare alios, ipſe audiat ſibi dici, Medice cura teipſum.

Canonicus exiturus de civitate, & extra clauſtrum pernoctaturus, antea petat & obtineat licentiam à domino decano. Item ſi diutius abſuerit, reverſus reviſat decanum, intellecturus ſi quid eo abſente evenerit, quod ſua interſit cognoſcere.

Si fuerit controverſia inter fratres, eam definiat cum bona deliberatione & determinet decanus; ſi inter decanum & capitulum, epiſcopus decani & præcentoris portio in omnibus duplicabitur: & licet decanus pro ſuo decanatus officio ſit multum occupatus, nullo modo ſe tamen retrahat à choro & capitulo, & à quoque alio quod ad divinum obſequium pertineat, niſi juſtiſſima eum cogat neceſſitas; nec ſe excuſet fraudulenter in aliquo; ſed ut eſt primus ſub epiſcopo, ita ſit primus in omni bono exemplo: ut quod ab aliis debet fieri, id agat imprimis per ſe & prabeat ſe in omnibus formam quam alii imitentur.

Pecunia ex legatis teſtamentorum, ex venditione boſis, ex ſculpturis, & quacumque alia pecunia caſualis undequaque eliciatur, nullo pacto dividatur inter canonicos, ſed ad neceſſarios eccleſiæ uſus in theſauro reponatur, & præſertim ad ornamenta & apparatum eccleſiæ.

Super omnia autem diſcant canonici magnum honorem ſe debere epiſcopo, memores ſe olim ante ſeparationem fructuum & menſæ ei in omnibus obedivíſſe, unumque corpus cum illo conſtituere, & ut ipſe ſupereminet omnes, cum eſt in choro, nullus prætereat qui non faciat profundam reverentiam.

ORDO II.

Ex ms. Rituali eccleſiæ S. Martini Turonenſis.

CAP. 110. DE INSTITUTIONE CANONICORUM.

QUando aliquis recipitur in canonicum, niſi ſit epiſcopus, ſi habet ætatem, jurat in capitulo in hunc modum.

Ego N. canonicus in hac eccleſia B. Martini inſtituendus, omnimodam ſimoniam abjuro; & in omnibus negotiis & cauſis quæ pertinent ad communitatem hujus eccleſiæ fidelis ero, & ad tuendam libertatem, honeſtatem

honeſtatem & utilitatem ejuſdem eccleſiæ: conſilium quod melius credam quotiens fuero requiſitus in capitulo dabo, neque conſilia capituli alicui revelabo, unde damnum vel dedecus ipſi eccleſiæ vel perſonæ ejuſdem poſſit perveniſſe: neminem quoque in canonicum fieri concedam, quem ſcivero de concubinatu natum, vel de ſervili conditione, nec liberum, nec libertinum, niſi fuerit epiſcopus vel de hominibus B. Martini: *Et ſi ignotus fuerit, jurabit idem ſe natum eſſe de legitimo matrimonio & ingenuum, vel tutor ejus ſi infra annos fuerit.* Neminem quoque in canonicum vel in ſtallum recipiam, qui hoc non faciat ſacramentum, niſi ſit epiſcopus, & qui non juret quatenus omnes quos viderit canonicari, vel alio quolibet modo in hac eccleſia promoveri, hoc ſacramentum facere & ſimoniam abjurare compellat, & à ſucceſſoribus ſuis hoc ipſum exigat: quod ſi facere noluerit; nec in choro nec in capitulo, donec juraverit, ei communicabo. Inſuper & conſtitutiones quas epiſcopus Cenomanenſis & abbas de Perſenna & Dominus de Galo apoſtolicæ ſedis legatus in hac eccleſia conſtituerint, pro poſſe meo, bona fide & ſine malo ingenio ſervabo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta verba.

Si autem ætatem non habet, jurat tutor pro eo uſque perveniat ad ætatem. Hoc facto, & tertia inchoata, eum tonſuratum & veſtibus chori indutum adducit ſeneſcallus indutus pellicia & ſuppellicia ad januam chori à parte ſubdecani: & pſalmo incæpto, venit cantor, & accipit eum de manu ſeneſcalli & inclinat cum eo in quatuor partes, primo verſus altare, poſt verſus decanu, poſt verſus dextrum chorum, poſt verſus ſiniſtrum; & canonici contra quos inclinat eum, ſe ſimiliter inclinant. Et poſt aſſignat ei præcentor locum, & revertitur; & ſi in ſtallum mittitur, debet mitti ad miſſam. Et nota quod novus canonicus de ſtallo, vel de novo inſtallatus debet cantare reſponſorium Tertiæ & aliarum horarum illius diei, & facere primam ſeptimanam incæptoris ſui chori, & poſt ſeptimanam ſui ordinis; & ſi eſt in ſtallo, debet legere tertiam lectionem ad matutinas primæ diei, & habet duplum, quod eccleſia S. Venantii habet, quoniam clericuli ſibi ſolebant primo facere ſeptimanas legendi. Tertia dicta, debet in capitulo jurare, quod pro ſtatione in qua mittitur nihil dedit vel promiſit, nec alius pro eo; & ſi promiſſum eſt, non redditur. Et hoc fit ſemper quando aliquis à ſtatione removetur. Si autem coronam non habet, ad miſſam quando epiſtola legitur adducit eum ſeneſcallus ad altare in habitu chori, mappam circa collum habentem, & forcipes in manu de ſuo proprio, & tonſuratum rotunde ſine corona; & ibi facit ei hebdomadarius coronam, tondens ei paululum de capillis, & eum oſculans, & ſimiliter ei faciunt diaconus & ſubdiaconus, deinde ducit eum ſeneſcallus in choro ad decanum, & theſaurarium, & inceptorem, & poſt ad omnes canonicos inſtallatos dextri chori, & ad canonicos quartæ ſtationis & ſimiliter in ſiniſtro choro, qui omnes de capillis ejus paululum forcipibus tonſurantes eum deoſculantur. Hoc facto ducit eum in capitulo, ubi fit ei corona, & poſt ad januam chori à parte ſubdecani reducitur, & mittit eum cantor in chorum ſicut NOTA.

Digitized by Google

ſuperius dicitur. Forcipes vero ſunt ſeneſcallo, & mappa fabricæ eccleſiæ. Ad omnes horas poteſt eſſe in illa die, niſi ad Completorium & Primam ſequentis diei, & hac ratione, quia ad Confiteor *non debet eſſe, donec inter fratres tam in choro, quam in capitulo ſit in integrum inſtitutus. In craſtino poſt Primam lecta lectione capituli, adducit eum ſeneſcallus in introitu capituli in veſtibus chori, ſed ſeneſcallus ſtat in ſuppellicio, & de manu ejus eum accipit cellerarius, & facit eum inclinare in quatuor partes ſicut cantor in choro, locum ei prout dignitatem vel ordinem habuerit aſſignando.*

ORDO III.

Ex Cartulario inſignis eccleſiæ Bolonienſis.

JURAMENTUM QUOD PRÆSTARE TENETUR QUILIBET CANONICUS IN SUA PRIMA RECEPTIONE.

EGo N. canonicus in hac Bolonienſi eccleſia de novo receptus juro, ſacroſanctis his tactis evangeliis, me exhibiturum, quandiu ero canonicus in ipſa eccleſia, reverentiam Domino epiſcopo ejuſdem eccleſiæ.

Item juro me exhibiturum obedientiam & ſubjectionem Dominis decano & capitulo prædictæ eccleſiæ.

Item juro decreta capituli non revelare.

Item juro jura & libertates meæ præbendæ retinere, & obſervare; alienata revocare pro poſſe: & ſi non poſſum Dominis decano & capitulis prædictis referre.

Item juro ſtatuta, jura, libertates, & conſuetudines dictæ Bolonienſis eccleſiæ, prout & quantum per dictos Dominos decanum & capitulum obſervantur, fideliter obſervare.

Item juro me eſſe de legitimo matrimonio natum ſeu procreatum, & quod non manumiſſus ſum, nec ſervus, libertus, colibertus, nec alterius ſervilis conditionis: & quod non conſentiam aut interero receptioni alicujus illegitimi in canonicum hujus eccleſiæ, juxta tenorem indulti apoſtolici huic eccleſiæ conceſſi.

Item juro quod præbendam meam libere aſſecutus ſum abſque aliquo penſionis onere præterito vel futuro.

Item juro pronunciationem factam per Dominos cardinales, ſuper facto juriſdictionis inter Dominum Raimundum quondam Morinenſem epiſcopum ex una parte, & prædictos decanum & capitulum Morinenſe ex altera, me fideliter obſervaturum, prout in dicta pronunciatione continetur.

Item juro ordinationem factam ſuper venditione domorum clauſtralium poſt mortem canonicorum eas habentium aut etiam habiturorum in poſterum, & pro eis pecuniam habitam non in alios uſus converten-

CAPUT V. *De Bened. ſeu recept. can. &c.*

dam, quam in emptionem redditum pro obitibus & ſemobitibus dictorum canonicorum poſt ipſorum deceſſum faciendis: necnon ordinationem factam ſuper ſolutione cappæ debitæ fabricæ fideliter ſervare, & in contrarium non venire per me vel per alium quoquo modo, prout in dictis ordinationibus continetur.

Item juro omnia & ſingula facta, & ordinata, ac etiam ordinanda apud S. Quintinum in Viromandia per capitula cathedralia Remenſis provinciæ ibidem congregata firmiter tenere, prout in ſtatutis per ipſum capitulum ibidem factis continetur; & ſecreta tenere, & quod non ero de conſilio cujuſquam agentis ſeu litigantis contra exemptiones, jura & libertates hujus Bolonienſis eccleſiæ, aut alicujus eccleſiarum dictæ provinciæ Remenſis, prout in dictis ſtatutis ſerioſius continetur. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

In illo tempore offerebant Jeſu parvulos ut tangeret eos, &c.

VEL ALIUD.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum, &c.

Nota quod quoties recipitur canonicus novus in propria perſona, admittitur ad oſculum pacis: primo dicuntur pſalmi & preces quæ ſequuntur.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ. Juſtitia plena eſt dextera tua. Gloria Patri, &c. *Poſtea* Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, *&c. uſque in finem*. Gloria Patri. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus ſperantes in te. Mitte eis auxilium de Sancto. Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis, à facie inimici. Domine exaudi orationem meam.

Oremus.

Suſcipiat vos Deus in numero fidelium ſuorum: & licet nos indigni, ſuſcipimus in orationibus noſtris. Concedat vobis locum bene agendi, & juſtitiam bene perſeverandi, & ad æternæ vitæ hereditatem feliciter perveniendi. Et ſicut nos caritas fraternitatis conjunxit in terris, ita divina pietas dilectionis auctrix & amatrix cum fidelibus ſuis conjungere dignetur. Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui vivit.

Decanus, vel eo abſente præſidens præmiſſa legens indutus ſtola aſpergit aquam benedictam ſuper canonicum receptum, & à ſingulis ſecundum ordinem admittitur ad pacis oſculum. Deinde aperto codice evangelico, legitur capite primi folii quæ ſcripta reperit, & verba adnotantur ad memoriam ſuæ receptionis; aſſignaturque illi ſtatus ſecundum qualitatem & capacita-

O ij

Digitized by Google

tem recepti, & locus in capitulo: ac etiam ſibi aſſignantur & traduntur pſalmi, quos ſingulis diebus tenetur legere cum oratione ad cauſam ſuæ præbendæ.

CAPUT VI.

De conſecratione ſeu benedictione ſolemni virginum.

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

Virginum duo genera

I. VIRGINUM duo genera diſtinguit Tertullianus eo in libro quem de Velandis Virginibus conſcripſit. Unas quas *virgines hominum* vocat, quæ libere nubere poterant, viriſque aliquando deſponſandæ à parentibus deſtinabantur. Alias quas *virgines Dei*, quæ cæleſti ſponſo *carnem ſuam ſanctificare* propoſuerant. Harum aliæ in domibus paternis perpetuo manebant, aliæ in communi puellarum cœtu. Atque iſtarum nonnullæ ſolo continentiæ voto contentæ erant, quas canonicas vocant concilia nonnulla ſæculo IX. celebrata. Sed longe plures ſub regula & abbatiſſâ viventes ad caſtitatis, votum etiam paupertatis & obedientiæ ſtabilitatiſque adjiciebant: maxime cum reddita eccleſiæ pace plura virginum monaſteria conſtrui cœperunt.

Earum conſecratio duplex.

II. Virginum Dei, ſive in domo paterna, ſive in communi domicilio habitarent, ſive monaſticam profeſſionem amplecterentur, duplex fuit conſecratio. Una per habitus immutationem virginitatiſque propoſitum Deo ſponte promiſſum, altera per pontificalem manus & veli impoſitionem ſolemnemque epiſcoporum benedictionem. Utriuſque conſecrationis meminit Innocentius papa I. in epiſt. ad Victricium Rothomagenſem epiſcopum: [Quæ in Chriſto ſpiritualiter nupſerunt & velari à ſacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel clanculo corruptæ fuerint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe junxerat aliqua, de ſæculo receſſerit, &c. Hæ vero quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſe permanere ſimulaverant, licet velatæ non ſint, ſi forte nupſerint, his agenda eſt pœnitentia aliquanto tempore.] Clarius vero S. Leo in epiſtola 2. novæ editionis ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum: [Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo judicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt; ſi poſtea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſit; cujus utique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.] Ubi primam conſecrationem *propoſiti* nomine donat, ſecundam ſimpliciter *conſecrationem* appellat.

Prima qua ætate peracta

III. Ad primam annos ætatis ſexdecim aut ſeptemdecim requirit S. Baſilius in epiſtola 2. ad Amphilochium cap. 18. cum ſcilicet incipiunt virgines adultæ eſſe ætatis: [Profeſſiones, inquit, ab eo tempore ju-

Digitized by Google

dicamus, quo ætas rationis complementum habuerit, non enim pueriles voces omnino in his eſſe ratas exiſtimare oportet; ſed ea quæ ſupra ſexdecim aut ſeptemdecim annos nata fuerit....... oportet in ſacrarum virginum catalogum referri.] Neque tamen hæc ætas ſemper expectabatur. Nam Beata Aſella, teſte Hieronymo in epiſtola ad Marcellam, *poſt duodecimum ætatis annum* virginitatis propoſitum amplexa eſt, tuncque *unius cellulæ clauſa anguſtiis latitudine paradiſi fruebatur*, ut loquitur idem Sanctus. Immo aliquando ſeptennes & infantulæ à parentibus offerebantur devovebanturque, maxime in monaſteriis: unde idem Hieronymus ad Gaudentium de Pacatulæ educatione: [Cum vir-gunculam rudem & edentulam ſeptimus ætatis annus exceperit, diſcat memoriter pſalterium,] &c.

IV. At vero ſecunda conſecratio non niſi vigeſimo quinto ætatis anno peragebatur. Audi concilium Carthaginenſe III. c. 4. [Placuit ut ante viginti quinque annos ætatis diaconi non ordinentur, nec virgines conſecrentur. [Hoc decretum quod citat Egbertus Eboracenſis archiepiſcopus in Excerptis cap. 91. renovavit concilium Francofordienſe anni 794. c. 46. & Turonenſe III. c. 28. uti & Capitularia regum Francorum lib. 1. cap. 45. & lib. 5. cap. 227. Immo plerique canones vetant ne conſecratio prædicta virginum annum quadrageſimum præcedat. Concilium Agathenſe can. 19. [Sanctimoniales quamlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.] Concilium Cæſarauguſtanum can. 8. [Item lectum eſt non velandas eſſe virgines quæ ſe Deo voverint, niſi quadraginta annorum probata ætate.] Novella Majoriani imperatoris anno 458. edita [Sancimus filias quas pater materve à ſæculari permixtione tranſlatas chriſtianæ fidei præcepta continuata virginitate cenſuerint, non ante ſuſcepto honorato velamine conſecrare, quam quadraginta annos ætatis emenſæ talibus infulis inoffenſa meruerint obſervatione decorari.] Denique liber Pontificalis in S. Leone: [Hic quoque conſtituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, niſi probata fuerit in virginitate annis quadraginta.] Urgente tamen gravi aliqua neceſſitate hoc tempus breviare poterant epiſcopi: unde Capitulare Aquiſgranenſe c. 46. [Placuit ut quicumque epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel etiam aliquo mortis periculoſo ſcopulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur; aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem ſeu velavit infra viginti quinque annos ætatis; non ei obſit conſilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.] Et concilium Francofordienſe anni 794. c. 44. [De virginibus quo tempore velandæ ſint, vel quibus occaſionibus ante annos viginti quinque, ſi neceſſitas compellit, ea quærantur quæ in canone ſcripta ſunt.] Immo ſynodus Hibernica ſanctimoniales anno duodecimo velari permittit: ſic enim in capitulis ſelectis canonum Hibernenſium Spicilegii tom. 9. p. 42. [Sanctimoniales quælibet, vita earum

Qua ætate ſecunda.

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

& mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ duodecimum non velentur.] Sed neque S. Ambroſius puellas juniores, dummodo moribus ſint maturæ, velari repugnat. Nam in libro de Virginitate capite 7. [Aiunt, inquit, plerique maturioris ætatis virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo ſacerdotalis cautionis eſſe debere, ut non temere puella veletur. Spectet plane, ſpectet ætatem ſacerdos, ſed fidei vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis: tum deinde ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas. Si hæc præſto ſunt, non deeſt virgini longæva canities: ſi hæc deſunt, differatur puella moribus quam annis adoleſcentior.]

Quo die.

V. Prima conſecratio quolibet ſuſcipiebatur die; at vero ſecunda, excepto uno mortis periculo, non niſi ſolemnioribus feſtis. Tres dumtaxat deſignat Gelaſius papa epiſt. 9. ad epiſcopos Lucaniæ ſic ſcribens: [Devotis quoque Deo virginibus niſi aut Epiphaniorum die, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis, ſacrum minime velamen imponant, niſi forſan, ſicut de baptiſmate dictum eſt, gravi languore correptis, ne ſine hoc munere de ſæculo exeant, implorantibus non negetur.] Quæ verba citat Egbertus Eboracenſis archiepiſcopus in Excerptis cap. 90. Eoſdem dies deſignant antiqui libri pontificales mss. Turonenſis, & Remenſis, ut alios plurimos hic omittam. Hinc eſt quod S. Ambroſius in Exhortatione Virginitatis cap. 7. [Venit Paſchæ dies, inquit, in toto orbe baptiſmi ſacramenta celebrantur, velantur ſacræ virgines.] Et in libro de lapſu virginis conſecratæ: [Non es memorata diei ſanctæ Dominicæ reſurrectionis, in quo divino altari te obtuliſti velandam.] Solemnem etiam virginum conſecrationem in feſto Epiphaniæ factam legimus in Vita S. Bernardi Hildesheimenſis epiſcopi cap. 38. & in feſto S. Lucæ cap. 11. apud Surium 20. Novembris. Marcellina tamen S. Ambroſii ſoror in Natali Domini apud S. Petrum ſolemni ritu à Liberio papa velum accepit, qua de re illi gratulatur beatiſſimus frater; in lib. 3. dè Virginibus cap. 1. [Quo enim melius die, quam quo Virgo poſteritatem acquiſivit?] Pontificale Apamenſe ms. ad Dominicos dies ceteraſque feſtivitates B. Mariæ, natalitia Apoſtolorum adjicit, præcipuaſque martyrum ſolemnitates. Concinit fere Pontificale ms. Guillelmi Durandi Mimatenſis epiſcopi, quod etiam Johanni *de Saireberuche* epiſcopo Catalaunenſi uſui fuit: [Conſecratio virginum fieri debet vel in Epiphania, vel in natalitiis Apoſtolorum, vel in albis Paſchalibus, vel in Aſcenſione, vel in Pentecoſten, vel in ſolemnitatibus B. Virginis, vel ſi neceſſe ſit in Dominicis extra Adventum & Quadrageſimam. Poteſt etiam fieri omni tempore, ubi periculum imminet, ne non conſecratæ decedant.] Et ſane ſæculo XII. virginum conſecrationem Dominicis diebus celebrari ſolitam fuiſſe docent nos epiſtolæ A. Fontis Ebraldi abbatiſſæ, & abbatis Sueſſionenſis S. Criſpini ad H. Sueſſionenſem epiſcopum, quæ habentur apud Cheſnium, Hiſt. Franc. tom. 4. p. 724. & 742.

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

Ab epiſcopo ſolo peracta apud latinos.

VI. Denique in prima conſecratione quælibet puella ſuæ ipſius conſecratrix eſſe poterat, facta Deo perpetuæ virginitatis conſervandæ promiſſione, aſſumtoque quo indui ſolebant virgines habitu. At vero in ſecunda unus conſecrationis miniſter eſſe poterat epiſcopus. Hinc Sulpitius Severus ad Claudiam ſororem ſuam ſcribens apud Baluzium Miſcellaneorum tom. 1. gratulatur illi quod virginum ſit [ſpecialis conſecratio, quodque de illo ſancto & immaculato eccleſiæ grege quaſi ſanctiores purioreſque hoſtiæ...... per ſummum ſacerdotem Dei offeruntur altario.] Hinc & Hieronymus ad Demedriadem : [Scio quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale ſanctum operuerit caput.] Et ad Oceanum : [Heri catechumenus, hodie pontifex ; veſpere in circo, nunc in altario ; dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator.] Atque hac in re præſertim virginum conſecratio à viduarum benedictione differebat, quod iſta à preſbyteris, illa à ſolis pontificibus perageretur. Id quod præſertim eſt in concilio Carthaginenſi II. can. 3. ſancitum. Sane chorepiſcopis vetitum fuiſſe ne id præſumerent conſtat ex Caroli Magni Capitulari anni 799. n. 4. Illicitum fuiſſe & preſbyteris docet concilium Pariſienſe VI. lib. 1. cap. 41. renovans concilii Carthaginenſis inhibitionem *de virginibus à preſbyteris non velandis.* [Quorumdam, inquit, relatu didicimus, quoſdam preſbyteros ſuæ menſuræ immemores, immo canonicæ auctoritati reſultantes, in tantam audaciam prorupiſſe, ut ſacrarum virginum conſecratores exiſterent. Et hoc ad negligentiam epiſcoporum pertinere dubium non eſt. Quod quia canonicæ auctoritati minime concordat, ne ulterius quiſquam preſbyterorum id facere præſumat, prorſus inhibemus. Quod ſi forte, quod non optamus, aliquis preſbyterorum id facere præſumſerit, ut pote canonicæ auctoritatis tranſgreſſor, irrefractabiliter feriatur.] Eandem prohibitionem confirmant Capitularia Regum Francorum additione 2. cap. 12. [In qua re, inquiunt, multos preſbyterorum partim ignorantia, partim temeritate deliquiſſe deprehendimus.] Eamdem temeritatem in abbatiſſis redarguit Capitulare Aquiſgranenſe anni 789. n. 74. [Auditum eſt aliquas abbatiſſas contra *morem ſanctæ Dei eccleſiæ*...... velare virgines cum benedictione ſacerdotali : quod omnino à vobis, ſanctiſſimi Patres, in veſtris parrochiis illis interdicendum eſſe ſcitote.] Et concilium Pariſienſe VI. anno 829. celebratum lib. 1. cap. 43. [Inter cetera quæ contra religionem chriſtianam in eccleſia Chriſti fieri cognovimus, non minus emendatione & congrua correctione dignum invenimus, quod quædam abbatiſſæ & ceteræ ſanctimoniales, non ſolum viduas ; ſed etiam virgines puellas velare ſolitæ ſint. Quod quantum ſexui femineo illicitum, & à religione chriſtiana ſit alienum, omnis qui ſanum ſapit facile advertit.] Additque [in omnibus pene monaſteriis puellaribus hujuſmodi velatas] inveniri, idque canonica pœnitentia in poſterum emendari jubet. Immo aliquando ab ipſis virginibus id præſumtum fuiſſe reperimus, de quibus concilium Triburenſe cap. 24. apud Reginonem : [Puella ſi ante duodecim

Digitized by Google

CAPUT VI
De Bened. virginum.

annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumit, poſſunt ſtatim parentes vel tutores ejus id factum irritum facere, ſi volunt,] &c.

A presbytero apud græcos

VII. Cæterum quæ à nobis hic dicta ſunt, latinam præſertim ſpectant eccleſiam. [Nam ſecundum græcos presbytero liceat virginem ſancto velamine conſecrare...... ſecundum Romanos non niſi epiſcopis ſolis.] inquit Theodorus Cantuarienſis archiepiſcopus Spicilegii tom. 9. qui utriuſque eccleſiæ ritibus abunde fuerat imbutus. Porro inter epiſcopos qui ſacrandis virginibus operam dederunt, non inferiorem locum tenere debet S. Ambroſius, ad quem non Mediolanenſes modo, ſed circumpoſitarum etiam remotarumque civitatum ac regionum virgines undique ſacrandæ confluebant. Hinc in libro 1. de Virg. cap. 10. [De Placentino, inquit, ſacrandæ virgines veniunt, de Bononienſi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.]

Virginum veſtis.

VIII. Quod ſpectat ad ritus in ipſa virginum benedictione obſervari ſolitos, præparatis omnibus ad futuram benedictionem neceſſariis, in primis benedicebantur veſtes quibus erant induendæ : hoc eſt quæ virginibus eſſent propriæ. Nam ſacratæ Deo virgines non minus veſte quam propoſito à reliquis feminis & puellis erant diſcretæ : unde S. Cyprianus in libro de Diſciplina & habitu virginum : [Nemo, inquit, cum videt virginem, dubitet an virgo ſit.] Et infra nonnullas virgines redarguens, quæ divitiarum quibus abundabant obtentu cultiores aliis incedere volebant : [Dum ornari cultius, dum liberius evagari virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti ſed Chriſti adulteræ, quam fuerant præmiis ingentibus virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſſa virginitate ſenſuræ.] Hæc autem veſtis ex ſimplici panno coloris nigri confecta erat, ut colligimus ex Hieronymi epiſtola ad Gaudentium : [Solent quædam cum futuram virginem ſpoponderint, pulla tunica eam & furvo operire pallio.] Et alibi Aſellam *Fuſciorem tunicam* indutam deſcribit. Clarius vero concilium Forojulienſe anni 791. cap. 11. Aſſerit virgines ſacras [ob continentiæ ſignum nigram veſtem quaſi religioſam, ſicut antiquus mos fuit,] deferre.

Exhortatorius ad eas ſermo.

IX. Incepta ſolemniter miſſa, poſt orationem, aut ſecundum quoſdam poſt epiſtolam, vel juxta alios poſt evangelium, de papilione aut loco ubi benedictas veſtes induerant, accerſebantur per archipresbyterum virgines conſecrandæ, ad quas epiſcopus exhortatorium ſermonem habebat, qualem fere nobis repræſentat S. Ambroſius in lib. 3. de Virg. factum à Liberio papa cum Marcellinam illius ſororem ſacro velo donavit. Hujuſmodi exhortationis meminit idem Sanctus in lib. de Lapſu Virginis conſecratæ : [Non es memorata qualis ad te die illo (conſecrationis) facta eſt allocutio : Aſpice filia, intuere virgo, & obliviſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus ?]

X. Poſtea antequam ſacram perageret benedictionem, conſenſum parentum aliorumque ad quos velanda virgo pertinebat epiſcopus poſtulabat

ſtulabat, atque ab ipſa virgine obedientiam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus exhibendam. Hunc ritum videre eſt in conſecratione Sophiæ Ottonis ſecundi imperatoris filiæ facta ab Oſdago epiſcopo Hildesheimenſi, quam ita deſcribit Tangmarus preſbyter in Vita S. Bernardi Hildesheimenſis epiſcopi cap. 11. [Ventumque eſt ad ancillarum Dei conſecrationem, cum epiſcopus qui antea a pontificali jure timebatur dejectus, ſubito Dei gratia eſt erectus. Inter miſſarum ſolemnia primo Dominum regem, ſi in velationem ſuæ ſororis conſentiret] humiliter requiſivit, deinde ceteros mundiburdos. Quibus conſenſum facientibus, primo Dominam Sophiam, ſi ad Hildenſemenſem ſedem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſubjectionem & obedientiam profiteretur, interrogavit; deinde alias velandas: quæ unanimi conſenſu religionem & ſubjectionem profeſſæ ſunt.]

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

Conſenſus parentum ad eas conſecrandas expetitur.

XI. Hanc profeſſionem ſequebatur virginis conſecratio una, aut pluribus conſtans orationibus, quas epiſcopus cum manuum impoſitione olim pronunciabat, ut conſtat ex actis S. Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi, ubi de conſecratione S. Genovefæ virginis ab eo peractæ hæc habes: [Interea ſacerdos greſſum divertit ad eccleſiam, maximo populorum agmine proſequente, ibique inter diutiſſimos pſalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem B. Germanus dextram ſuper caput virginis indefeſſe tenuit.] Et ex S. Ambroſii lib. 1. de Virginibus cap. 11, ubi invictiſſimæ cujuſdam virginis audaciſſimum facinus refert, [quæ nobilis in ſæculo, ſed nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad ſacro-ſanctum altare confugit, ubi capiti dextram ſacerdotis imponens, precem poſcens, juſtæ impatiens moræ, ac ſummum altari ſubjecta verticem, num melius, inquit, maforte me quam altare velabit, quod ſanctificat ipſa velamina? Plus talis decet flammeus in quo caput omnium Chriſtus quotidie conſecratur.]

Conſecratio per orationem cum impoſitione manuum.

XII. Pronunciata oratione, epiſcopus flammeum ſeu velum capiti virginis benedictæ imponebat. Tuncque univerſus circumſtans populus acclamabat. *Amen.* Audiendus iterum de hoc ritu S. Ambroſius in libro de Lapſu Virginis conſecratæ: [His tunc in illo die conſecrationis tuæ dictis, & multis aliis ſuper caſtitate tua præconiis ſacro velamine tecta es: ubi omnis populus dotem tuam ſubſcribens, non atramento, ſed ſpiritu, pariter clamavit Amen.] Porro ſub velo ſacratæ Deo virgines intonſas gerebant crines, ut patet ex Actis SS. Saturnini & ſociorum martyrum, ex Actis S. Theodori martyris & Septem Virginum apud Ruinartium, ex Ambroſio lib. de Lapſu Virg. conſec. cap. 8. ex Optato Milevitano lib. 6. & ex concilio Gangrenſi can. 17. Scribit tamen S. Hieronymus in epiſtola ad Sabinianum moris fuiſſe Ægypti & Syriæ monaſteriis, ut virgines quæ ſæculo renunciantes Deo ſe devoviſſent *crinem monaſteriorum matri offerrent deſecandum.*

Velum virginum.

XIII. Præter velum mitram in modum coronæ in ſignum virginitatis profeſſæ deferre ſolebant. [Quia virgo eſt, inquit S. Iſidorus lib.

Mitra.

P

CAPUT VI *De Bened. virginum.*

2. de Offic. Eccleſ. cap. 17. & carnem ſuam ſanctificare propoſuit, idcirco venia fit illi, ut in eccleſia notabilis vel inſignis introeat, & honorem ſanctificati corporis in libertate capitis oſtendat, atque *mitram* quaſi coronam virginalis gloriæ præferat in vertice.] Hanc mitram ſeu mitrellam ex lana, auro, purpuraque contextam fuiſſe colligimus ex Optati lib. 2. & 6.

Annulus.

XIV. De annulo qui velatis virginibus ab epiſcopo dari præcipitur in Ordine Romano, nihil in antiquioribus ſacramentorum libris mſs. ſed neque apud auctores aliquid mihi reperire licuit: immo S. Germanus Autiſſiodorenſis epiſcopus S. Genovefæ à ſe benedictæ inter alia inhibuit ne ullum in collo aut *digitis* ornamentum, quo ſæculares fœminæ uti conſueverunt, deferret. Poſtmodum tamen uſus ille paſſim invaluit, maxime apud eos, qui Romanos ritus in ſe tranſtulerunt, ut ad inſtar ſponſarum Deo cum annulo conſecrarentur, cujus veræ dici poterant ſponſæ.

Hoſtia conſecratis data ad communicandum per octo dies.

XV. Peracta hoc modo virginum conſecratione, epiſcopus miſſam proſequebatur, in qua conſecratæ communicabant, & de ipſa communione ad ſequentes dies octo reſervabant, ut inde communicarent. Hunc ritum, qui præſcribitur in Ordine Romano, habes in antiquis codicibus mſs. quam plurimis, in Turonenſi annorum minimum 800. in Saliſburgenſi Pontificali annorum 600. in Remenſi S. Remigii annorum 500. in duobus tribuſve aliis Remenſibus B. Mariæ, in Abrincenſi monaſterii Savinienſis annorum circiter 400. in Noviomenſi monaſterii Compendienſis, in Pariſienſi annorum 300. In quibuſdam tamen recentioribus, ut in Cameracenſi & Arelatenſi Pontificalibus atque in Mimatenſi quod fuit uſui Johanni *Saireberuche* epiſcopo Catalaunenſi tantum præſcribitur, ut tribus diebus communicent.

XVI. Denique ne quis virgines ſacras vi aut arte aliquando corrumpere poſſet, ſub fideli cuſtodia tradebantur iis, qui de earum integritate reſponderent. Id præſertim inſtitutum eſt propter eas quæ in domibus paternis aut laicorum manſionem elegerant. Nam ſanctimoniales abbatiſſæ committebantur. Viguit autem in eccleſia latina ad annum uſque milleſimum uſus ille benedictionis virginum, quæ ſolo continentiæ voto contentæ, velo & habitu ſibi proprio notabiles, in paternis propriiſve domibus habitabant. In græca vero ſub finem ſæculi XII. jam pene defecerat. Audiendus Theodorus Balſamon qui poſt annum 1191. ſcripſit: [Hodie Conſtantinopoli nec ſunt virgines cum laicali habitu, nec eſt virginum domicilium, quod Parthenon dicitur. Solus autem ille Thebarum metropolitanus Calodtenes fecit Thebis Parthenonem, & laicas in ipſo virgines ordinavit. Et ideo æternum eſt hoc ejus monumentum, eique hoc nomine gratia agenda eſt.] Longe diutius in latina eccleſia perſeveravit ſanctimonialium ſolemnis ab epiſcopo benedictio. Ejus mentionem facit concilium Oxonienſe anni 1222. canone 38. decernens ut [ſola monialis conſecrata deferat annulum & uno ſolo ſit contenta.] Thomas Cantipratenſis qui circa idem tempus

Virginum conſecratio quandiu duraverit.

florebat in libro 2. de Apibus cap. 29. n. 30. agit de ſolemni virginum conſecratione ab epiſcopo tanquam de re ſuo tempore uſitata. In promptuario antiquitatum Tricaſſinarum Nicolai Camuſatii extat charta epiſcopi Tricaſſini anno 1324. ſanctimonialibus B. Mariæ Trecenſis permittens, ut à quocumque vellent epiſcopo *benedictionis munus* recipere valeant. Denique in Synodo Auguſtana anni 1548. can. 21. agitur de Virginum conſecratione, & S. Carolus Borromæus in concilio IV. Mediolanenſi ſtatuit ut [ubi religioſus iſte & vetus moniales ſolemniter velandi mos his temporibus antiquatus eſt, ad priſtinum uſum ex veteri inſtituto & ritu revocetur, dummodo intra monaſterium id fiat.] Viget adhuc hodie Venetiis ubi anno 1685. referente Mabillonio in Itinere Italico pag. 35. [Die Dominica apud S. Zachariam facta eſt à patriarcha ſex nobilium Benedictinarum conſecratio, quæ aliquot à profeſſione annis fieri ſolet cum magna pompa & multo apparatu. Poſt lectam miſſæ epiſtolam patriarcha ad chorum virginum accedit, & peracto conſecrationis ritu, omnes qui in conſecratarum virginitatem aliquid tentare auſi fuerint, diris vovet.] Perſeveratque hactenus apud ſanctimonales Cartuſianas ſolemnis ab epiſcopo virginum conſecratio, cujus ritum poſtea referemus.

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

XVII. Ceterum ne quis hæreat in velo quod ſacris virginibus ab epiſcopo debet imponi, exiſtimetque ſanctimoniales virgines, quæ longe ante virginitatis ſervandæ votum in monaſteriis emiſerant, toto illo temporis intervallo quod profeſſionem inter & conſecrationem intercedit, velo caruiſſe, obſervandum eſt duplex olim fuiſſe virginum velum : unum quod in prima conſecratione, alterum quod in ſecunda tradebatur. Hujus diſtinctionis egregium habemus teſtimonium in Petri Abaelardi epiſt. 8. [Duo autem velorum genera eſſe volumus, ut alia ſint ſcilicet virginum jam ab epiſcopo conſecratarum, alia vero minime. Quæ vero prædictarum ſint virginum, crucis ſibi ſignum habeant impreſſum ; quo ſcilicet ipſæ integritate quoque corporis ad Chriſtum maxime pertinere monſtrentur : & ſicut in conſecratione diſtare à ceteris, ita & hoc habitus ſigno diſtinguantur, quo & quique fidelium territi magis abhorreant in concupiſcentiam earum exardeſcere. Hoc autem ſignum virginalis munditiæ in ſummitate capitis candidis expreſſum filis virgo geſtabit, & hoc nullatenus antequam ab epiſcopo conſecretur geſtare præſumat. Nulla autem alia vela hoc ſigno inſignita ſint.] Ea porro quæ à nobis hactenus dicta ſunt ex ſubſequentibus ordinibus elucеſcent.

Velum virginum, duplex.

ORDO I.

Ex mſ. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi.

Benedic virginem monialis.

Benedicat te conditor cæli & terræ, Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatus eſt ad inſtar S. Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti ad conſervandam integram & immaculatam virginitatem, quam profeſſa es coram Deo & angelis ſanctis: idcirco ſerva propoſitum, ſerva caſtitatem per patientiam, ut coronam virginitatis tuæ accipere digna ſis. Nunc exoro Domini noſtri Jeſu Chriſti miſericordiam, ut hanc virginem benedicere & conſecrare ac ſanctificare dignetur. Qui cum.

Item benedictio virginum.

Benedicat te Deus Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus omni benedictione ſpiritali, ut maneas incorrupta, inviolata, & immaculata ſub veſtimento S. Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Requieſcat ſuper te Spiritus ſeptiformis Dei, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, repleat te Spiritus timoris Domini. Fragilem ſolidet, invalidam roboret, validamque confirmet, pietate allevet, miſeratione conſervet, mentem regat, vias dirigat, cogitationes ſanctas inſtituat, actus probet, opera perficiat, caritate ædificet, ſapientia illuminet, caſtitate muniat, ſcientia inſtruat, fide confirmet, in virtute multiplicet, in ſanctitate ſublimet, ad patientiam præparet, ad obedientiam ſubdat, in humilitate proſternat, ad continentiam det fortitudinem, reddat ſobriam, protegat pudicam, in infirmitate viſitet, in dolore relevet, in tentatione erigat, in converſatione cuſtodiat, in proſperitate temperet, in iracundia mitiget, iniquitatem emendet, infundat gratiam, remittat offenſa, tribuat diſciplinam, ut his & his ſimilibus virtutibus fulta & ſanctis operibus illuſtrata, illa ſemper ſtudeas agere, quæ digna fiant in remuneratione. Illum habeas teſtem, quem habitura es judicem; & aptare, ut præfulgentem geſtans in manu lampadem, intratura ſponſi thalamum occurras venienti cum gaudio, & nihil in te reperiat fœtidum, nihil ſordidum, nihil incultum, nihil corruptum, nihil inhoneſtum; ſed niveam & candidam animam corpuſque lucidum atque ſplendidum, ut cum dies ille tremendus, remuneratio juſtorum, retributioque malorum advenerit, non inveniat in te ultrix flamma quod uret, ſed divina pietas quod coronet, quæ jam in hoc ſæculo converſatio religioſa mundavit, ut tribunal æterni regis aſcenſura celſa palatia cum eiſdem merearis portionem qui ſequuntur Agnum, & cantant canticum novum ſine ceſſatione, illic perceptura præmium poſt laborem, ſemperque maneas in viventium regione, atque ipſe benedicat te de cælis,

qui per crucis † paſſionem humanum genus eſt dignatus venire in terris redimere Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum æterno Patre, & Spiritu ſancto, in Trinitate perfecta vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio ſanctimonialis, aut virginis, aut viduæ.

Effunde, Domine, cæleſtem benedictionem ſuper hanc famulam tuam ſororem noſtram ill. quæ ſe humiliavit ſub dextera tua. Amen.

Protege eam perfectione tua divina, fugiat univerſa delicta, ſciat ſibi bona deſideria præparata, ut regni cæleſtis ſancta conquirat lucra. Amen.

Pateat ſemper divinis præceptis, ut te adjuvante vincat incendia carnis, omnem libidinem pravæ voluptatis ſuperet amore caſtitatis, habeat in ſe oleum ſanctitatis, & lætetur cum lampadibus ſempiternis. Amen.

Geſtet in manibus ſuis faces ſanctas, & apud ſapientes & caſtiſſimas animas duce Chriſto introire mereatur januam regni cæleſtis. Amen.

Quod ipſe. Amen. Benedictio.

Conſecratio veſtimentorum virginum vel viduarum.

Deus, æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, & certiſſime perſolutor; qui veſtimentum ſalutare, & indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis & contemtum mundi ſignificantia, quibus famula tua ill. ſancto viſibiliter eſt informanda propoſito propitius bene † dicas, & beatæ caſtitatis habitum, quem te inſpirante ſuſceperit, te protegente cuſtodiat: & quam veſtibus venerandæ religionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per.

Benedictio veſtis virginis vel viduæ.

Deus, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, exaudi preces noſtras, & hanc veſtem qua famula tua ill. pro conſervandæ caſtitatis ſigno, ſe adoperiendam expoſcit, bene † dicere & ſanctificare digneris. Per.

Dicendum eſt quando virgines aut viduæ ſacrum velamen accipiunt: Accipe, puella, vel vidua, pallium quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectet omne genu, cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, adjuva quas virginitatis, & viduitatis honore dignatus es decorare, perferat inchoati operis conſummatum effectum & votorum ſuorum expediat inſtitutum, virginalique habitu perfectam tibi offerant plenitudinem, & initia ſua perducere mereantur ad finem, ut mature ſanctimoniæ cumulent merita, & centenarium munus defuncto agone virginitatis accipiant.

Conſecratio virginum ab epiſcopo dicenda.

Te invocamus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper has famulas tuas, quæ tibi voluerunt ſervire puris mentibus, mundoque corde; ut eas ſociare digneris inter illa centum quadraginta

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

quatuor millia infantium, quæ virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non eſt; ita & has famulas tuas facias permanere immaculatas uſque ad finem per immacularum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit.

Deus caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum amator animarum: Deus qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo per quod omnia facta ſunt, reparas, ut eam non ſolum ad primæ originis innocentiam revoces, ſed etiam ad experientiam horum bonorum, quæ in novo ſæculo ſunt, habenda perducas & obſtrictos adhuc conditione mortalium, jam ad ſimilitudinem provehas angelorum: Reſpice ſuper hanc famulam tuam ill. quæ in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum collocans, tibi devotionem ſuam offert, à quo & ipſa idem votum aſſumſit. Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret, niſi tu hanc flammam virginitatis vehementer accenderes, tu hanc cupiditatem in ejus corde benignus aleres, ut fortitudinem miniſtrares? Effuſa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ eſt ſub cælo, in ſtellarum innumerabilem numerum, novi teſtamenti hæredibus adoptatis, inter ceteras virtutes, quas filiis tuis non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed de tuo ſpiritu genitis indidiſti, etiam hoc donum in quaſdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent, & ſuper conjugalem copulam tua benedictione permaneret; exiſterent tamen ſublimiores animæ, quæ non concupiſcerent quod habet mortale connubium; ſed hoc eligerent quod promiſit divinum Chriſti eccleſiæ ſacramentum: nec imitarentur quod nuptiis agitur, ſed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem ſuum beata virginitas, & æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo ſe devovit, qui ſic perpetuæ integritatis eſt ſponſus, quemadmodum perpetuæ virginitatis eſt filius. Imploranti ergo auxilium tuum, Domine, & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen & regimen, ne hoſtis antiquus qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis, ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis ſerpat incuriam, & rapiat de propoſito virginum, quod etiam moribus decet ineſſe nuptarum. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modeſtia, & quod profeſſa eſt cuſtodiat. Scrutatori * peccatorum non corpore placitura, ſed mente tranſeat in numerum ſapientium puellarum, ut cæleſtem ſponſum accenſis lampadibus cum oleo præparationis expectet; nec turbata improviſi regis adventu, ſed ſecura cum lumine & præcedentium virginum choro occurrat, & ne excludatur cum ſtultis regalem januam cum ſapientibus virginibus licenter introeat, & in agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura, caſtitate permaneat. Per.

* *f.* pectorum.

Item alia ab epiſcopo dicenda.

Deus, caſtorum corporum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum, reſpice ſuper hanc famulam tuam ill. quæ tibi devotionem ſuam offert, à quo & ipſa idem votum aſſumſit. Sit in ea, Domine, per donum ſpiritus tui prudens modeſtia, ſapiens benignitas, gravis lenitas, caſta libertas. Ferveat in caritate, & nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, & laudari non appetat: te timeat, tibi amore ſerviat. Tu ei honor, tu gaudium, tu in mœrore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium, tu in injuria defenſio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate ſis medicina. Per te quem diligere ſuper omnia appetit, quod eſt profeſſa cuſtodiat, ut & hoſtem antiquum devincat, & vitiorum ſquallores expurget: quatenus centeſimi fructus dono virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari, & electarum virginum tuarum conſortio, te donante, mereatur uniri. Per.

Conſecratio viduæ.

Conſolare, Domine, hanc famulam tuam viduitatis languoribus conſtrictam, ſicut conſolari dignatus es Sareptenam viduam per Eliam prophetam. Concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum. Neſciat etiam incentiva deſideria, ut ſoli tibi ſubdat propria colla, quo poſſit pro laboribus tantis ſexageſimum granum portare munus delectabile ſanctitatis. Per.

Alia.

Deus caſtitatis amator, & continentiæ conſervator, ſupplicationem noſtram benignus exaudi, & hanc famulam tuam propitius intuere, ut quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vovit, tuo auxilio conſervetur, ut ſexageſimum fructum continentiæ & vitam æternam te largiente percipiat. Per.

Ad ancillas Dei velandas.

Famulas tuas, Domine, tuæ cuſtodia muniat pietatis, ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſceperunt, te protegente, inlæſum cuſtodiant. Per.

ORATIO AD MISSAM.

OMnipotens Deus, fidelium rector animarum, conſerva in his famulabus tuis virginalis pudicitiæ propoſitum quod dediſti, earumque deſiderium uſque ad conſummatum victoriæ triumphum Spiritusſancti tuere cuſtodia. Per.

Super oblata.

Reſpice, Domine, propitius ſuper hanc famulam tuam, ad ſanctæ hoſtiam noſtræ ſervitutis tuo conſpectui immolandum, ut hæc famulæ tuæ virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. Per.

Præfatio.

Tu, Domine, gratia tua perveni & adjuva ancillarum tuarum vo-

Digitized by Google

CAPUT VI. De Bened. virginum.

luntatem, quæ eligunt meliorem portionem: præſta eis ut ſobrie, pudiceque viventes, hæc faciant ſemper quæ tibi ſint placita. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famularum tuarum, quam tibi offerimus ob diem natalis earum, quo eas ſacro velamine protegere dignatus es quæſumus Domine placatus. Per.

Poſt communionem.

Muneris divini perceptio, quæſumus Domine, ſemper à nobis & peccata noſtra ſubmoveat, & externa depellat. Per.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis.

* f. orationibus.

*INcipit benedictio virginum quarum habitus cum ſuperioribus * lectionibus conſecretur, & ſacroſancta virginitas ſoli Domino ab epiſcopo conſecretur; ut qui hac jura reſcindat, ſeipſum in perpetuum, niſi canonice pœniteat, damnandum ſciat.*

Deus bonarum virtutum dator, &c. *ut in Ordine Romano ad faciendum monachum.*

Alia.

Deus qui veſtimentum ſalutare & indumentum æternæ jocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hoc indumentum mortificationem carnis, humilitatem cordis, & contemtum mundi ſignificans, quo famula tua ill. ſancto viſibiliter eſt informanda propoſito, & monaſticæ religionis habitum, quem te inſpirante ſuſceperit, te protegente cuſtodiat. Per Dominum.

Benedictio virginis.

Benedicat te conditor cæli & terræ, Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatus eſt ad inſtar S. Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti ad conſecrandam integram & immaculatam virginitatem; quam profeſſa es coram Deo & angelis ſanctis. Idcirco ſerva propoſitum, ſerva caſtitatem per patientiam, ſerva caſtitatem per patientiam, ut coronam virginitatis accipere digna ſis. Per Dominum.

Item alia.

Benedicat te Deus Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus benedictione ſpirituali, ut maneas incorrupta, &c. *ut in Pontif. Romano.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, adjuva quam virginitatis honore dignatus es decorare. Perferat inchoati operis conſummatum effectum, & votorum ſuorum expediat inſtitutum; virginalique habitu perfectam tibi offerat plenitudinem, & initia ſua perducere mereatur ad finem, ut matura ſanctimoniæ cumulet merita, & centenarium munus de perfecto agone virginitatis accipiat.

Alia.

Digitized by Google

Alia.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, *&c. ut in Pont. Rom.*

Alia.

Deus caſtorum corporum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum, *&c. ut in Pontif. Romano.*

Poſt imponas puellæ pallium, & dicas.

Accipe, puella, pallium, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, qui cum Patre.

Benedictio ejuſdem virginis ad miſſam.

Effunde, Domine, benedictionem cæleſtem ſuper hanc famulam tuam, ſororem noſtram N. quæ ſe humiliavit ſub dextera tua.

Alia.

Protege eam protectione tua divina. Amen.

Fugiat univerſa delicta, ſciat ſibi bona deſideria præparata, ut regni cæleſtis ſancta conquirat lucra. Amen.

Pareat ſemper divinis præceptis, ut te adjuvante vitet incendia carnis, omnemque libidinem pravæ voluptatis ſuperet amore caſtitatis; habeat in ſe oleum ſanctitatis, & lætetur cum lampadibus ſempiternis. Amen.

Geſtet in manibus faces ſanctas, & apud ſapientes & caſtiſſimas animas, duce Chriſto, introire mereatur januam regni cæleſtis.

Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, permaneat tecum hic & in perpetuum.

ORDO III.

Ex mſ. codice S. Gatiani Turonenſis, ante annos 800. exarato.

INCIPIT DE SACRIS VIRGINIBUS CONSECRANDIS, ID EST IN EPIPHANIA, SIVE IN FERIA PASCHALI, NEC NON IN NATALI APOSTOLORUM.

Sanctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. In primis offerat illa veſtimenta ante altare epiſcopo ad benedicendum. Ipſa benedicta dat ea epiſcopus, ipſius virginis tantum illum pallium apud ſe retineat. Ipſa pergat in ſacrario, & induat ſe veſtimenta benedicta. Et accipiens duos cereos in manibus ſuis ardentes, & veniens ante altare, & incipiat clerus introitus ad miſſam. Et poſt evangelium inclinato capite ante altare benedicet eam. Ipſe, benedictione expleta, mittet epiſcopus illum pallium benedictum ſuper caput virginis, dicens: Accipe puella pallium quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Q

Poſt hæc relinquens puella cereos, & offert oblationem: iterum accipiens cereos, & ſtans inclinata uſque dum finiatur miſſa, & communicet, & reſervet de ipſa communione, unde uſque in diem octavum communicet. Et ſi eſt qui eam teſtimoniavit, mittat eam in manu ejus dicens: Vide quomodo iſta Deo ſacrata repræſentes immaculata ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Benedictio veſtium virginis vel viduæ.

Deus qui veſtimentum ſalutare, *&c. ut ſupra. Alia.* Deus bonorum virtutum dator, *&c. ut ſupra.*

Benedictio virginis ab epiſcopo dicenda.

Reſpice, Domine, propitius ſuper hanc famulam tuam ill. &c.

Conſecratio.

Deus caſtorum corporum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum, *&c. ut ſupra.*

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali S. Remigii Remenſis annorum 500.

CONSECRATIO SACRARUM VIRGINUM, QUÆ IN EPIPHANIA VEL IN SECUNDA FERIA PASCHÆ, AUT IN APOSTOLORUM NATALITIIS CELEBRATUR.

OMnes qui ad ſacros ordines debent promoveri ante pronunciationem evangelii ab ipſo epiſcopo debent conſecrari, quia prædicatio S. Evangelii debet per totum mundum diffundi. Virgines autem & viduæ poſt lectum evangelium debent velari, quia decet eas & per evangelium prædicari. Virginem epiſcopo parentes cum oblatione offerant, & ille involutam manum ejus in palla altaris recipiat dicendo cum aſtantibus antiphonam.

Ipſi ſum deſponſata, cui angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur.

EX CANONE CARTHAGINENSI CAPITULO XII.

SAnctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur, in talibus veſtibus applicetur qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. In primis autem offerantur illa veſtimenta ante altare epiſcopo ad benedicendum.

Benedictio veſtimentorum.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, *&c. ut in Ordine Romano ad faciendum monachum.*

Alia.

Domine Deus virtutum dator & omnium benedictionum largus infuſor, *&c. in Ord. Rom. ibid.*

Exaudi, Domine, preces noſtras & has veſtes quas famulæ tuæ, &c. *ut in Ord. Rom. in conſecratione virginis.*

Digitized by Google

Item ſingularis benedictio ſacrorum velaminum.

Caput VI. De Bened. virginum.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Caput omnium fidelium Deus, & totius corporis Salvator, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc ſimpliciter proſternant ſe ante altare, illæ quæ conſecrandæ ſunt, & dicant hunc verſum ter. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea. *Deinde dicat epiſcopus:* Soror accipe hanc veſtem in nomine Domini. *Et illa:* Suſcipio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. *Tunc det eis epiſcopus virginitatis veſtimenta, & vela retineat. Ipſæ autem virgines recedentes induant ſe ipſis veſtimentis. Poſt hæc redeant unaquæque portans duos cereos ardentes, & cantent.* ℣. Et nunc ſequimur in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, Domine, ne confundas nos; ſed fac nobis juxta manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. *Et reſpondeat chorus:* Quia non eſt confuſio confidentibus in te, Domine. *Et iterum cantant virgines unaquæque:* Et ecce venio ad te quem amavi, quem quæſivi, quem ſemper optavi.

Tunc vero inchoata miſſa, poſt lectum evangelium, & dictam eis proſtratis letaniam, inclinatis capitibus ante altare, benedicat eas epiſcopus dicens: Dominus vobiſcum.

Oremus.

Reſpice, Domine, propitius, *&c. in Ord. Rom.*

Sequitur conſecratio in modum præfationis.

Vere dignum & juſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Caſtorum corporum benignus inhabitator & incorruptarum amator animarum, *&c. ut in Ord. Rom.*

Benedictione expleta, epiſcopus mittat velum ſuper caput uniuſcujuſque dicens: Accipe velum ſacrum puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tunc cantetur à circumſtantibus ad ſingulas antiphona: Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me.

Oratio poſt ſumtum velum.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Famulas tuas, &c. *ut in Ord. Rom.*

Sequitur antiphona. Ipſi ſum deſponſata. *Oratio.*

Dominus vobiſcum. Oremus.

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc cantent circumſtantes antiphonam: Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Deinde dicat epiſcopus ſuper eas benedictionem ſancti Matthæi apoſtoli.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus plaſmator corporum, afflator animarum, *&c. ut in Ord. Rom.*

Digitized by Google

CAPUT VI. De Bened. virginum.

Ad dandum annulum.

Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus-ſancti, ut ſponſa Dei voceris, ſi ei fideliter ſervieris.

Ad torquem.

Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor ejus efficiaris, & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris.

Tunc cantetur antiphona: Annulo ſuo ſubarravit me, &c.

Sequitur benedictio. Benedicat vos conditor cæli, *&c. ut in Ord. Rom.*

Deinde publica voce bannum epiſcopalem imponat, ne quis eas à divino ſervitio ſub vexillo caſtitatis impediat, & ut bona ſua cum pace & quiete poſſideant. Poſt hæc puellæ relinquentes cereos, ſtent inclinatæ uſque dum communicent, & miſſa finiatur ordine ſuo. Poſtquam communicaverint, NOTA. *reſervent de ipſa communione uſque in diem octavum, & tunc communicent. Et ſi eſt qui eis teſtimonium perhibeat, mittat eas epiſcopus in manus ſuas dicens:*

Vide quomodo iſtas Deo ſacratas repræſentes immaculatas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Sequitur miſſa ut in Ordine ſequenti.

ORDO V.

Ex mſ. Pontificali metropolitanæ eccleſiæ Apamienſis in Syria.

ORDO AD CONSECRANDAM SACRAM VIRGINEM, QUÆ IN DOMINICIS DIEBUS, ET CETERIS FESTIVITATIBUS DOMINI, SIVE IN FESTIVITATIBUS B. MARIÆ, AUT IN NATALITIIS APOSTOLORUM, VEL IN PRÆCIPUIS FESTIVITATIBUS MARTYRUM CONSECRARI DEBET.

Ipſa igitur virgo quæ ſanctimonialis fieri debet, cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur; debet præſentari epiſcopo ab illis parentibus qui eam proximiori gradu conſanguinitatis tangunt, & ille manum ejus involutam in palla altaris recipiat. Tunc ipſa virgo, ſi novit litteras, alta voce dicat hanc antiphonam: Ipſi ſum deſponſata cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur. *Si vero non novit litteras, aliæ ſanctimoniales conſodales ejus eamdem antiphonam vice ipſius decantent. Poſt hæc offerantur epiſcopo ante altare veſtimenta religionis & velamina ad benedicendum, & ipſe benedicat ea publice in hunc modum.*

Benedictio velaminum vel veſtimentorum virginum vel viduarum.

Dominus vobiſcum. Oremus. Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, &c. *Alia.* Domine Deus bonarum dator virtutum, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Benedictio veſtis tam viduæ quam virginis.

Exaudi omnipotens Deus preces noſtras, & hanc veſtem quam famula tua, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Digitized by Google

Item ſingularis benedictio ſacri velaminis.

Suppliciter te, Domine, rogamus, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Alia benedictio velaminis.

Caput omnium fidelium Deus, &c.

Hoc facto, ipſa virgo recipiat indumenta religionis, quæ benedicta ſint de manu epiſcopi, excepto velo ſimiliter benedicto, quod nondum recipiet; & ingreſſa ſecretarium, ibi veſtiatur; poſtea rediens capite diſcooperto, proſternat ſe ante altare, & dicat tribus vicibus hunc verſum: Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea. *Tunc eadem jacente ante altare, cantetur letania; qua finita, ſurgat & inclinet caput ſuum ante epiſcopum, cui benedicat epiſcopus his verbis.*

Oremus.

Reſpice, Domine, ſuper hanc famulam tuam N. propitius, & virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente cuſtodiat. Per.

Hic dicat epiſcopus altiori voce in modum præfationis. Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Vere dignum & juſtum eſt, &c. Caſtorum corporum benignus habitator, &c.

Benedictio.

Te invocamus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater, & Filius & Spiritus-ſanctus, omni benedictione ſpirituali, ut maneas ſemper immaculata ſub veſtimento ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Hac benedictione expleta, ad interrogationem epiſcopi profiteatur virgo de obſervatione ſacri velaminis: & tunc epiſcopus imponat velamen ſuper caput ipſius ſic dicens:

Accipe velum ſacrum, puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri, cui flectitur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tunc ipſa velata incipiat hanc antiphonam: Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me. *Ceteris monialibus quæ circumſtant proſequentibus, & ſi plures fuerint tunc velatæ, à ſingulis reincipiatur eadem antiphona.*

Oratio poſt aſſumtum velum.

Famulam tuam, Domine, tuæ cuſtodia muniat pietatis, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Conſequenter incipiat & hanc antiphonam quam inprimis dixerat: Ipſi ſum deſponſata, *ceteris ſanctimonialibus quæ circumſtant proſequentibus. Tunc epiſcopus hanc dicat orationem.*

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua quæ pro ſpe retributionis, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Digitized by Google

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

Et hic quoque dicat hanc antiphonam : Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Conſequenter dicat epiſcopus benedictionem Matthæi apoſtoli.

Deus plaſmator corporum, afflator animarum, *&c. ut in Pont. Rom.*

Juxta antiquum morem Romanorum hujuſmodi virginibus conſecratis dabat epiſcopus annulum, in quo dando dicebat : Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus-ſancti, ut ſponſa Dei voceris ſi ei fideliter ſervieris.

Similiter & torquem dicens : Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor ejus efficiaris, & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris.

Tunc ipſa conſecrata cantabat : Annulo ſuo ſubharravit me Dominus meus Jeſus Chriſtus, & tamquam ſponſam decoravit me corona.

Oratio.

Benedicat te conditor cæli & terræ, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Sic igitur facta per ordinem benedictione, epiſcopus tradat ipſam conſecratam Deo virginem in manus abbatiſſæ vel prioriſſæ ſuæ ſic dicens : Vide quomodo ipſam Deo ſacratam repræſentes immaculatam ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Hic quoque ſciendum quoniam omnis hæc benedictio, quæ ſuperius dicta eſt, debet fieri poſtquam epiſcopus proceſſerit ad officium miſſæ inter epiſtolam & evangelium. Quo lecto, debet virgo offerre ad manus epiſcopi, velato capite, & circa finem miſſæ communicare.

Introitus ad miſſam.

Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam à me. *Pſ.* Dominus illuminatio.

Oratio.

Da quæſumus ancillæ tuæ, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis conſummatum effectum, & ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia ſua perducere mereatur in finem. Per.

Epiſtola ad Corinthios.

Fratres, neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt, &c.

Graduale. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. ℣. Miſit de cælo & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Alleluia. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.

Secundùm Matthæum.

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc. Simile factum eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias.

Offertorium.

Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum Domine, quoniam non derelinquis quærentes te, pſallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non eſt oblitus orationes pauperum.

Secreta.

Oblatis hoſtiis, Domine, quæſumus præſenti famulæ tuæ perſeverantiam, perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis ſummi regis thalamum cum lætitia mereatur intrare. Per.

Digitized by Google

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro famula tua ob diem natalis ſui, in quo eam tibi ſocians ſacro velamine protegere dignatus es, quæſumus, Domine, propitiatus intende, ut Domino ac ſponſo ſuo venienti cum lampade inextinguibili placitura occurrere mereatur, dieſque noſtros, &c.

Benedictio antequam ſumatur Corpus Domini.

Domine Deus æterne, qui utrumque ſexum de interitu perpetuæ mortis per Jeſum Chriſtum filium tuum de Maria Virgine natum miſericorditer redemiſti, hanc famulam tuam devota tibi mente ſervientem omni benedictione ſpirituali benedicere dignare. ℟. Amen.

Ut integram fidem habeat, & in præceptis legis tuæ ſemper perſeveret, terrena & tranſitoria deſpiciat, æterna & inviſibilia intenta meditatione diligat. ℟. Amen.

Ut in numero ſanctarum virginum permanens cæleſti ſponſo cum lampadibus bonorum operum fiducialiter occurrere ipſo propitiante mereatur. ℟. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.

Communio.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine.

Poſtcommunio.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundaſti, reſpice ſuper hanc famulam tuam N. & quæ caſtigationibus aſſiduis poſtulat, tua conſolatione percipiat. Per.

ORDO VI.

Ex ms. codice monaſterii S. Victoris Pariſienſis, annorum 500.

CONSECRATIO VIRGINIS QUÆ IN DIEBUS SOLEMNIBUS FACIENDA EST.

Virgo Deo dicanda poſt introitum & collectam, priuſquam legatur epiſtola ante altare veniat, habitum religionis propriis manibus geſtans, quem ibi depoſitum epiſcopus benedicat.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, &c. *ut in ordinatione monachi in Ordine Romano.*

Domine Deus bonarum virtutum dator, &c. *ut ibidem.*

Tunc det epiſcopus virginitatis veſtimentum, & tantum velamen faciat apud ſe retineri dicens.

Accipe puella pallium quod perferas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Qui cum Patre.

Tunc ipſa virgo vadat ad ſacrarium, & induat ſe ipſo veſtimento benedicto, accipienſque unum cereum in manus ſuas ardentem veniat ante altare, Poſt evangelium autem hymno dicto Veni Creator Spiritus, *mittat velamen*

Digitized by Google

ſuper caput ejus, dicens: Accipe virgo Chriſti velamen virginitatis & continentiæ indicium, per quod Spiritus-ſanctus ſuperveniat in te, & virtus Altiſſimi ſit tibi umbraculum contra æſtum malarum tentationum. Præſtante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate ejuſdem Spiritus-ſancti Deus.

Et canatur antiphona.

Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me.

Reſpice, Domine, propitius ſuper hanc famulam tuam N. ut virginitatis propoſitum quod inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. Per.

Deus caſtorum corporum, &c. *ut in Ordine Romano.*

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hanc famulam tuam N. quæ tibi vovit ſervire pura mente, mundo corde, ut eam ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia, qui virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non eſt, & ita hanc famulam tuam facias permanere immaculatam uſque in finem per immaculatum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cum quo vivis & regnas Deus in unitate Spiritus-ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc relinquens puella cereum, offerat oblationem, iterumque accipiens cereum ſtet inclinata uſque dum communicet, & miſſa finiatur ordine ſuo.

ORDO VII.

Ex ms. Pontificali Cameracenſi, annorum circiter 500.

Ordo consecrandarum virginum.

Sanctimoniales cum ad conſecrationem ſuo epiſcopo offeruntur, in talibus veſtibus applicentur, qualibus ſemper uſuræ ſunt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis, ſicut jubetur in canone Carthaginenſi. In primis à cantore incipiatur introitus, & ſequatur oratio. Finita collecta, antequam legatur epiſtola, ſedeat epiſcopus in ſella coram altari, ipſæque ſtent à longe nudatis capitibus, & abbatiſſa ſtet retro eas, & aliæ virgines teſtes integritatis earum, tunc vocet eas epiſcopus dicendo: Venite filiæ. *Ipſæque reſpondeant parumper mutantes locum.* Et nunc ſequimur, *totum verſum. Hoc expleto, iterum repetat epiſcopus.* Venite, venite, filiæ: *Et iterum reſpondent mutando locum.* Et nunc ſequimur. *Et iterum epiſcopus ter vocet eas dicens:* Venite filiæ. *Et illæ aliquantulum appropinquantes dicant:* Et nunc ſequimur. *Quo finito, accedant propius cum reverentia, faciatque eis epiſcopus ſermonem de virginitate ſervanda. Et illæ fatentes hæc ſervare per omnia, prior earum afferat coram epiſcopo velamina, & ipſe benedicat ea.*

Oratio.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, &c. *Alia.* Caput omnium

Alia. Caput omnium fidelium Deus, &c.

Deinde proſternat ſe epiſcopus coram altari, & virgines cum eo, quæ ſunt conſecrandæ, & agatur letania & ſequatur Kyrie eleiſon, *& preces.* Pater noſter. Salvas fac ancillas tuas. Dominus conſervet eas. Dominus cuſtodiat eas ab omni malo. Nihil proficiat inimicus in eis. Eſto illis, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

Tunc ſurgat epiſcopus, & illis jacentibus juxta, ſtans dicat orationem. Reſpice, Domine, propitius, &c. Æterne Deus caſtorum corporum benignus habitabor, &c.

Poſt hæc ſurgant, & repræſentent eas aliæ virgines, teſtes integritatis earum, & inclinatis capitibus dicat ſuper eas epiſcopus.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Tunc mittat velamen ſuper caput, dicens.

Accipe ſacrum velum, puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tunc ipſa velata incipiat Induit me Dominus. *Et cetera proſequantur uſque in finem. Qua finita, imponit alteri velamen dicens:* Accipe ſacrum velum. *Et ipſa dicit:* Chriſtus circumdedit me. *Et ſic faciat per ſingulas epiſcopus, unaquaque canente.* Ipſi ſum deſponſata. *Antiph.* Dextram meam & collum. *Antiph.* Poſuit ſignum. *Antiph.* Annulo ſuo.

His finitis, ſequitur collecta poſt aſſumtum velamen: Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, &c.

Tunc dat ſingulis candelas accenſas dicens:

Spiritus ſancti gratia illuminet cor tuum & mentem tuam. *Deinde inclinatis capitibus dicit ſuper eas benedictionem Matthæi apoſtoli.* Deus plaſmator corporum, afflator animarum, &c.

Ad complendum.

Benedicat vos conditor cæli, & terræ Deus, &c.

Deinde publica voce bannum epiſcopalem imponat, ne quis eas à divino ſervitio ſub vexillo caſtitatis impediat. Quo finito, cantent antiphonam: Ecce quod concupivi. *His finitis, ſuo ordine agatur miſſa, ipſæque ſtent audientes eam, & offerant, & communicent.*

ORDO VIII.

Ex ms. Pontificali Aquenſis eccleſiæ, annorum circiter 400.

. . . .

T*Unc archipreſbyter ſtans in parte virginum dicat alta voce ad Dominum archiepiſcopum.* Reverende pater poſtulat ſancta. *Reſpondeat archiepiſcopus.* Scis illas dignas eſſe? *Reſpondet archipreſbyter:* Quantum humana fragilitas. *Item dicit archiepiſcopus:* Auxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, elegimus has præſentes virgines conſe-

CAPUT VI. De Bened. virginum.

crare, & Domino Jeſu Chriſto deſponſare.

Poſtea convocet eas archiepiſcopus, ut ſequitur. Venite virgines. *Virgines autem accedentes verſus conſecratorem reſpondent:* Et nunc ſequimur. *Secundo vocet eas conſecrator.* Venite virgines. *Virgines autem reſpondent:* Et nunc ſequimur. *Tertio vocet eas conſecrator, & dicit:* Venite filiæ audire me timorem Domini docebo vos. *Virgines appropinquantes reſpondent:* Et nunc ſequimur te.

Poſtmodum interroget archiepiſcopus ipſas virgines: Vultis in ſancto virginitatis propoſito perſeverare? ℟. Volumus.

Vultus benedici, conſecrari & Domino noſtro Jeſu Chriſto ſummi Dei filio deſponſari? ℟. Volumus.

Poſt hæc fiat letania, & antequam dicatur Fili Dei, *ſurgat conſecrator, & vertat faciem ad virgines, & dicat has preces:* Ut præſentes ancillas benedicere, & conſecrare digneris. Te rog. Ut eis gratiam tuæ benedictionis infundere digneris Te. Ut eas in ſanctæ virginitatis propoſito conſervare digneris. Te. Ut dimittas quod conſcientia metuit & adjicias quod oratio non præſumit. Te. Fili Dei. Te.

Finita letania, benedicat conſecrator virginum veſtes, & dicat: Dominus vobiſcum. Oremus. Deus æternorum bonorum, &c. *Alia oratio.* Domine Deus, &c. *Alia benedictio veſtis tam virginis quam viduæ. Oratio.* Exaudi quæſumus, &c. *Benedictio veli.* Suppliciter te, Domine, &c. *Item alia oratio.* Caput omnium fidelium Deus, &c. *Benedictio annuli.* Creator & conſervator humani generis, &c. *Benedictio ad torques.* Oremus. Benedic, Domine, ornamenta iſta, &c. *Deinde virgines venientes verſus conſecratorem, induit veſtibus benedictis, excepto velo. Ordinentur ante altare, & ſtent flexis genibus, & benedicantur à conſecratore dicente hanc orationem.* Reſpice, Domine, &c. *Deinde dicit excelſa voce in modum præfationis.* Per omnia ſecula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. *Præfatio.* Æterne Deus caſtorum corporum benignus inhabitator, &c. *Finita vero præfatione, erigant ſe virgines, & conſecrator vocat illas cantando* ℟. *hoc* Veni electa mea, &c. *Dum* ℟. *cantatur, duæ virgines veniant, & ſtent humiliter & cantent ante ipſum:* Ancilla Chriſti ſum, ideo oſtendo me ſervilem perſonam. *Deinde ponat conſecrator velum, & dicat:* Accipe virgo velamen ſacrum, quod perferas, &c. *Poſtea dicat conſecrator,* Dominus vobiſcum. Oremus. Famulas tuas, Domine, &c. *Poſtmodum ipſæ virgines cantent hanc antiphonam.* Poſuit ſignum. *Qua cantata, revertantur ad alias, & veniant aliæ duæ ad conſecratorem, & ſic fiat quouſque omnes acceperint velamina. Acceptis velaminibus, conſecrator, iterum vocet virgines, & dicat hanc antiphonam cantando*, Deſponſari, dilecta, veni, hiems tranſiit, turtur canit, vineæ florentes redolent. *Dum hæc antiphona canitur, illa quæ prima venerant ad recipiendum velum præſententur conſecratori, eodem modo ſicut prius. Tunc conſecrator accipiat annulum & mittendo in tribus digitis ipſius virginis, dimittat eum in quarto, & dicat:* Accipe anulum fidei, &c. *Deinde dicat* Dominus vobiſcum. Oremus. Benedicat te Deus conditor cæli,

Digitized by Google

&c. *Qua finita, virgines decantent hanc antiphonam* Ipſi ſum deſponſata. *Dum hac canitur, iterum reducantur in locum ſuum, & ſic vocentur ſingulariter, & deſponſentur unaquæque virgo. Receptis autem anulis, iterum vocet conſecrator primam virginum; & dicat hanc antiphonam.* Veni, ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. *Dum hac antiphona canitur, ſimili modo virgo præſentetur conſecratori, ipſe autem accipiat coronam, & imponens eam capiti virginis, dicat hanc orationem:* Accipe ſignum Chriſti in capite tuo, &c. *Deinde ſequitur oratio.* Dominus vobiſcum. Oremus. Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ, &c. *Dicta oratione, virgines decantent hanc antiphonam,* Induit me Dominus cyclade. *Dum hac antiphona canitur, virgines reducantur in locum ſuum, & ſic vocetur unaquæque ſingulariter & coronetur. Hoc pacto omnes una voce cantent hanc antiph.* Anulo ſuo ſubarravit, *levantes & oſtendentes dexteras manus ſuas. Poſt hac conſecrator dicat hanc orationem:* Te invocamus ſancte Pater, &c. *Poſt hanc orationem virgines decantent hanc antiphonam:* Ecce quod concupivi jam video. *Poſt hac dicat conſecrator hanc benidictionem Matthæi apoſtoli ſuper virgines humiliter inclinatas.* Deus plaſmator corporum, &c.

CAPUT VI. De Bened. virginum.

Deinde publica voce bannum archiepiſcopale, id eſt anathema ponat, ne quis eas à divino ſervitio, cui ſub vexillo caſtitatis ſubjectæ ſunt abducat, & ut bona ſua cum quiete poſſideant. Tunc legatur evangelium. Poſt evangelium vero, illis velatis capitibus, ad manus conſecratoris offerant, & miſſa ſuo ordine peracta, communicent, & hoc per tres dies. Et ſi eſt qui de iis teſtimonium reddere debeat, mittat eas conſecrator in manu illius commendans, & dicens: Vide quomodo iſtas conſecratas Deo ſerves & repræſentes immaculatas, redditurus pro eis rationem ante tribunal ſponſi earum venturi Judicis.

NOTA.

ORDO IX.

Ex ms. Pontificali Chriſtiani archiepiſcopi, qui ab anno 1249. ad 1251. Monguntinam rexit eccleſiam.

ORDO AD VIRGINES VELANDAS.

PRimo *miſſa incipitur congruens feſto vel tempori. Poſt primam collectam adjunge ſub una concluſione.* Da quæſumus, Domine, famulabus tuis, quas virginitatis honore dignatus es decorare, optatum inchoatæ devotionis effectum; & ut perfectam tibi offerant caſtitatem, initia ſua perducere ſanctum mereantur ad finem. Per. *Secretam & complendam require poſt benedictionem. Et ante epiſtolam ſtent velandæ parum remota ab epiſcopo in veſtibus ſuæ profeſſionis, capitibus detectis, ſparſis crinibus, & abbatiſſa cum conventu poſt ipſas. Qualibet autem velanda habebit candelam ardentem. Tunc epiſcopus cantet* Venite, filiæ. *Et virgines reſpondent,* ℟. Et nunc ſequimur, &c. *Rurſus epiſcopus cantet bis:* Venite, venite.

venite filiæ *per totum. Et virgines appropinquantes epiſcopo repetunt prædictum verſum. Poſtea afferantur veſtes, & velamina quæ epiſcopus benedicat ſic.* *Oratio.*

Deus æternorum fideliſſime promiſſor, &c. *Alia.* Domine Deus bonorum dator virtutum, &c.

Benedictio veſtis tam virginis quam viduæ.

Exaudi quæſumus omnipotens Deus, preces noſtras, & has veſtes, &c. *Ad vela benedicenda.* Suppliciter te, Domine, rogamus ut ſuper hæc vela, &c.

Hic induant veſtes benedictas præter vela, & epiſcopus ſe proſternat ad altare cum puellis & clero, & dicatur letania. Qua finita, dicit epiſcopus. Pater noſter. *Preces.* Salvas fac ancillas tuas. Dominus conſervet eas & vivificet eas. Dominus cuſtodiat eas ab omni malo. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Oremus. Reſpice, Domine, ſuper has famulas tuas, &c. Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus.

Præfatio.

Æterne Deus, caſtorum corporum benignus inhabitator, &c.

Oratio. Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper has famulas tuas, &c.

Hic mittat velamen epiſcopus ſuper caput uniuſcujuſque puellæ dicens: Accipe velum ſacrum, puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri J. C. cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, in ſæcula ſæculorum. Amen. *Et quævis cantet antiph.* Induit me Dominus cyclade auro texta. *Antiph.* Chriſtus circumdedit me vernantibus.

Ad coronam dicit epiſcopus. Accipe ſignum Chriſti in capite tuo, ut ſponſa ejus efficiaris, & ipſi adhærens in perpetuum coroneris. Qui cum Patre. *Poſt hæc puella.* Ipſi ſum deſponſata. *Antiph.* Poſuit ſignum in faciem meam.

Ad anulum. Accipe anulum fidei, ſignaculum Spiritus-ſancti, ut ſponſa Dei voceris, & ei fideliter ſerviens feliciter glorieris. Per. *Puella.* Anulo ſuo ſubarravit me. *Antiph.* Dexteram meam & collum meum cinxit.

Velatis omnibus, cantent omnes ℟. Regnum mundi *cum* ℣. *&* Gloria Patri. *Poſt hæc epiſcopus.* Oremus. Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, &c.

Item benedictio.

Benedicat vos Deus, Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, omni benedictione ſpirituali, ut maneatis ſemper immaculatæ ſub veſtimento S. Mariæ glorioſæ Virginis & matris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui cum Patre.

Hic legitur epiſtola; & miſſa perficitur ordine ſuo. Poſt evangelium debent omnes offerre.

Digitized by Google

Secreta.

Oblatis hoſtiis quæſumus Domine præſentibus famulabus tuis, &c.

Poſt Agnus Dei *omnes communicabunt Sequitur complenda.* Deus qui habitaculum tuum in corde pudico fundaſti, &c.

ORDO X.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Autiſſiodorenſis.

INCIPIT OFFICIUM IN CONSECRATIONE VIRGINUM.

PRimo fiat ſermo in capitulo, quo facto remaneant conſecrandæ in capitulo, & præparent ſe ita ut qualibet habeat cereum accenſum in manu ſua quando epiſcopus vocaverit eas, & ſint ſine velis & veſtimentis, videlicet mantellis vel cucullis poſtea benedicendis ab epiſcopo. Et præparentur cuilibet conſecrandarum annulus & corona, eis ſuo loco ab epiſcopo imponenda. Iterum præparet ſe epiſcopus ad miſſam celebrandam, & indutus omnibus ſolemnibus veſtimentis, excepta caſula, & pro ea indutus cappa ſerica, benedicat veſtimenta virginum ante altare poſita, videlicet mantellos vel cucullas dicens:

Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, &c.

Quibus finitis, aſpergat ea aqua benedicta & remittat ea conſecrandis. Et cum renunciatum fuerit epiſcopo quod ipſa ſint induta, & cereis accenſis, ut dictum eſt, præparatæ; vadat proceſſionaliter cum conventu ante oſtium capituli, & conſecrandis adſtantibus prope oſtium in capitulo incipiant omnes ſimul hanc antiphonam. Induit me Dominus cyclade, &c. *Quo facto, dicat epiſcopus hanc orationem quæ ſequitur.* Dominus vobiſcum. Oremus. Reſpice, Domine, ſuper has famulas tuas, &c. *Quâ finita, incipiat epiſcopus hanc antiphonam quæ ſequitur, quam totam cantet epiſcopus ſolus, vel ad minus illa quatuor vocabula:* Venite, venite, venite, filiæ. *Reſiduum ſi voluerit proſequantur aſtantes cum eo. Antiphona* Venite, venite, venite filiæ, audite me, timorem Domini docebo vos. *Quâ finita, omnes conſecrandæ exeuntes de capitulo bina & bina, in exitu incipiant antiphonam quæ ſequitur, quam proſequantur ſolæ conſecrandæ ſequendo immediate epiſcopum per clauſtrum & eccleſiam uſque ad altare, & diſponantur ante altare in modum coronæ. Antiphona* Et nunc ſequimur in toto corde, &c.

Quâ finita, incipiatur miſſa, & epiſcopus depoſita cappa ſerica, induat ſe caſulam, & agatur officium miſſæ ſuo ordine uſque ad evangelium, & cum oratione miſſæ dicitur oratio pro conſecrandis ad unum Per Dominum,

Oratio.

Da quæſumus famulabus tuis, &c.

Antequam legatur evangelium, proſternat ſe epiſcopus ante altare ſuper ſedem pontificalem; & virgines conſecrandæ proſternant ſe cum eo. Tunc

Digitized by Google

CAPUT VI. De Bened. virginum.

incipiatur letania, & cum dictus fuerit verſiculus Ut pontificem noſtrum, &c. *ſurgat epiſcopus, & vertat ſe ad virgines conſecrandas dicens :* Ut præſentes ancillas tuas benedicere & conſecrare digneris. Ut eas in ſanctæ religionis propoſito & virginitatis obſervantia conſervare digneris. Ut eas cœleſtibus diſciplinis inſtruere digneris.

Dicta letania, ſurgat epiſcopus cum conſecrandis, & dicat : Dominus vobiſcum. Oremus.

Famulas tuas quæſumus, Domine, muniat tuæ cuſtodia pietatis, &c.

Præfatio.

Per omnia ſæcula ſæculorum, &c.

Deus caſtorum inhabitator & incorruptarum amator animarum, &c.

Benedictione expleta, incipiat epiſcopus hoc reſponſorium quod proſequatur chorus cum verſu. Veni electa mea, & ponam te in thronum meum, quia concupivit rex ſpeciem tuam. ℣. Audi, filia, & vide & inclina aurem tuam, quia concupivit. *Quo dicto, reſpondeat qualibet virginum per ſe cantando hanc antiphonam,* Ancilla Chriſti ſum, ideo oſtendo me ſervilem perſonam.

Tunc afferantur velamina ad benedictionem, & dicat epiſcopus: Dominus vobiſcum. Oremus. Deus bonarum virtutum dator, &c.

Mittat ei epiſcopus velamen ſuper caput cujuſlibet uſque ad oculos dicens ei : Accipe velamen ſacrum, quo cognoſcaris mundum contempſiſſe, & te Chriſto ſponſo virginum, toto cordis annixu ſponſam perpetualiter tradidiſſe, qui te ab omni tentatione defendat, & ad vitam perducat æternam. Amen. *Et qualibet poſt acceptum velamen dicat hanc antiphonam totam cantando :* Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Quibus velatis, dicat epiſcopus. Oremus.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, quæ pro ſpe retributionis, &c. *Item alia oratio B. Matthæi apoſtoli.*

Deus plaſmator corporum, afflator animarum, &c.

Deinde afferantur annuli ad benedicendum.

Benedictio annuli.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Creator & conſecrator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine emitte Spiritum ſanctum tuum paraclitum ſuper hos annulos, ut quæ illos geſtaverint, ſint armatæ virtute cœleſtis defenſionis, & proficiat illis ad æternam ſalutem. Per Dominum.

Tunc det epiſcopus annulum cuilibet dicens :

Deſponſo te Jeſu Chriſto filio ſummi Patris, qui te illæſam cuſtodiat & ab omni malo defendat. Accipe ergo annulum caſtitatis & ſanctitatis, ut veniente ſponſo Chriſto, poſſis ei occurrere una cum ſanctis virginibus, & vivas cum eo in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et qualibet poſt acceptum annulum dicat hanc antiphonam totam cantando. Ipſi ſum deſponſata, cui angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur. *Quo facto, incipiat epiſcopus antiphonam quæ ſequi-*

Digitized by Google

tur : Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum. *Qua finita, imponat epiſcopus torquem ſeu coronam capitibus ſingularum, dicens, cuilibet :* Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor ejus efficiaris, & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris. *Et poſt coronæ impoſitionem dicat quælibet hanc antiphonam totam :* Annulo ſuo ſubarravit me, &c.

Tunc incipiant omnes virgines conſecratæ inſimul una voce hoc ℟. Regnum mundi & omnem ornatum, &c.

Deinde publica voce bannum epiſcopalem imponat, & inhibeat ne quis eas à divino ſervitio, propoſito, ſeu voto caſtitatis retrahat, prout viderit expedire. Deinde legatur evangelium, & præparantur tot hoſtiæ, quot ſunt virgines conſecratæ cum hoſtia epiſcopo præparata, & cantando offertorium omnes virgines conſecratæ offerant ad manum epiſcopi cereos ſuos cum pane & vino & denariis, & poſt agatur miſſa ordine ſuo, & cum principali ſecreta miſſæ dicitur ſecreta pro virginibus conſecratis ad unum Per Dominum.

Secreta.

Oblatis hoſtiis, Domine quæſumus, præſentibus famulabus, &c.

Et fit benedictio ſolemnis in miſſa ſuper virgines & ſuper populum.

Benedictio.

Omnipotens Deus, intercedentibus virginibus tuis, vos dignetur benedicere, qui de hoſte non ſolum per viros, ſed etiam per feminas voluit triumphare. Amen.

Et qui illis voluit centeſimi fructus donum decore virginitatis & agone martyrii conferre, vos dignetur & vitiorum ſqualoribus expurgare, & virtutum lampadibus exornare. Amen.

Quatenus oleo precatorum veſtrorum lampades poſſint impleri, ut cum eis cæleſtis ſponſi thalamum valeatis ingredi. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.

Communicato epiſcopo, accedant omnes conſecratæ virgines ad communionem : quæ communicatæ redeant ad loca ſua ; & cantetur poſtcommunio in fine cum oratione poſtcommunionis miſſæ dicitur oratio pro conſecratis ad unum Per Dominum.

Poſtcommunio.

Reſpice, Domine, famularum tuarum debitam ſervitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta nullis adverſitatibus opprimantur, quæ de tua pietate confidunt. Per Dominum.

Explicit officium in conſecratione virginum.

ORDO XI.

Ex ms. Pontificali Petri epiſcopi Silvanectenſis, qui obiit an. 1356.

INCIPIT ORDO QUALITER SACRÆ VIRGINES BENEDICANTUR.

P*Rimo præſentetur epiſcopo, & requirat earum ætatem ſi xxv. annorum fuerint, & voluntatem & ſancta propoſitum virginitatis. Poſt hæc autem præparet ſe epiſcopus ad ſolemnia miſſarum celebranda; & antequam evangelium legatur, parata ſint virgines abſque aliquo capillorum operimento, & ſtent in ordine, congruo tamen in ſpatio remota ab epiſcopo, tenentes accenſos in manibus cereos, donec epiſcopus vocet eas dicens.* Venite, venite, venite, filiæ, audite me timorem Domini docebo vos. *Pſal.* Benedicam vos in omni tempore. *Et paſſim venientes reſpondeant cantantes:* Et nunc ſequimur in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam Domine, ne confundas nos, ſed fac nobis juxta manſuetudinem tuam; & ſecundum multitudinem miſericordiæ. *Iterum dicat epiſcopus* Venite *ut ſupra. Reſpondeant* Et nunc ſequimur *ut ſupra, & convenienti ſpatio accedant. Tertio jam vocante epiſcopo* Venite, venite, venite. *Reſpondeant:* Et nos ſequimur, *ut ſupra. Et propius altari accedant. Deinde exhortetur eas epiſcopus, proſternat ſe ante altare, & virgines ſimiliter, retro tamen juxta pedes epiſcopi, & dicantur iſtæ preces inter alia.*

Ut præſentes ancillas tuas conſecrare digneris, te rog. Ut eis gratiam tuæ benedictionis infundere digneris, te rog. Ut eas cæleſtibus diſciplinis inſtruere digneris, te rogamus. Ut dimittas quæ conſcientia metuit, & adjicias quod oratio non præſumit, te rogamus.

Finita letania, ſurgit epiſcopus & benedicat veſtes virginum dicens.

Dominus vobiſcum. Oremus. *Oratio.*

Deus qui veſtimentum ſalutare, & indumentum æternæ jocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis, & contemtum mundi ſignificantia, quibus famulam tuam N. ſancto viſibiliter eſt informanda propoſito, propitius benedicas, & beatæ caſtitatis habitum, quem te inſpirante ſuſcipit, te protegente cuſtodiat. Per.

Ad Vela.

Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, exaudi Domine, preces noſtras, & hoc velum quod famula tua pro conſervandæ caſtitatis ſigno ſe adoperiendam expoſcit, benedicere & ſanctificare digneris. Per.

Hanc orationem compoſuit B. Matthæus evangeliſta quando benedixit Eugeniam Regis Eglippi filiam cum ſuis ſodalibus.

Oratio.

Deus pſalmator corporum, afflator animarum, qui nullam umquam ſpernis ætatem, &c.

Conſecratio

Digitized by Google

Conſecratio ſanctarum virginum.

Stantes virgines in modum coronæ ante altare, demiſſis vultibus in terram, benedicantur ab epiſcopo. ℟. Regnum mundi. ℣. Eructavit.

Oratio.

Reſpice, Domine, propitius, &c. Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda, & Gratias agamus, &c.

Deus caſtorum corporum benignus, &c.

Poſt hæc incipiat Pontifex: Veni electa mea & ponam, &c.

Oratio. Famulas tuas, &c. *Deinde ponantur velamina ſuper capita earum, & virgo antequam accipiat, dicat antiphonam:* Ancilla Chriſti ſum & ideo me oſtendo ſervilem perſonam. *Antiph.* Dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas. *Antiph.* Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. *Antiph.* Induit me Dominus cyclade auro texta & immenſis monilibus ornavit me. *Antiph.* Ipſi ſoli ſervo fidem, ipſi me tota devotione committo. *Antiphonam.* Cujus pulcritudinem ſol & luna mirantur ipſi ſoli ſervo fidem. *Antiph.* Chriſtus circumdedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis pretioſis.

Et epiſcopus dans ſingulis velum dicat.

Accipe velamen quo cognoſcaris mundum contemſiſſe, & te Chriſto Jeſu veraciter humiliterque toto cordis annisu ſponſam perpetualiter ſubdidiſſe, qui te ab omni adverſitate defendat, & ad vitam perducat æternam. Qui cum Deo Patre.

Et mittens annulum ſingulis in tribus digitis dicat:

Deſpondeo te Jeſu Chriſto Filio ſummi Patris, qui te illæſam cuſtodiat, & ab omni malo defendat, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat.

Et decantent omnes; Annulo ſuo ſubharravit me Dominus Deus meus J. C. & tamquam ſponſam decoravit me corona.

Sequitur oratio.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hanc famulam tuam, quæ tibi vovit pura mente ſervire mundoque corde, ut eam ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum, qui virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non eſt, ita & hanc famulam tuam facias permanere immaculatam uſque in finem. Per.

His rite peractis, omnes ſimiliter decantent antiphonam:

Ecce quod cupivi jam video, quod ſperavi jam teneo, illi ſum juncta in cælis, quem in terris poſita tota devotione dilexi.

Hic faciat bannum epiſcopus, ne quis audeat ab hoc ſancto revocare propoſito.

Digitized by Google

CAPUT VI.
De Bened. virginum.

ORDO XII.

Ex mſ. Pontificali inſignis eccleſiæ Senonenſis, annorum circiter 300.

CONSECRATIO SACRARUM VIRGINUM QUÆ IN EPIPHANIA, VEL IN ALBIS PASCHALIBUS, AUT APOSTOLORUM NATALITIIS, AUT DOMINICIS DIEBUS CELEBRATUR.

SI plures virgines conſecrentur, ante introitum miſſæ epiſcopus pontificalibus indutus ornamentis, ante altare incipiat cantando.

℟. Venite, filiæ, audite me, timorem Domini docebo vos. ℣. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Si una tantum, antiphonam iſtam dicat:

Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Et inchoato ℟. ſtatim accedant ante epiſcopum conſecrandæ moniales indutæ deſuper pelliciis & capitegiis albis, tenentes qualibet unum cereum in manu.

EX CONCILIO CARTHAGINENSI CAP. XI.

SAnctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur, in talibus veſtimentis applicetur, qualibus ſemper uſa eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.

Eſt autem advertendum quod conſecrandæ debent eſſe expreſſe profeſſæ, videlicet dum moniales fuerint coram epiſcopo flexis genibus proſtratæ, & finito reſponſorio, procedat epiſcopus ſicut mos eſt in ſolemnibus, indutus pontificalibus cum pallio. Et nota quod tot hoſtiæ debent poni, quot ſunt virgines conſecrandæ: & antequam dicatur communio, debent ab epiſcopo communicari; & incipiat cantor officium miſſæ ordine ſuo uſque ad evangelium. Tunc offerantur veſtimenta religionis & velamina ante altare epiſcopo ad benedicendum in conſpectu omnium, & benedicat ea publice in hunc modum.

Benedictio velaminum vel veſtimentorum ad modum orationis ab epiſcopo dicenda.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, certiſſime perſolutor, &c.

Domine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus, &c.

Alia. Exaudi, Domine, preces noſtras, & has veſtes quibus famulæ tuæ, &c.

Singularis benedictio velaminis, quæ dumtaxat dicitur quando unica monialis eſt conſecranda, admodum orationis ab epiſcopo dicenda.

Caput omnium fidelium Deus, & totius corporis ſalvator, &c.

Hoc facto, qualibet virgo veſte laicali, id eſt capitegio albo per aliquem aſſiſtentem ſuper caput ſingularum ſigillatim apponendo, & ſtatim per epiſcopum de capite cujuſlibet ſucceſſive reverenter abjecto, recipiat ab epiſcopo ſacra religionis indumenta, jam ut prædicitur benedicta, excepto velo, & ingreſſa ſecretarium veſtiatur. Poſtea redeat ad epiſcopum, & ſub aſpectu epiſcopi & eccleſia ſuppliciter proſternat ſe ante altare, dicens hunc verſum ter, vel ſimul, vel per partes.

Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum, ut non dominetur omnis injuſtitia. II. Omnis injuſtitia. III. Omnis injuſtitia.

Tunc proſternat ſe epiſcopus, & incipiant duo choriales letaniam, & dum dictum fuerit Ut pontificem, *ſurgat epiſcopus, & dicat :* Ut præſentes ancillas tuas cæleſtibus diſciplinis inſtruere & benedicere digneris. Te rogamus audi nos. Ut eas in ſanctæ religionis propoſito & virginitatis ſeu caſtitatis obſervantia benedicere & conſervare digneris. Te rogamus audi nos. Ut eas benedicere, conſervare, & conſecrare digneris. Te rogamus. *Finita letania, poſtquam ſurrexerit, inclinato capite ante altare benedicit eam epiſcopus his verbis ad modum orationis.*

Dominus vobiſcum. Oremus.

Reſpice, Domine, propitius ſuper has famulas tuas, &c. *Præfatio.*

Deus caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum Deus amator animarum, &c.

Benedictione expleta, incipiat epiſcopus ℟. & decantetur per choriales totum. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupivit rex ſpeciem tuam. *Et reſpondent ſingula virgines per ordinem :* Ancilla Chriſti ſum, ideo oſtendo me ſervilem perſonam.

Tunc epiſcopus mittat velamen ſuper caput ſingularum virginum per ordinem legendo dicens :

Accipe velamen ſacrum, puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, in ſæcula ſæculorum. *Virgo.* Amen.

Tunc ipſa velata incipiat antiphonam : Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me. *Ceteris ſanctimonialibus qua circumſtant proſequentibus antiphonam : & ſi plures fuerint velandæ per ſingulas incipiatur eadem antiphona* Induit me. *Et dicat epiſcopus ad modum orationis orationes qua ſequuntur.* Famulas tuas, Domine, tuæ cuſtodia muniat pietatis, &c. *Alia oratio.* Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, &c. *Tunc cantent ſimul & una voce antiphonam iſtam :* Ipſi ſum deſponſata cui angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur. *Et dicat epiſcopus benedictionem S. Matthai apoſtoli ſuper eam ad modum orationis :* Deus plaſmator corporum & afflator animarum, &c.

Benedictio annuli vel annulorum ad modum orationis ab epiſcopo dicenda : Creator & conſervator humani generis, &c.

Tunc epiſcopus dans ſingulis annulum legendo dicat.

Deſponſo te Jeſu Chriſto Filio ſummi Patris, qui te illæſam cuſtodiat.

Digitized by Google

CAPUT VI. *De Bened. virginum.*

& ab omni malo defendat. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Virgo.* Amen.

Alia ab epiſcopo dicenda.

Accipe annulum caſtitatis & ſanctitatis, ut veniente ſponſo tuo Chriſto, poſſis ei occurrere una cum ſanctis virginibus, & vivas cum eo in ſæcula ſæculorum. *Virgo.* Amen.

Hoc facto, omnes una voce cantent antiphonam iſtam: Annulo ſuo ſubarravit me Dominus meus Jeſus Chriſtus, & tamquam ſponſam decoravit me corona.

Ad coronam ſingulis imponendam dicat legendo epiſcopus:

Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor ejus efficiaris; & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris.

Quo dicto, incipiat & dicat illa quæ coronam recipit hanc antiphonam:

Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Sequitur benedictio in modum orationis ab epiſcopo dicenda:

Bene † dicat vos conditor cæli & terræ Deus Pater omnipotens, &c.

Tunc dicatur evangelium, & unaquæque velato capite ad manus epiſcopi offerat & miſſa ordine ſuo finita communicet.

MISSA PRO VIRGINE.

Collecta.

DA quæſumus, Domine, famulabus tuis, quas virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis conſummatum effectum, & ut perfectam tibi offerant plenitudinem, initia ſua perducere mereantur ad finem. Per.

Epiſtola. De Virginibus præceptum Domini non habeo. *Evangelium.* Simile eſt regnum cælorum homini regi.

Secreta.

Oblatis hoſtiis, quæſumus Domine, precantibus famulabus tuis perſeverantiam perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis ſummi regis conventum cum lætitia mereantur introire. Per Dominum.

Benedictio.

Omnipotens Dominus, intercedentibus virginibus ſuis vos dignetur benedicere, qui de hoſte non ſolum per viros, verum etiam per feminas voluit triumphare.

Et qui illis voluit centeſimi fructus donum decore virginitatis & agone martyrii conferre, vos dignetur & vitiorum ſqualoribus expurgare & virtutum lampadibus exornare.

Quatinus virtutum oleo pectorum veſtrorum lampades poſſint repleri, ut cum eis cæleſtis ſponſi thalamum valeatis ingredi.

Quod ipſe.

Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-ſancti deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. *Chorus.* Amen.

Digitized by Google

Poſtcommunio.

Reſpice, Domine, famularum tuarum debitam ſervitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adverſantibus opprimantur, quæ de tua pietate confidunt. Per Dominum.

Miſſa finita, recedendo de choro dicant conſecratæ, & cantando una voce iſtud ℟. Regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti, quem vidi, quem agnovi, quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Quem vidi.

Et debent novæ conſecratæ abſtinere à loquela per tres dies.

ORDO XIII.

Ex Rituali ſanctimonialium Cartuſienſium.

ORDO AD BENEDICENDAS MONIALES CARTUSIANAS.

O*Mnia ut in Pontificali Romano præſcribuntur in conſecratione ſeu benedictione virginum præter ea quæ ſequuntur.*

Finita oratione, Da quæſumus, omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, quæ pro ſpe retributionis æternæ, &c. *Pontifex cantat antiphonam ſequentem.* Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. *Qua cantata, præſentantur virgines Pontifici, quibus flexis genibus imponit manipulum brachio dextro dicens:*

Expecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Deinde circumdat ſtolam collo dicens:

Tolle jugum Domini ſuper te, & diſce ab eo quia mitis eſt & humilis corde.

Poſtea Pontifex dans illis crucem, reclinat illam ſuper humero dextro virginum dicens:

Abnega temetipſam, & tolle crucem tuam quotidie, & ſequere Dominum.

Reverſis ad ſua loca virginibus flectunt genua, & cantant ſimul hanc antiphonam. Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit manibus meis inæſtimabiles margaritas.

Deinde omnibus ſimul genua flectentibus, Pontifex ſtans, ut prius, ſine mitra dicit hanc orationem:

Te invocamus Domine, &c. *Reliqua omnia ut in Pontif. Romano.*

Digitized by Google

à preſbytero veſte viduali, non eſſe violandam.]

CAPUT VII. *De Bened. vid. & diacon.*

IV. Tertio virginitatis votum ab epiſcopo interrogatæ verbo emittebant virgines; cum è contrario viduæ continentiam ſcripto promitterent: ſaltem id præſcribit concilium Toletanum X. cap. 4. decernens [ut vidua quæ ſanctæ religionis obtinere propoſitum voluerit, ſacerdoti vel miniſtro, ad quem aut ipſa venerit, aut quem ad ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem ſuam faciat à ſe aut ſigno aut ſubſcriptione notatam, continentem ſe & religionis propoſitum velle, & hoc perenniter inviolate ſervare.] Caſtitatis profeſſionem ſcripto promittebant.

V. Quarto benedictionem ſeu precem ſuper virgines fundebat epiſcopus, nullam ſuper viduas, nec epiſcopus, nec preſbyter. [Omnes ſciunt, inquit concilium Turonenſe II. c. 21. quod numquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet.] Et Gelaſius papa epiſt. 9. ad Lucaniæ epiſcopos *De viduis ſub nulla benedictione velandis* agit, quem locum citat Zacharias papa in epiſtola VII. ad Pippinum cap. 6. In ordine tamen Gelaſiano quem Romæ vulgavit eruditus vir Joſephus Thomaſius extat benedictio vidualis unica conſtans oratione; ſed illi ſucceſſu temporis facili negotio potuit inſeri. Similiter in antiquis Pontificalibus libris Egberti Eboracenſis epiſcopi, Anglicano monaſterii Gemmeticenſis, Gellonenſi miſſali annorum minimum 900. legitur benedictio ſuper viduas pronuncianda. Viduarum nulla olim benedictio.

VI. Quinto velum virgini imponebat epiſcopus ſolus, viduæ vero preſbyter, benedictum tamen ab epiſcopo & cum ejus licentia. Et quidem velatas haudquaquam ab epiſcopo fuiſſe viduas conſtat ex epiſtola Gelaſii citata: [Viduas autem velare nullus pontificum attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præſtituit.] Quod vero nec preſbyteris id ſine permiſſu epiſcopi liceret, diſcimus ex Herardi Turonenſis archiepiſcopi Capitulari, ex concilio Pariſienſi VI. lib. 1. c. 40. atque etiam ex Capitularibus regum Francorum editionis Baluzianæ pag. 1139. in quibus hæc leguntur: [Quia ergo quod ſæpe in noſtris conciliis prohibitum eſt, viduas inconſultis epiſcopis velari non debere, & eamdem conſtitutionem à quibuſdam prævaricari nunc cognovimus, prorſus ne id fieret interdiximus; ut ſi quiſpiam preſbyterorum deinceps hujus conſtitutionis contumaciter tranſgreſſor extiterit, ſcilicet ut aliquam viduam inconſulto epiſcopo velare præſumat, gradus ſui periculum incurrat.] Aliquando autem acceptum de altari benedictum ab epiſcopo velum ipſæ ſibi viduæ imponebant, quod quidem ex concilio Toletano X. c. 4. *purpurei vel nigri coloris* eſſe debebat. Eas velabant ſimplices preſbyteri.

VII. Ceterum conſecratæ Deo hujuſmodi viduæ ſub epiſcopi cura manebant, qui eas ex eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentabat, eiſque religioſum aliquem virum præficiebat, qui circa eas ſollicitudinem præcipuam gereret, de quo concilium Carthaginenſe IV. c. 97. [Qui religioſis feminis præponendus eſt ab epiſcopo loci probetur.]

VIII. Ex utriſque, virginibus ſcilicet & viduis, olim eligebantur eæ, quas diaconiſſas ſeu diaconas appellabant, quarum hic munia & bene- Diaconiſſarum munia.

dictionis ritus paucis ſubjicere neceſſe eſt. Et munia quidem deſcribit Clemens in Conſtitutionibus apoſtolicis paſſim. Præcipuum autem erat epiſcopis & preſbyteris miniſtrare in feminarum baptiſmo: [Diaconiſſa, inquit, libro 8. c. 28. non benedicit, neque facit aliquid eorum, quæ preſbyteri aut diaconi faciunt, niſi quod januas cuſtodit, & preſbyteris miniſtrat cum mulieres baptizantur, idque propter decorum & honeſtatem.] Signantius vero lib. 3. c. 15. quid in baptiſmo mulierum præſtarent exponit: [Ad multa indigemus diaconiſſa, ac primum quidem cum mulieres baptizantur, unget quidem eis diaconus frontem tantum oleo ſancto, poſt eum illinet eas diaconiſſa: non enim opus eſt ut viri inſpiciant feminas.] Et capite 16. explicato baptiſmi ritu: [Virum quidem ſuſcipiat diaconus, mulierem vero diaconiſſa ut honeſta, & à quibus decet fiat ſignum infractum.] Et canon 74. Arabicus concilii Nicæni: [Diaconiſſæ ad hoc ſolum parata ſint, ut feminas in baptiſmo ſuſcipiant.] Concilium Carthaginenſe IV. c. 12. addit: [Ut viduæ vel ſanctimoniales quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant,] Meminit hujus diaconiſſarum officii S. Epiphanius Hæreſi 79. [Quamquam diaconiſſarum in eccleſia ordo ſit, non tamen ad ſacerdotii functionem aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur; ſive ut baptiſmi tempore adſit; ſive ut inſpiciat ſi quid paſſa ſit aut moleſtiæ pertulerit, ſive ut cum nudandum eſt corpus mulieris interveniat; ne virorum qui ſacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed à ſola diaconiſſa videatur, quæ ſacerdotis mandato mulieris curam gerit quo tempore veſtibus exuitur.] Similia habet in Expoſitione fidei, cujus ex verbis aliud diaconiſſarum munus colligimus, ut non ſolum in baptiſmo mulierum, ſed etiam quoties earum perſcrutanda erant corpora, diaconiſſarum miniſterio eccleſia uteretur.

IX. Earum præterea haud ignobile officium fuit, eccleſiæ januas, dum ſacris operaretur ſacerdos, cuſtodire, ut modo dicebat Clemens, & libro 2. cap. 61. [Maneant, inquit, oſtiarii ad introitum virorum illos cuſtodientes; diaconiſſa ad introitus feminarum more nauticorum cuſtodum.] Hinc S. Ignatius in epiſtola ad Antiochenos [Saluto ſanctarum portarum cuſtodes diaconiſſas.]

X. Aliud diaconiſſarum munus deſignat Clemens lib. 3. cap. 15. epiſcopum ſic alloquens:] Elige quoque diaconiſſam fidelem & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis propter infideles mittere diaconum ad mulieres, mittere vero poſſis diaconiſſam propter cogitationes improborum.] Et capite 62. libri 2. jubet ut [diaconiſſa cum advenientibus mulieribus pauperibus ſive divitibus] debita hoſpitibus officia obſervet.

XI. Denique ſine diaconiſſa nulla mulier ad diaconum aut ex epiſcopum.

rum accedere audebat ex Clementis libro 2. cap. 30.

XII. Hæc ſunt præcipua diaconiſſarum munia, quæ non quibuſvis viduis committebantur, ſed probatis, quæ unico nupſiſſent viro: [Diaconiſſa ſit virgo caſta; ſin minus, ſaltem vidua eligatur, quæ unum virum habuerit, fidelis & honeſta,] inquit Clemens lib. 6. c. 17. Similia habet S. Epiphanius in Expoſitione fidei, ubi de diaconiſſis. [Illæ, inquit, univiræ & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines.] Et antea Tertullianus lib. 1. ad Uxorem cap. 7. [Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina eccleſiæ & apoſtoli præſcriptio declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam in ordinationem niſi univiram non concedit.]

CAPUT VII. *De Bened. vid. & diacon.* Unico tantum viro nuptæ aut virgines eligebantur.

XIII. Addit Juſtinianus imperator [diaconiſſam non ordinari in ſancta eccleſia quæ minor eſt annorum quadraginta aut ad ſecundas venerit nuptias.] Eamdem ætatem ad benedicendas diaconiſſas requirit concilium Chalcedonenſe can. 15. & concilium in Trullo can. 14. Et tamen apoſtolus 1. Timoth. 5. jubet ut *vidua eligatur non minor ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor:* cujus decretum renovant canon 74. Arabicus Nicæni concilii, & Theodoſius imperator lib. 16. Codicis titulo de Epiſcopis & Clericis lege 27. Unde non ſine ſingulari privilegio Nectarius Conſtantinopolitanus epiſcopus Olimpiadem adoleſcentulam viduam ordinavit diaconiſſam, id quod ſane & natalium ejus ſplendor & virtus non mediocris promerebantur.

Poſt annum quadrageſimū.

XIV. Quod vero ſpectat ad diaconiſſarum ordinandarum ritus, audiendus eſt Henricus Valeſius in Notis ad Sozomeni Hiſt. lib. 8. c. 9. [Scio quidem diaconiſſas poſterioribus temporibus per manus impoſitionem eſſe ordinatas. Id enim diſerte teſtatur canon 15. concilii Chalcedonenſis. Verum apud antiquos alius mos fuit, ut docet canon 19. concilii Nicæni. In quo SS. Patres generaliter pronuntiant, diaconiſſas manus impoſitionem non habere, eaſque inter laicos eſſe numerandas. Quamquam Zonaras & Balſamo canonem illum concilii Nicæni non generaliter de omnibus diaconiſſis, ſed tantum diaconiſſis Paulianiſtarum, quæ ad catholicam eccleſiam redirent, intelligendum putarunt. Sed verba canonis illius abunde eos refutant. Ruffinus quoque in lib. 10. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 6. canonem illum de diaconiſſis omnibus generaliter accipit.] Reliquos ritus in diaconiſſarum aliarumve viduarum conſecratione obſervari ſolitos exhibet editus Ordo Romanus, à quo non differunt ea quæ in mss. libris Pontificalibus legimus niſi in numero orationum, quarum alii unicam, alii plures repræſentant, nonnulli etiam quod de ſtola collo diaconiſſæ imponenda dicitur prætermittunt. Quapropter paucos hic dumtaxat ordines ſive rituales libros de conſecratione viduarum aut benedictione diaconiſſarum hic exhibemus.

Ordinationis earum ritus.

ORDO I.

Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi.

BENEDICTIO VESTIUM VIRGINIS VEL VIDUÆ, AD CONSECRATIONEM VIRGINIS VEL VIDUÆ.

DEus qui veſtimentum ſalutare & indumentum æternæ jocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis & contemtum mundi ſignificantia, quibus famula tua ill. ſancto viſibiliter eſt informanda propoſito, propitius benedicas, & beatæ caſtitatis habitum quem te inſpirante ſuſceperit te protegente cuſtodiat. Per.

Item alia.

Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, exaudi preces noſtras, & hanc veſtem quam famula tua ill. pro conſervandæ caſtitatis ſigno ſe ad operiendam expoſcit, benedicere & ſanctificare digneris. Per.

Alia oratio.

Viſibilium & inviſibilium rerum creator Deus, adeſto propitius ut hæc indumenta ſanctitatis effigiem oſtendentia, deſuper gratia tua irrigante, benedicere & ſanctificare facias per te Salvator mundi. Qui vivis & regnas.

Item alia.

Inlumina, quæſumus, oculos majeſtatis tuæ ad benedicendam hanc viduitatis veſtem, ut quæ inordinatis veſtibus placuit, ſacris induta benedictionis tuæ ſervire mereatur. Per.

Poſt hæc imponis viduæ pallium, & dicis.

Accipe viduæ pallium, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectit omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Qui reg.

Benedictio viduarum.

Deus qui Annam filiam Phanuelis vix per annos ſeptem ſortita jura conjugii, ita cum annis LXXXIV. in ſancta & intemerata caſtitate ſervaſti, ut noctibus ac diebus orationes jejuniaque miſcentibus ad prophetiæ gratiam ſub circumciſione Chriſti tui, juſtus remunerator adduceres, qui deinceps per apoſtolicam inſtitutionem ſanctarum hujus ordinis feminarum ſexus adoleſcentulas juniores inſtruens cum ſancti chriſmatis benedictione viſitare, laudabili diſpenſatione voluiſti ſuſcipere, dignare Domine omnium rerum, ut hæc famula tua in adgreſſæ caſtitatis obſeruatione perdurans, inter conjugatas uno tantum viro feminas fructum trigeſimum ſortiatur. Sit in illa cum miſericordia diſcretio, cum humilitate largitas, cum humanitate ſobrietas. Opus tuum die ac nocte meditetur, & pro eo quod amiſit conjugis ſolatium temporale, tu qui rerum omnium requies es, ſecuturæ vitæ ſpatium ſpiri-

Digitized by Google

tali conſolatione compenſa, ut in die vocationis ſuæ talis venire mereatur, qualis Annæ fuiſſe conſtat, quam uſque ad prophetiæ ſpiritum commoviſti. Per.

Conſecratio viduæ.

Conſolare, Domine, &c. *ut ſupra.* *Item alia.*

Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro ſpe retributionis promiſſi muneris ſe Domino deſiderat conſecrari, plena fide animoque permaneat. Tribue ei pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia ſanctitatem, ut ad meritum poſſit gloriæ pervenire. Per.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali Beccenſis monaſterii.

BENEDICTIO VIDUARUM QUÆ FUERUNT CASTITATEM PROFESSÆ.

Viduæ in primis accipiant benedictionem ſuperius præſcriptam, ſcilicet Famulas tuas.

Poſtea accipiant velamina, & prædicatur præſens oratio.

Conſolare, Domine, hanc famulam tuam. *Alia oratio.* Da quæſumus, Domine, ut hæc famula tua quæ ſpe retributionis, &c. *Antiphona.* De fructu ventris tui. *Pſal.* Memento Domine.

Benedictio earum quæ continentiam profitentur.

Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Præfatio.

Æterne Deus qui famulo tuo Abrahæ ſemen in quo benedicuntur omnes gentes; qui & Chriſtum ex ſanctificato Sarræ utero per repromiſſionem donaſti: cujus obedientiæ in oblatione filii tui Iſaac imitandum exemplum fidelibus cunctis propoſuiſti, & David ſervo tuo ob manſuetudinis & devotionis ſuæ meritum promiſiſti ut de fructu ventris ſui poneres ſeper ſedem ſuam. Da huic fideli tuæ benedictionem eorumdem patriarcharum tuorum, ut ipſorum ſequens exempla, ad eorum mereatur pervenire conſortia. Et qui ancillæ tuæ de oblato Samuele in miniſterium templi tui vota impleſti, Tu, Domine, largitate pietatis tuæ hujus fidelis tuæ vota accepta fore digneris, & recta deſideria adimplere. Per.

ORDO III.

Ex Græcorum Euchologio.

ORATIO IN DIACONISSÆ ORDINATIONE.

Poſtquam ſacra peracta oblatione ſancti tribunalis apertæ fuerint fores: antequam dicat diaconus: Omnium Sanctorum. *Diaconiſſa ordinanda*

Digitized by Google

Pontifici præſentatur : qui exclamat. Divina gratia, &c. *Ipſaque caput inclinante, ſuper caput ejus, pontifex manum imponit : tribuſque crucibus effectis, hoc modo precatur.*

Deus ſanctus omnipotens, qui per unigeniti Filii tui Dei noſtri nativitatem ex virgine, fœminam ſanctificaſti, & non hominibus ſolum, ſed & mulieribus ſpiritus tui gratiam, & adventum largitus es : ipſe & nunc Domine, ſuper famulam hanc tuam reſpice, & in miniſterii tui opus illam advoca, & copioſum Spiritus tui Sancti donum in eam mitte : eamque juxta beneplacitum tuum miniſterium ſuum jugiter implentem, in orthodoxa fide, & inculpata converſatione conſerva. Quia convenit tibi omnis gloria, honor, & adoratio : Patri, & Filio, & Sancto Spiritui : nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et reſponſo, Amen ; *unus diaconorum precatur hoc pacto.*

In pace Dominum precemur.

Pro ſuperna pace & bono ſtatu totius univerſi : Dominum precemur.

Pro pace totius orbis : Dominum precemur.

Pro archiepiſcopi noſtri N. ſacerdotio, opitulatione, perſeverantia, pace, ſanitate, ſalute ejus, & pro opere manuum illius : Dominum precemur.

Pro N. diaconiſſa nunc ordinata & pro ſalute ejus : Dominum precemur.

Ut clementiſſimus Deus immaculatum & inculpatum ei miniſterium largiatur Dominum precemur.

Pro pientiſſimo & Deo amabili imperatore noſtro N.

Ut liberemur,

Suſcipe, ſalva.

Et dum à diacono fit hæc oratio, habens pariter pontifex manum ſuper ordinatæ caput impoſitam, precatur hoc pacto.

Dominator, Domine, qui neque fœminas ſeipſas conſecrantes, ut ſacro conſilio ædibus ſanctis tuis, prout decet, miniſtrent, repellis ; ſed in miniſtrorum ordine illas admittis : etiam huic tuæ famulæ tuæ, ſeipſam tibi conſecrare volenti, & hujus miniſterii gratiam adimplere, Sancti tui Spiritus gratiam, ſicut Phœbæ ad opus miniſterii electæ conceſſiſti, largire : præſta illi quoque Deus inculpate in ſanctis tuis eccleſiis perſeverare, convictus ſui rationem gerere, & continentiæ præſertim ſtudioſam ſe monſtrare, & perfectam ancillam tuam demonſtra : ut & ipſa Chriſti tui tribunali adſtans, dignam rectæ converſationis accipiat mercedem :

Miſericordia & miſeratione unigeniti Filii tui, cum quo, &c.

Et reſponſo, Amen, *diaconicam ſtolam ſub pallio, ejus collo circumdat pontifex, duas illius extremitates ante pectus reducens : Tuncque ſtans in ambone diaconus ait :* Omnium ſanctorum memoriam agentes, &c.

Poſtquam vero ipſa ſancti Corporis & ſancti Sanguinis facta fuerit particeps, ſacrum ei calicem tradit pontifex : quod ſuſceptum ipſa in ſancta menſa deponit.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De benedictione puerorum ſeu puellarum religioſum habitum, ex devotione ſuſcipientium.

ORDO

AD INDUENDUM PUERUM SIVE PUELLAM HABITUM PRO VOTO SEU DEVOTIONE.

Ex veteri miſſali Romano annorum circiter 200.

℣. ADjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominum vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. CAPUT VIII. *De Bened. puer. & puell.*

Oratio. Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui noſtra pro ſalute ſuſcipiens humanam naturam, te veſtimento carnis induere dignatus es; benedictione tua bene † dic iſta parvula veſtimenta, quæ pro gratiis exſolvendis omni cum devotione ſanctoque voto ac veneratione beatiſſimæ Mariæ infans iſte (*ſive* puella iſta) ſuper ſe ſuſcepturus eſt: infunde in eum quæſumus tuam ſanctam benedictionem, ut cum primum induerit hoc religioni ſimile veſtimentum intercedente ſanct. N. deſcendat ſuper eum gratia tua, quæ protegat illum (*vel* illam) ab omni malo mentis & corporis. Qui vivis.

Deinde aſpergat veſtimenta & illum ſive illam, & adoleat incenſo. Cum vero exuit eum, vel eam, dicat antiphonam:

Eripiat Dominus de corde tuo ſæculi pompas, quibus abrenunciaſti dum baptiſmum ſuſciperes. *Pſal.* Eripe me, Domine, ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, de viris ſanguinum ſalva me. Gloria Patri.

Poſteà induat eum cappa vel ſcapulari. Antequam eum cingat dicat:

Immittat in te Dominus ſanctum religionis amorem, ſanctoque fervore ſuccendaris, & ardeas cæleſtium bonorum deſiderio. *Pſal.* Laudate pueri Dominum, &c. Gloria.

Poſtmodum cingat eum, vel eam, dicendo antiphonam:

Præcingat te Dominus zona juſtitiæ, ut immaculata conſerves omnia mandata ſua. *Pſal.* Laudate Dominum in ſanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis, &c.

Digitized by Google

Caput VIII. De Bened. puer. & puell.

Deinde det ei candelam accenſam, & dicat : ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, lux vera de vero lumine, quæſumus clementiam tuam, ut per interceſſionem beatiſſimi N. mentem parvuli hujus illumines, ut cum ad annos diſcretionis advenerit, ſancto tibi animo corporeque deſerviat. Qui vivis.

Poſtea benedicat puerum vel puellam offerendo eum vel eam ſuper altare ac dicendo : Confirma hoc Deus in hoc puero (*ſive in hac puella,*) quod operare cœpiſti. A templo ſancto tuo. Deducat eum Spiritus tuus bonus in terram rectam, & benedictio tua ſit ſuper eum ſemper.

Deinde reddat eum (vel illam) parentibus, & converſus ad omnes circumſtantes, dicat : Benedicat vos divina majeſtas Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus. ℟. Amen.

Ad exuendum puerum seu puellam post annum cum portaverit habitum pro voto seu pro devotione.

℣. ADjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oratio. Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo deſcendit omne bonum & omne donum, tibi gratias referimus, & expleta vota reddimus, ſuſcipe vota noſtra cum actionibus gratiarum, & intercedente beatiſſima Virgine Maria ſanctoque N. huic infanti, ſive puellæ, de cetero præſta ſalutem mentis & corporis, ut te creatorem recta fide colat, in te redemtorem ſpem ſuam confirmet, teque ſummum bonum ſuper omnia diligat, atque ſanctis mandatis tuis ſemper obediat. Per.

Deinde illum habitum exuendo dicat antiphonam : Reddite vota veſtra Deo cum actionibus gratiarum. *Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes *totum cum* Gloria. *Deinde ponat habitum ſuper altare, & dicat :* ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio. Oremus.

Suſcipe, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, vota preceſque ſupplicum; & per interceſſionem beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſanctique N. præſta nobis ita beneficia cognoſcere, ut in gratiarum actione ſemper maneamus. Per.

Poſtea ſe vertat ad circumſtantes, eoſque benedicendo dicat : ℣. Benedicat vos divina majeſtas, Pater † & Filius † & Spiritus ſanctus. † Amen.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De ſolemni imperatorum benedictione.

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

I. EA fuit imperatorum chriſtianorum pietas & religio, ut quò ſceptrum & imperium Deo acceptum referre ſe teſtarentur, cœleſtiſque gratiæ adjutorium, ad commiſſos ſibi populos ea quæ chriſtianum principem decet prudentia & æquitate regendos, promereri valerent, ſolemnem ab eccleſiæ præſulibus benedictionem accipere, imperialemque coronam capiti ſuo ab eis ſuperimponi voluerint. Atque hic quidem uſus etſi antiquiſſimus, non tamen à primis imperatoribus chriſtianis uſurpatus legitur. Nihil enim hujuſmodi de Philippis, nihil de Conſtantino Magno, eumque proxime ſubſecutis ſucceſſoribus apud aliquem auctorem reperire eſt. Sed illi ut primum imperii dignitatem adepti erant, in clypeos elati, purpura & diademate ornati populo ſiſtebantur; qui ritus apud paganos imperatores vigebat. Et vero cum ex iis nonnulli eſſent tantum catechumeni, aut certe omnino impii, eccleſiaſticæ benedictioni haudquaquam judicati eſſent idonei. Primus, qui ab epiſcopo regalem coronam percepit, memoratur Theodoſius Magnus, ſed is in ſomno: quippe ut narrat Theodoritus Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 6. [Videbatur ſibi videre divinum Meletium Antiochenſis eccleſiæ præſulem, qui imperiali clamyde ipſum indueret, & regalem coronam capiti ipſius imponeret.] Hæc in ſomnis peracta ſunt. At non in viſione, ſed re vera à Proclo patriarcha coronatus eſt alter Theodoſius, junior dictus, imperatorum optimus ac ſanctiſſimus, ut teſtatur Theodorus lector lib. 2. Qui ejus pietati non minus quam imperio ſucceſſit Martianus ab Anatolio patriarcha coronatus & ipſe eſt: ſaltem id innuit Nicephorus lib. 14. Hiſt. cap. 58. qui libro 15. cap. 15. idem de Leone qui poſt Martianum imperii culmen aſcendit, diſerte aſſerit. Eadem extitit ſequentium imperatorum religio Zenonis, Anaſtaſii, Juſtini, &c. Hic non ſemel à Johanne patriarcha, ſed iterum à Johanne papa coronatus benedictuſque eſt. Utriuſque benedictionis indubiæ fidei nobis ſuperſunt teſtimonia, & primæ quidem in epiſtola Johannis patriarchæ ad Hormiſdam: [Cum magna voce Deum omnium principem glorificaverunt, quoniam talem verticem, (*Juſtini imperatoris*) meis manibus tali corona decoravit.] Secundæ vero in libro Pontificali in Johanne I. [De cujus, inquit, manibus cum gloria coronatus eſt Juſtinus Auguſtus.] Succinit Aimonius lib. 2. cap. 1. Johannes papa [Juſtino Auguſto ut vicarius beati Petri imperialem impoſuit coronam.] Nec fuit inſolens ſubſecutis ſæculis imperatores & reges ſecundo aut tertio coronari.

Imperatores ab epiſcopis quando coronam accipere cœperunt.

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

Fidei profeſſionem ante emittebant.

II. Antequam vero benedictione pontificali donarentur, ſolebant fidei profeſſionem voce & ſcripto coram omnibus emittere. Hanc primus ab Anaſtaſio exegit Euphemius patriarcha, quippe ut ait Evagrius lib. 3. cap. 32. [Cum Ariadne Anaſtaſium imperiali purpura veſtire vellet, Euphemius regiæ urbis epiſcopus conſenſum ſuum accommodare renuit, priuſquam Anaſtaſius cautionem propria manu ſcriptam & jurejurando firmatam ipſi dediſſet, qua pollicebatur fidem ſe illibatam ſervaturum, neque quicquam novi in ſanctam Dei eccleſiam invecturum eſſe, ſi imperii compos fieret.] Addit Evagrius: [Hæc autem idcirco egerat Euphemius, quod Anaſtaſius Manichæorum ſectæ addictus eſſe à pluribus crederetur.] Idem teſtatum reliquit Theodorus Lector libro 2. Hiſt. Eccleſ. [Zeno imperator moritur, cujus loco imperator ab Ariadne Auguſta renuntiatus eſt Anaſtaſius Silentiarius, oriundus Dyrrachio. Verum Euphemius epiſcopus electioni ejus obſtitit, hæreticum illum vocans, & indignum qui chriſtianis imperaret. Ariadne tamen & Senatores vim inferentes, Euphemium aſſentiri coegerunt. Ille non alia conditione id ſe facturum promiſit, quam ſi confeſſionem ſcripto comprehenſam ab eo ſuſcepiſſet, quo profiteretur ſe pro definitione fidei amplecti ea quæ in Calchedonenſi ſynodo decreta fuerant: quod quidem præſtitit Anaſtaſius.] Simili prorſus modo cum Phocas occiſo Mauricio imperium invaſiſſet, & Senatum ac Patriarcham ut ab eo coronaretur in ſeptimium acceſſiſſet, [tunc patriarcha Cyriacus à tyranno de orthodoxa fide, & ut ſine perturbatione ſervaret eccleſiam extorſit profeſſionem,] inquit Paulus diaconus Hiſt. lib. 17. Idem & ab aliis non coacte ſed ſponte præſtitum eſt, qui non ſolummodo fidei profeſſionem; ſed ſolemne inſuper ſacramentum edere ſolebant, quo jura eccleſiæ omnia ac privilegia intacta & illibata ſe habituros, commiſſoſque ſibi populos paterne & abſque tyrannide recturos promittebant. Hinc eſt quod cum Leo Iſauricus eccleſiæ & ſacris imaginibus bellum indixiſſet, [reducebat ad memoriam ejus patriarcha ſponſiones ejus ante imperium factas, qualiter ſibi Deum dederit vadem, in nullo commoturum eccleſiam à ſuis apoſtolicis & divinitus traditis ritibus,] ut ait iterum Paulus diaconus lib. 21. Nequiſſimis hiſce imperatoribus longe illuſtrius fidei ſuæ ſpecimen dedit Jovianus Auguſtus, qui teſtante Theodorito lib. 4. Hiſt. c. 1. cum poſt mortem Apoſtatæ Juliani à militibus renunciatus fuiſſet imperator, ego, inquit, cum chriſtianus ſim, talibus viris imperare non poſſum, nec Juliani exercitum regere, nefariæ doctrinæ imbutum. Ejuſmodi enim homines divina gratia deſtituti, facile ab hoſtibus capiuntur, & ludibrio iiſdem eſſe ſolent.] Quibus auditis, ut pergit Theodoritus, [Omnes uno conſenſu milites hæc dixerunt; ne dubites, Imperator, neve imperium noſtrum velut improbum refugias: imperabis enim chriſtianis hominibus,] &c.

Quo ritu coronarentur

III. Præſtito itaque quod præfati ſumus juramento, coronandi imperatores juxta antiquum ritum in clypeos elevabantur, deinde recitatis à Patriarcha benedictionis precibus, ſacro caput ejus oleo perfundebat, eique

eique tandem imperii coronam imponebat. Sequebantur publicæ populi circumſtantis acclamationes: ad quem novus imperator aſcenſo throno ſermonem habere ſolebat. Hæc fere omnia videre eſt in ſolemni Juſtini Auguſti benedictione, quam ita deſcribit Corippus poëta lib. 2.

[Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem
Attollunt lecti juvenes, manibuſque levatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit, ut ſua tectus
Littera, quæ ſigno ſtabili non flectitur umquam
Nominibus ſacrata tribus.]
(Juſtini ſcilicet primi, Juſtiniani & Juſtini ſecundi)
[Aſtitit in clypeo princeps fortiſſimus ille,
Solis habens ſpecimen, lux altera fulſit in urbe:
Mirata eſt pariter geminos conſurgere ſoles
Una favens eademque dies.
Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
Pontificum ſummus, plenaque ætate venuſtus
Aſtantem benedixit eum, cælique potentem
Exorans Dominum, ſacto diademate juſſit
Auguſtum ſancire caput, ſummoque coronam
Imponens capiti feliciter.
Intonuit patrum ſubitus fragor, inde clientum.
Clamores creſcunt, clamoribus adſonat æther:
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.
Juſtino vitam ter centum vocibus optant,
Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Felices annos dominis felicibus orant.
Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum,
Atque crucis faciens ſignum venerabile ſedit,
Erectaque manu, cuncto præſente Senatu,
Ore pio hæc dixit: Vos ô mihi proxima membra,
Conſcripti patres, noſtri pars maxima regni,
Vos eſtis pectus, vos brachia verticis hujus,
Quorum conſiliis, quorumque laboribus uſa
Publica res domuit gentes & regna ſubegit.]

IV. His adde quod ſcribit Leontius in vita S. Johannis Alexandrini epiſcopi cap. 17. [Poſtquam coronatus eſt imperator, nullus univerſi Senatus & adſtantium exercituum antiquum memoriale aliquod nunciat, ſed mox illi qui dicuntur monumentorum ædificatores ſumunt quatuor aut quinque minutias marmorum puſillas de diverſis coloribus, & ingrediuntur ad eum, & dicunt: Domine, quali metallo Imperium tuum jubet fieri monumentum tuum? Inſinuantes videlicet ei, quia tanquam homo corruptibilis & tranſitorius, curam habeto tuæ ipſius animæ, & pie regnum diſpone.] Hæc erat ſexti ſæculi quo vivebat Johannes Eleemoſynarius, praxis: hic illorum temporum uſus. Simile aliquid vigebat adhuc ſæculo XI. ut diximus ex Petri Damiani epiſtola 17. libri 1.

V

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

ubi hæc habet: [Apud græcos hæc teneri conſuetudo perhibetur, ut cum imperator quis dignitate creatur, mox ut imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ ſimul ac ſceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obſequiis, cum excipitur modulantibus pſallentium choris: quidam ſibi præſto fit obvius, qui videlicet una manu vaſculum plenum mortuorum oſſibus ac pulveribus offerat; in alia vero ſtuppam lini ſubtiliter pexam, ac pilis penſilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flamma ſubito vorante conſumitur; ut in altero conſiderare debeat quod eſt, in altero valeat videre quod habet. In cineribus ſiquidem ſe cinerem recognoſcit; in ſtuppa jam colligit in die judicii quam ſubito mundus ardebit: quatenus dum ſe ſimul ac ſua, tam vana, tam floccipendenda conſiderat, de imperialis culminis aſcenſo faſtigio nullatenus inſoleſcat.] Et hæc de benedictione imperatorum orientis, nunc de occidentalibus pauca.

Imperatores in occidente triplici corona donabantur.

V. Primus in occidente imperialem dignitatem adeptus eſt Carolus Magnus, ob liberatam à Longobardorum oppreſſione eccleſiam ea donatus à Leone III. qui in baſilica S. Petri ſacro Natalis Domini die oleo ſacro eum inunxit & coronavit. Eumdem antea Modoëtiæ coronatum fuiſſe à Thoma Mediolanenſi epiſcopo tradunt ſcriptores Italici, quamvis id non ſatis conſtet. Certum quidem eſt antiquos imperatores Germanicos triplici benedictione triplicique corona olim impertitos fuiſſe: Prima argentea Aquiſgrani tamquam reges Alemanniæ, ſecunda ferrea Modoetiæ ut reges Longobardiæ, tertia aurea Romæ ut imperatores. Neque enim imperatoris nomen ſibi aſſumere præſumebant, antequam Romæ à Summo Pontifice coronati benedictique eſſent. Audi Ludovicum II. imperatorem ad Baſilium Græcorum imperatorem ſcribentem apud Cheſnium Hiſt. Franc. tom. 3. [Francorum principes primo reges, deinde vero imperatores dicti ſunt, ii dumtaxat, qui à Romano pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt.] Audi & Rodulfum Glabrum lib. 1. cap. 5. [Illud nihilominus nimium condecens ac perhoneſtum videtur atque ad pacis tutelam optimum decretum, ſcilicet ut ne quiſquam audacter Romani imperii ſceptrum præproperus geſtare princeps appetat, ſeu imperator dici & eſſe valeat, niſi quem papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ, eique commiſerit inſigne imperiale.] Hinc eſt quod Henricus primus, Auceps dictus, imperatoris titulum, eo quod Romæ haudquaquam eſſet coronatus, non habere dicitur in Vita S. Bennonis Miſnenſis epiſcopi apud Surium 16. Junii. Quartam coronam Arelate dandam addit codex Bigotianus, eaque ordine ſecunda novo imperatori imponebatur.

Prima benedictio ubi.

VI. Prima benedictio etſi Aquiſgrani celebrari ſoleret, aliquando tamen Moguntiæ fiebat. Ibi S. Henricus, ibi Conradus in Germaniæ reges ordinati, ut diſcimus ex Vita S. Meinverci cap. 11. & 93. apud Surium 5. Junii. In ea regimen regiaque poteſtas *per haſtam* tradebatur, ut docet nos Vita S. Bernardi Hildesheimenſis epiſcopi cap. 32. ubi de co-

ronatione S. Henrici hæc lego: [Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, VVilligiſus archiepiſcopus & B. Bernardus cum ceteris regni principibus Dominum Henricum Moguntiam cum ſummo honore ducentes, Dominica octava Pentecoſtes regimen & regiam poteſtatem cum Dominica haſta illi tradiderunt, ac deinde omnibus rite peractis, cum maximo tripudio univerſorum ſolemniter cum Dei gratia unxerunt.]

Ubi ſecunda.

VII. Secunda benedictio Modoëtiæ ex jure fieri debebat cum ferrea corona, ſed temporum decurſu hoc ſibi privilegium arrogarunt Mediolanenſes. [De altera, inquit Cranzius Saxoniæ lib. 4. cap. 37. Modoëcenſes cum Mediolanenſibus diſceptavere, ſed prævaluit amplitudo Mediolani.] Ibi nimirum Henricus VI. & VII. aliiqui coronati ſunt. Nonnulli tamen utraque in urbe fuerunt inuncti, forte ut ſuum cuique jus ſervaretur. Unde idem Cranzius loco citato agens de coronatione Conradi II. [Conſtitutum erat ut qui coronandus in Urbem imperator adveniret, duas in medio itinere coronas acciperet: ex palea primam Modoëtiæ, ex ferro autem alteram Mediolani ab archiepiſcopo imponendam.] Hinc etiam forte Modoëtia *primus locus coronæ regis* dicitur in Chronico Mediolanenſi Landulfi de S. Paulo c. 39. apud Ughellum Italiæ Sacræ tom. 4. Et certe poſtquam Anſelmus archiepiſcopus Mediolanenſis, [in eccleſia S. Michaëlis quæ eſt Modoëtiæ benedixit, & unxit, & coronam electo Conrado in feſto S. Petri poſuit,] poſtmodum [eamdem quoque ſolemnitatem coronationis idem Pontifex in eccleſia S. Ambroſii..... celebravit,] ut ſcribit idem Landulfus.

Et quo ritu.

VIII. Hujus coronationis ritus poſtea repræſentabimus, quales in benedictione Henrici VI. & Ludovici VII. adhibiti ſunt, interim quid de his ſcribat Ripamontius in Hiſt. eccleſiæ Mediolanenſis Decad. 1. lib. 9. accipe: [Ceterum in aliis annalibus reperi diverſos hujus cæremoniæ ritus, quandocumque Mediolani in Ambroſiana æde ſolemne illud celebraretur. Extra baſilicam eſt columna longitudine ac diametro quam lapidicinæ noſtri temporis admirantur. Creditur eſſe veteris Romani palatii fragmentum, jam inde ab eo tempore, quo Ceſares collocato hic domicilio, urbem Mediolanum ſicut alteram Romam incolebant. Ad eam columnam futurus rex ut acceſſerat, munus erat Angleriæ comitum offerre candidato pium volumen, in quo ritus Ambroſiani preces & ſacra continentur. Id volumen ſive miſſale princeps Anglericæ gentis poſtquam obtulerat regi, jurabat ille quam ſancte, fore ſe in Romani pontificis auctoritate, ſive ſtatus imperii ſive eccleſiaſtica res ageretur, ejuſque ſacramenti confectæ ſtatim tabulæ vinculum erant & monumentum. Evinciebat deinde Mediolanenſis archiepiſcopus ferreo diademate caput regis, & præferente crucis trophæa comite Anglerico, templum ingrediebantur, ad aram maximam accedebant. Ibi nudato capite, poplite flexo, rex pie numen veneratus expiabatur ab archiepiſcopo ſolemni crucis nota, deinde collocabatur

CAPUT IX
De bened. imperatorum.

in ſolio, res tota teſtato deſcribebatur.] His addenda ſunt nonnulla ex Actis in Coronatione Henrici VII. apud Ughellum Italiæ ſacræ tom. 4. p. 1110. Quippe in ea Ubertus Vercellenſis epiſcopus, [locata ſede ſua in loco competenti à dextris Domini Mediolanenſis archiepiſcopi ſtetit, ſedit & legit primam lectionem ſeu orationem quæ ſibi per archiepiſcopum delata & ordinata extitit, primo ante alios epiſcopos Lombardiæ, de his quæ lecta & dicta fuerunt in officio coronationis jam dicto. Idem recepit de manu ejuſdem enſem, quem imperatori accinxit, & ſceptrum regale, virgam, pomum aureum, ſive deauratum. Quod quidem ſceptrum, virgam & pomum poſtea manu ſua dextra porrexit, & dedit ipſi regi, inſuper coronam benedictam per præfatum Mediolanenſem archiepiſcopum idem epiſcopus Vercellenſis cum Domino archiepiſcopo ſupradicto capiti ejuſdem regis impoſuit, & firmavit ſolus poſt archiepiſcopum ſignis tam in unctione Henrico Regi facta, quam in aliis ad ſolemnitatem coronationis imperialis culminis, opportunis eidem regi factis & impoſitis, ad latus dicti regis dextrum ſedit.] Nec prætereundum eſt eumdem Henricum non ferrea ſed ex calybe compoſita corona fuiſſe inſignitum. [Eo quod corona regum antiqua ex negligentia eſſet amiſſa, nam à nullo regum de tempore Frederici imperatoris fuerat requiſita,] inquit liber 2. de Geſtis Baldevini Luczemburgenſis Trevirenſis archiepiſcopi Miſcell. Baluz. tom. 1.

Tertia quo ritu.

IX. Venio ad tertiam coronationem, & quæ ſola olim, uti diximus, conſtituebat imperatorem; de qua pauca tantum quædam obſervo. Et primo quidem Romam appropinquanti futuro imperatori ſummus pontifex obviam mittebat. Ita actum eſt in coronatione Henrici V. cui Paſchalis II. teſte Petro diacono in Chronici Caſſinenſis libro 4. cap. 37. [Obviam miſit in Montem Gaudii, qui & Mauritii dicitur, bajulos, cereoſtatarios, ſtauroferos, aquiliferos, leoniferos, lupiferos, diaconarios, candidatos, defenſores, ſtratores, & maximam populi multitudinem cum floribus & pſalmis. Duo juxta priorum imperatorum conſuetudinem juramenta, unum juxta ponticulum, alterum ante portam porticus Romanorum populo fecit. Ante portam à Judæis, in porta à Græcis cantando exceptus eſt. Illic omnis Romanæ urbis clerus ex pontificis præcepto convenerat, & eum ex equo deſcendentem uſque ad S. Petri gradus cum laudibus deduxerunt. Cum vero ad ſuperiora graduum aſcendiſſet, illic Domnus papa cum epiſcopis pluribus cum ſubdiaconibus, & ceteris ſcholæ cantorum miniſtris affuit.] cui imrator poſt datum pacis oſculum *ſtratoris officium exhibuit.*

X. Deinde deductus in eccleſiam imperator, ante januam ſolemne ſummo pontifici præſtabat juramentum de conſervandis Eccleſiæ privilegiis & libertatibus. Ita videre eſt in præfata Henrici V. coronatione, qui ut proſequitur Petrus diaconus, cum perveniſſet ad portam argenteam, [ibi ex libro profeſſionem imperatoriam fecit, & à pontifice imperator deſignatus eſt, & iterum à pontifice oſculatus, mox ſuper eum orationem primam, ſicut in ordine continetur, Lavicanus

epiſcopus dedit.] Ita etiam in coronatione Henrici VI. à Cæleſtino III. celebrata apud Rogerium Hovendenſem Annalium parte 2. [Dominus vero papa ante oſtium eccleſiæ B. Petri ſupra gradus recepit ſacramentum a prædicto Alemannorum rege, quod ipſe eccleſiam Dei, & jura eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata, & quod rectam juſtitiam teneret, & quod patrimonium B. Petri, ſi quid inde ablatum eſſet, in integrum reſtitueret, & quod Tuſculanum ei redderet. Deinde introduxit eum Dominus papa in eccleſiam, & unxit eum in imperatorem, & uxorem ſuam in imperatricem.]

XI. Ad unctionem quod ſpectat, notandum quod cum alii imperatores in quibuſdam dumtaxat partibus ſoleant inungi, Carolus Magnus toto corpore ſacro oleo perfuſus eſt. [Tum vero vicem Carolo referens Leo, inquit Conſtantinus Manaſſes, Romæ veteris eum imperatorem renuntiat, neque tantum corona caput ejus more Romano cingit, verum etiam legibus Judæorum uſus à capite ad pedes oleo totum perungit.]

XII. Peracta unctione corona capiti imperatoris imponebatur, eoque gladio accincto, reliqua peragebantur quæ tam in editis quam in infra exhibendis ordinibus deſcribuntur, adeo ut iis immorari amplius opus non ſit. Haudquaquam tamen præterire poſſum id quod in Henrici VI. coronatione à Cæleſtino III. contigiſſe memoratur, ut omnibus palam fiat, quanta fuerit & in pontifice auctoritas, & imperatore humilitas. Audiendus iterum Rogerius loco citato. [Sedebat autem Dominus papa in cathedra pontificali tenens coronam auream imperialem inter pedes ſuos, & imperator inclinato capite recepit coronam, & imperatrix ſimiliter de pedibus Domini papæ. Dominus autem papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam imperatoris, & dejecit eam in terra, ſignificans, quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab imperio habet, ſi ille demeruerit. Sed cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti imperatoris.] Hoc in facto amplius quid mirari debeam haud ſatis ſcio, irrefractum pontificis animum, an demiſſionem imperatoris.

XIII. His omnibus unum addam ex Guillelmi Durandi Rationalis libro 2. cap. 8. quod ſcilicet imperator [in die ordinationis ſuæ receptus, primo in canonicum à canonicis S. Petri miniſtrat Domino papæ in miſſa in officio ſubdiaconatus parando calicem & hujuſmodi faciendo.]

ORDO I.

Ex Johanne Cantacuzeno lib. 1. Hiſt. cap. 41.

De coronatione imperatoris.

IMperatoria autem illa conſecratio in hunc modum celebratur. Die inſtante qua decretum eſt imperatorem divino unguento ungere, omnes qui

Digitized by Google

CAPUT IX De Bened. imperatorum.

dignitate potiuntur, omnes magiſtratus atque ipſum exercitum, eum etiam qui eccleſia nova Roma gubernaculis admotus eſt, populum quoque univerſum ad Regiam aurora illucente convenire neceſſe eſt. Sub horam vero diei ſecundam, imperatore inungendo ſupra clypeum impoſito, imperator & pater ipſius qui renunciatur, ſi ſuperſit, & patriarcha ab anteriori parte clypeum prehendentes, à reliquis vero dignitate pracellentes deſpota & ſebaſtocrates, ſi adſint, vel qui maxime in ſenatu ſunt illuſtres, ipſum cum clypeo quantum poſſunt excelſe attollere, oſtentant circumſtanti undiquaque multitudini. Poſt fauſtas cujus acclamationes, eum depoſitum ad templum, in quo celebranda conſecratio eſt, deducunt, in quo domuncula lignea eſt ad hunc uſum praparata, ad quam novum imperatorem intromittunt, eumque purpura & diademate induunt, qua ab epiſcopis antea benedicuntur. Non eſt mos capiti quicquam circumponi prater coronam, aut ſi quid aliud videatur.

His peractis, ſacroſanctum euchariſtici ſacrificii celebratur officium. Prope domumculam vero memoratam pulpitum etiam ſine ſuggeſtu ex ligno antea conſtruitur, quem velis undique ſericeis rubris circumſternunt. Super eum vero pro numero imperatorum throni aurei ſtatuuntur, vulgaribus excelſiores, ad quos quatuor aut quinque gradibus aſcenditur. Progredientes è domuncula imperatores, iis conſcenſis, ſi plures fuerint, ſedent. Conſcendentes quoque una cum iis imperatrices in thronis conſidunt: qua prius quidem coronata fuerant, coronas ſuas in capite geſtantes. Qua vero coronari debet, ſertum ferens. Antequam vero divinus triſagii hymnus cantetur, ambonem aſcendit Patriarcha ex adytis prodiens. Cum eo aſcendunt & illuſtriores eccleſia proceres ſacris etiam veſtibus induti: quos ille mittens imperatorem accerſit. Hi vero thronis exſurgentes ad ambonem proficiſcuntur. Silentium autem profundum & tranquillitas ab omni multitudine prabetur. Patriarcha vero recitat preces unctioni imperatorum adhiberi ſolitas. Quaſdam nempe ſubmiſſa voce ac ſecreto, quaſdam vero clara voce ac omnibus audientibus, Deumque ei qui ungitur conciliat.

Deinde imperator ungendus tegmen, quodcumque illud ſit, capite deponit. Omnes etiam ex ritu nudis in templo capitibus adſtant. Tum patriarcha divino unguento in formam crucis caput imperatoris ungit, dicens alta voce SANCTUS. *Excipiunt ii qui in ambone conſiſtunt ter etiam dicentes* SANCTUS. *Deinde populus idem toties ingeminat. Poſtea ſacris veſtibus induti, repoſitam in ſanctuario coronam accipientes (non enim ſuper ſacram menſam reponitur, ut quidam dicunt,) eam capiti novi imperatoris imponunt. Et pronunciat patriarcha* DIGNUS. *Excipiunt autem qui ſunt in ambone, idemque ter pronunciant, multitudo pariter omnis, uti dum ungeretur. Deinde patriarcha preces rurſus adjicit.*

Tum ex ambone deſcendit imperator non per eam partem qua aſcendit, ſed per eam qua ad ſoleam ſpectat. Quod ſi forte accidat imperatorem abſque conjuge eſſe, continuo ad ſuggeſtum regreſſus, throno rurſum conſidet. Si vero uxorem habeat, omnino quoque illam coronari oportet. Quapropter illam throno exurgentem duo propinquiſſimi cognati imperatoris ab utroque

Digitized by Google

latere prehendentes, aut ſi propinquos præſentes non habeat, eunuchi toti-dem eam ex ſuggeſtu deducunt, ac ſublevantes ante ſoleam conſtituunt. Deſcendens itaque imperator preparatam ipſi coronam, quæ à quibuſdam propinquis aut eunuchis tenetur, accipiens uxoris capiti imponit. Illa vero virum & imperatorem veneratur, ſe illi ſubjectam teſtans. Patriarcha autem ſtans ante ſoleam, orationem etiam recitat pro imperatore & pro imperatrice coram omnibus. Sic igitur imperator uxorem ſuam coronat. Si vero contigerit imperatorem antea fuiſſe coronatum, in ſolemnibus nuptiarum uxorem ſuam eodem modo coronat. Rurſus autem ambo ad ſuggeſtum remigrantes in thronis conſidunt dum reliquum myſtagogiæ perficitur.

CAPUT IX. De Bened. imperatorum.

Ubi vero triſagium cantatur, vel dum apoſtolica vel ſacra alia ſcriptura leguntur, ipſi etiam ſtant. Ex utraque vero templi parte in ligneis ſuggeſtibus ad id conſtructis primarii cantores & qui domeſtici dicuntur ac reliqui ordines eccleſiaſtici, qui cantare norunt, quos in iſta cærimonia tractas id eſt clamatores nominare ſolent, quædam cantica compoſita feſtivitati congrua modulantur.

Cum vero magnus ſacra myſtagogiæ ingreſſus celebrari incipit, diaconorum eccleſiæ inſigniores veniunt ad imperatorem accerſendum. Ipſe vero ad eam quæ protheſis appellatur, intra ſancta munera propoſita ſunt, cum eis accedit. Stans autem adhuc extra protheſim, induitur mandyam ſeu pallium aureum, ſupra diadema & purpuram, ac dextra quidem manu crucem tenet quam tenere mos eſt cum geſtat coronam. Siniſtra vero ferulam illi tradunt, ut ordinem ſeu locum in eccleſia teneat illius qui deputatus dicitur. Quæ quidem ambabus tenens ingredienti ſacrorum pompa præit. Ab utroque vero ipſius latere, & qui Barangi vocantur ſecures tenentes & juvenum nobiles utrimque armati vel inermes decore ſequuntur. Recte vero ſequuntur ipſum diaconi & ſacerdotes ſacra vaſa & inſtrumenta ſacrorum, atque adeo ipſa munera ſanctiſſima deferentes. Poſtquam vero templum de more circumierunt, atque in ſolea conſtiterunt, reliqui omnes extra conſtituunt. Ipſe vero ſoleam ingreſſus, patriarcham ad ſacros cancellos ſtantem invenit. Poſtquam invicem ſalutarunt, patriarcha quidem intra ſanctuarium, imperator autem extra, ſtantes expectant. Continuo ille diaconus qui poſt imperatorem ceteros anteit diaconos, dextra quidem thuribulum tenens, læva autem humerale ſeu pallium patriarchæ imperatorem pertranſiens thure perfundit. Quo caput inclinante, diaconus omnibus audientibus dicit: Memor ſit Dominus Deus potentiæ imperii veſtri in regno ſuo perpetuo, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, *addens* Amen. *Deinde reliqui etiam diaconi prætereuntes, nec non ſacerdotes idem proferunt. Quo peracto, imperator patriarcham ſalutans exuitur mandya, ſeu pallio aureo, quod à referendario de more aufertur. Imperator autem ſuggeſtum conſcendens throno rurſum inſidet.*

Cum ſymbolum fidei, & oratio Pater noſter *recitatur, cumque ſacrum Corpus attollitur, ſtat. Sublato vero Corpore, ſi ad ſacram communionem paratus non eſt imperator, uſque ad divina myſtagogiæ finem in throno ſedet; ſi vero ad eam ſit paratus, diaconi rurſus accedentes accerſunt, &c.*

Digitized by Google

CAPUT IX
De Bened. imperatorum.

cum iis ſtatim in ſanctuarium ingreditur, ac tradito ſibi thuribulo, ſacram primum menſam verſus orientem vaporat, deinde verſus ſeptentrionem, tum ad occidentem, denique ad meridiem reſpiciens. Rurſum vero ad orientem vaporans, thure quoque patriarcham perfundit; qui ſalutans imperatorem, deque ipſius manu thuribulum accipiens, viciſſim eum thuris ſuffitu excipit, poſtea coronam capiti detrahens imperator, eam diaconis tradit. Patriarcha tradit ei in manum partem Corporis Dominici: cujus factus particeps, Sanguinis etiam partem accipit, non ut vulgus ſolet ex cochleari, ſed in ipſo calice more ſacerdotum. Tunc coronam recipiens iterum ſanctuario egreditur.

NOTA.

Abſolutis autem myſteriis, poſtquam ſancta munera populo diſtributa ſunt, rurſum particeps effectus, & à patriarcha, necnon à præſentibus epiſcopis benedictione ſuſcepta, & dextras eorum oſculatus, aſcendit in locum qui dicitur catechumena, ut ab omnibus repente conſpectus, fauſta acclamatione excipiatur. Quo peracto inde deſcendens ipſe & imperatrix, ſoli ceteris viam pede carpentibus, equo ad palatium vehuntur.

ORDO II.

Ex libro Codini Curopalatæ de Officiis & Officialibus eccleſiæ & aulæ Conſtantinopolitanæ cap. 17.

DE CORONATIONE IMPERATORIS.

QUi coronandus eſt, is pridie ejus diei circa veſperam venit ad magnum palatium cum principibus aliiſque familiaribus ſuis, ibique pernoctat. Illuceſcente die, congregantur ſtatim ſub diliculum qui in dignitate conſtituti ſunt, & omnes alii proceres, Foſſatum & reliqua civitatis promiſcua multitudo: Circa horam ſecundam abit imperator futurus ad ſanctam Sophiam, in more autem poſitum eſt, ut tradat propria manu ſcriptam fidei ſuæ confeſſionem; quod hunc in modum facit: Ego N. in Chriſto Deo noſtro fidelis rex & imperator Romanorum propria manu hæc præmiſi ac præſcripſi. *Sic quidem jam coronatus imperator fidei ſuæ confeſſionem præſcribens auſpicatur. Si vero filium habeat, præfigit & ipſe confeſſioni ſuæ illud* imperator Romanorum, *ſi pater conceſſerit: ſi minus, illud modo præfigit:* Fidelis in Chriſto Deo noſtro Romanorum rex N. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium, *& reliqua ſymboli apoſtolici uſque ad finem.* Præterea amplector confiteor & approbo apoſtolicas & divinas traditiones. Inſuper etiam conſtitutiones & definitiones ſeptem œcumenicarum ſynodorum & localium, quæ tempore ſuo celebratæ ſunt. Ad hæc etiam privilegia & conſuetudines ſanctiſſimæ magnæ Dei eccleſiæ. Præterea confirmo & amplector quæcumque ſtatuerunt & definierunt diverſis locis ſanctiſſimi Patres noſtri recte, canonice, & inculpate. Similiter promitto me perpetuo manſurum fidelem & genuinum filium ſanctæ eccleſiæ; ad hæc defenſorem & vindicem ejus clementem inſuper futurum

Digitized by Google

futurum & humanum erga ſubditos, quatenus æquitas & decentia id ſinent. Abſtinebo etiam à cædibus & mutilationibus & id genus aliis, quantum fieri poterit, omnemque veritatem & juſtitiam ſequar, & quæcumque repudiarunt & anathematizarunt ſancti Patres, ipſe etiam repudio & anathematizo, & aſſentior tota mente, anima & corde meo, ſupradicto ſancto ſymbolo. Hæc omnia me cuſtoditurum promitto coram ſancta Dei catholica eccleſia. Menſe N. die & indictione N. anno N.

Id vero quod initio præſcripſit rurſus factæ fidei profeſſioni ſubſcribit illud nimirum N. in Chriſto Deo noſtro fidelis Romanorum imperator, vel rex Romanorum propria manu ſubſcripſi, tradoque ſanctiſſimo Domino meo & œcumenico patriarchæ Domino N. & ſanctæ quæ cum ipſo eſt ſynodo.

Poſt hæc aſcendit imperator ad triclinium quod vocatur Thomaites ad Auguſteonem reſpiciens, ubi univerſa multitudo plebis cum Foſſato ſtat. Antequam ergo imperator ſe conſpiciendum præbeat, per aliquem de ſenatu, cui id imperator præceperit jaciuntur in populum ea quæ nominantur Epicombia, quæ talia ſunt. Fruſtilla ex pannis reſecant, & in quolibet ſegmento tria aurea, argentea totidem numiſmata & tria ex obolis illigantes projiciunt in multitudinem. Projiciunt autem talium faſciculorum tot millia quot imperator præceperit. Conſuetudine autem receptum eſt, ut hujuſmodi Epicombia jaciantur in veſtibulis magnæ eccleſiæ, nempe in prædicto Auguſteone, ſtante eo qui projicit in Auguſteonis gradibus.

Poſthæc novus imperator in ſcuto ſeſſitans, tollitur in altum, & ab univerſa multitudine infra ſtante conſpicitur. Tenent vero priores partes clypei imperator parenſque renunciati, ſi adhuc ſit in vivis & patriarcha. Partes à latere & retro tenent qui dignitate præcipua excellunt, videlicet deſpota & ſebaſtacratores, ſi fuerint. Sin minus munus hoc obeunt præſtantiores & nobiliores ex proceribus. Si non ſupereſt novi imperatoris pater, anteriores partes clypei tenet excellentior ex illis, qui in dignitate ſunt, aut aliquis ex proceribus cum patriarcha. Partes poſteriores tenent quos jam antea commemoravimus. Populo & univerſo Foſſato fauſtis acclamationibus perſonante, deſcendit de ſcuto, duciturque ad S. Sophiæ templum, in quo coronandus eſt.

Eſt autem ibi hunc in uſum lignea ædicula extructa, in qua novum imperatorem introductum induunt ſacco & diademate, epiſcoporum benedictione prius conſecrata. In capite non fert certum quid ac definitum, ſed vel ſertum, vel quid aliud arbitratu ſuo. His peractis, liturgia peragitur. Porro prope ædiculam illam ligneam, de qua jam diximus, ædificata eſt lignea anabathra, pannis rubris veſtita, in qua pro numero imperatorum ponuntur aurei throni, at non tales quales ſunt alii imperatorum throni, ſed adeo excelſi ut habeant quatuor vel quinque gradus, in quibus egreſſi ex lignea ædicula imperatores, ſi non unus ſed plures fuerint, reſident.

Aſcendunt & cum illis dominæ uxores eorum, quæ & ipſæ in aliis thronis ſedent, adſtantibus ſupra deſpotis & reginis. Mater igitur renunciati imperatoris jam olim coronata geſtat coronam ſuam, nova vero imperatrix ſertum.

Dum igitur, ut diximus, divina liturgia celebratur, ante hymnum triſa-

Caput IX De Bened. imperatorum.

gium egreditur patriarcha ex tabernaculo, & aſcendit in ambonem, & cum illo digniores ex eccleſiæ proceribus ſacris amicti ſtolis Magno autem ſilentio facto, & quiete orta in templo, miſſo quopiam, vocat patriarcha imperatores, qui in ambonem ad patriarcham veniunt: quibus præſentibus legit patriarcha ad unctionem imperatorum compoſitas preces, partim tacite, partim clara voce. Supplicat autem Deo pro illo, qui in imperatorem inungendus eſt, eumque eidem propitium reddere ſtudet.

Poſt hæc tollit novus imperator capitis tegumentum qualecumque illud fuerit, è veſtigio autem quotquot in templo reperiuntur apertis capitibus adſtant. At patriarcha crucis in formam caput imperatoris divino unguento inungit, accinens elata voce illud, Sanctus. Omnes porro qui cum patriarcha ſunt in ambone excipientes vocem, canunt & ipſi tertio illud, Sanctus, quos ſimiliter reliqua populi multitudo ſubſequitur, ter illud Sanctus admodulantes.

Poſt hæc licet ſint qui tradant ſtemma ſeu coronam imperatoris in ſancta menſa repoſitum eſſe, id tamen ſecus eſt, quia intra ſanctum tabernaculum tenetur à diaconis ſacras ſtolas ferentibus deportaturque in ambonem. Si igitur, ut antea dictum, adeſt imperator pater ejus ipſe & patriarcha acceptum ſtemma imponunt novi imperatoris capiti, patriarcha illud concinente, Dignus. Si pater non adſit, aut etiam non ſuperſit, ſolus patriarcha hoc facit. Quemadmodum vero antea in imperatoris unctione illi qui in ambone ſtabant & tota reliqua concio illud Sanctus ter inſonabant, ita & nunc ter recinunt illud Dignus.

Deinde patriarcha iterum recitat preces, deſcenditque imperator ex ambone non ea parte, qua aſcendit, ea ſcilicet quæ ad ſpecioſas portas reſpicit, ſed ex altera ſolea & ſancto tabernaculo obverſa. Si igitur eo tempore imperator necdum uxoratus ſit, ſtatim poſt deſcenſum ex ambone aſcendit rurſus in anabathram ſeu tabulatum, & ſedet in throno ſuo: ſi jam uxorem habeat, plane neceſſarium eſt, ut & ipſa coronetur, quod fit hunc in modum.

Imperatrix prius coronata & mater novi imperatoris, ſi vivat adhuc maritus ejus imperator & pater novi imperatoris, ſtat ſtemmate conſpicua, tenens aureum ramum, habentem à vertice uſque ad imum quaſi in longitudinem ſpithamæ margaritas, & uniones in orbem fixos. Si vidua ſit, ramum quidem & ſtans & ſedens tenet, fert vero indumentum nigrum, quod hymalium appellatur, & mandyam coloris acerrimi. At nova imperatrix ſtans & ipſa, & ſuſtentata utrimque à propinquiſſimis cognatis, ſi autem propinquis cognatis & genuinis careat, à duobus eunuchis, deſcendit ex anabathra, & veniens ſtat ante ſoleam.

Deſcendens igitur de ambone imperator maritus ejus, acceptum ex patriarchæ manu prius ab ipſo benedictum ſtemma imponit capiti uxoris ſuæ, non ejus forma cujus eſt ſtemma imperatoris, ſed alterius; quod prius hanc in rem præparatum fertur, & ipſum vel à genuinis cognatis, vel à duobus eunuchis. Illa ſtemmate capiti impoſito, ſtatim adorat imperatorem & conjugem ſuum, quaſi per delatam reverentiam aperte fateatur ſe illi ſubjectam eſſe. At patriarcha prope ſoleam ſtant, & ipſe recitat alteram orationem pro imperatore & imperatrice omnique populo ſubdito. Et ſic quidem coro-

Digitized by Google

natus imperator coronat etiam propriam uxorem. Si imperator prius coronatus fuerit, coronatur imperatrix à proprio conjuge ſuo imperatore, quando ducta illa in uxorem nuptialem ſollemnitatem peragit. Si autem, ut prediximus, fiat poſtquam novus imperator propriam uxorem & imperatricem coronavit, & poſtquam illa eumdem debita veneratione affecit, aſcendentes ſimul in anabathram ſeu tabulatum, rurſus conſident in thronis, imperator quidem tenens crucem, nova vero imperatrix ramum ſeu palmam, ut antea oſtenſum; dumque myſtagogia peragitur, imperatores ſedent. At decantato triſagio vel apoſtolicis ſcripturis diviniſque evangeliis lectis, ſurgunt & ipſi.

Cum autem ex utraque parte templi lignea anabathra hunc ipſum in uſum exſtructa ſint, quas occupant protopſalta, domeſtici, & lectores, quos veteri more in hujuſmodi panegyricis feſtis & initiationibus clamatores *vocant, qui canunt cantica quadam huc facientia & accommodata, qui utraque ex parte tenent tres haſtas, circulis ligneis inſignitas, ex quibus in orbem panni ſerici coccinei & candidi dependent, quaſi duarum ſpithamarum. Quæ haſtæ, peracta liturgia, imperatorem antecedunt, iis qui ipſas portant praeuntibus & cantantibus uſque ad magnum palatium. Quo autem modo hoc fiat, ratio quaeritur.*

Quando igitur in magno introitu inchoatur hymnus, accedentes ex honoratioribus eccleſiæ diaconis, advocant imperatorem. Ille cum illis ſe confert ad locum qui Protheſis appellatur, ubi ſancta repoſita ſunt. Ceterum adhuc extra protheſim ſtans, induit ſuper ſaccum & diadema mandyam aureum; dextra manu tenet crucem, prout moris eſt ferre imperatorem, quando geſtat ſtemma. Siniſtra tenet narthecem ſeu ferulam; habetque tunc locum eccleſiaſticum, quem vocant deputati. Imperator igitur utrumque portans, nempe crucem & narthecem, totum ſupplicantium ſeu introeuntium agmen antegreditur. Ex utraque parte comitantur illum Barangi, omnes ſecuriferi & juvenes nobilitate eximii, armati circiter centum. Iſti ergo comitantur imperatorem à latere, ut dictum eſt. Imperatorem proxime ſubſequuntur diaconi & ſacerdotes, cum alia ſacra vaſa, tum ipſa SANCTA *portantes. Circumeuntes, ut conſuetum eſt, templum, veniunt uſque ad ſoleam omnibus aliis extra ſtantibus: Solus imperator, tranſito ſolea, reperit patriarcham in foribus ſanctis ſtantem. Ambobus igitur, patriarcha intus, imperatore foris in ſpeciem ſalutationis capita inclinantibus, ſuo quique loco ſubſiſtit. Deinde venit ſecundarius diaconus dextra manu thuribulum geſtans; ſiniſtra id quod dicitur omophorium ſeu humerale patriarchæ. Et olim quidem etiam eccleſia habebat ſuum archidiaconum, nunc vero nequaquam; ſed habet illum clerus imperatoris. Cauſa quaeritur. Similiter neque protopſaltem habet eccleſia, ſed domeſticum: imperatorius clerus utrumque habet. Et quidem protopſaltes, cleri imperatoris exarchus eſt. Et olim quidem habebat eccleſia domeſticum alterum, præter illum imperatricis. Aliquando idem utrique clero inſervit, quemadmodum protopapas quoque. Habet imperator protopapam in ſuo clero, habet & eccleſia. Eſt cum idem utrique clero annumeratur. Et de his quidem hunc in modum dictum ſit.*

Digitized by Google

CAPUT IX
De Bened. imperatorum.

Ceterum ſecundarius diaconorum thus imperatori adolet, ipſoque caput inclinante, magna voce inſonat illud: Recordetur Dominus Deus potentiæ regni tui in regno ſuo, ubique, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Deinde addit*, Amen. *Idem accinunt poſt ipſum venientes diaconi, & poſt hos ſacerdotes quoque. Et omnes iſti ad tabernaculum progreſſi, patriarcha itidem hoc canticum incinunt:* Recordetur Dominus pontificatus tui, ubique, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Hoc peracto, imperator ſalutato patriarcha, exuit aureum Mandyam, de quo ante dictum eſt. Conſuetum vero eſt, ut eum tollat referendarius. At imperator anabathram repetens conſidet, ſolumque aſſurgit in lectione ſymboli, & in oratione Dominica Pater noſter qui es in cælis, *& in elevatione Dominici & ſancti Corporis. Poſt elevationem ſi imperator non eſt paratus ad communionem; ſedet in ſolio ſuo uſque ad finem ſanctæ liturgiæ. Si vero ad communionem præparatus eſt, advocant illum prædicti diaconi, cum quibus ingreditur imperator in tabernaculum ſeu in ſancta ſanctorum, & accepto thuribulo incenſat crucis in ſpeciem ſacram menſam; primum quidem ad orientem, deinde ad ſeptentrionem, poſtea ad occidentem, & tandem ad meridiem. Deinde iterum ad orientem incenſans ſuffitu quoque patriarcham honorat. Ipſe autem ſalutato imperatore, & thuribulo de manibus ejus accepto, eidem incenſi & ſuffitus honorem redhibet.*

His peractis, imperator depoſita de capite corona, tradit eam diaconis. At patriarcha poſtquam pretioſum Domini Corpus ſumſit, tradit quoque imperatori in manus Dominici Corporis particulam, qua ſumta, ſumit etiam vivificum Sanguinem. Communicat autem, patriarcha ſanctum calicem tenente, & ipſo os ad calicem applicante, quemadmodum ſacerdotes ſolent.

Poſtquam divinorum myſteriorum particeps effectus eſt; impoſita rurſus capiti corona, egreditur ex tabernaculo, finitaque liturgia, & populo pane ſanctificato, quod antidorum nominamus, diſtributo, de quo poſtquam & ipſe participavit, & benedictionem à patriarcha ceteriſque præſentibus epiſcopis accepit, eorumque manus deoſculatus eſt, aſcendit ad locum catechumenorum. Lignea quoque ibi anabatra, ſed modica, præparata, & poſitis thronis, qui quotidiano ſunt in uſu, aſcendunt novus imperator & uxor ejus imperatrix, cum imperatore patre, & imperatrice matre, præſentibus ibidem ſupradictis protopſaltis & domeſticis; aureis velis anabathram velantibus, ne imperatores videantur. Cantores cantant illud Exoriamini.

Statim igitur ſublatis velis, omnes illi, qui in loco cathecumenorum ſunt, fauſtis acclamationibus imperatores extollunt. Quo facto, deſcendunt imperatores, abeuntque cum deſpotis in palatium, ſtemmata capitibus ferentes: & hi quidem ſoli in equis, alii omnes à deſpota uſque ad noviſſimum pedites.

Erat olim conſuetudo, ut imperatoris equus tali in panegyri circa collum & retro ſellam ſupra ſcapulas ferret ea quæ vocabantur χαιώματα *ex margaritis & unionibus confecta, paululum autem ſupra talos circumligatas metaxas rubras, quæ appellantur tibialia. Nunc quidem cetera deſierunt, tibialia vero adhuc ſunt in uſu.*

Digitized by Google

CAPUT IX. De Bened. imperatorum.

Menſa ibidem præparata, accumbentes epulantur ſtemmatibus ſuis inſigniti, quibus miniſtrat magnus domeſticus. Si non ſit magnus domeſticus, miniſtrat deſpota aut alius ex illis qui dignitate ſuper reliquos erecti ſunt. Sin minus, honoratior ex proceribus, præſentibus omnibus primoribus cum ſuis ornamentis, quibus non porriguntur fercula.

Hac igitur die ibidem manentes, poſtridie ad alia palatia ſe conferunt. Ubi rurſum in populum ab aliquo ſenatorii ordinis Epicombia ſparguntur. Imperator hac die in aula confert ſe ad eum locum, ubi eſt imago magni martyris Georgii. Stat vero prope ipſum imperatorii veſtiarii ſeu ærarii præfectus, tenetque intra veſtem ſuam multa aurea numiſmata fuſilia: quæ imperator apprehenſa diſpergit in circumſtantes proceres & honorarios pueros, quotquot ipſe volet.

Cauſa hujus diſtributionis numiſmatum eſt, quod imperator cupiat omnes proceres & honorarios pueros, foſſatum & populum ſimul lætari, edentes & bibentes ex imperatoris impenſis. Decem conſequentibus diebus aut pluribus aut paucioribus, neque enim eſt certus dierum numerus, perfectas ferias agunt, ſplendidis ſuis & ſumtuoſis quotidie induti veſtimentis.

Inſtituuntur ergo his diebus, quas diximus, epulæ & cænæ opiparæ, omnibus de ſenatu cum lætitia epulantibus coram imperatoribus, qui & ipſi in propria ſua menſa epulantur, quibus tunc miniſtrat domeſticus & præfectus menſæ: Sin minus, aliquis honorarius ephebus, capite non tectus, ex imperatoris ſtirpe, cui id imperavit imperator. At magnus domeſticus in loco ſibi debito cum aliis ſenatorii ordinis accumbens epulatur & ipſe. Et hic ordo ſervatur etiam ſine ulla variatione in imperatorum nuptiis.

Sciendum & hoc, imperatorem in epulari accubatione ferre ſuam coronam, ſi prius coronatus fuerit. Eodem autem modo ſedet in anabatra quo in die coronationis ſuæ, ut antea dictum eſt.

Noſſe etiam hoc oportet moris eſſe, ut imperatori, quoties fert ſuum ſtemma, ſive in creatione patriarchæ ſive deſpotæ, ſive ob aliam quamcumque neceſſitatem, adſiſtant quatuor ex honoratioribus proceribus politicis, duo ex qualibet parte, qui geſtant aurea epilorica & ſcaranica coccinea, tenentque ſinguli in manibus clypeum rotundum, equeſtri imperatoris imagine inſignitum, & haſta inaurato ligno conſtantem. Quæ haſtæ vocantur Romphææ, & qui eas tenent Romphæatores.

ORDO III.

Ex ms. cod. Gemundenſi.

BENEDICTIO AD ORDINANDUM IMPERATOREM SECUNDUM OCCIDENTALES.

Conſecratio.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & famulum tuum ill. ad regendum ill. imperium conſtitue, ut per te regere incipiat, & per te regnum fideliter conſtituat. Per Chriſtum.

Caput IX. De Bened. imperatorum.

Conſecratio.

Proſpice, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum ill. & ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac, & Jacob, ſic illi largiaris benedictiones ſpiritualis gratiæ, eumque omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & olei, & omnium frugum abundantiam, ex largitate divini muneris longa per tempora, ut illo regnante ſit ſanitas corporis in patria, pax inviolata ſit in regno, & dignitas glorioſa regalis palatii. Concede ei maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium luce clariſſima coruſcare atque ſplendeſcere qua ſplendidiſſima fulgoris maximo perfuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut ſit fortiſſimus protector patriæ, & conſolator eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum maxima pietate regalis munificentiæ, atque ut ſit fortiſſimus regum, triumphator hoſtium ad opprimendos rebelles & paganas nationes, ſitque ſuis inimicis ſatis terribilis proxima fortitudine regalis potentiæ. Optimatibus quoque atque præcelſis proceribus ac fidelibus ſui regni ſit munificus, & amabilis, & pius, & ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis ejus per ſucceſſiones futurorum temporum egrediantur regnum regere ill. & poſt glorioſa tempora atque felicia præſentis vitæ gaudia in perpetua beatitudine habitare mereatur. Per Chriſtum.

Et mittat pontifex coronam auream ſuper caput ejus, his verbis: Per eum cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Gladii traditio.

Accipe gladium per manus epiſcoporum licet indignas, vice tamen & auctoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratas tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio in deffenſione ſanctæ eccleſiæ divinitus ordinatum; & eſto memor de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime, ut in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas.

Expleta oratione à pontifice, antequam lector aſcendat in ambone, pronunciant duo diacones ſive cantores, reſpondente illis ſchola ſcriniorum hoc modo:

Exaudi Chriſte. *Reſp. ſchola.* Domino noſtro ill. à Deo decreto ſummo Pontifici & univerſali Papæ vitam.

Cantores. Exaudi Chriſte. *Reſp. ſchola ſimiliter.* Exaudi Chriſte. *Item cantores.* Salvator mundi. *Reſp. ſchola.* Tu illum adjuva.

Cantores. Exaudi Chriſte. *Reſpondet ſchola:* Domino noſtro ill. Auguſto, à Deo coronato, magno, & pacifico imperatori vitam. *Item cantores per tres vices* S. Maria. *Reſp. ſchola.* Tu illum adjuva. Sancta Maria. *Reſp. ſchola.* Tu illum adjuva.

Cantores. Exaudi Chriſte. *Reſp. ſchola* Tuiſque præcellentiſſimis filiis Regibus vitam. *Item cantores per tres vices.* S. Petre. *Reſp. ſchola.* Tu illos adjuva.

Iterum cantores. Exaudi Chriſte. *Reſp. ſchola.* Exercitui Francorum, Romanorum, & Teutonicorum vitam & victoriam. *Iterum cantor ter.* S. Theodore. *Reſp. ſchola.* Tu illos adjuva.

Iterum cantores. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. *Reſp. ſimiliter.* Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. *Cantores.* Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. *Reſp. ſimiliter.* Rex Regum. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat. *Reſp. ſimiliter, ſed tantum ſemel.* Rex noſter. Chriſtus vincit, Chriſtus regnat. Spes noſtra Chriſtus vincit. Gloria noſtra Chriſtus vincit. Miſericordia noſtra Chriſtus vincit.

Auxilium noſtrum Chriſtus vincit. Fortitudo noſtra Chriſtus vincit. Victoria noſtra Chriſtus vincit. Liberatio & redemtio noſtra Chriſtus vincit. Victoria noſtra Chriſtus vincit. Arma noſtra Chriſtus vincit. Murus noſter inexpugnabilis Chriſtus vincit. Deffenſio noſtra & exultatio Chriſtus vincit. Lux, via, & vita noſtra Chriſtus vincit. Ipſi ſoli imperium, gloria, & poteſtas per immortalia ſæcula. Amen. Ipſi ſoli virtus, fortitudo, & victoria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Ipſi ſoli honor, laus, & jubilatio per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN *ms. codice bibliotheca regiæ annorum circiter 600. n. 3866. Similis pene ordo habetur, ſed poſt duas primas orationes, dum corona aurea benedicto imperatori imponitur, hac verba dicenda præſcribuntur:* Accipe coronam à Domino Deo tibi prædeſtinatam. Habeas, teneas, poſſideas, ac * filius tuus poſt te in futurum ad honorem Deo auxiliante derelinquas. *Deinde ſequitur oratio.* Deus Pater æternæ gloriæ, quæ extat in Muſei Italici tom. 2. p. 402. *Poſtea miſſa pro imperatore*, Deus regnorum, &c.

* *l.* filio tuo.

ORDO IV.

Ad benedicendum Imperatorem in eccleſia Aquiſgranenſi.

Ex ms. codice bibliotheca regiæ num. 4226. annorum minimum trecentorum.

AD CONSECRANDUM SEU CORONANDUM REGEM ALEMANNIÆ HOC MODO PROCEDITUR.

PRimo in eccleſia Aquenſi ſit indutus plenis pontificalibus archiepiſcopus Colonienſis, ex jure regni debitus conſecrator: Moguntinenſis vero & Treverenſis archiepiſcopi ſimiliter induantur ornamentis pontificalibus & deſuper pluvialibus, & cum debito ordine miniſtrorum, cruce, thuribulo, & textu evangeliorum præcedentibus occurrant Regi venienti ad fores eccleſiæ, ubi archiepiſcopus Colonienſis recipiens dicat:* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. *Item ipſe.* Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio, &c.

Hac collecta dicta, archiepiſcopi Moguntinenſis & Treverenſis ſuſcipientes regem unus ex uno, alter ex altero latere, per manus ipſum ducant ad chorum, præcedente archiepiſcopo Colonienſi cum clero, cruce, & thuribulo, textu evangeliorum, & reliquiis & ſic præcedentes, clerus cantet: Ecce mitto angelum meum, &c.

Et cum perductus fuerit ad chorum, proſternat ſe ſuper tapetum ad gradus altaris totus in longum; & dicat archiepiſcopus Colonienſis ſuper ipſum proſtratum. Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te. Oremus. Deus qui ſuis humanum genus nulla virtute, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, cæleſtium, terreſtrium, &c.

His dictis, erigat ſe Rex, & ponat ſe ſuper ſedem regiam, & adducatur Regina, ſi præſens affuerit, & collocetur juxta Regem in latere ſiniſtro, & archiepiſcopus Maguntinus in dextro, & archiepiſcopus Treverenſis in ſiniſtro latere juxta Reginam ſe ponant, & archiepiſcopus Colonienſis exuto pluviali, & induta caſula celebraturus miſſam dicat: Confiteor Deo omnipotenti, &c. *Quo dicto, incipiatur miſſa ſolemniter.*

Introitus. Ecce advenit Dominator Dominus. *Pſ.* Deus judicium tuum regi da. *Iſta dua collecta concludantur ſub eodem* Per Dominum.

Deus qui unigenitum tuum gentibus ſtella duce revelaſti, &c.

Deus qui miro ordine angelorum univerſa diſponis, &c.

Lectio Iſaiæ prophetæ: Surge illuminare Jeruſalem, &c.

Graduale. Omnes de Saba venient, &c. Alleluia. Vidimus ſtellam.

Sequitur ſequentia. Feſta Chriſti omnis chriſtianitas, &c.

Si tempus fuerit quadrageſimale, dimiſſis Alleluia *& proſa, cantetur tractus iſte:* Deſiderium animæ, &c.

Hic ſurgat Rex, & depoſito pallio regio, ducatur per archiepiſcopos Maguntinenſem & Treverenſem ad gradus altaris; & proſtratus totus in modum crucis, cantetur letania à duobus clericis, in qua loco ſuo erigens ſe archiepiſcopus Colonienſis baculum in manu ſuo tenens dicat: Ut hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris. *Clerus.* Te rogamus audi nos. *Item Colonienſis:* Ut eum bene ✝ dicere, ſubli ✝ mare, & conſe ✝ crare digneris. *Clerus.* Te rogamus. *Item Colonienſis:* Ut eum ad regni & imperii faſtigium feliciter perducere digneris. *Clerus.* Te rogamus. *Deinde illi duo clerici reſumant & compleant letaniam,* Ut Pontificem noſtrum, &c.

Finita letania, erigat ſe Dominus Colonienſis, & Rex ſimiliter levet ſe, & Dominus Colonienſis à Rege quærat.

Vis ſanctam fidem à catholicis viris traditam tenere & operibus juſtis ſervare? *Reſpondeat Rex:* Volo.

Item Colonienſis: Vis ſanctis eccleſiis eccleſiarumque miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor? *Rex:* Volo.

Item Colonienſis. Vis regnum à Deo tibi conceſſum ſecundum juſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere? *Rex:* Volo.

Item

Item Colonienſis. Vis jura regni & imperii, bona ejuſdem injuſte diſperſa conſervare, & temperare, & fideliter in uſus regni & imperii diſpenſare? *Rex:* Volo.

Item Colonienſis. Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe judex & pius defenſor? *Rex:* Volo.

Item Colonienſis. Vis ſanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino Romano Pontifici & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubjectionem debitam & fidem reverenter exhibere?

Rex poſitis duobus digitis manus ſuæ dextræ ſuper altare, dicat: Volo, & in quantum divino fultus fuero adjutorio, & precibus fidelium Chriſtianorum adjutus valuero, omnia præmiſſa fideliter adimplebo, ſic me Deus adjuvet & ſancti ejus.

Ex tunc reducatur iterum ante altare ubi prius, & Dominus Colonienſis à Principibus Alemaniæ clero & populo circumſtantibus quærat dicens:

Vultis tali Principi ac rectori vos ſubjicere, ipſiuſque regnum firmare, fide ſtabilire, atque juſſionibus illius obtemperare juxta Apoſtolum, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſive regi quaſi præcellenti?

Ad quam quæſtionem Domini archiepiſcopi Maguntinenſis & Treverenſis, principes Alemanniæ, clerus, populus, aſſiſtentes reſpondeant: Fiat, fiat, fiat. *Et quia Rex tamquam illiteratus & laicus præmiſſas interrogationes & earum reſponſiones in latino dictas non intelligit; Dominus Colonienſis per ſe vel per clericum unum, cui faciendum mandaverit, præmiſſas interrogationes, & earum reſponſiones Domino Regi in vulgari noſtro, id eſt in Teutonico manifeſtius declarabit. Quo facto, iterum Rex proſternat ſe in longum, & Dominus Colonienſis ſuper eum dicat benedictionem iſtam.*

Oremus.

Benedic, Domine, hunc Regem noſtrum N. qui regna omnium moderaris, *&c. ut in Ord. Romano.*

Item Dominus Colonienſis ſuper eum dicat: Oremus.

Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, &c. *ibid.*

Hic iterum erigat ſe Rex, & Dominus Colonienſis ungat caput ejus, pectus, inter ſcapulas, & ambas juncturas brachiorum circa ſcapulas de oleo ſacro catechumenorum, ita dicens: Pax tibi. *Clerus:* Et cum ſpiritu tuo. *Dominus Colonienſis.* Ungo te in Regem de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, Amen. *Et interea chorus cantet:* Unxerunt Salomonem Sadoch ſacerdos, &c.

Poſtea Dominus Colonienſis ungat palmas manus Domini Regis dicens: Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, unde uncti fuerunt reges & prophetæ, & ſicut unxit Samuel David in regem, ut ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum, quod ipſe præſtare dignetur. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Interea clerus cantet iterum: Unxit te Deus, &c. *Factis unctionibus iſtis, ſtatim ſint parati capellani Domini Regis, & cum lana mundiſſima*

detergant omnia ubi Dominus Colonienſis oleum appoſuit. Hic ducatur Rex ad armarium, & induatur ibidem ſandaliis, alba & ſtola in modum crucis in pectore ſine cappa, & ita redeat ad ſedem ſuam circa altare, & deinde Dominus Colonienſis dicat. Oremus.

Proſpice, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus glorioſum Regem N. *&c. ut in Ordine Romano.*

Oremus.

Spiritus-ſancti gratia humilitatis noſtræ officio, &c. *ibid.* Oremus.

Deus qui es juſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, &c. *ibid.*

Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt. † Creator omnium, imperator angelorum, *&c. ut in Ordine Romano.*

Oratio.

Deus Dei Filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre, &c. *ibid.*

Poſtea Dominus Colonienſis, Maguntinenſis, & Treverenſis archiepiſcopi ſimul tradant Domino Regi gladium, Domino Colonienſi dicente. (Regalia ordine tradantur ſicut locantur ad ſiniſtram altaris.) Accipe gladium per manus epiſcoporum, &c. de quo pſalmiſta prophetavit dicens: *Hic ſe Rex accingat:* Accingere gladio ſuper femur tuum, potentiſſime, &c. *ut in Ordine Romano.*

Hic accinctus gladio accipiat à Domino Colonienſi armillas, pallium & annulum, dicente ſibi Domino Colonienſi: Accipe regiæ dignitatis anulum, *&c. ut in Ordine Romano.*

Poſtea Dominus Colonienſis tradat ei ſceptrum & pomum dicens: Accipe virgam virtutis, *&c. ut in Ord. Romano.*

Hic Dominus Colonienſis, & Domini Maguntinenſis & Treverenſis archiepiſcopi ſimul ſuperponant coronam regiam, & pariter dicant: Accipe coronam regni, *&c. ut in Ord. Romano.*

Hic Dominus Maguntinenſis & Treverenſis archiepiſcopi ducant Dominum Regem ad altare, & Rex poſitis ambabus manibus ſuis ſuper altare, hanc faciat profeſſionem in ſuo vulgari, & prius in latino.

Profiteor & promitto coram Deo & angelis ejus à modo & deinceps legem & juſtitiam pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ ſervare, populoque mihi ſubjecto prodeſſe, & juſtitiam facere, & conſervare jura regni, ſalvo condigno divinæ miſericordiæ reſpectu, ſicut cum conſilio principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero. Sanctiſſimo Romano Pontifici & eccleſiæ Romanæ ceteriſque pontificibus & eccleſiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere, ea etiam quæ ab imperatoribus & regibus eccleſiis ſeu eccleſiaſticis viris collata ſunt & erogata inviolabiliter ipſis conſervabo & faciam conſervari; abbatibus & ordinibus & vaſallis regni honorem congruum volo portare & exhibere, Domino noſtro Jeſu Chriſto mihi præſtante auxilium fortitudinem & decorem.

Poſt iſtam profeſſionem Domini Maguntinenſis & Treverenſis archiepiſ-

Digitized by Google

copi ipſum Regem ducant ad ſolium ſuum ſedem regiam. Clero cantante reſponſorium. Hic ducatur Dominus Rex ſuperius ab altare Symonis & Judæ. Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei, Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

Deinde dicat Dominus Colonienſis: Sta, retine à modo locum regium, quem non jure hæreditario, nec paterna ſucceſſione, ſed principum ſeu electorum in regno Alemanniæ tibi noſcas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem noſtram præſentem, & omnium epiſcoporum ceterorumque ſervorum Dei. Et quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in æterno regno ſecum regnare faciat Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum, & Dominus dominantium, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

His ita peractis, ſi Regina in loco præſens affuerit, ducatur coram altari à Domino Colonienſi, & Dominus Colonienſis ſuper eam proſtratam dicat hanc benedictionem.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui feminei ſexus fragilitatem, *&c. ut in Ord. Romano.*

Hic projiciat ſe Regina per modum crucis in longum ante Dominum Colonienſem, & ipſe Dominus Colonienſis hanc benedictionem dicat ſuper eam.

Deus qui ſolus habes immortalitatem lucemque habitas, *&c. ut in Ord. Rom.*

Hic detegatur pectus Reginæ per dominas pediſſequas ſuas, & Dominus Colonienſis circa præcordia pectoris, de oleo ſancto ungat eam dicens.

Spiritus-ſancti gratia humilitatis noſtræ officio, *&c. ut in Ord. Rom.*

Hic Dominus Colonienſis, Maguntinenſis, & Treverenſis pariter ſuperponant coronam ad caput ipſius Reginæ, & dicat:

Officio indignitatis noſtræ ſeu congregationis in Reginam, *&c. ut in Ord. Rom.*

His dictis, accedant capellani Reginæ & detergant pectus ſuum de oleo ſancto cum lana munda & alba; & poſtea pediſſequa Reginæ ipſam reinduant. Quo facto, ducatur juxta Regem, & ſedeat in latere ſuo ſiniſtro, ut prius, clero cantante ad finem Te Deum laudamus. *His omnibus ita peractis, legatur evangelium ſecundum Matthæum.* Cum natus eſſet Jeſus in Bethléem Judæ, *&c. uſque* per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Credo *dicitur. Offertorium.* Reges Tharſis & inſulæ, &c. *Dominus Rex ſceptrum in manu tenens offerat, deinde Regina, poſtea Domini principes, primo Domini Maguntinenſis & Treverenſis archiepiſcopi, poſtea alii principes electores ſecundum gradum & officium ſuum.*

Secreta.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, dona propitius intuere, &c. *Alia.* Concede quæſumus, omnipotens Deus, his ſalutaribus ſacrificiis, &c.

Procedatur in miſſa uſque ad illum locum Et pax ejus, *ubi diaconus converſus ad populum dicat;* Humiliate vos ad benedictionem. *Clerus.* Deo gratias. *Dominus Colonienſis.* Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut te voluit ſuper populum eſſe Regem, &c.

Communio. Vidimus ſtellam ejus. *Complenda.*

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut quod ſolemni, &c. *Alia.* Hæc, Domine, ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui maculas diluat, &c.

Completo miſſæ officio, ſi aliqua ſpecialia negotia regni pro illa hora conſueta tractanda ſunt, tractentur.

Circa negotium hujus officii, videlicet circa coronationem Regis Alemanniæ, hic primo ſciendum quod ſicut ab origine tranſlationis imperii ad Germanos, approbata introduxit antiquitas, tunc Aquiſgrani debitus & quodammodo proprius locus eſt pro hujuſmodi coronatione Regum Alemanniæ. Et quamquam Dominus papa de plenitudine poteſtatis ſuæ pro hujuſmodi coronatione dictum locum mutare poſſit, ut credo, hoc tamen facere non debet nec fieri expedit, niſi ex magna cauſa; & tunc ad requiſitionem electorum Alemanniæ, vel ſaltem ſanioris & majoris partis eorumdem, hoc decens eſt fieri juxta illud: Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Item hoc quoque ſciendum eſt, quod ſicut Aquiſgrani pro hujuſmodi coronatione proprius quodammodo cenſetur locus, ut dictum eſt; ita Dominus archiepiſcopus Colonienſis pro hujuſmodi coronatione verus & legitimus coronator, prout antiqua ſummorum pontificum & imperatorum ſtatuit auctoritas, ab omnibus rationabiliter debet confiteri & ſciri. Et quod vulgus loquitur de abbate S. Cornelii Videnſis, ut pote quod deficiente Domino archiepiſcopo Colonienſi, ipſe abbas non requiſito archiepiſcopo, ipſum Regem Alemanniæ habeat & debeat coronare, ridiculum & figmentum reputo; quia reſpiciendo ad tempus legis Moſaicæ, ſoli Moiſes, Aaron, & ſummi ſacerdotes, ſicut Samuel regem David, reges inunxerunt, ad figuram cujus temporibus iſtis, id eſt legis Chriſtianæ & gratiæ, ſolis epiſcopis hujuſmodi coronatio ſeu inunctio veraciter eſt permiſſa, quemadmodum omnium regnorum Chriſtianorum univerſalis & approbata conſuetudo teſtatur & uſus. Nec conveniens reputo quod aliquis archiepiſcopus vel epiſcopus abſque conſenſu Domini Colonienſis requiſito & obtento, de hujuſmodi coronatione ſe audeat ingerere, quia valde temerarium foret, Dominoque Colonienſi & eccleſiæ ſuæ injurioſum, & abſque calumnia hujuſmodi coronatio merito non tranſiret.*

* ſ. Indenſis.

ORDO V.

Ad benedicendum imperatorem in eccleſia Mediolanenſi.

Ex ms. codice bibliotheca regia, annorum circiter 400. n. 4208.

INCIPIT ORDO AD CONSECRANDUM REGEM.

Veniant cum magna proceſſione in palatium regis epiſcopi ſuffraganei epiſcopaliter parati, & chorus majorum decenter adornatorum cum crucibus & incenſo, ut mos eſt in ſolemnitatibus incedere, & illi de centum cum primicerio, qui primicerius habeat pluvialem & baculum cum thuribulo & cruce. Ipſi vero habeant cottas albas. Modus proceſſionis talis eſt. Primo incedunt Vegloni & Veglona decenter ornati & ornata. Secundo incedunt clerici de numero centum. Tertio chorus ordinariorum cum ſuis officialibus. Quarto incedunt epiſcopi ſuffraganei. Cum autem pervenerint ad palatium ubi eſt rex, dicat unus epiſcoporum hanc orationem.

Dominus vobiſcum. Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum Henricum regni faſtigio dignatus es ſublimare, &c.

Poſtea ſuſcipiant duo epiſcopi dextra lævaque, clerici autem cantent reſponſum. Diſrumpam vincula populi mei, dicit Dominus, & diſperdam omnia mala quæ induxi ſuper eos ut auferam univerſum dolorem à facie terræ & à civitate iſta. ℣. Iſraël ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ut auferam.

Deducitur rex ab ipſis epiſcopis cum proceſſione uſque ad eccleſiam beati Ambroſii, proceribus, marchionibus, nobilibuſque cum populo ipſos epiſcopos & regem comitantibus, clericis autem canentibus pſall. Antiphona prima. Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. *Pſal.* Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jeruſalem. *Antiphona II.* Beatus homo quem erudieris, & de lege tua docueris eum. *Antiphona III.* Jucundus homo qui diſponit ſermones ſuos in judicio, non movebitur in æternum. *Antiphona IV.* In via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini fuit voluntas ejus. *Antiphona V.* Erit juſtus tamquam lignum fructiferum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. *Antiphona VI.* Deſiderabiliora ſunt Deus mandata tua ſuper aurum & lapidem pretioſum, & dulciora ſuper mel & favum. *Antiph. VII.* Et ſi coram hominibus inſequutus eſt Deus, tentavit illum, tamquam aurum in fornace probavit eum, & ſicut holocauſti hoſtias accepit illum. *Antiphona VIII.* Dicit Dominus ſuper quem requieſcam? Super humilem & manſuetum trementem verba mea. *Antiph. IX.* Sicut fui cum Moiſe ita ero tecum, dicit Dominus, confortate populum meum ne timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te eſt, & non te derelinquer. *Antiphona X.* Ecce mitto angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat ſemper, conſerva & audi vocem meam, & præcedat te angelus meus.

Ad oſtium eccleſiæ clerus ſubſiſtat, & alter epiſcopus dicit hanc orationem: Dominus vobiſcum. Deus qui ſcis humanum genus, &c.

Introgreſſi autem decantent clerici antiphonam: In virtute tua, Domine, lætabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exſultavit vehementer, deſiderium animæ ejus tribuiſti ei, Domine.

Illis autem ſubſiſtentibus, dicat Dominus archiepiſcopus. Dominus vobiſcum. Omnipotens ſempiterne Deus, cæleſtium, terreſtrium, &c.

Cantent clerici poſt Kyrie eleiſon *cum* Gloria. Exaltent eum in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Poſt hæc inter manus epiſcoporum perductus in chorum uſque ad altaris gradum incedat, cunctoque pavimento tapetibus palleoliſque contecto, ibi afferantur regalia, & deponantur coram altari. Tunc interrogetur ipſe princeps à Domino archiepiſcopo per hunc modum.

a *Additiones tempore Domini Ludovici regis Romanorum.*

Canonice inſtitutos ſecundum religionē Chriſtianam debitam viventes.

Vultis ſanctas Dei eccleſias ac rectores earum a, nec non & cunctum populum ſibi & vobis ſubjectum juſte ac religioſe regali providentia juxta morem patrum defendere ac regere?

Reſponſio regis. Profiteor in quantum divino fultus adjutorio ac ſolatio omnium fidelium meorum valuero ita me per omnia eſſe acturum.

Dominus archiepiſcopus coram omnibus addat legens:

A vobis perdonare petimus, ut unicuique de nobis & eccleſiis nobis commiſſis canonicum privilegium b, ac debitam legem, atque juſtitiam conſervetis, & defenſionem exhibeatis, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

b *Additiones ejuſdem tēporis.*

Sacro imperio, vobis, & ſucceſſoribus veſtris non obvians, nec derogans honori imperiali in aliqua ſui parte.

Ad hæc rex reſpondeat ei taliter: Promitto vobis, ſanctiſſimi Patres, & perdono quia unicuique de vobis & eccleſiis vobis commiſſis canonicum privilegium c & debitam legem atque juſtitiam ſervabo, & defenſionem quantum potuero adjuvante Domino exhibebo, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

c *Additiones ejuſdem.*

Sicut præmiſſum eſt.

Deinde alloquantur duo epiſcopi populum in eccleſia inquirentes eorum voluntatem, ſi tali principi ac rectori ſe ſubjicere, ipſiuſque regnum firma fide ſtabilire, atque juſſionibus obtemperare velint, & ſi concordes taliter ſunt in conſecratione qualiter fuerunt in electione. At ſi concordes invenerint, agant gratias Deo, & omnis plebs decantet Kyrie eleiſon. *Poſt hæc ſimiliter ante altare rex totus in cruce proſtratus cum epiſcopis jaceat & presbyteris, deſuper clero letanias agente.*

Domine miſerere.	Salvator libera nos.	Sancte Andrea.
Domine miſerere.	Sancta Maria.	Sancte Thoma.
Domine miſerere.	Sancte Michaël.	Sancte Luca.
Chriſte libera nos.	Sancte Gabriel.	Sancte Stephane.
Salvator libera nos.	Sancte. Raphael.	Sancte Clemens.
Chriſte libera nos.	Sancte Johannes.	Sancte Nazari.
Salvator libera nos.	Sancte Petre,	Sancte Celſe.
Chriſte libera nos.	Sancte Paule.	Sancte Prochaſi.

Sancte Gervaſi.	Sancta Juſtina.	Voces noſtras.
Sancte Chriſante.	Sancte Benedicte.	Exaudi Deus.
Sancta Daria.	Omnes ſancti.	Et miſerere nobis.
Sancte Pantalimon.	Exaudi Chriſte.	Exaudi Deus.
Sancte Ambroſi.	Voces noſtras.	Et miſerere nobis.
Sancte Satyre.	Exaudi Chriſte.	Exaudi Deus.
Sancta Marcellina.	Voces noſtras.	Et miſerere nobis.
Sancta Candida.	Exaudi Chriſte.	Kyrie el. Kyr. Kyr.

Finitis letaniis, erigant ſe epiſcopi, & unus eorum dicat: Dominus vobiſcum. Te invocamus, Domine, *&c. ut apud Menardum in appendice ad librum ſacramentorum S. Gregorii papæ* p. 278.

Tunc alius epiſcopus appropinquans dicat hanc orationem. Deus qui populis tuis virtute conſulis, *&c. ut apud Menard. ibid.*

Alius epiſcopus dicat: In diebus ejus oriatur omnibus, *&c. ibid.*

Tunc conſecret eum Metropolitanus in hæc verba. Omnipotens ſempiterne Deus, creator, ac gubernaror cæli & terræ, conditor & diſpoſitor angelorum, &c. *ibid. uſque* Et oleo gratiæ ſancti Spiritus perunge.

Hic ungatur Rex à Domino archiepiſcopo in modum crucis in ſpatulis de oleo exorcizato, & cantent clerici antiphonam: Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Alia antiphona.

Unxerunt Salomonem Sadoc ſacerdos & Nathan Propheta Regem in Geon, & ambulantes læti dixerunt vivat rex in æternum.

Quâ finita, proſequatur Dominus archiepiſcopus: Unde unxiſti ſacerdotes, reges, *&c. ibid.*

Poſt unctionem.

Deus Dei filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, &c.

Hic detur ei anulus à Metropolitano.

Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc catholicæ fidei in te cognoſce ſignaculum, quia ut hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perſeverabilis auctor ac ſtabilitor chriſtianitatis & chriſtianæ fidei, & per hunc ſcias triumphali potentia hoſtes repellere, hæreſes deſtruere, ſubditos coadunare, & connecti perſeverabilitati fidei catholicæ, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege regum glorieris in æternitate. Per.

Sequitur oratio.

Deus cujus omnis poteſtas & dignitas, *&c. ibid.*

Poſtea ab epiſcopis enſem accipiat, dicente Metropolitano.

Accipe gladium per manus epiſcoporum, *&c. ut in Ord. Rom.*

Quo accincto, ſequitur oratio. Deus qui providentia, *&c. ut apud Menard.*

Poſt hæc Dominus archiepiſcopus coronam capiti Regis cum epiſcopis ſuis imponat, & dicat: Accipe coronam regni, quæ licet, *&c. ut in Ordine Romano.*

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

Sequitur oratio.

Deus perpetuitatis, lux virtutum, cunctorum, *&c. apud Menard.* *Hic detur ei ſceptrum.* Accipe ſceptrum regiæ, *&c. ibid.* *Oratio.* Omnium, Domine, fons bonorum, *ibid.*

Tunc detur ei virga. Accipe virgam virtutis & æquitatis, *&c. ibid.* *Tunc benedicat eum Dominus archiepiſcopus dicendo.*

Extendat omnipotens Dominus dextram ſuæ benedictionis & effundat ſuper te donum ſuæ protectionis, & circumdet muro felicitatis ac cuſtodia ſuæ propitiationis S. Mariæ & B. Petri apoſtolorum principis ſanctique Ambroſii atque omnium ſanctorum intercedentibus meritis. Amen. *Alia.*

Victorioſum te atque triumphatorem de inviſibilibus atque viſibilibus hoſtibus ſemper efficiat, & ſancti nominis ſui timorem pariter & amorem continuo cordi tuo infundat, & in fide recta ac bonis operibus perſeverabilem reddat & in pace diebus tuis conceſſa cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. Amen. *Alia.*

Benedic, Domine, hunc regem noſtrum qui regna omnium moderaris à ſæculo, & tali eum benedictione glorificæ, ut Davidica teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in ejus protinus reperiatur merito. Amen. *Alia.*

Honorifica eum præ cunctis regibus gentium, felix in populo dominetur, & feliciter eum omnes nationes adorent. Vivat inter gentium catervas magnanimus, ſit in judiciis æquitatis ſingularis. Amen.

Alia.

Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus ejus oriatur juſtitia, à te robuſtum regiminis ſolium teneat, & in æterno regno glorietur cum jocunditate & juſtitia. Amen. Quod ipſe præſtare.

Deinde coronatus honorifice deducatur ad ſolium, & accipiat ſtationem à Domino archiepiſcopo dicente ſic: Sta & retine à modo locum, *&c. ut apud Menardum.*

Poſt hæc detur ſibi pomum aureum cum cruce, & dicantur hæc verba: Accipe pomum aureum, quod ſignificat monarchiam omnium regnorum, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Et dicat Dominus archiepiſcopus omnibus audientibus: Rectitudo Regis, *&c. ut apud Menard.* *Et dicat rex tertio:* Sic fiat.

Tunc det Dominus archiepiſcopus pacem regi, & rex det pacem omnibus, & clerici decantent alta voce: Te Deum laudamus, &c.

ORDO AD BENEDICENDAM REGINAM.

Debet Regina adduci in eccleſiam cum honore, & in ipſo ingreſſu dicit Dominus archiepiſcopus hanc orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc intret eccleſiam & proſternat ſe ante altare ad orationem, & poſt puſillum:

puſillum ab epiſcopis elevata, inclinet caput ſuum, & archiepiſcopus conſecret eam hoc modo.

CAPUT IX. *De Bened. imperatorum.*

Deus qui ſolus habes immortalitatem, *&c. ut in Ordine Romano.*

Tunc ſuper ſcapulas ejus fundat Dominus archiepiſcopus oleum ſanctum ad modum crucis, & dicat hæc verba.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Proſit tibi hæc unctio olei in honorem & conſecrationem æternam.

Sequitur oratio.

Sancti Spiritus gratia humilitatis noſtræ officio, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hic detur ei anulus.

Accipe anulum fidei, ſignaculum ſanctæ Trinitatis, *&c. ut apud Menard. pag. 285. col. 1.*

Omnium fons bonorum Domine, *&c. ibid. col. 2.*

Hic coronetur dicendo :

Accipe coronam gloriæ; *&c. ibid.* *Sequitur.*

Officio indignitatis noſtræ, *&c. ut in Ordine Romano.*

Sequitur oratio ad complendum.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem Spiritum, &c. *ut apud Menard. p. 285. col. 1.*

Tunc Dominus archiepiſcopus miſſam celebret cum plena proceſſione.

Oratio ſuper populum.

Deus qui miro ordine univerſa diſponis, &c.

Epiſtolam & evangelium require in miſſa pro rege, & dicto evangelio Rex offerat panem & vinum ad manus Domini archiepiſcopi S. Sym.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui de plebe tua regni faſtigio famulum tuum H. dignatus es, &c.

Super oblata.

Concede quæſumus omnipotens Deus his ſacrificiis, &c.

Præfatium.

† Qui es auctor totius bonitatis, regum conſecrator, &c.

Benedictio archipræſulis.

Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te & ſicut voluit, &c.

Poſtcommunio.

Hæc, Domine, ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui H. peccatorum, &c.

Finita miſſa rex communicetur. Et ſic ait: Deo gratias.

ORDO VI.

Ad benedicendum Romæ imperatorem.

Ex ms. pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria an. 1214. *ſcripto.*

Incipit ordo qualiter rex Teutonicus Romam ad suscipiendam coronam imperii venire debeat, ibique per manum Romani pontificis imperatorem coronari.

Poſtquam enim à principibus ſuis electus fuerit in Regem & juxta morem inunctus, debet mittere honoratos nuncios de principibus quidem viros eccleſiaſticos & ſeculares ad Romanum pontificem, ſignificans ei tam per eos quam per litteras ſuas promotionem ſuam, & quod velit ſibi omnimodis obedire tamquam patri, & ad defenſionem eccleſiæ ſecundum ſcire ſuum ac poſſe omni vitæ ſuæ tempore viriliter ſtare. Hos ergo legatos Romanus pontifex recipere debet honorifice, & eorum dictis clementer & honorifice reſpondere. Quod ſi iidem nuncii diem ex parte domini ſui petant, quo Romam venire velit in imperatorem coronandus; tunc Romanus pontifex unum vel duos de fratribus ſuis cardinalibus ad ipſum mittere debet circa tempus quo ipſe Rex venturus eſt, ut ſimul cum ipſo Romam veniant. Eſt autem conſuetudo, ut antequam ingrediatur Italiam in præſentia cardinalium ſuper ſancta evangelia manu propria juret, cujus juramenti tenor & forma in Regiſtris Romanorum pontificum continetur.

Poſtquam vero Romam venerit, die qua coronandus eſt honorifice ſuſcipitur in proceſſione ab epiſcopis & cardinalibus Romanæ eccleſiæ in gradibus B. Petri, ibique oſculum pacis dat omnibus. Deinde hinc inde ſuſtentatus à duobus archiepiſcopis vel epiſcopis regni ſui cum venerit ad eccleſiam ſanctæ Mariæ in turri: ibi quoque aliud juramentum facit ſuper ſancta evangelia juxta morem prædeceſſorum ſuorum in præſentia cardinalium. Quo facto deducitur proceſſionaliter ſicut prius: & cum intraverit portam baſilicæ B. Petri, quæ quondam fuit argentea, & nunc quoque argentea vocatur: epiſcopus Albanenſis primam ſuper caput ipſius dat orationem dicens: Dominus vobiſcum. Oremus. Deus cujus in manu corda ſunt Regum, *&c. ut in Ordine Romano.*

In eumdem quoque modum epiſcopus Portuenſis dat ſecundam orationem in medio rotæ majoris, quæ primum occurrit infra eccleſiam B. Petri.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus inenarrabilis auctor mundi, *&c. ut in Ordine Romano, uſque ad illa verba incluſive*, ut ſemper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur.

Deinde deducitur ante confeſſionem B. Petri, ibique proſternit ſe pronum in terram, & archidiaconus facit letaniam. Qua finita epiſcopus Hoſtienſis vel in eodem loco, vel ante altare S. Mauricii, ſicut aliquando à multis

actum eſſe dicitur, debet ei inungere brachium dextrum de oleo exorcizato & inter ſcapulas, dicens hanc orationem.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Domine Deus omnipotens cujus omnis poteſtas, &c. *ut in Ord. Rom.*

Alia.

Deus Dei filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter qui à Patre oleo exultationis eſt unctus præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguinis infuſionem Spiritus Paracliti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eamdemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere & temporali regno juſtis miſerationibus exſecuto æternaliter regnare merearis qui ſolus ſine peccato Rex regum vivit & gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti.

Demum vero aſcendit ſurſum ad altare B. Petri, ibique Romanus pontifex dat ei nudum enſem ſic dicens:

Accipe gladium impeialem ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Et dat ei oſculum.*

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Et dat ei oſculum.*

Ipſe autem imperator acceptum gladium de manu pontificis primum vibrat, & ſtatim in vaginam reponit. Et tunc Romanus pontifex accingit eodem gladio eum ſic in vagina repoſito, ita dicens:

Conſequenter dat ei ſceptrum dicens.

Accipe ſceptrum regni, virgam videlicet virtutis & æquitatis, quo intelligas mulcere pios & terrere ſuperbos. Virga æquitatis, virga regni tui, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Tunc imponit diadema in capite ejus dicens:

Accipe ſignum gloriæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ut ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum omnium, ſic judicium & juſtitiam diligas, & ita miſericorditer vivas, ut ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto in conſortio ſanctorum æterni regni coronam percipias. Per. *Quo facto, dat ei oſculum.*

His ita peractis, Theutonicis in ſua lingua cantantibus laudes, Romanus pontifex aſcendit ad cathedram ſuam, & imperator deducitur ad locum quemdam honorabilem prope cathedram. Et tunc Romanus pontifex induitur veſtimentis pontificalibus, & peragit miſſam ordine ſuo.

MISSA PRO IMPERATORE.

Oratio.

Deus regnorum omnium, & Chriſtiani maxime protector imperii, da ſervo tuo imperatori noſtro triumphum virtutis tuæ ſcienter excolere, ut qui tua conſtitutione eſt princeps, tuo ſemper ſit munere potens. Per.

CAPUT IX.
De Bened. imperatorum.

Secreta.

Suſcipe, Domine, preces & hoſtias pro ſalute famuli tui N. ſupplicantis, & in protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut ſuperatis pacis inimicis, ſecura tibi ſerviat Romana libertas. Per.

Poſtcommunio.

Deus qui ad prædicandum æterni Regis evangelium, Romanum imperium præparaſti, prætende famulo tuo imperatori noſtro arma cæleſtia, ut pax eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per.

ORDO VII.

Ex mss. pontificalibus Conſtantinopolitano annorum 500. & Arelatenſi annorum 400.

INCIPIT ORDO AD BENEDICENDUM IMPERATOREM QUANDO CORONAM ACCIPIT.

Promiſſio imperatoris.

IN nomine Chriſti promitto, ſpondeo, atque polliceor ego N. imperator coram Deo & B. Petro me protectorem atque defenſorem eſſe hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ in omnibus utilitatibus in quantum divino fultus fuero adjutorio ſecundum ſcire meum & poſſe.

Dehinc orationem primam det Albanenſis epiſcopus ante portam argenteam baſilicæ B. Petri.

Deus in cujus manu corda ſunt regum, inclina ad preces, &c.

Orationem ſecundam Portuenſis epiſcopus intra eccleſiam B. Petri in medio Rota.

Deus inenarrabilis auctor, conditor generis humani, &c.

Deinde vadant ante confeſſionem S. Petri & coronandus proſternat ſe pronum in terram, & archidiaconus faciat letaniam, qua finita epiſcopus Hoſtienſis ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum & inter ſcapulas, dicens hanc orationem.

Domine Deus omnipotens, cujus eſt omnis poteſtas & dignitas, &c.

Sequitur oratio.

Deus Dei filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui ex Patre, &c.

Deinde vero pontifex ſurſum ante altare imponat ei diadema in capite dicens :

Accipe ſignum gloriæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ut ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum omnium, ſic judicium & juſtitiam diligas, & ita miſericorditer vivas, ut ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto in conſortio ſanctorum omnium regni coronam percipias. Qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit, &c.

(Hic deſinit pontificale Arelatenſe, at Conſtantinopolitanum poſt orationem Deus Dei Filius, hæc ſubjungit.)

His dictis, ante altare S. Mauritii procedit inunctus, & eſt ibi uſque epiſtolam & cantilenam fere peractam. Aliquibus tamen videtur ab Oſtienſi epiſcopo coram altari S. Mauritii, nec alias inungi. Interpolata ergo cantilena, coram altari B. Petri præſentatur inunctus Domino papa in ſupereminenti ſpecula reſidenti. Is itaque tunc ad ipſum altare deſcendit, & gladium vaginatum de altari ſumit, & inuncto tradit, curam intelligens imperii totius in gladio ſic dicens: Accipe gladium deſuper B. Petri corpore ſumptum. *His verbis expletis, accingit illi enſem iterans ita dictum:* Accingere gladio tuo ſuper femur, &c.

Mox ut coronandus accinctus enſe fuerit, eximit eum de vagina viriliterque ter illum vibrat, & vaginæ continuo recommendat. Eo igitur ſic accincto, & B. Petri milite mirabiliter facto, ſubſequenter apoſtolicus de altare, diademа ſumit, & ponit in capite coronandi, & dicit: Accipe diadema regni, coronam imperii, ſignum gloriæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.

Illico procidens imperator oſculatur apoſtolicos pedes. Quibus glorioſiſſime geſtis, apoſtolicus ad eminentiam remeat ſpeculæ tribunalis, & imperator ad faldiſtoriumſcandit, & in amplo gradu ſub Apoſtolici dextra preparatum, & poſt miſſam ad caſtra revertitur coronatus.

Sciendum quod peracta commonitione cum impoſitione diadematis, dicere ſi forte velit Apoſtolicus, valet orationes hujuſcemodi: Dominus vobiſcum. Proſpice quæſumus omnipotens Deus, ſerenis obtutibus, &c. Benedic, Domine, hunc principem noſtrum ill. &c. Deus Pater æternæ gloriæ ſit adjutor tuus, &c. *Miſſa pro imperatore.* Deus regnorum omnium.

IN BENEDICTIONE REGINÆ VEL IMPERATRICIS.

A*D ingreſſum eccleſiæ ſic oratur:* Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, &c. *Item benedictio ante altare.* Deus qui ſolus habes immortalitem, &c. *In ſacri olei unctione dicendum:* Spiritus-ſancti graria noſtræ humilitatis officio, *&c. Ad coronæ impoſitionem.* Officio noſtræ indignitatis.

ORDO VIII.

Ex mſ. codice Bigotiano.

COMMENT ON FAIT L'EMPEREUR DE ROMME.

PRemierement, l'Empereur ſe crée en deux manieres; c'eſt aſſavoir, l'une eſt par eſlection, l'autre eſt par force de gens d'armes ou d'amis. Ou auſſi peult ainſy grant renommée par le monde, de bonne vie, de vaillance, & de puiſſance, que commune renommée ſoit par tout que il eſt digne d'eſtre empereur, & que ſans contrainte les citez & pays de l'empire ſe mettent en ſon obeiſſance.

Caput IX. *De Bened. imperatorum.*

La premiere maniere de faire eſt par eſlection, quand les douze élećteurs de l'empire ſont d'accord de l'eſlire : C'eſt le duc de Bavieres, le duc d'Autherice, le duc de Saxogne, le duc de Bruſvic, le marquis de Maiſſo, le marquis de Brandebourg, le duc de Brebant, l'archeveſque de Tréves, l'eveſque de Mayance, l'eveſque de Paſſo, l'eveſque de Liege. Et quand l'empereur eſt eſlu par iceulx dux & prelats, il s'en doit aller à Nôtre-Dame d'Aix, & là ſe doit faire couronner par les princes & prelats deſſus nommez. Et par icelle couronne eſt empereur d'Allemaigne.

Et delà doit aller à Arle en Provence; & là doit mander le daufin de Vienne, le conte de Bourgogne, le conte de Provence, le conte de Geneve, le conte de Valentinois, l'Archeveſque de Beſençon, l'Archeveſque d'Ambrun, l'Archeveſque de Vienne, l'Archeveſque d'Arles, l'Eveſque de Valence, l'Eveſque de Loſenne. Et là à la grant Egliſe, ſe doit faire couronner par les princes & prelats deſſus nommez, & prendre les hommages d'iceulx princes & prelats, leſquels tiennent de la couronne d'Arle, & ainſi Roy d'Arle.

Aprés doit paſſer les monts & aller à Millan; & là doit mander le duc de Milan, le duc de Gennes, le duc de Veniſe, le prince de Pymont, le marquis de Montferrant, le marquis de Ferrare, le marquis de Saluce, le ſire de Luques, ceux de Florence & de Piſe, l'archeveſque de Milan & autres prelats, & ſe doit faire couronner par iceulx ſeigneur & prelats à S. Ambroiſe de Milan; & ſi doit prendre les hommages d'eulx, & ſe nommer roy de Lombardie.

Aprés doit paſſer les monts de Tuſcane, & doit venir à Romme; & là doit mander les ſenats, le prefet de Romme, ceulx de la Colonne, ceux des Volſins, les Sonelles, les Contes, & generalement tous ceulx qui tiennent du royaume des Romains, & le premier feal, & le roy de Cecile, le prefet, l'evêque de S. Jehan de Latran, qui eſt le pape. Le pape doit chanter la meſſe, & l'empereur doit dire l'evangile, & le roy de Cecile l'epiſtre. Mais ſe le roy de France s'y trouve, il la doit dire devant lui. Et doit eſtre couronné empereur en l'egliſe de Saint Pierre de Romme. Et doit aprés porter ſes couronnes à S. Jean de Latran. Et doit prendre les hommages du roy de Cecile & d'autres ſeigneurs & prelats. Ainſi ſe nomme roy des Romains, & ainſi eſt droit empereur; & s'il ne fait ce qui eſt cy eſcript, n'eſt point empereur, ſinon du royaume dont il eſt couronné.

CAPUT X.

De ſolemni regum benedictione.

CAPUT X. *De Bened. regum.*

Regum benedictio quam antiqua.

I. QUÆ de imperatoribus modo diximus, eadem fere omnia & de regibus aſſerenda ſunt : quorum benedictio haud minoris forte antiquitatis eſt, quam imperatorum. Antiquiſſima omnium, quas inter legendum mihi reperire licuit, ea eſt quæ à Columba abbate Hienſi facta eſt juſſu angeli in Aidanum Scotorum regem, cujus meminit Cumeneus Albus in Vita S. Columbæ n. 5. Sæc. I. Benedictino. Sed ea ſupponit hunc ritum tanquam uſu jam receptiſſimum, quippe ait angelum Domini ad dictum abbatem miſſum, *qui in manu vitreum ordinationis regum habebat librum :* Quæ verba plane innuunt jam antea reges ordinatos fuiſſe. Sed in Aidani benedictione illud ſingulare occurrit, quod non ab epiſcopo, ſed ab abbate fuerit ordinatus, qui *imponens manum ſuper caput ejus, ordinans benedixit* eum, ut habent Acta laudata.

II. Longe tardius in Galliis reges ſolemnem epiſcoporum benedictionem ſuſcepiſſe videntur, quippe ante Pippinum qui Sueſſione à Moguntino archiepiſcopo Bonifacio primum, deinde a Stephano papa apud S. Dionyſium unctus eſt in regem, nullus ab epiſcopis benedictus legitur; ſed omnes ut regni imperium adepti erant, à populis clypeo evecti, reges conſtituebantur.

III. At in Hiſpania multo antiquior eſt regum benedictio, ut pote cujus meminit concilium Toletanum VI. ante annos centum ſupra mille celebratum. Et certe Julianus Toletanus epiſcopus in Hiſtoria VVambæ regis teſtatur ipſum poſt electionem ſuam unctionis tempus in dies novemdecim diſtuliſſe, *ne citra locum ſedis antiquæ ſacraretur in principem.* Et concilium Toletanum XII. can. 1. aſſerit Hervigium VVambæ ſucceſſorem *regnandi per ſacroſanctam unctionem ſuſcepiſſe poteſtatem.* Verumtamen non multo ante hæc tempora veſte ſolioque regali uti ſolebant reges Hiſpaniæ. Nam Leuvigildus, teſtante S. Iſidoro in Hiſtoria Gothorum, [primus inter ſuos regali veſte opertus ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus communis ut genti, ita & regibus erat.] Hoc Leuvigildi exemplum in memoriam revocat ea quæ de Carolo Calvo Francorum rege narrant Annales Fuldenſes ad annum 876. [Carolus rex de Italia in Galliam rediens, novos & inſolitos habitus aſſumſiſſe perhibetur. Nam talari dalmatica indutus, & baltheo deſuper accinctus, pendente uſque ad pedes, necnon capite involuto ſerico velamine, ac diademate deſuper impoſito, Dominicis & feſtis diebus ad eccleſiam procedere ſolebat. Omnem enim conſuetudinem regum Francorum con-

Digitized by Google

Caput [illegible] De Ben[illegible] regum

temnens, græcas glorias optimas arbitrabatur.]

Qui ritus in ſolemni regum benedictione adhibiti.

IV. Quod ſpectat ad ritus in ſolemni regum benedictione obſervari ſolitos, iidem pene erant qui in benedictione imperatorum. Nam primo ſolemne edebant juramentum de tuenda conſervandaque fide catholica, de protegendis eccleſiæ miniſtris, deque gerendis cum omni æquitate & juſtitia populis ſibi commiſſis. Id plane videre eſt apud Julianum Toletanum archiepiſcopum in Hiſtoria VVambæ regis: [At ubi ventum eſt quo ſanctæ unctionis ſuſciperet ſignum in Prætorienſi eccleſia SS. Petri & Pauli, regio jam cultu conſpicuus, ante altare divinum conſiſtens, ex more fidem populis reddidit.] Hinc etiam concilium Toletanum VI. can. 3. [Quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quam inter conditionum ſacramenta pollicitus fuerit hanc ſe catholicam non permiſſurum eos (Judæos) violare fidem..... Ergo poſtquam ordine præmiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator hujus extiterit promiſſi, ſit anathema, maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni.] De juramento ab Egica rege præſtito de reddenda populis juſtitia, aliud habemus teſtimonium in concilio Toletano XV.

V. Hujuſmodi juramentum non verbo tantum, ſed ſcripto inſuper emiſſum ad altare deferebant Anglorum reges: id quod Henrico II. revocat in memoriam S. Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus in quadam epiſtola apud Matthæum *Paris* ad annum 1166. [Memores ſitis profeſſionis quam feciſtis, & poſuiſtis ſcriptam ſuper altare, de ſervanda eccleſiæ Dei libertate, quando in regem conſecrati fuiſtis.] Eamdem profeſſionem tertio repetebant Franciæ reges, uti videre eſt in ms. codice bibliothecæ regiæ, ritus & ordinem in regum inunctione obſervari ſolitos continente, quos infra exhibebimus.

Unctio regia quibus in corporis partibus fieret.

VI. Deinde recitatis poſt prædictum juramentum benedictionis precibus, ſacro inaugurabantur oleo, idque per manus epiſcoporum. Audi iterum Julianum in Hiſtoria VVambæ: [Curvatis genibus oleum benedictionis per ſacri Quirici pontificis manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur.] Ubi ſolius capitis inunctionis mentionem facit. Anglorum olim reges in capite, pectore & brachiis inungebantur, quod ſignificat gloriam ſanctitatem & fortitudinem, inquit S. Thomas Cantuarienſis in præcitata epiſtola. At vero regibus Franciæ novem inunguntur corporis partes, capitis ſummitas, pectus, inter ſcapulas, ſcapulæ ipſæ, brachiorum compages & manus utraque. Hi ex ſingulari privilegio non quolibet oleo, ſed ex cælitus miſſo conſecrari ſolent, ex ſacra ſcilicet ampulla quæ Remis in percelebri S. Remigii monaſterio ſervatur, cujus defectu alia adhibetur ampulla ex Turonenſi Majori-monaſterio quæ S. Martino olim ab angelo adlata memoratur, uti contigit in Henrici quarti benedictione Carnoti celebrata. In quodam ms. Pontificali Victorino duplex verticis habetur inunctio: præſcribit enim ut de exorcizato *oleo crux fiat ſuper caput ejus, & poſtea de chriſmate.*

VII.

VII. Demum inunctus rex virga, ſceptro, annulo, gladio, atque corona ornabatur. Quam quidem coronam olim non ſolo inunctionis die, ſed quotidie aut ſaltem frequentius geſtare ſolebant. Id certe colligitur ex Vita S. Nili cap. 20. apud Surium 26. Septembris, ex Vita S. Elizabeth lib. 1. cap. 4. ibid. 19. Novembris, ex Chronico Maurniacenſi, & ex Vita S. Lanfranci cap. 13. At vero Gotifridus Jeroſolymorum rex [quandiu vixit in corpore, adeo humiliatus eſt, ut in capite ſuo corona numquam uſus ſit, præ illius reveverentia, qui ſpineam in capite geſtavit coronam,] uti legitur in Hiſtoria Belli ſacri Muſæi Italici tom. 1. Eadem religione Henricus I. imperator Anceps dictus [coronam etiam ultro oblatam capiti ſuo imponere abjuravit, indignum ratus inde gloriam aucupari, unde Chriſtus ſuus fuiſſet illuſus,] ex Vita S. Bennonis Miſnenſis epiſcopi apud Surium 16. Junii. Sed neque S. Henricus umquam [inſignia regalia ſibi præſumſit imponere niſi clam confeſſionis ac pœnitentiæ verberum inſuper ſatisfactione licentiam à quolibet ſacerdotum ſuppliciter mereretur.] Ita in Vita S. Annonis Colonienſis epiſcopi lib. 1. cap. 6. apud Surium 4. Decembris. Huc referri poteſt id quod de S. Ludovico Francorum rege perhibet ejus Vita in ms. codice monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis. [Serta quoque de roſis ſeu alios capellos filios ſuos portare ſextis feriis prohibebat propter coronam ſpineam tali die impoſitam capiti Salvatoris.] Antequam vero hinc diſcedam juvat obſervare id quod ſcribit Nicolaus de Fractura in ſuo ſuper regulam S. Benedicti Commentario, hoſce duos verſiculos in corona regis Franciæ olim ſculptos fuiſſe.

Caput X. De Bened. regum.

Sicut in omne quod eſt menſuram ponere prodeſt
Sic ſine menſura non ſtabit regia cura

Ceterum ſi qui ſuperſunt ritus in benedictionibus regum exponendi, hi ex ſubjectis ordinibus facile intelligentur.

ORDO I.

Ad regem benedicendum & inungendum.

Ex ms. Pontificalibus Egberti Eboracenſis archiepiſcopi & Anglicano monaſterii Gemmeticenſis annorum 900.

MISSA PRO REGIBUS IN DIE BENEDICTIONIS EJUS.

ANt. Juſtus es, Domine, & rectum. *Pſal.* Beati immaculati.

Deus regnorum omnium & chriſtiani maxime protector imperii, da ſervo tuo regi noſtro N. triumphum virtutis ſuæ ſcienter excolere, ut cujus conſtitutione ſunt principes, ejus ſemper munere ſint poteſtates.

Lectio libri Levitici.

Hæc dicit Dominus Deus: Dabo pacem in finibus veſtris; dormietis

CAPUT X. *De Bened. regum.*

& non eſt qui exterreat; auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros: Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis; & perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum ex vobis decem millia; cadentque inimici veſtri in conſpectu veſtro gladio: reſpiciam vos, & creſcere faciam, & multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum, dicit Dominus omnipotens.

Grad. Salvum fac ſervum tuum. ℣. Auribus percipe Domine. Alleluia. Magnus Dominus. *Vel.* Domine in virtute tua.

Sequentia S. Evangelii ſecundum Matthæum.

In illo tempore Abeuntes Phariſæi conſilium, *&c. require retro in hebdomada xiii. evangel. in fer. v.*

Benedictio ſuper regem noviter electum.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, *&c. ut infra in quarto ordine. Alia.* Deus qui populis tuis, *&c. ibid. Alia.* In diebus ejus oriatur omnibus æquitas, *&c. ibid.*

* Hæc uſque ad *hic omnes pontifices*, &c. deſunt in cod. Gemeticenſi.

* *Add.* dicat orationem.

* *Hic verget oleum cum cornu ſuper caput ipſius cum antiphona:* Unxerunt Salomonem, *& pſal.* Domine in virtute tua. *Unus ex pontificibus* * *& alii unguant.*

Deus electorum fortitudo, *&c. ut ibid.*

Hic omnes pontifices cum principibus dant ei ſceptrum in manu.

Benedic, Domine, hunc præſulem principem qui regna regum omnium à ſæculo moderaris. Amen.

Et tali eum benedictione glorifica, ut Daviticum teneat ſublimitatis ſceptrum ſalutis, ut ſanctificatus protinus reperiatur in merita. Da ei à tuo ſpiramine cum manſuetudine ita regere populum ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum. Amen.

Tibi ſemper cum tremore ſit ſubditus, tibique militet, cum quieto regno ſit tuo clypeo protectus cum proceribus, & ubique maneat ſine pugna victor. Amen.

Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adverſis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus. Amen.

Vivat inter gentium catervas magnanimus. Sit ei in judiciis æquitas ſingularis. Amen,

Locupletet eum tua prædita dextra, frugalem contineat patriam & ſuis liberis tribuat profutura. Amen.

Da ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus ejus oriatur juſtitia. Amen.

A te robuſtum teneat regiminis ſolium, ut cum jocunditate & juſtitia æterno glorietur in regno. Amen.

Et præſta ut gentes illi teneant fidem, proceres ſui habeant pacem, diligantque caritatem. Amen.

Tu ejus mentem benignus inlabere, ut amore te timeat, & timore diligat. Amen.

Tu ei honor ſis, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore ſolatium, in ambiguitate conſilium, in itinere conſolator. Amen.

Tu in injuriis defenſor, in tribulatione patientia, in ægritudine medicina. Amen.

In te habeat omne conſilium, per te tuam diſcat à te commiſſam ſapientiam regni gubernacula moderari, ut ſemper felix, ſemper à te gaudens, de tuis mereatur beneficiis gratulari, & æternis valeat commerciis copulari. Amen.

Ut quem tu nobis hodie tua miſericordia jocundum præſentare dignatus es, tua facias multorum curriculis annorum protectione ſecurum. Amen.

Et ita populis iſte pullulet coalitus benedictione æternitatis, ut ſemper maneat tripudians in pace victorioſus. Amen.

Quod ipſe præſtare digneris qui cum æterno patre ſimul cum Spiritu-ſancto, vivis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

Hic datur ei baculum in manu ſua.

Omnipotens det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine abundantiam terræ, frumenti, & vini, & ſerviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur, & Deus erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, in montibus, & in collibus, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum, & uvarum, pomorumque; benedictiones patrum antiquorum Abraham, & Iſaac, & Jacob portatæ ſint ſuper te.

Hic omnes pontifices ſumant galeum & ponant ſuper caput ipſius.

Benedic, Domine, fortitudinem regis principis; & opera manuum illius ſuſcipe, & benedictione tua terra ejus de pomis repleatur, de fructu cæli & rore atque abyſſi ſubjacentis, de fructu ſolis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis æternorum collium, & de frugibus terræ & plenitudine ejus: benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput N. & plena ſit benedictio Domini in filiis ejus, & tinguat in oleo pedem ſuum cornuo renocerotis cornua illius in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ, quia aſcenſor cæli auxiliator ſuus in ſempiternum fiat. Per.

Et dicat omnis populus tribus vicibus cum epiſcopis & preſbyteris: Vivat rex N. in ſempiternum *. *Tunc confirmabitur cum benedictione omnis populus, & oſculandum principem in ſempiternum dicit* Amen. Amen. Amen. *Tunc dicunt orationem ſeptimam ſupra regem.*

Deus perpetuitatis auctor, dux virtutum omnium, cunctorumque hoſtium victor, benedic hunc famulum tuum tibi ſuum caput inclinantem. Effunde ſuper eum gratiam firmam, & in militia in qua probatus conſiſtit, prolixa ſanitate eum, proſpera felicitate conſerva, & ubicumque vel pro quibuſcumque auxilium tuum invocaverit, cito adſis, protegas, & defendas. Per.

* *Cod. Gemmeticenſis.* ℟. Amen. *Et veniet omnis populus ad oſculandum principem ſempiternum, tunc confirmabitur cum benedictione iſta.*

Offert. Exaudi Deus orationem meam.

Super oblata.

Suſcipe, Domine, preces & munera eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli

CAPUT X. *De Bened. regum.*

tui N. ſupplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut ſuperatis inimicis, ſecura tibi ſerviat chriſtiana libertas. Per.

Præfatio.

† Æterne Deus; qui providentia tua cæleſtia ſimul & terrena moderaris, propitiare Regi noſtro N. & rebus noſtris, ut omnis hoſtium fortitudo, te pro nobis pugnante frangatur. Per.

* *Cod. Gemetic.* In fractione.

* *Conjunctio.*

Hanc igitur oblationem; Domine, famuli tui N. quam tibi in myſterio officii ſacerdotalis offerimus, pro eo quod in ipſum poteſtatem regni conferre dignatus es propitius & benignus aſſume, & exoratus noſtra obſecratione concede, ut majeſtatis tuæ protectione confidens, & ævo augeatur & regno. Per Chriſtum, dieſque noſtros.

Communio. Inlumina faciem tuam.

Poſt communionem.

Deus qui ad prædicandum æterni regni evangelium chriſtianum imperium præparaſti, prætende famulis tuis nunc principibus noſtris arma juſtitiæ cæleſtia, ut pax eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per.

Ad populum.

Omnipotens ſempiterne Deus, noſtri regni defende regem atque rectores, ut in tua dextera confidentes, fiant hoſtibus ſuis fortiores univerſis. Per.

Primum mandatum regis ad populum hic videre potes.

Rectitudo regis eſt noviter ordinati & in ſolium ſublimati hæc tria præcepta populo chriſtiano ſibi ſubdito præcipere: in primis, ut eccleſia Dei & omnis populus chriſtianus veram pacem ſervent in omni tempore. Amen.

Alia.

Aliud eſt, ut rapacitates & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Amen.

Tertium eſt, ut in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiat, ut per hoc nobis indulgeat miſericordiam ſuam clemens & miſericors Deus. Amen.

ORDO II.

Ex Rogeri de Hoveden Annalium parte ſecunda.

ORDO CORONATIONIS RICHARDI REGIS ANGLIÆ.

IN primis venerunt epiſcopi & abbates & clerici multi induti cappis ſericis, præcedentibus eos cruce, cerofrariis, thuribulis cum aqua benedicta ad oſtium thalami regis interioris, & ibi receperunt prædictum Richardum ducem, qui coronandus erat, & duxerunt eum in eccleſiam VVeſtmonaſterii uſque ad altare majus cum ordinata proceſſione, & cantu glorioſo, & omnis via,

qua gradiebantur ab oſtio thalami regis, uſque ad altare cooperta erat pannis laneis. Ordo autem proceſſionis talis erat. In prima fronte præcedebant clerici induti portantes aquam benedictam & crucem & cereos & thuribulos. Deinde veniebant priores, deinde abbates, deinde epiſcopi, & in medio illorum ibant quatuor barones portantes quatuor candelabra aurea. Deinde venerunt Godefridus de Luci *portans pileum regium, & Johannes Mareſcallus juxta eum portans duo calearia aurea magna & ponderoſa. Deinde venerunt VVillelmus Mareſcallus comes* de Striguil *portans ſceptrum regale aureum, in cujus ſummitate eſt crux aurea & VVillelmus Patricii comes de* Saliſbirie *juxta eum geſtans virgam auream habentem in ſummitate columbam auream. Deinde venerunt David frater regis Scotiæ, comes* de Huntedun *& Johannes comes Moretonii frater ducis & Robertus comes Leiceſtriæ portantes tres gladios aureos regios ſumptos de theſauro regis, quorum vaginæ deſuper per totum auro contextæ erant. Medius autem illorum ibat comes Moretonii. Deinde veniebant ſex comites & ſex barones portantes in humeris ſuis unum * ſcaccarium magnum valde, ſuper quod poſita erant regalia inſignia & veſtes. Deinde veniebat VVillelmus* de *Mandivilla comes Albæ Marlia geſtans coronam auream magnam & ponderoſam lapidibus pretioſis undique decoratam. Deinde venit Richardus dux Normanniæ, & Hugo Dunelmenſis epiſcopus ibat à dextris illius, & Reginaldus Bathonienſis epiſcopus à ſiniſtris illius ibat, & quatuor barones portaverunt ſupra eos umbraculum ſericum ſuper quatuor lanceas proceras, & omnis turba comitum & baronum & militum & aliorum tam clericorum quam laicorum ſequebantur uſque in atrium eccleſiæ, & induti introierunt cum duce uſque in chorum. Cum autem dux ad altare veniret coram archiepiſcopis epiſcopis & clero & populo flexis genibus ante altare coram poſitis ſacroſanctis evangeliis & plurimorum ſanctorum reliquiis, ut moris eſt, juravit quod ipſe omnibus diebus vitæ ſuæ pacem & honorem atque reverentiam Deo & ſanctæ eccleſiæ & ejus ordinatis portaret. Deinde juravit quod rectam juſtitiam & æquitatem exerceret in populo ſibi commiſſo. Deinde juravit quod malas leges & conſuetudines perverſas, ſi quæ in regno ſuo inductæ ſunt, deleret, & bonas leges conderet, & ſine fraude & malo ingenio eas cuſtodiret. Deinde denudaverunt eum totum exceptis camiſia & braccis. (Camiſia autem diſſuta erat in ſcapulis). Deinde calceaverunt eum ſandaliis auro contextis. Deinde Baldevvinus Cantuarienſis archiepiſcopus infundens oleum ſanctum ſuper caput ejus unxit eum in regem in tribus locis, in capite, in pectore, & in brachiis, quod ſignificat gloriam, fortitudinem, & ſcientiam, cum orationibus ad hoc conſtitutis. Deinde poſuit idem archiepiſcopus ſuper caput ejus conſecratum pannum lineum & pileum deſuper, quod Godefridus* de Luci *portaverat. Deinde induerunt eum veſtimentis regalibus, primo videlicet tunica, deinde dalmatica, deinde tradidit ei idem archiepiſcopus gladium regni ad malefactores eccleſiæ comprimendos. Deinde duo comites calciaverunt ei calearia, quæ Johannes Mareſcallus portaverat, deinde indutus eſt mantea, deinde ductus eſt ad altare, & ibi prædictus archiepiſcopus prohibuit ei ex parte omnipotentis Dei ne hunc honorem ſibi aſſumeret niſi in mente haberet*

CAPUT X. *De Bened. regum.*

* al. ſaccarium.

CAPUT X. De Bened. regum.

ſupradicta ſacramenta & vota quæ fecerat inviolabiliter ſervare; & ipſe reſpondit ſe per auxilium Dei omnia ſupradicta ſervaturum ſine fraude. Deinde ipſe cœpit coronam de altari, & tradidit eam archiepiſcopo, & archiepiſcopus tradidit ei, & poſuit eam ſuper caput illius, quam duo comites ſuſtinebant propter ponderoſitatem ipſius. Deinde tradidit ei ſceptrum regale in manu dextra, & virgam regalem in ſiniſtra, & rex ſic coronatus ductus eſt ad ſedem ſuam à prædictis Dunelmenſi & Bathonienſi epiſcopis, præcedentibus eos ceroferariis & prædictis tribus gladiis. Deinde inchoata eſt miſſa Dominicalis, & cum perveniretur ad offertorium, prædicti epiſcopi duxerunt eum ad altare, & ipſe obtulit unam marcam auri puriſſimi. Talis enim oblatio decet regem in ſingulis coronationibus ſuis, & præfati epiſcopi reduxerunt eum ad ſedem ſuam. Celebrata autem miſſa, & omnibus rite peractis, prædicti duo epiſcopi unus à dextris & alter à ſiniſtris reduxerunt eum coronatum & portantem ſceptrum in dextra & virgam regalem in ſiniſtra ab eccleſia uſque in thalamum ſuum, præcedente ordinata proceſſione, ut ſuperius. Deinde reverſa eſt proceſſio in chorum, & Dominus rex depoſuit coronam regalem & veſtes regales, & leviores coronam & veſtes ſumpſit, & ſic coronatus venit prandere, & archiepiſcopi & epiſcopi ſederunt cum eo in menſa unuſquiſque ſecundum ordinem & dignitatem ſuam. Comites autem & barones ſerviebant in domo regis prout dignitates eorum exigebant. Cives vero Londonenſes ſervierunt de pincernaria, & cives VVintonienſes de coquina.

ORDO III.

Ex ms. libro Sacramentorum inſignis eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis.

ORATIO AD REGEM BENEDICENDUM.

DOmine Deus, Pater omnipotens, hunc famulum tuum ill. tuæ majeſtati ſubjectum per unicum filium tuum in virtute Sancti Spiritus benedic ac protege, ut ab omni adverſitate ſecurus in tua jugiter laudetur. Per eumdem.

Conſecratio regis.

Deus honorum omnium dator, Deus omnium dignitatum piiſſimus diſtributor, adeſto precibus & invocationibus noſtris, & emittere digneris ſuper hunc famulum tuum ill. Spiritum tuum de cælis, quem hodierna die in filium adoptionis effudiſti, qui illuminet, doceat, & gubernet eum ad regendum populum tuum & ad perficiendam in omnibus voluntatem tuam. Accipiat, quæſumus Domine, unctionem ſanctificationis tuæ, qui per manus ſancti prophetæ tui Samuelis regem & prophetam David oleo benedictionis tuæ unxiſti, de cujus poſtmodum ſemine filium tuum, Dominum & Deum noſtrum Jeſum Chriſtum ex intemerata Virgine carne progenitum admirabili prorſus diſpenſatione ad ſalutem credentium miſiſti in mundum. Adſit ei, quæſumus, miſe-

ricordiſſime Pater, eadem ſancta Dei Genitrix & immaculata Virgo Maria, ſanctique tui Apoſtoli, omneſque electi tui, & aſſidua precum ſuarum interceſſione hunc famulum tuum ill. tueantur, foveant, ac ſtrenuum & idoneum efficiant ad regendam plebem & populum tuum, quem tu, Domine, pretioſiſſimo Chriſti Filii tui Sanguine redemiſti, qui tecum & cum Spiritu-ſancto vivit, & gloriatur, & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum.

Ad complendum.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, &c.

Petitio epiſcoporum ad regem.

A vobis perdonari & promitti nobis petimus, ut unicuique noſtrum & eccleſiis nobis commiſſis canonicum privilegium & debitam legem atque juſtitiam conſervetis, & contra deprædatores eccleſiarum noſtrarum & rerum ad eaſdem pertinentium defenſionem ſecundum miniſterium veſtrum quantum poſſe vobis dederit exhibeatis, & jus eccleſiaſticum & legem canonicam nobis ita conſervetis, & res eccleſiarum noſtrarum tam à regibus quam à reliquis Dei fidelibus collatas ſub integritate & immunitate abſque aliqua minoratione permanere concedatis, quas modo juſte & legaliter noſtræ retinent eccleſiæ, & eas augmentare & exaltare ſecundum debitum uniuſcujuſque ſervitium prout ſcire & poſſe vobis Deus rationabiliter dederit & tempus dictaverit ſtudeatis, ſicut veſtri anteceſſores, qui hoc bene & rationabiliter obſervaverunt, noſtris prædeceſſoribus conſervaverunt. Et quæ retro maloque ſunt ingenio depravata in meliorem & priſtinum gradum adjuvante vos divina clementia reformetis cum noſtro aliorumque veſtrorum fidelium conſilio & auxilio.

In alio autem folio iſthæc habetur benedictio.

Benedictio cum rex elevatur in regnum.

PRoſpice, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus hunc glorioſum regem ill. & fac illum tibi ſemper eſſe devotum. Amen.

Ut illo regnante ſit ſanitas corporum in patria, & in regno pax ſemper inviolata. Amen.

Tribue ei omnipotens Deus ut ſit fortiſſimus protector patriæ, & conſolator eccleſiarum ſanctorumque cœnobiorum maxima cum pietate regalis munificentiæ. Amen.

ORDO IV.

Ad benedicendum regem Francorum.

Ex manuſcripto codice Ratoldi abbatis Corbeienſis.

INcipit percunctatio ſive electio epiſcoporum ac clericorum, necnon populorum ad regem conſecrandum ſive ad benedicendum.

Ammonitio epiſcoporum vel clericorum ſeu populorum ad regem dicenda ita legatur ab uno epiſcopo coram omnibus.

A vobis perdonari petimus, ut unicuique de nobis, & eccleſiis nobis commiſſis canonicum privilegium ac debitam legem atque juſtitiam conſervetis, & defenſionem exhibeatis, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

Reſponſio regis.

Promitto vobis & perdono, quia unicuique de vobis & eccleſiis vobis commiſſis canonicum privilegium & debitam legem atque juſtitiam ſervabo, & defenſionem quantum potuero adjuvante Domino exhibebo, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

Deinde alloquantur duo epiſcopi populum in eccleſia inquirentes eorum voluntatem, & ſi concordes fuerint, agant Deo gratias omnipotenti decantantes Te Deum laudamus*: Et duo epiſcopi accipiant eum per manus, & deducant ante altare, & proſternet ſe uſque ad finem* Te Deum laudamus.

Invocatio ſuper regem.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; ut hunc famulum tuum N. quem tuæ divinæ diſpenſationis providentia in primordio plaſmatum, uſque ad hunc præſentem diem juvenili flore lætantem creſcere conceſſiſti, eum tuæ pietatis dono ditatum plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo & hominibus ad meliora ſemper proficere facias: ut ſummi regiminis ſolium gratiæ ſupernæ largitate gaudens ſuſcipiat, & miſericordiæ tuo muro ab hoſtium adverſitate undique munitus plebem ſibi commiſſam cum prece propitiationis, & virtute victoriæ feliciter regere mereatur. Per Dominum.

Item oratio.

Deus, qui populis tuis virtute conſulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo Spiritum ſapientiæ cum regimine diſciplinæ: ut tibi toto corde devotus in regni regimine maneat ſemper idoneus, tuoque munere ipſius temporibus ſecuritas eccleſiæ dirigatur, & in tranquillitate devotio chriſtiana permaneat: ut in bonis operibus perſeverans ad æternum regnum te duce valeat pervenire.

Alia.

In diebus ejus oriatur omnibus æquitas & juſtitia, amicis adjutorium, inimicis

inimicis obſtaculum, humilibus ſolatium, elatis correctio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax & ſecuritas, unicuique ſecundum ſuam menſuram moderate gubernans, ſeipſum ſedulus diſcat, ut tua irrigatus compunctione toti populo tibi placita præbere vitæ poſſit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens ſibi ſubdito opes frugales abundanter acquirat ſimul ad ſalutem non ſolum corporum, ſed etiam cordium à te conceſſam cuncta accipiat. Sicque in te cogitatum animi conſiliumque omne componens, plebis gubernacula cum pace ſimul & ſapientia ſemper invenire videatur; teque auxiliante præſentis vitæ prolixitatem percipiat; & per tempora bona uſque ad ſummam ſenectutem perveniat; hujuſque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largitate liberatus, & infinitæ proſperitatis præmia perpetua, angelorumque æterna commercia conſequatur. Per.

CAPUT X. *De Bened. regum.*

Conſecratio regis.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & gubernator cœli & terræ; conditor & diſpoſitor angelorum & hominum, Rex regum & Dominus dominorum, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti, Moyſi & Joſue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti: humilem quoque David puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, eumque de ore leonis, & de manu beſtiæ atque Goliæ, ſed & de gladio maligno Saül, & omnium inimicorum ejus liberaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque ineffabili munere ditaſti: reſpice propitius ad preces noſtræ humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum, quem ſupplici devotione in regnum N. Albionis totius videlicet Francorum pariter eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ ſemper ubique circumda: quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſi manſuetudine fretus, Joſue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis ſapientiâ decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem juſtitiæ inoffenſo greſſu ſemper incedat: & totius Albionis eccleſiam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat, & inſtruat, contraque omnes viſibiles, & inviſibiles hoſtes idem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine amminiſtret, ut regale ſolium videlicet Francorum ſceptra non deſerat, ſed ad priſtinæ fidei paciſque concordiam eorum animos te opitulante reformet: ut utrorumque horum populorum debita ſubjectione fultus, condigno amore glorificatus, per longum vitæ ſpatium paternæ apicem gloriæ tua miſeratione unatim ſtabilire, & gubernare mereatur: tuæ quoque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili jugiter protectus, armiſque cæleſtibus circundatus, optabilis victoriæ triumphum de hoſtibus feliciter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet: virtutibus necnon quibus præfatos fideles tuos decoraſti multiplici honoris benedictione condecora, & in regimine regni ſublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus-ſancti perunge. HIC UNGATUR OLEO. *Antiph.*

Digitized by Google

Unxerunt Salomonem Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gion, & accedentes læti dixerunt, vivat rex in æternum. Unde unxiſti ſacerdotes, reges & prophetas, ac martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, atque adempti ſunt promiſſiones. Cujus ſacratiſſima unctio ſuper caput ejus defluat, atque ad interiora deſcendat, & cordis illius intima penetret: & promiſſionibus, quas adepti ſunt victorioſiſſimi reges, gratia tua, dignus efficiatur: quatenus, & in præſenti ſæculo feliciter regnet, & ad eorum conſortium in cœleſti regno perveniat per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui unctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, & virtute crucis poteſtates aëreas debellavit, tartara deſtruxit, regnumque diaboli ſuperavit, & ad cœlos victor aſcendit; in cujus manu victoria, omnis gloria & poteſtas conſiſtunt, & tecum vivit & regnat Deus in unitate ejuſdem Spiritus. Per.

Alia.

Deus electorum fortitudo & humilium celſitudo, qui in primordio per effuſionem diluvii crimina mundi caſtigare voluiſti, & per columbam ramum olivæ portantem pacem terris redditam demonſtraſti; iterumque Aaron famulum tuum per unctionem olei ſanxiſti, & poſtea per hujus unguenti infuſionem ad regendum populum Iſraëliticum ſacerdotes, reges, & prophetas perfeciſti, vultumque eccleſiæ in oleo exhilarandum per propheticam famuli tui vocem David eſſe prædixiſti: ita, quæſumus, omnipotens Pater, per hujus creaturæ pinguedinem hunc ſervum tuum ſanctificare tua benedictione digneris, eumque in ſimilitudine columbæ pacem ſimplicitatis populo ſibi commiſſo præſtare, & exempla Aaron in Dei ſervitio diligenter imitari, regnique faſtigia in conſiliis ſcientiæ, & æquitate judicii ſemper adſequi, vultumque hilaritatis per hanc olei unctionem, te adjuvante, totius plebis paratum habere facias.

Alia.

Deus Dei Filius Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguinis infuſionem Spiritus Paracliti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & * temporalia regna juſtis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis. Per.

* l. temporali regno, *ut in coronatione Henr. IV.*

Hic detur anulus.

Accipe anulum ſignaculum videlicet ſanctæ fidei, ſoliditatem regni, augmentum potentiæ per * quæ ſcias triumphali potentia hoſtes repellere, hæreſes deſtruere, ſubditos coadunare, & catholicæ fidei perſeverabilitati connecti. Per.

* l. quem, *ut in coronatione Henr. IV.*

Oratio poſt anulum datum.

Deus, cujus eſt omnis poteſtas & dignitas, da famulo tuo pro Spiritu ſuæ dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, ſemperque timeat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Hic cingatur ei gladius ab archiepiſcopo.

Accipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus-ſancti reſiſtere, & ejicere omnes inimicos tuos valeas, & cunctos ſanctæ Dei eccleſiæ adverſarios, regnumque tibi commiſſum tutari, atque protegere caſtra Dei per auxilium invictiſſimi triumphatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre in unitate Spiritus-ſancti vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

CAPUT X. *De Bened. regum.*

Oratio poſt gladium.

Deus qui providentia tua cœleſtia ſimul, & terrena moderaris, propitiare Chriſtianiſſimo Regi noſtro, ut omnis hoſtium ſuorum fortitudo virtute gladii ſpiritalis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur. Per.

Hic coronetur.

Coronet te Deus corona gloriæ, atque juſtitiæ honore, & opere fortitudinis: ut per officium noſtræ benedictionis cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu ad coronam pervenias regni perpetui, ipſo largiente, cujus regnum permanet in ſæcula ſæculorum.

Oratio poſt coronam.

Deus perpetuitatis dux virtutum, cunctorum hoſtium victor, benedic hunc famulum tuum tibi caput ſuum inclinantem, & prolixa ſanitate, & proſpera felicitate eum conſerva, & ubicunque pro quibus auxilium tuum invocaverit, cito adſis, & protegas atque defendas. Tribue ei, quæſumus Domine, divitias gratiæ tuæ. Comple in bonis deſiderium ejus; corona eum in miſeratione, & miſericordia, tibique Domino pia devotione famuletur. Per Dominum.

Hic detur ſceptrum.

Accipe ſceptrum regiæ majeſtatis inſigne, virgam ſcilicet rectam regni, virgam virtutis, qua te ipſum bene geras, ſanctam eccleſiam populumque Chriſtianum tibi à Deo commiſſum regia virtute ab improbis defendas: pravos corrigas, rectos pacifices: & ut viam rectam tenere poſſint, tuo juvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias: ipſo adjuvante, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.

Oratio poſt ſceptrum.

Omnium, Domine, fons bonorum, cunctorumque Deus inſtitutor profectuum, tribue quæſumus, famulo tuo ill. adeptam bene gerere dignitatem, & à te ſibi præſtitutum honorem dignare corroborare. Honorifica eum præ cunctis regibus terræ: uberi eum benedictione locupleta, & in ſolio regni firma ſtabilitate conſolida: viſita eum in ſobole, præſta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus ſemper oriatur juſtitia, ut cum jocunditate & lætitia æterno glorietur in regno. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Tunc datur ei virga.

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos. Errantı viam doce, lapſiſque manum porrige,

CAPUT X. *De Bened. regum.*

diſperdaſque ſuperbos, & releves humiles; & aperiat tibi oſtium Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſeipſo ait: *ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Et ipſe, qui eſt clavis David, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit, ſit tibi adjutor, qui educit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & umbra mortis: ut in omnibus ſequi merearis eum, de quo propheta David cecinit: *Sedes tua Deus, in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui:* & imitando ipſum, qui dicit: diligas juſtitiam, & odio habeas iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, ad exemplum illius quem ante ſæcula unxerat præ participibus ſuis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Tunc dicatur benedictio.

Extendat omnipotens Deus dexteram ſuæ benedictionis, & effundat ſuper te donum ſuæ protectionis, & circundet te muro felicitatis, ac cuſtodia ſuæ propitiationis, ſanctæ Mariæ, ac beati Petri apoſtolorum principis, ſanctique Gregorii angelorum apoſtolici atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis, indulgeat tibi Dominus omnia mala quæ geſſiſti. *Amen.*

Et tribuat tibi gratiam & miſericordiam quam humiliter ab eo depoſcis, & liberet te ab adverſitatibus cunctis, & ab omnibus viſibilium & inviſibilium inimicorum inſidiis. *Amen.*

Angelos ſuos bonos ſemper & ubique, qui te præcedant, comitentur, & ſubſequantur, ad cuſtodiam tui ponat, & à peccato ſeu gladio, & ab omnium periculorum diſcrimine ſua potentia liberet. *Amen.*

Inimicos tuos ad pacis caritatiſque benignitatem convertat, & bonis omnibus te gratioſum, & amabilem faciat, pertinaces quoque in tui inſectatione, & odio confuſione ſalutari induat; ſuper te autem ſanctificatio ſempiterna floreat. *Amen.*

Victorioſum te atque triumphatorem de inviſibilibus atque viſibilibus hoſtibus ſemper efficiat: & ſancti nominis ſui timorem, & amorem continuo cordi tuo infundet, & in fide rectâ, ac bonis operibus perſeverabilem reddat, & pace in diebus tuis conceſſa, cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. *Amen.*

Et qui te voluit ſuper populum ſuum conſtituere regem, & in præſenti ſæculo felicem æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur.

Item alia benedictio.

Benedic, Domine, hunc præſulem principem, qui regna omnium regum à ſæculo moderaris. *Amen.*

Et tali eum benedictione glorifica; ut * Davitica teneat ſublimitate ſceptrum ſalutis, & ſanctificæ propitiationis munere reperiatur locupletatus. *Amen.*

* *al.* Davidica.

Da ei à tuo ſpiramine regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur.

Regis ſtatus deſignatur.

Sta & retine à modo locum quem hucuſque paterna * ſuggeſtione tenuiſti hæreditario jure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & per præſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet epiſcoporum, ceterorumque Dei ſervorum : & quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris : quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem cleri, & plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in regnum æternum ſecum regnare faciat Jeſus Chriſtus Dominus noſter Rex regum, & Dominus dominantium, qui cum Patre & Spiritu-ſancto. *f. ſucceſſione.

Rectitudo regis eſt noviter ordinati, & in ſolium ſublimati hæc tria populo chriſtiano ſibi ſubdito præcipere, in primis ut eccleſia Dei & omnis populus chriſtianus veram pacem † ſervans in omni tempore. † l. ſervet. Aliud eſt, ut rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium eſt, ut in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiat; ut illi & nobis indulgeat ſua miſericordia clemens, & miſericors Deus, qui cum Patre.

Et tunc deoſculetur omnem clerum populumque : & dicat unuſquiſque Vivat rex feliciter in ſempiternum, *tribus vicibus*, vivat rex, *ut ſupra, & poſt evangelium offerat rex ad manum archiepiſcopi oblationem & vinum, & ſic peragatur miſſa ſuo ordine. Deinde communicetur ab archiepiſcopo Corpore & Sanguine Chriſti : & ſic referant Deo gratias. Poſt pergant ad menſam.*

Item ad reginam benedicendam.

Debet enim adduci in eccleſiam, & proſterni ante altare. Elevata ab oratione ab epiſcopis, & inclinato capite, dicat archiepiſcopus hanc orationem.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Tunc debet caput ejus ungui oleo.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, proſit tibi hæc unctio olei in honorem & confirmationem æternam.

Sequitur oratio poſt unctionem.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis ſuper famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde, ut quæ per manus noſtræ impoſitionem hodie regina inſtituitur, ſanctificatione tua digna & electa permaneat; ut nunquam poſtmodum de tua gratia ſeparetur indigna. Per.

Tunc debet ei anulus mitti digito.

Accipe fidei ſignaculum ſanctæ Trinitatis, quo poſſis omnes pravitates hæreticas devitare, & barbaricas gentes virtute tibi ¶ præſtitere ad agnitionem veritatis advocare. ¶ l. præſtita.

Sequitur oratio.

Deus cujus eſt omnis poteſtas & dignitas, da famulæ tuæ ill. ſigno tuæ fidei proſperum ſuæ dignitatis effectum, qua tibi ſemper firma maneat, tibique jugiter placere contendat.

Tunc debet imponi corona in capite.

Accipe coronam gloriæ, honorem jocunditatis, ut ſplendida fulgeas, & æterna exultatione coroneris. Per Dominum.

Item oratio.

Omnium, Domine, fons bonorum, & cunctorum dator provectuum, tribue famulæ tuæ ill. adeptam bene gerere dignitatem, & à te ſibi præſtitam in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per Dominum.

ORDO V.

Ad benedicendum regem Francorum.

Ex ms. bibliotheca regia n. 4464. ante annos 400. ſcripto.

INCIPIT ORDO AD CONSECRANDUM ET CORONANDUM REGEM.

P*Aratur primo ſolium in medio chori. Exeunte autem rege de thalamo dicitur hac oratio ab uno epiſcoporum.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, ut ita in hujus ſæculi curſu cunctorum in commune ſalutem diſponat, quòd à tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

Poſtea ducitur proceſſionaliter ad eccleſiam cantando ℟. Ecce mitto angelum meum, &c. *Ad oſtium eccleſiæ ſubſiſtant archiepiſcopus & epiſcopi; & archiepiſcopus hanc orationem dicat:*

Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus qui ſcis humanum genus nulla ſua virtute poſſe ſubſiſtere: concede propitius, ut famulus tuus N. quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur adjutorio, quatenus quibus potuit præeſſe valeat & prodeſſe. Per.

Introeuntes autem eccleſiam cantent hanc antiphonam: Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te. *Uſque in introitum chori. Pſ.* Exaudiat, &c.

Tunc metropolitanus dicat hanc orationem:

Dominus vobiſcum. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cæleſtium, terreſtriumque moderator, qui famulum tuum N. ad regni faſtigium dignatus es provehere: concede quæſumus, ut à cunctis adverſitatibus liberatus, eccleſiaſticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per.

Poſt primam cantatam debet rex venire in eccleſia antequam fiat aqua

benedicta, & debent eſſe ſedes diſpoſita circa altare, ubi honorifice ſedeant archiepiſcopi & epiſcopi, & regni pares ſedeant ſeorſum ab oppoſitis altaris.

Inter Primam & Tertiam debet abbas S. Remigii Remenſis proceſſionaliter cum crucibus & cereis deferre reverentiſſime ſacroſanctam ampullam ſub corona ſerica quatuor perticis à quatuor monachis albis indutis ſublevata. Cum autem venerit archiepiſcopus ad altare debet vel ipſe vel aliquis de epiſcopis pro omnibus & eccleſiis ſibi ſubditis à rege petere ut promittat & juramento firmet ſe obſervaturum eſſe jura epiſcoporum & eccleſiarum, ita dicendo:

A vobis perdonari cupimus, ut nobis & eccleſiis noſtris canonicum privilegium ac debitam legem, atque juſtitiam conſervetis ac defendatis.

Reſponſio regis.

Promitto vobis quod vobis & eccleſiis veſtris canonicum privilegium & debitam legem atque juſtitiam ſervabo, & defenſionem quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

Poſtea inquirant alte duo epiſcopi aſſenſum populi. Quo habito, cantent Te Deum; *& proſternat ſe uſque in finem. Cantato* Te Deum, *erigatur rex de ſolo ab epiſcopis, & hæc promittens dicat:*

Hæc tria populo chriſtiano & mihi ſubdito in Chriſti nomine promitto, in primis ut eccleſiæ Dei omnis populus chriſtianus veram pacem noſtro arbitrio ſervet in omni tempore. Secundo ut omnes rapacitates & iniquitates interdicam. Tertio ut in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiam. *Dicant omnes* Amen.

Poſtea proſternat ſe rex humiliter totus in cruce, & cum epiſcopis & preſbyteris hinc inde proſtratis, ceteris in choro breviter pſallentibus letaniam quæ ſequitur Kyrie eleiſon, &c.

Finita autem letania, erigant ſe. Sublatus vero princeps interrogetur à Domino metropolitano hoc modo:

Vis fidem ſanctam à catholicis viris tibi traditam tenere & operibus juſtis obſervare? *Reſponſio regis:* Volo.

Iterum metropolitanus. Vis ſanctis eccleſiis eccleſiarumque miniſtris tutor & defenſor eſſe? *Reſponſio regis:* Volo.

Item metropolitanus. Vis regnum tuum à Deo conceſſum ſecundum juſtitiam Patrum tuorum regere & defendere? *Reſponſio regis:* Volo & in quantum divino fultus adjutorio, ſolatio omnium eſſe valuero, ita me per omnia fideliter acturum eſſe promitto.

Si ſanctas Dei eccleſias ac rectores eccleſiarum nec non & cunctum populum ſibi ſubjectum juſte ac religioſe regali providentia juxta morem patrum ſuorum defendere ac regere velit; illo autem profitente in quantum divino fultus adjutorio ac ſolatio omnium ſuorum valuerit, ita ſe per omnia fideliter acturum: Ipſe autem epiſcopus affatur populum ſi tali principi ac rectori ſe ſubjicere, ipſiuſque regnum firma fide ſtabilire, atque juſſionibus illius obtemparare velint, juxta apoſtolum, qui dicit, omnis anima pote-

ſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, regi quaſi præcellenti. *Tunc ergo à circumſtante clero & populo unanimiter, dicatur*, fiat, fiat. Amen.

Poſtea vero illo devote inclinato, dicatur ab uno epiſcopo hac oratio.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Benedic, Domine, hunc regem noſtrum N. qui regna omnium moderatis à ſæculo, & tali benedictione glorifica, ut Davidicæ teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in ejus protinus inveniatur merito. Da ei tuo inſpiramine cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum. Tibi ſemper cum timore ſit ſubditus, tibique militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, & ubique tua gratia victor exiſtat. Honorifica eum præ cunctis regibus gentium, felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent: Vivat inter gentium catervas magnanimus. Sit in judiciis æquitatis ſingularis, locupletet eum tua prædives dextra, frugiferam obtineat patriam, & ejus liberis tribuas profutura. Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, ut in diebus ejus oriatur juſtitia. A te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum jucunditate & juſtitia æterno glorietur in regno. Per.

Deinde ab uno epiſcoporum dicatur hac oratio.

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici patriarchæ noſtri Abrahæ prælegiſti reges ſæculi profuturos. Tu præſentem regem hunc N. cum exercitu ſuo per interceſſionem B. Mariæ ſemper Virginis & omnium ſanctorum ubere benedictione locupleta, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte: viſita eum ſicut Moyſen in rubo, Joſue in prælio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, & illum cum benedictione ſiderea ac ſapientiæ tuæ rore perfunde, quam Beatus David in pſalterio, Salomon filius ejus te remunerante percepit è cœlo. Sis ei contra inimicorum acies, in adverſis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus, & præſta ut gentes illi teneant fidem, proceres ſui habeant pacem, diligant caritatem, abſtineant ſe à cupiditate, loquantur juſtitiam, cuſtodiant veritatem, & ita populus iſte ſub ejus imperio pullulet, coalitus benedictione æternitatis, ut ſemper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipſe præſtare, &c.

Poſtmodum poſitis ſuper altare corona regia, gladio in vagina incluſo, calcaribus aureis, ſceptro deaurato, & virga ad menſuram unius cubiti vel amplius habente, deſuper manum eburneam, item caligis ſericis & jacintinis, intextis per totum liliis aureis & tunica ejuſdem coloris & operis in modum tunicalis, quo induuntur ſubdiaconi ad miſſam, nec non & ſocco prorſus ejuſdem coloris & operis, qui factus eſt fere in modum cappæ ſericæ abſque capparone, quæ omnia abbas S. Dionyſii in Francia de monaſterio ſuo debet Remis apportare, & ſtans ad altare cuſtodire. Rex autem ad altare ſtans deponit veſtes ſuas præter tunicam ſericam bene profunde apertas ante in pectore, & retro in dorſo, videlicet inter ſcapulas aperturis tunicæ ſibi invicem

invicem connexis anſulis argenteis. Tunc in primis ibi à magno Camerario Franciæ regi dictæ caligæ calceantur, & poſtmodum à duce Burgundiæ calcearia ejus pedibus aſtringuntur, & ſtatim tolluntur, poſtmodum rex à ſolo archiepiſcopo gladio cum vagina accingitur. Quo accincto, idem gladius de vagina ab archiepiſcopo extrahitur, vagina ſuper altare repoſita, & datur ei ab archiepiſcopo in manibus, quem debet rex humiliter afferre ad altare, & ſtatim reſumere de manu epiſcopi, & incontinenti dare Seneſcallo Franciæ ad portandum ante ſe & in eccleſia uſque ad finem miſſæ, & poſt miſſam cum ad palatium vadit.

His ita geſtis, chriſmate in altari ſuper patenam conſecratam præparato, debet archiepiſcopus ſacroſanctam ampullam ſuper altare aperire, & inde cum acu aurea aliquantulum de oleo cælitus miſſo attrahere, & chriſmati parato diligentius immiſcere ad inungendum regem, qui ſolus inter univerſos reges terræ hoc glorioſo præfulget privilegio, ut oleo cælitus miſſo ſingulariter inungatur.

Tunc diſſutis anſulis aperturarum ante & retro, genibus in terram poſitis, primo archiepiſcopus cum eodem oleo inungit regem in ſummitate capitis, ſecundo in pectore, tertio inter ſcapulas, quarto in ſcapulis, quinto in compagibus brachiorum dicens:

Ungo te in regem de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. *Dicant omnes*, Amen. *Et cantatur hæc antiphona:* Unxerunt Salomonem Sadoc ſacerdos & Nathan propheta regem in Gyhon, & accedentes læti dixerunt: Vivat rex in æternum. *Dum cantatur hæc antiphona, dicit baſſe archiepiſcopus:* Chriſte perunge hunc regem in regimen.

Oratio

Unde unxiſti ſacerdotes, reges, prophetas, ac martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam & adepti ſunt promiſſiones, tua ſacratiſſima unctio ſuper caput ejus defluat, atque ad interiora deſcendat, & cordis illius intima penetret, & promiſſionibus quas adepti ſunt victorioſiſſimi reges, gratia tua dignus efficiatur, quatenus & in præſenti ſæculo feliciter regnet, & ad eorum conſortium in cæleſti regno perveniat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui unctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, & virtute crucis poteſtates aëreas debellavit, tartara deſtruxit, regnumque diaboli ſuperavit, & ad cælos victor aſcendit: in cujus manu victoria omnis, gloria & poteſtas conſiſtunt, & tecum vivit & regnat Deus in virtute ejuſdem Spiritus-ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia oratio.

Deus Dei Filius, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui à Patre oleo exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguinis infuſionem Spiritus paracliti ſuper caput tuum fundat benedictionem, eamdemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat. Quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere & temporali regno juſtis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis. Per.

Caput X. *De Bened. regum.*

Poſt hæc ungat ei manus dicens : Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, unde uncti fuerunt reges & prophetæ, & ſicut unxit Samuel in regem, ut ſis benedictus & conſtitutus rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus dedit tibi ad regendum ac gubernandum, quod ipſe præſtare dignetur.

Sequitur oratio.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Proſpice, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus hunc glorioſum regem N. & ſicut benedixiſti Abraham & Jacob, ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere dignare. Tribue ei de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei, & omnium frugum opulentiam, & largitatem divini muneris longa per tempora : ut illo regnante ſit ſanitas corporum in patria & pax inviolata ſit in regno, & dignitas glorioſa regalis, oculis omnium fulgeat, luce clareſcat, atque ſplendore quaſi ſplendidiſſima fulgura maximo profuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut ſit fortiſſimus protector patriæ, & conſolator eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentiæ, atque ut ſit fortiſſimus regum, triumphator hoſtium ad opprimendas rebelles & paganas nationes, ſitque illis inimicus ſat terribilis præ maxima fortitudine & regalis potentiæ optimatibus quoque atque præcelſis proceribuſque ac fidelibus ſui regni ſit magnificus, & amabilis, & pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis ejus per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur. Regnum hoc regere totum, & poſt glorioſa tempora atque felicia præſentis vitæ & gaudia ſempiterna in perpetua beatitudine habitare mereatur. Quod ipſe præſtare dignetur.

Alia oratio. Oremus.

Deus qui es juſtorum gloria & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filium tuum pretioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere, qui conteris bella, & propugnator es in te ſperantium, & ſub cujus arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, ut præſentem famulum tuum N. in tua miſericordia confidentem, in præſenti ſede regali benedicas, eique propitius adeſſe digneris, ut qui tua expetit protectione defendi, omnibus ſit hoſtibus fortior. Fac eum, Domine, beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis, corona eum corona juſtitiæ & pietatis, ut ex toto corde & tota mente in te credens, tibi deſerviat, ſanctam tuam eccleſiam defendat & ſublimet, populumque à te ſibi commiſſum juſte regat, multis inſidiantibus malis eum in juſtitiam vertat. Accende, Domine, cor ejus ad amorem gratiæ tuæ per hoc unctionis oleum, unde unxiſti ſacerdotes reges & prophetas, quatenus juſtitiam diligens, per tramitem ſimiliter juſtitiæ populum ducens poſt peracta à te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula pervenire ad æterna gaudia mereatur. Per Dominum.

Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Digitized by Google

Præfatio.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, creator & gubernator cæli & terræ, conditor & diſpoſitor angelorum & hominum, Rex regum, & Dominus dominorum, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti, Moyſi & Joſue populo tuo prælatis multitudinem victoriarum tribuiſti, humilem quoque puerum tuum David regni faſtigio ſublimaſti, eumque de ore leonis & de manu beſtiæ atque Goliæ, ſed & de gladio maligno Saul, & omnium inimicorum liberaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque ineffabili munere ditaſti. Reſpice propitius ad preces noſtræ humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum N. quem ſupplici devotione in regnum pariter eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextra tuæ potentiæ ſemper ubique circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſis manſuetudine fretus, Joſue fortitudine munitus, Davidis humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem juſtitiæ inoffenſo greſſu ſemper incedat, & totius regni eccleſiam, deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat & doceat, muniat & inſtruat, & contra omnes viſibiles & inviſibiles hoſtes idem potentialiter regaliterque tuæ virtutis regnum adminiſtret, ut regale ſolium videlicet Saxonum, Merciorum, Nordan-chimbrorum ſceptra non deſerat, ſed ad priſtinæ fidei, paciſque concordiam eorum animos te opitulante reformet. Ut utrorumque horum populorum debita ſubjectione fultus condigno amore glorificatus per longum vitæ ſpatium paternæ apicem gloriæ tua miſeratione una tecum ſtabilire & gubernare mereatur, tuæ quoque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili jugiter protectus, armiſque cæleſtibus circumdatus optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet virtutibus, necnon quibus præfatos fideles tuos decoraſti, multiplici honoris benedictione condecora, & in regni regimine ſublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus ſancti perunge.

Poſt unctionem omnium prædictorum ſic factam, convertuntur anſulæ aperturarum propter inunctionem; & tunc à Camerario Franciæ induitur tunica Iacintina, & deſuper ſoccus, ita quod dextram manum habet liberam, in apertura ſocci, & ſuper ſiniſtram ſoccum elevatum ſicut elevatur caſula ſacerdotis. Demum datur ei ab archiepiſcopo ſceptrum in manu dextra & virga in ſiniſtra. Ad ultimum convocatis ex nomine Paribus regni & circumſtantibus, archiepiſcopus accipit de altari coronam regiam, & ſolus imponit capiti regis. Qua impoſita, omnes Pares tam clerici quam laici manum apponunt coronæ, & eam undique ſuſtentant. Tunc archiepiſcopus (coronam ſuſtinentibus) regem taliter inſignitum deducit in ſolium ſibi præparatum ſericis ſtratum, & ornatum ubi collocat eum in ſede eminenti; unde ab omnibus poſſit videri: quem in ſede ſua taliter reſidentem mox archiepiſcopus, mitra ob reverentiam depoſita, oſculatur, & poſt eum epiſ-

copi & laici Pares, qui ejus coronam ſuſtentant.

Poſtea ab epiſcopis enſem accipiat, & cum enſe totum ſibi regnum fideliter ad regendum ſecundum ſupra dicta verba ſciat eſſe commendatum, dicente metropolitano:

Accipe gladium per manus epiſcoporum licet indignas, via tamen & auctoritate ſanctorum apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Dei eccleſiæ divinitus ordinatum, & eſto memor de quo Pſalmiſta prophetavit: dicens accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ut in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei eccleſiam ejuſque fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos quam chriſtiani nominis hoſtes exerceris ac deſtruas, viduas ac pupillos adjuves ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves, ulciſcaris injuſta, confirmes bene diſpoſita: quatenus hæc in agendo, virtutum triumpho glorioſus, juſtitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore, cujus typum geris, in nomine ſine fine merearis regnare, qui cum Patre, &c.

Accinctus autem enſe ſimiliter ab illis armillas & pallium accipiat, & annulum, dicente metropolitano:

Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc in te catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, quia ut hodie ordinaris caput & princeps populi, ita perſeverabilis auctor ac ſtabilitor chriſtianitatis, & chriſtianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege regum glorieris. Per eumdem cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio poſt annulum.

Deus cujus eſt omnis poteſtas ac dignitas, da famulo tuo pro ſpiritu ſuæ dignitatis effectum, in quo te remunerante permaneat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Poſtea ſceptrum & baculum accipiat dicente ſibi ordinatore:

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſis manum porrigere, diſperdas ſuperbos, & releves humiles, ut aperiat tibi oſtium Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ipſo ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ipſe qui eſt clavis David & ſceptrum domus Iſraël, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tibi auctor qui educit vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & in umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo propheta David cecinit: Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui; & imitando ipſum diligas juſtitiam & odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſæcula unxerat oleo exultationis præ participibus ſuis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum qui vivit & regnat. Per.

Tunc ſolus metropolitanus reverenter coronam capiti regis imponat dicens:

Accipe coronam regni, quæ licet ab indignis, noſtris tamen manibus, capiti tuo imponitur, & quia ſanctitatis gloriam & honorem, &

opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligas, & per hanc te participem miniſterii noſtri non ignores: ita ut ſicut nos in interioribus paſtoreſque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, ſtrenuuſque contra omnes adverſitates eccleſiæ Dei defenſor regnique tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis in vice apoſtolorum, omniumque ſanctorum tuo regimini commiſſi utilis executor regnatorque proficuus ſemper appareas, ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum Redemptore ac Salvatore Jeſu Chriſto, cujus nomen vicéſque geſtare crederis, ſine fine glorieris, qui vivit & imperat Deus, cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti. Per.

Et ab eo ſtatim dicatur benedictio ſuper eum, quæ eo tempore dicenda eſt ſuper regem.

Benedicat tibi Dominus, cuſtodiat & te; & ſicut voluit te ſuper populum ſuum eſſe regem; ita in præſente ſæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum ac populum, quem ſua voluit opitulatione in tua ſanctione congregari, ſua diſpenſatione & tua adminiſtratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari, Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adverſitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſæculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum omnium conſortio potiri mereantur. Amen,

Quod ipſe præſtare.

Deinde coronatus honorifice per chorum ducatur de altari ab epiſcopis uſque ad ſolium, cantante choro hoc ℟. Deſiderium animæ tribuiſti ei, &c.

Deinde dicat ei Dominus metropolitanus.

Sta & retine locum à modo quem hucuſque paterna ſucceſſione tenuiſti hæreditario jure tibi delegatum, per auctoritatem Dei omnipotentis, & præſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet epiſcoporum, ceterorumque Dei ſervorum, & quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem reſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis conſtituat.

Hoc loco Dominus metropolitanus ſedere eum faciat ſuper ſedem, dicendo:

In hoc regni ſolio te confirmet, & in regno æterno ſecum regnare faciat Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum, & Dominus dominantium, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus. Per.

Profeſſio regis ante ſolium coram Deo clero & populo.

Profiteor coram Deo & angelis à modo & deinceps legem & juſtitiam pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ populoque mihi ſubjecto pro poſſe & noſſe facere & conſervare, ſalvo condigno miſericordiæ reſpectu, ſicut in conſilio fidelium noſtrûm melius invenire poterimus. Pontificibus quoque eccleſiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab imperatoribus & regibus eccleſiis ſibi commiſſis

Digitized by Google

CAPUT X
De Bened. regum.

collata & reddita ſunt inviolabiliter conſervare, abbatibus etiam comitibus, & vaſſis dominicis noſtris congruum honorem ſecundum conſilium fidelium noſtrorum præſtare. Amen.

Tunc det illis oſcula pacis. Cunctus autem cœtus clericorum tali rectore gratulans, ſonantibus tympanis, alta voce concinat Te Deum laudamus. *Cantante populo* Kyrie eleiſon. *Tunc epiſcopus metropolitanus miſſam celebret plena proceſſione.*

Sequitur ordo miſſarum, ſi in feria evenerit, ſed melius & honorabilius eſt in die Dominica.

Pax vobis. Oremus.

Deus qui miro ordine univerſa diſponis, & ineffabiliter gubernas, præſta quæſumus ut famulus tuus N. hoc in hujus ſæculi curſu implenda diſcernat, unde tibi in perpetuum placere prævaleat. Per.

Secreta.

Concede quæſumus omnipotens Deus his ſalutaribus ſacrificiis placatus, ut famulus tuus ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur ſemper idoneus, & cœleſti patriæ reddatur acceptus. Per.

Benedictio.

Omnipotens Deus, qui te populi ſui voluit eſſe rectorem, ipſe te cœleſti benedictione ſanctificans æterni regni faciat eſſe conſortem. Amen.

Concedatque tibi contra omnes chriſtianæ fidei hoſtes viſibiles atque inviſibiles victoriam triumphalem & pacis & quietis eccleſiaſticæ feliciſſimum te fieri longe lateque fundatorem. Amen.

Quatenus te gubernacula regni tenente populus tibi ſubjectus chriſtianæ religionis jura cuſtodiens, undique tutus, pace tranquilla perfruatur, & te in concilio regum beatorum collocato, æterna felicitate ibidem tecum pariter gaudere mereatur. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Poſtcommunio.

Hæc, Domine, ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui N. peccatorum maculas diluat, & ad regendum ſecundum tuam voluntatem populum, idoneum illum reddat, ut hoc ſalutari myſterio contra viſibiles atque inviſibiles hoſtes reddatur invictus, per quod mundus eſt divina diſpenſatione redemptus. Per.

ALIA MISSA.

DEus cujus regnum eſt omnium ſæculorum, ſupplicationes noſtras clementer exaudi, & chriſtianiſſimi regis noſtri protege principatum, ut in tua virtute confidens, & tibi placeat, & ſuper omnia regna præcellat. Per.

Secreta.

Sacrificiis, Domine, placatus oblatis, pacem tuam noſtris temporibus clementer indulge. Per.

Poſtcommunio.

Deus qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordi regis noſtri inviolabilem caritatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta nulla poſſint tentatione mutari. Per.

Verum ſi Regina fuerit inungenda & coronanda cum rege; paratur ei ſimiliter ſolium à ſiniſtra parte chori, ſolio regis aliquanto eminentiore, ex parte chori dextra collocata. Et poſtquam rex in modum præmiſſum in ſolio ſuo reſederit, archiepiſcopo ad altare regreſſo, regina ſericis induta, ab epiſcopo dicente quæ inferius ſcripta ſunt poſt conſecrationem regis, inungitur in capite tantum, & in pectore, nec inunctione regis calitus emiſſa, ſed oleo ſanctificato ſimplici. Poſt inunctionem datur ei ab archiepiſcopo ſceptrum modicum alterius in omni quam ſceptrum regium, & virga conſimilis virgæ regiæ. Deinde imponitur ei ab archiepiſcopo ſolo corona capiti ipſius: quam impoſitam ſuſtentant undique barones, & ſic deducunt eam ad ſolium ubi in ſede parata collocatur, circumſtantibus eam baronibus & matronis nobilioribus.

His expletis, miſſa demum à cantore & ſuccentore chorum ſervantibus inchoatur, & ſolemniter decantatur. Lecto autem evangelio, major inter epiſcopos & archiepiſcopos aſſiſtentes librum evangelii accipit, & tam ad regem quam ad reginam ad eum oſculandum deportat: Deinde refert eum ad archiepiſcopum qui miſſam celebrat.

Dum autem cantatur offertorium, deducitur tam rex quam regina ſolemniter de ſolio, & offert uterque ad manum archiepiſcopi tam panem quam vinum in urceo argenteo, & tredecim aureos. Poſtmodum hoc uterque ad ſolium ſuum & ſedem. Tunc celebratur miſſa ab archiepiſcopo. Antequam autem dicat Pax vobis, *facit benedictionem ſuper regem & populum, & accepto oſculo pacis ab archiepiſcopo, is qui librum evangelii deoſculandum ante detulerat, defert pacem regi & reginæ in ſoliis reſidentibus: & poſtea omnes archiepiſcopi & epiſcopi dant oſculum pacis, unum poſt alium regi in ſuo ſolio reſidenti.*

Poſt perceptionem eucharistiæ factam ab archiepiſcopo, iterum deſcendunt rex & regina de ſoliis ſuis, & accedentes humiliter ad altare, percipiunt Corpus & Sanguinem Domini de manu archiepiſcopi, & miſſa expleta, deponit archiepiſcopus coronas de capitibus eorum: quibus exutis regalibus inſignibus, iterum imponit capitibus eorum modicas coronas, & ſic vadunt ad palatium, nudo gladio præcedente.

INCIPIT BENEDICTIO REGINÆ.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui feminei ſexus fragilitatem nequaquam reprobando averſaris, ſed dignanter comprobando potius eligis, & qui infirma mundi eligendo fortia

quæque confundere decreviſti, quique etiam gloriæ virtutiſque triumphum in manu Judith feminæ olim Judaicæ plebi de hoste ſæviſſimo reſignare voluiſti, reſpice quæſumus ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hanc famulam tuam N. quam ſupplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuæ potentiæ ſemper & ubique circumda, ut munimine tuo undique firmiter protecta, viſibilis ſeu inviſibilis hoſtis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & una cum Sarra, atque Rebecca, Lia & Rachel, beatis reverendiſque feminis, fructu uteri ſui fœcundari ſeu gratulari mereatur ad decorem totius regni, ſtatumque ſanctæ Dei eccleſiæ regendum, nec non protegendum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui ex intemerato B. Mariæ Virginis alvo naſci, viſitare & renovare dignatus eſt mundum, qui tecum vivit & gloriatur Deus in unitate Spiritus-ſancti, per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item benedictio ejuſdem ante altare.

Deus qui ſolus habes immortalitatem lucemque habitas inacceſſibilem, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, qui feciſti ea quæ futura ſunt, & vocas ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt, qui ſuperbos æquo moderamine de principatu dejicis, atque humiles dignanter in ſublime provehis, inæſtimabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Heſter reginam Iſraëlis cauſa ſalutis de captivitatis ſuæ compede ſolutam, ad regis Aſſueri thalamum regnique ſui conſortium tranſire feciſti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis noſtræ benedictione chriſtianæ plebis gratia ſalutis ad dignam ſublimemque regis noſtri copulam regnique ſui principium miſericorditer tranſire concedas, & ut regalis fœdere conjugii ſemper manens pudica, proximam virginitatis palmam continere queat, tibique Deo vivo & vero in omnibus & ſuper omnia jugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ tibi placita ſunt toto corde perficiat. Per.

In ſacri olei unctione.

Spiritus-ſancti gratia humilitatis noſtræ officio, &c.

Ad coronæ impoſitionem.

Accipe coronam regalis excellentiæ, quæ licet ab indignis, epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde ſicut exterius auro & gemmis redimita emicas, ita & interius auro ſapientiæ virtutumque gemmis decorari contendas, quatenus poſt occaſum hujus ſæculi cum prudentibus virginibus ſponſo perenni Domino noſtro Jeſu Chriſto digne & laudabiliter occurrens, & regiam cæleſtis aulæ merearis ingredi januam, auxiliante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo Patre, &c.

Introitus ad miſſam.

Sicut oculi ſervorum, &c. *Pſal.* Ad te levavi oculos. Epiſtola ad Epheſios. Fratres, mulieres viris ſubditæ ſint, &c. ℟. Protector noſter, &c. ℣. Domine Deus virtutum. Evangelium ſecundum Matthæum. In illo tempore acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi tentantes & dicentes, ſi licet homini

homini dimittere uxorem, &c. *Offert.* In te ſperavi, Domine, &c. *Communio.* Domine memorabor. *Oratio.* CAPUT X. *De Bened. regum.*

Deus tuorum corona fidelium, qui quos ad regnum vocas, in miſericordia & miſeratione coronas, huic coronæ plenitudinem tuæ benedictionis digneris infundere, ut per iſtam unctionem & noſtram benedictionem ſanctificetur, & inſigne regni habeat. Quatenus ejus impoſitione famulus tuus Rex noſter inſignitus ceteræ plebi tuæ emineat, & memor deſponſatoris & honoris à te ſibi collati, ita tibi devotus exiſtat, ut in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis oriatur, & ad januam paradiſi de manu tua qui es Rex regum coronam regni cæleſtis percipere mereatur. Qui vivis & regnas, &c.

Quæ ſequuntur recenſiori manu deſcripta ſunt.

Memoire de ce qui ſe doit faire au couronnement de la reine de France, quand elle n'eſt pas couronnée avec le roy, & appartient à l'archevêque de Reims de la couronner, encor que ce ſoit à Saint Denys, où l'Abbé & convent lui doivent adminiſtrer les choſes neceſſaires pour ledit couronnement.

La premiere fois que la reine ſe preſentera à l'autel, après lui avoir baillé la vraye croix à baiſer, ſeront dites les oraiſons qui s'enſuivent ſous un ſeul Per omnia.

Deus qui ſcis, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus, &c.

Quand la reine vient pour la couronation, elle ſe proſterne, & ſe dit la litanie, puis elle ſe leve, & étant à genoux ſe dit l'oraiſon Omnipotens.

Après ſe preſente l'onction, & premier s'oint en diſant : Ungo te in reginam, &c. *Puis dit les deux oraiſons* Chriſte perunge, &c. Deus Dei Filius, &c.

Après ſe baille l'anneau, en diſant : Accipe regiæ dignitatis annulum, &c. Oremus. Deus cujus, &c.

Puis ſe donne le ſceptre & main de juſtice, en diſant : Accipe virgam virtutis, &c. *Puis la couronne, & ſe dit :* Officio indignitatis, &c. *Puis ſe dit :* Deſiderium, &c. Vivat. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus tuorum corona.

ORDO VI.

Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Senonenſis annorum 300.

INCIPIT ORDO AD CONSECRANDUM ET CORONANDUM REGEM FRANCIÆ.

Primo paratur ſolium in modum eſchafaudi aliquantulum eminens exterius choro eccleſiæ inter utrumque chorum, poſitum in medio, in quo per gradus aſcenditur, & in quo poſſint pares regni & aliqui, ſi neceſſe fuerit,

CAPUT X. De Bened. regum.

cum rege conſiſtere. Rex autem die quo ad coronandum voluerit, debet proceſſionaliter recipi, tam à canonicis, quam à ceteris eccleſiis conventualibus.

Sabbato præcedente diem Dominicam in qua rex eſt conſecrandus & coronandus, poſt completorium expletum committitur eccleſia cuſtodia cuſtodibus à rege deputatis cum propriis cuſtodibus eccleſiæ. Et debet rex intempeſta noctis ſilentio venire in eccleſiam, orationem facturus, & ibidem in oratione aliquantulum ſi voluerit vigilaturus. Cum pulſatur ad matutinas, debent eſſe parati cuſtodes regis, introitum eccleſiæ obſervantes, qui aliis oſtiis eccleſiæ obſeratis firmius & munitis, canonicos ac clericos eccleſiæ debent honorifice ac diligenter intromittere quotieſcumque opus fuerit eis. Matutinæ more ſolito decantantur: quibus expletis, pulſatur ad Primam, quæ cantari debet aurora diei. Poſt primam cantatam debet rex cum archiepiſcopis, & epiſcopis, & baronibus, & aliis quos intromittere voluerit, in eccleſiam venire antequam fiat aqua benedicta; & debent eſſe ſedes diſpoſitæ circa altare hinc & inde, ubi archiepiſcopi & epiſcopi honorifice ſedeant. Epiſcopis Paribus, videlicet primo Laudunenſis, poſtea Belvacenſis, deinde Lingonenſis, poſtea Catalaunenſis, ultimo Noviomenſis cum aliis epiſcopis iſtius archiepiſcopatus Remenſis ſedentibus deorſum inter altare & regem ab oppoſitis altaris nec longe à rege, nec multis indecenter interpoſitis.

QUANDO SACRA AMPULLA DEBET VENIRE.

INter Primam & Tertiam debent venire monachi S. Remigii proceſſionaliter cum crucibus & cereis cum ſacroſancta ampulla, quam debet abbas reverentiſſime deferre ſub cortina ſerica quatuor perticis à quatuor monachis in albis indutis ſublevata. Rex autem debet mittere de baronibus qui eam ſecure conducant: & cum venerint ad eccleſiam B. Dionyſii vel uſque ad majorem januam eccleſiæ, propter turbam comprimentem debet archiepiſcopus cum ceteris archiepiſcopis & epiſcopis, baronibus, necnon & canonicis ſi fieri poteſt, occurrere ſacroſanctæ ampullæ, & eam de manu abbatis recipere, cum pollicitatione de reddendo bona fide, & ſic ad altare cum magna reverentia deferre, abbate & aliquibus de monachis pariter comitando ceteri monachi debent expectare in eccleſia B. Dionyſii, vel in capella B. Nicolai, donec omnia peracta fuerint, & quo ad uſque ſacra ampulla fuerit reportata.

QUID SUSCEPTA AMPULLA AGENDUM SIT.

ARchiepiſcopus dum cantatur Tertia, facta aqua benedicta, ad miſſam ſe præparat cum diaconibus & ſubdiaconibus veſtimentis inſignioribus & pallio induendus: & in hunc modum indutus venit proceſſionaliter ad altare more ſolito, cui venienti rex debet aſſurgere reverenter. Cum autem venerit archiepiſcopus, debet pro omnibus eccleſiis ſibi ſubditis à rege hæc petere.

A vobis perdonari petimus, ut unicuique de nobis & eccleſiis nobis commiſſis canonicum privilegium, ac debitam legem atque juſtitiam,

conſervetis & defenſionem exhibeatis, ſicut rex in ſuo regno debet unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ.

CAPUT X. *De Bened. regum.*

Reſponſio regis ad epiſcopos.

Promitto vobis, & perdono quod unicuique de vobis & eccleſiis vobis commiſſis canonicum privilegium & debitam legem atque juſtitiam, & defenſionem, quantum potero, adjuvante Domino, exhibebo, ſicut rex in ſuo regno unicuique epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

Hæc dicit rex, & promittit & firmat juramento.

Hæc populo chriſtiano & mihi ſubdito in Chriſti promitto nomine. In primis ut eccleſiæ Dei omnis populus chriſtianus veram pacem veſtro arbitrio in omni tempore ſervet. Item ut omnes rapacitates & omnes iniquitates, omnibus gradibus interdicam. Item ut in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiam, ut mihi & vobis indulgeat ſuam miſericordiam clemens & miſericors Deus. Item de terra mea ac juridictione mihi ſubdita univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos pro viribus bona fide exterminare ſtudebo. Hæc omnia ſupradicta firmo juramento. *Tunc manum apponat libro.*

His factis promiſſionibus, ſtatim incipitur Te Deum laudamus, *& duo archiepiſcopi vel epiſcopi ducunt regem per manus ante altare uſque in finem* Te Deum. *Poſtmodum ſurgit, jam antea præparatis & poſitis ſuper altare corona regia, gladio in vagina incluſo, calcaribus aureis, ſceptro deaurato, & virga ad menſuram unius cubiti vel amplius habente deſuper manum eburneam, item caligis ſericis & hyacintinis intextis per totum liliis aureis & tunica ejuſdem coloris & operis in modum tunicalis, quo induuntur ſubdiaconi ad miſſam, necnon & ſocco prorſus ejuſdem coloris & operis, qui eſt factus fere in modum cappæ ſericæ abſque caperone, quæ omnia abbas S. Dionyſii in Francia de monaſterio ſuo debet Remis afferre, & ſtans ad altare cuſtodire.*

Tunc primo rex ſtans ante altare deponit veſtes ſuas præter tunicam ſericam & camiſiam apertas profundius ante & retro, in pectore videlicet, & inter ſcapulas, aperturis tunicæ ſibi invicem connexis anſulis argenteis. Tunc in primis ibi à magno camerario Franciæ regi dictæ caligæ calciantur; & poſtmodum à duce Burgundiæ calcaria ejus pedibus aſtringuntur & ſtatim tolluntur. Poſt modum rex à ſolo archiepiſcopo gladio accingitur: quo accincto, ſtatim idem gladius diſcingitur, & è vagina ab archiepiſcopo extrahitur, vagina ſuper altare poſita, & datur ab archiepiſcopo in manibus cum iſta oratione dicendo:

Alia oratio.

Accipe gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus-ſancti reſiſtere & ejicere omnes inimicos tuos valeas, & cunctos ſanctæ Dei eccleſiæ adverſarios, regnumque tibi commiſſum tutari, atque protegere caſtra Dei per auxilium invictiſſimi triumphatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput X. De Bened. regum.

Hic cantetur iſta antiphona.

Confortare & eſto vir, & obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias cærimonias ejus, & præcepta ejus, & teſtimonia, & judicia, & quocumque te verteris confirmet te Deus.

Dum cantatur iſta antiphona, dicitur iſta oratio poſt dationem gladii:

Deus qui providentia tua cæleſtia ſimul & terrena moderaris, propitiare chriſtianiſſimo regi noſtro, ut omnis hoſtium ſuorum fortitudo virtute gladii ſpiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur. Per Dominum.

Gladium debet rex humiliter recipere de manu archiepiſcopi & offerre ad altare & ſtatim reſumere de manu archiepiſcopi, & incontinenti dare ſeneſcallo Franciæ, ſi ſeneſcallum habuerit: ſin autem, cui voluerit de baronibus ad portandum ante ſe, & in eccleſia uſque ad finem miſſæ, & poſt miſſam uſque ad palatium.

Huc uſque de gladio. Poſt hæc preparatur unctio in hunc modum. Chriſma in altari ponitur ſuper patenam conſecratam, & archiepiſcopus ſacroſanctam ampullam quam abbas S. Remigii attullit ſuper altare, debet aperire, & inde cum acu aurea aliquantulum de oleo cœlitus miſſo attrahere, & chriſmati parato in patenam diligentius cum digito immiſcere ad inungendum regem, qui ſolus inter univerſos reges terræ hoc glorioſo præfulget privilegio, ut chriſmate mixto cum oleo cælitus miſſo modo alio quam ceteri reges ſingulariter inungatur. Alii enim reges inunguntur ſolum in humero, iſte vero in capite & in aliis membris ſicut inferius diſtinguetur.

Parata unctione qua rex debet inungi ab archiepiſcopo, debent diſſolvi anſulæ aperturarum veſtimentorum regis ante & retro: & genibus regis in terram poſitis, duo archiepiſcopi vel epiſcopi dicant litaniam quæ ſequitur.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
S. Maria, Ora pro nobis.
S. Michael, ora.
S. Gabriel, ora.
S. Raphael, ora.
S. Chorus angelorum.
S. Johannes Baptiſta.
S. Petre,
S. Paule,
S. Andrea.
S. Jacobe.
S. Johannes.
S. Thoma.
S. Philippe.
S. Jacobe.
S. Bartholomæe.
S. Matthæe.
S. Simon.
S. Taddæe.
S. Matthia.
S. Barnaba.
S. Chorus apoſtolorum.
S. Stephane.
S. Clemens.
S. Calixte.
S. Marcelle.
S. Laurenti.
S. Dionyſii cum ſociis tuis.
S. Nicaſi cum ſociis tuis.
S. Maurici cum ſociis tuis.
S. Gervaſi.
S. Prothaſi.
S. Timothee.

Digitized by Google

S. Apollinaris.
S. Chorus martyrum.
S. Silveſter.
S. Remigi.
S. Auguſtine.
S. Hieronyme.
S. Ambroſi.
S. Gregori.
S. Sixte.
S. Sinice.
S. Rigoberte.
S. Martine.
S. Maurili.
S. Nicolae.
S. Chorus confeſſorum.
S. Maria Magdalene.
S. Maria Ægyptiaca.
S. Felicitas.
S. Perpetua.
S. Agatha.
S. Agnes.
S. Cecilia.
S. Eutropia.
S. Genovefa.
S. Columba.
S. Scholaſtica.
S. Petronilla.
S. Catherina.
S. Chorus virginum.
Omnes Sancti.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Libera nos Domine.
Ab inſidiis diaboli, Libera.
A damnatione perpetua.
Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ.
Per paſſionem & crucem tuam.
Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti.
In die judicii.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones.
Ut miſericordia & pietas tua nos cuſtodiat.
Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus noſtris clementer infundere digneris.
Ut eccleſiam tuam ſanctam regere & defendere digneris.
Ut domnum apoſtolicum & omnes gradus eccleſiæ in ſancta religione conſervare digneris.
Ut hunc famulum tuum N. in regem eligere digneris.
Ut eum benedicere & ſublimare digneris.
Ut eum ad regni faſtigium perducere digneris.
Ut cunctum populum chriſtianum pretioſo ſanguine redemtum conſervare digneris.
Ut cunctis fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili Dei.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Archiepiſcopus debet ſuper regem dicere has orationes antequam eum inunguat, & debet ſedere ſicut ſedet quando conſecrat epiſcopos.

Oratio.

Te invocamus, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut hunc famulum tuum N. quem tuæ divinæ diſpenſationis providentia in primordio plaſmatum uſque in hunc præſentem diem juvenili flore lætantem creſcere conceſſiſti, eum tuæ pietatis dono ditatum plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo & hominibus ad meliora

ſemper proficere facias, ut ſummi regiminis ſolium gratiæ ſupernæ largitate gaudens ſuſcipiat, & miſericordiæ tuæ muro ab hoſtium adverſitate undique munitus plebem ſibi commiſſam cum pace propitiationis & virtute victoriæ feliciter regere mereatur. Per Chriſtum.

Deus qui populis tuis virtute conſulis & amore dominaris, da huic famulo tuo ſpiritum ſapientiæ tuæ cum regimine diſciplinæ, ut tibi toto corde devotus in regni regimine ſemper maneat idoneus tuoque munere ipſius temporibus eccleſiæ ſecuritas dirigatur, & in tranquillitate devotio eccleſiaſtica permaneat, ut in bonis operibus perſeverans ad æternum regnum te duce valeat pervenire. Per Chriſtum.

Alia oratio.

In diebus ejus otiatur omnis æquitas & juſtitia, amicis adjutorium, inimicis obſtaculum, humilibus ſolatium, elatis correctio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax & ſecuritas unumquemque ſecundum ſuam menſuram moderate gubernans, ſeipſum ſedulus diſcat, ut tua irrigatus compunctione toto populo tibi placita præbere vitæ poſſit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens ſibi ſubdito opes frugales abundanter acquirat, ſimulque ad ſalutem non ſolum corporum, ſed etiam cordium à te conceſſam cuncta accipiat, ſicque in te cogitatum animi conſiliumque omne componens gubernacula cum pace ſimul & ſapientia ſemper invenire videatur, teque auxiliante præſentis vitæ proſperitatem & prolixitatem percipiat, & per tempora bona uſque ad ſummam ſenectutem perveniat, hujuſque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ largitate pietatis liberatus & infinitæ proſperitatis præmia perpetua angelorumque æterna commercia conſequatur. Per Dominum.

Conſecratio regis.

Omnipotens ſempiterne Deus, gubernator cæli & terræ, conditor & diſpoſitor angelorum & hominum, Rex regum & Dominus dominorum, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti, Moïſi & Joſue, populo tuo prælatis, multiplicem victoriam tribuiſti: humilem quoque puerum David regni faſtigio ſublimaſti, eumque de ore leonis, & de manu beſtiæ atque Goliæ, ſed & de gladio maligno Saül & omnium inimicorum ejus liberaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque ineffabili munere ditaſti: reſpice propitius ad preces noſtræ humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum N. quem ſupplici devotione in regnum pariter eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ ſemper ubique circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſi manſuetudine fretus, Joſue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem juſtitiæ inoffenſo greſſu ſemper incedat: & totius regni eccleſiam deinceps cum pluribus ſibi annexis ita enutriat ac doceat; muniat ac inſtrua.

contraque omnes viſibiles & invifibiles hoſtes idem potenter regaliterque tuæ virtutis regimen adminiſtret, ut regale ſolium videlicet Saxonum, Merciorum, Nordan Cymbrorum, ſceptra non deſerat, ſed ad priſtinæ fidei paciſque concordiam eorum animos te opitulante reformet, utrorumque horum populorum debita ſubjectione ſubtus condigno amore glorificatus per longum vitæ ſpatium paternæ apicem gloriæ, tua miſeratione unatim ſtabilire & gubernare mereatur, tuæ quoque protectionis galea munitus; & ſcuto inſuperabili jugiter protectus, armiſque cæleſtibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum de hoſtibus feliciter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet, virtutibus necnon quibus præfatos fideles tuos decoraſti multiplici honoris benedictione condecora, & in regimine regni ſublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus-ſancti perunge.

CAPUT X. *De Bened. regum.*

Hic ungatur unctione chriſmatis & olei de cælo miſſi prius ab archiepiſcopo confecti in patena, ſicut ſuperius dictum eſt. Inungat autem archiepiſcopus eum primo in ſummitate capitis de dicta unctione, ſecundo in pectore, tertio inter ſcapulas, quarto in ipſis ſcapulis, quinto in compaginibus brachiorum, & dicat cuilibet unctioni: Unguo te in regem de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. *Et dicant omnes* Amen.

Dum hæc unctio agitur, cantant aſſiſtentes hanc antiphonam; Unxerunt Salomonem Sadoch ſacerdos, & Natan propheta regem in Gyon, & accedentes læti dixerunt: Vivat rex in æternum.

Facta unctione, cantata antiphona dicat archiepiſcopus hanc orationem.

Chriſte perunge hunc regem in regimen unde unxiſti ſacerdotes reges, ac prophetas & martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, atque adepti ſunt repromiſſiones. Tua ſacratiſſima unctio ſuper caput ejus defluat, atque ad interiora deſcendat, & cordis illius intima penetret, & promiſſionibus quas adepti ſunt victorioſiſſimi reges gratia tua dignus efficiatur: quatenus & in præſenti ſæculo feliciter regnet, & ad eorum conſortium in cæleſti regno perveniat. Per Dominum Jeſum Chriſtum Filium tuum qui unctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis virtute crucis poteſtates aëreas debellavit, tartara deſtruxit, regnumque diaboli ſuperavit, & ad cælos victor aſcendit: in cujus manu victoria, omnis gloria, & poteſtas conſiſtunt & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Alia oratio.

Deus electorum fortitudo, & humilium celſitudo, qui in primordio per infuſionem diluvii mundi crimina caſtigare voluiſti, & per columbam ramum olivæ portantem pacem terris redditam demonſtraſti: iterum Aaron famulum tuum per unctionem olei ſecerdotem ſanxiſti, & poſtea per hujus * ingenti infuſionem ad regendum populum Iſraeliticum ſacerdotes, reges, ac prophetas perfeciſti, vultumque eccleſiæ in

* *f.* unguenti.

CAPUT IX
De Bened. regum.

Deo exhilarandum per propheticam famuli tui vocem David eſſe prædixiſti : Ita quæſumus, omnipotens Pater, ut per hujus creaturæ pinguedinem hunc ſervum tuum ſanctificare tua benedictione digneris; eumque in ſimilitudine columbæ pacem ſimplicitatis populo ſibi commiſſo præſtare, & exempla Aaron in Dei ſervitio diligenter imitari regnique faſtigia in conſiliis ſcientiæ, & æquitate judicii ſemper aſſequi vultumque hilaritatis per hanc olei unctionem tuamque benedictionem, te adjuvante, toti plebi paratum habere facias. Per Dominum.

Alia oratio.

Deus Dei Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui à Patre oleo exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguinis infuſionem Spiritus Paracliti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eamdemque uſque ad inferiora cordis ſui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & temporali regno juſtis moderaminibus executo æternaliter cum eo regnare merearis. Per Dominum.

His dictis orationibus, connectuntur ab archiepiſcopo vel ſacerdotibus, vel ſaltem per diaconum propter munditiam conſecrationis, anſulæ aperturarum veſtimenti regis propter inunctionem; & tunc à camerario Franciæ induitur tunica hiacintina, & deſuper ſocco ita quod dexteram manum habet liberam in apertura ſocci, & ſuper ſiniſtram ſoccum elevatum ſicut elevatur caſula ſacerdoti.

Deinde datur ei ab archiepiſcopo annulus, & in datione annuli dicitur hæc oratio.

Accipe annulum, ſignaculum videlicet fidei ſanctæ, ſoliditatemque regni, augmentum potentiæ, per quæ ſcias triumphali potentia hoſtes repellere, hæreſes deſtruere, ſubditos coadunare, & catholicæ fidei perſeverabilitati connecti.

Oratio poſt annulum.

Deus cujus eſt omnis poteſtas & dignitas; da famulo tuo proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, ſemperque timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Dominum.

Dato annulo, ſtatim detur ſceptrum in manu dextra, & dicatur hæc oratio.

Accipe ſceptrum regiæ poteſtatis inſigne, virgam ſcilicet regni rectam, virgam virtutis qua te ipſum bene regas, ſanctam eccleſiam populumque videlicet chriſtianum tibi à Deo commiſſum regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere poſſint, tuo juvamine dirigas, quatinus de temporali regno ad æternum regnum pervenias ipſo adjuvante, cujus regnum & imperium ſine fine permaneat in ſæcula ſæculorum.

Oratio poſt ſceptrum datum.

Omnium, Domine, fons bonorum, cunctorumque Deus inſtitutor profectuum, tribue quæſumus, famulo tuo ill. adeptam bene regere dignitatem, & à te ſibi præſtitum honorifice dignare roborare:

honorifica

honorifica eum præ cunctis regibus terræ: uberi eum benedictione locupleta, & in ſolio regni firma ſtabilitate conſolida: viſita eum in ſobole, præſta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus ſemper oriatur juſtitia, ut cum jucunditate & lætitia æterno glorietur in regno. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Poſt ſtatim datur ei virga in manu ſiniſtra, & dicitur;

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos. Errantibus viam doce, lapſiſque manum porrige: diſperdaſque ſuperbos, & releves humiles; ut aperiat tibi oſtium Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſeipſo ait: *ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Et ipſe, qui eſt clavis David, & ſceptrum domus Iſraël, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit, ſit tibi adjutor, qui educit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & umbra mortis: ut in omnibus ſequi merearis eum, de quo propheta David cecinit: *Sedes tua Deus, in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui:* & imiteris eum, qui dicit: diligas juſtitiam, & odio habeas iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, ad exemplum illius quem ante ſæcula unxerat præ participibus ſuis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt iſtam orationem convocantur Pares ex nomine à cancellario, ſi præſens eſt; ſin autem, ab archiepiſcopo; & vocantur primo laici, poſtea clerici; & clerici vocantur eo ordine quo dictum eſt ſuperius de ſedendo. Quibus vocatis, & circumſtantibus, archiepiſcopus accipit de altari coronam regiam, & ſolus imponit eam capiti regis: qua impoſita, omnes Pares tam clerici quam laici manum apponunt coronæ, & eam undique ſuſtentant. Tunc archiepiſcopus dicit iſtam orationem:

Coronet te Deus corona gloriæ, atque juſtitiæ honore, & opera fortitudinis: ut per officium noſtræ benedictionis cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu ad coronam pervenias regni perpetui, ipſo largiente, cujus regnum & imperium permanet in ſæcula ſæculorum.

Oratio poſt coronam.

Deus perpetuitatis dux virtutum, cunctorum hoſtium victor, benedic hunc famulum tuum tibi caput ſuum inclinantem, & prolixa ſanitate, & proſpera felicitate eum conſerva, & ubicunque pro quibus auxilium tuum invocaverit, cito adſis, & protegas atque defendas. Tribue ei, quæſumus Domine, divitias gloriæ tuæ. Comple in bonis deſiderium ejus; corona eum in miſeratione, & miſericordia, tibique Deo pia devotione jugiter famuletur. Per Dominum.

Statim poſt iſtam orationem dicatur iſta benedictio.

Extendat omnipotens Deus dextram ſuæ benedictionis, & circumdet te muro felicitatis, ac cuſtodia ſuæ protectionis, S. Mariæ, ac B. Petri apoſtolorum principis, ſanctique Dionyſii, atque B. Remigii, & omnium Sanctorum intercedentibus meritis. *Clerus.* Amen.

Indulgeat tibi Dominus omnia peccata quæ geſſiſti; & tribuat gratiam

& miſericordiam quam ab eo humiliter depoſcis, & liberet te ab adverſitatibus cunctis, & ab omnibus inimicorum viſibilium & inviſibilium inſidiis.

Angelos ſuos bonos, qui te ſemper & ubique præcedant, comitentur, & ſubſequantur, ad cuſtodiam tui ponat, & à peccato ſeu gladio, & ab omni periculorum diſcrimine ſua potentia liberet.

Inimicos ad pacis caritatiſque benignitatem convertat, & bonis operibus te gratioſum & amabilem faciat. Pertinaces quoque in tui inſectatione & odio, confuſione ſalutari induat: ſuper te autem participatio & ſanctificatio ſempiterna floreat.

Victorioſum te atque triumphatorem de viſibilibus atque inviſibilibus hoſtibus ſemper efficiat, & ſancti nominis ſui timorem pariter & amorem continuum cordi tuo infundat, & in fide certa & bonis operibus perſeverabilem reddat; & pace in diebus tuis conceſſa, cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. *Clerus.* Amen.

Et qui te voluit ſuper populum ſuum conſtituere regem, & in præſenti ſæculo felicem æternæ felicitatis tribuat conſortem.

Quod ipſe præſtare dignetur. Qui vivit & regnat.

Alia benedictio ſtatim ſuper eum.

Bene † dic, Domine, hunc præelectum principem qui regna omnium regum à ſæculo moderaris.

Et tali eum benedictione glorifica, ut Davitica teneat ſublimitate ſceptrum ſalutis, & ſanctificæ propitiationis munere reperiatur locupletatus.

Da ei à tuo ſpiramine regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Regis ſtatus deſignatur.

Sta & retine à modo ſtatum quem huc uſque paterna vel ſuggeſſione tenuiſti hæreditario jure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & per præſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet epiſcoporum, ceterorumque Dei ſervorum: & quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruentibus honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem cleri, & plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in regno æterno ſecum regnare faciat Jeſus Chriſtus Dominus noſter Rex regum, & Dominus dominantium, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat.

Oratio.

Omnipotens Deus det tibi de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei, & ſerviant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, & Deus erit adjutor tuus. Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cæli deſuper in montibus & collibus, benedictionibus uvarum, pomorumque. Be-

nedictiones Patrum antiquorum Abraham, & Iſaac, & Jacob, confortatæ ſint ſuper te. Per Dominum.

Alia oratio.

Benedic, Domine, fortitudinem principis, & opera manuum illius ſuſcipe, & benedictione tua terra ejus de pomis repleatur, de fructu cæleſti, & rore, atque abyſſi ſubjacentis de fructu ſolis & lunæ, de virtute antiquorum montium, de pomis æternorum collium, & de frugibus terræ, & plenitudine ejus benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput ejus, & plena ſit benedictio Domini in filiis ejus, & tingat in oleo pedem ſuum, cornua rinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ, quia aſcenſor cæli auxiliator ſuus in ſempiternum fiat. Per Dominum.

His expletis, archiepiſcopus cum Paribus coronam ſuſtentantibus regem taliter inſignitum deducit in ſolium ſibi preparatum, ſericis ſtratum & ornatum, ubi collocat eum in ſede eminenti; unde ab hominibus poſſit videri: quem in ſede ſua taliter reſidentem mox archiepiſcopus mitra depoſita oſculatur dicens: Vivat Rex in æternum. *Et poſt eum epiſcopi & laici Pares qui ejus coronam ſuſtentant. His expletis, miſſa primo à cantore & ſuccentore chorum ſervantibus inchoatur, & ſuo ordine decantetur.*

Notandum quod dum legitur evangelium, rex & regina debent deponere coronas ſuas; & lecto evangelio, major inter archiepiſcopos & epiſcopos accipit librum evangelii, & defert Domino regi ad deoſculandum, & poſtea reginæ, & poſtea Domino archiepiſcopo miſſam celebranti.

Poſt offertorium Pares deducunt regem ad altare, coronam ejus ſuſtentantes. Rex autem debet offerre panem unum, vinum in urceo argenteo, tredecim biſancios aureos, & regina ſimiliter: & in eundo & redeundo gladius nudus defertur coram rege.

Finita miſſa, iterum Pares adducunt regem coram altari; & ibi communicat Corpus & Sanguinem de manu archiepiſcopi celebrantis. Sed notandum eſt, quod ille qui dedit ei evangelium ad deoſculandum, debet poſt Pax Domini *accipere pacem ab archiepiſcopo miſſam celebrante, & deferre regi, & reginæ cum libro, & poſt eum omnes archiepiſcopi & epiſcopi dant oſculum pacis regi unus poſt alium in ſuo ſolio reſidenti.*

Finita miſſa, deponit archiepiſcopus coronam de capite regis, & expoliato rege de inſignioribus veſtimentis, & aliis indumentis, iterum imponit capiti ſuo archiepiſcopus aliam coronam minorem, & ſic vadit ad palatium, nudo gladio præcedente; & ſciendum quod ejus camiſia propter ſanctam unctionem debet comburi.

De reductione ampullæ.

Sciendum quod rex debet accipere de baronibus ſuis nobilioribus & fortioribus in die coronationis ſuæ in aurora diei, & mittere apud S. Remigium pro ſancta ampulla; & illi debent jurare abbati & eccleſiæ quod dictam ſanctam ampullam bona fide ducent & reducent ad ſanctam eccleſiam B. Re-

migii. Abbas autem hoc facto, debet ſanctam ampullam afferre, ſicut ſuperius eſt notatum. Finita conſecratione & miſſa, debent iterum iidem barones reducere ſanctam ampullam uſque ad S. Remigium honorifice & ſecure, & eam reſtituere in ſuo loco.

Ordo ad reginam benedicendam quo debet consecrari statim post factam consecrationem regis hoc modo.

Debet parari ei ſolium in modum ſolii regis: debet tamen aliquantulum minus eſſe. Debet autem regina adduci in eccleſia & rex in ſuo ſolio parari in omnibus ornamentis regiis ſicuti in ſolio reſidebat poſt inunctionem & coronationem ſuam ſuperius annotatam.

Regina autem adducta in eccleſiam debet proſterni ante altare, & proſtrata debet orare. Qua elevata ab oratione ab epiſcopis, debet iterum caput inclinare, & archiepiſcopus hanc orationem dicere.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Notandum quod tunica reginæ & camiſia debent eſſe aperta uſque ad corrigiam. Et Dominus archiepiſcopus debet inungere eam de oleo ſancto in capite & in pectore, & dicere dum inungit:

In nomine † Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, proſit tibi hæc unctio olei in honorem & confirmationem æternam.

Sequitur oratio poſt unctionem.

Omnipotens ſempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis ſuper famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde; ut quæ per manus noſtræ impoſitionem hodie regina inſtituitur, ſanctificatione tua digna & electa permaneat; ut nunquam poſtmodum de tua gratia ſeparetur indigna. Per.

Poſt iſtam orationem datur reginæ ab archiepiſcopo ſceptrum modicum alterius in omni quam ſceptrum regium, & virga conſimilis virgæ regiæ abſque orationibus. Tunc debet anulus immitti digito & dicere:

Accipe annulum fidei ſignaculum ſanctæ Trinitatis, quo poſſis omnes hæreticas pravitates devitare, & barbaras gentes virtute tibi præſtita ad agnitionem veritatis advocare.

Sequitur oratio.

Deus cujus eſt omnis poteſtas & dignitas, da famulæ tuæ ſigno tuæ fidei proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua tibi ſemper firma permaneat, tibique jugiter placere contendat. Per Dominum.

Tunc debet imponi à ſolo archiepiſcopo corona in capite ipſius, quam impoſitam ſuſtentare debent undique barones. Archiepiſcopus autem debet dicere in impoſitione.

Accipe coronam gloriæ, honorem jucunditatis, ut ſplendida fulgeas, & æterna exultatione coroneris.

Digitized by Google

Alia oratio.

Omnium, Domine, fons bonorum, dator proventuum, tribue famulæ tuæ N. adeptam bene regere dignitatem, & à te ſibi præſtitam in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per Dominum.

Poſt iſtam orationem barones qui coronam ejus ſuſtentant, deducunt eam ad ſolium, ubi in ſede parata collocatur, circumſtantibus eam baronibus & matronis nobilioribus, in oblatione, in pace ferenda, in communione penitus eſt ordo regis ſuperius annotatus obſervandus.

Benedictio vexilli.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtræ humilitatis, & per interventum B. Michaelis archangeli tui omniumque cæleſtium virtutum, præſta nobis auxilium dextræ tuæ; & ſicut benedixiſti Abraham adverſus quinque reges triumphantem, atque David regem in tui nominis laude triumphales congreſſus exercentem, ita bene † dicere ac ſanctificare digneris vexillum hoc, quod ob defenſionem ſanctæ eccleſiæ contra hoſtilem rabiem defertur, quatenus in nomine fidelis & defenſoris populi Dei illud conſequentis per virtutem ſanctæ crucis triumphum & victoriam ſe ex hoſtibus acquiſiſſe lætetur. Qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat.

Notandum quod antequam Pax Domini ſit ſemper vobiſcum *dicitur, archiepiſcopus debet dicere hanc benedictionem ſuper regem & ſuper populum.*

Benedicat tibi Dominus, cuſtodienſque te ſicut te voluit ſuper populum ſuum conſtituere regem: ita & in præſenti ſæculo felicem & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum ac populum quem ſua voluit opitulatione tua ſanctione congregari, tua diſpenſatione, & tua adminiſtratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari.

Quatinus divinis monitis parentes, adverſitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo miniſterio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſæculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium conſortia potiri mereantur.

Quod ipſe præſtare dignetur. Qui vivit.

ORDO VII.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis ante annos 400. ſcripto.

INCIPIT ORDO AD REGEM BENEDICENDUM.

DUm neceſſitas expoſcit, & plebs eligit ſibi virum regem, utilem providere debet & ſapientem, ac timentem Deum, qui odiat avaritiam, nec diligat munera; quia ſcriptum eſt, munera excæcant oculos ſapientium, & pervertunt judicium juſtorum. Ipſe autem qui omnibus præeſt eligendus eſt videlicet ab epiſcopis, abbatibus & principibus populi.

Electo autem, conveniant epiſcopi omnes ad civitatem metropolim, quæ

major eſt aliarum merito & dignitate & quæ infra limites eſt regni, ut in Imperio Roma, Conſtantinopolis in Græcia, Vienna in Burgundia, Narbona in Gothia, Remis in Francia, vel ſimiliter in cetera regna. Ipſe autem electus jejunium triduanum devote peragat præcedenti ebdomada, quarta ſcilicet & ſexta feria ac ſabbato. Die autem qua conſecrandus eſt, diligenter compoſitus, & toto ablutus corpore, induat ſuper lineam amphibalum novum & mundum & candidum, ac deſuper marinam purpuram auro decoram. Cum autem convenerint ad majorem eccleſiam civitatis, diligenter inſtruatur & tertio eligatur. Electo autem, incipiat archiepiſcopus Te Deum laudamus, *& priuſquam benedicatur faciat hanc profeſſionem coram omnibus.*

Profiteor coram Deo & angelis ejus à modo & deinceps legem & juſtitiam pacemque ſanctæ Dei eccleſiæ populoque mihi ſubjecto pro poſſe & noſſe facere & conſervare, ſalvo condigno miſericordiæ ſpiritu, ſicut cum conſilio fidelium noſtrorum melius invenire poterimus. Pontificibus quoque eccleſiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab imperatoribus & regibus eccleſiis ſibi commiſſis collata & reddita ſunt inviolabiliter conſervare. Abbatibus & conventibus & vaſſallis Dominicis meis congruum honorem ſecundum conſilium fidelium noſtrorum præſtare.

Cum rex benedicitur, epiſcopi qui adſunt debent ex ſeipſis facere coronam, habentes eum in medio ſuorum, accipiantque eum duo ex epiſcopis priores, offerentes eum metropolitano his verbis dicentes.

Reverende Pater, poſtulat mater eccleſia ut præſentem militem ad dignitatem regalem ſublevetis.

Tunc dicat metropolitanus: Scitis illum eſſe dignum & utilem ad hoc miniſterium? *Tunc reſpondeant illi:* Et novimus & credimus eum eſſe dignum & illuſtrem eccleſiæ Dei. *Tunc reſpondeant omnes:* Deo gratias.

Inclinato eo, incipiat archiepiſcopus conſecrationem excelſa voce in modum orationis.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator omnium, imperator angelorum, rex regum, &c.

Hac oratione finita, accipiat metropolitanus oleum fundens deſuper caput ejus, & dicens hanc orationem in modum legentis, ceteri epiſcopi manibus ſuis caput ejus perungant.

Oratio.

Deus Dei filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre, &c.

Corona regalis impoſitio.

Cum regni corona imponitur, omnes epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis eam tenere debent, metropolitano eam tenente, & capiti ejus imponente & dicente.

Accipe igitur coronam regni, quæ licet ab indignis epiſcoporum manibus capiti tuo imponitur tantum, quamque ſanctitatis gloriam & honorem & opus fortitudinis expreſſam intelligas ſignare, & per hanc te

participem miniſterii noſtri non ignores : itaque ut ſicut nos in interioribus paſtores rectoreſque animarum intelligimur: ita tu quoque contra omnes adverſitates eccleſiæ Dei confeſſor adſiſtas, regnique tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis in vice apoſtolorum omniumque ſanctorum tuo regimini commiſſi utilis exſecutor, regnatorque proficuus ſemper appareas, ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum Redemtore & Salvatore noſtro Chriſto, cujus nomen vicemque gerere crederis, ſine fine glorieris, qui vivit & regnat Deus cum Deo Patre in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio cum ſceptrum datur regi.

Accipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas mulcere pios, terrere reprobos, &c.

Hac omnia facienda ſunt ante altare. Poſtea vero accipiant eum metropolitanus & alius epiſcoporum, & ducant eum ad locum qui ſibi preparatus eſt in eccleſia, exponentes ei dignitatem ſuam ita dicentes:

Regalis ſtatus deſignatio.

Sta & retine locum à modo tibi à Deo delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, &c.

Benedictio regis quando poſitus fuerit in ſolio regni ſui.

Deus qui victrices Moyſi manus in oratione firmaſti, &c.

Item alia benedictio regis.

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, &c.

De benedicenda regina.

Benedictio regina.

Regina cum benedicitur, crine ſoluto, capite cooperto, inter duos epiſcopos ſtare debet. Perducta ante altare, metropolitano eam conſecrante atque benedicente, verſo ad altare dorſo, expleta prius letania ſub brevitate compoſita, qua expleta fundat metropolitanus hanc orationem ſuper eam.

Omnipotens ſempiterne Deus hanc famulam tuam cæleſti benedictione ſanctifica, &c.

Conſecratio.

Adveniat autem rex qui eam pracipit coronari.

Deus honorum cunctorum auctor ac diſtributor, tribue ſuper hanc famulam tuam N. benedictionis gratiæ tuæ copiam, &c.

Hic ponit oleum ſuper caput ejus ita dicendo.

Deus Pater gloriæ ſit tibi adjutor & omnipotens benedicat tibi, &c.

Mox pracipiente rege imponant coronam.

Accipe coronam gloriæ regni, ut ſcias te eſſe conſortem regni, &c.

Ad ſceptrum.

Accipe virgam virtutis & æquitatis, &c.

ORDO VIII.

Ex ms. Pontificali Petri epiſcopi Silvanectenſis, qui obiit anno 1356.

INCIPIT ORDO AD BENEDICENDUM REGEM QUANDO A CLERO ET POPULO NOVUS IN REGNO SUBLIMATUR.

EXeunte illo de thalamo, unus epiſcoporum dicat hanc orationem. Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio, &c.

Poſtea ſuſcipientes eum duo epiſcopi dextra levaque habentes reliquias ſanctorum collo dependentes, ceteri vero clerici caſulis adornati, præcedente ſancto Evangelio, & duabus crucibus, duobuſque thuribulis boni odoris, ducant illum ad eccleſiam cantantes. ℟. Ecce ego mitto. *Cuncta autem plebe eum ſequente, clerus ſubſiſtat, & alius epiſcopus dicat ſequentem orationem.* Deus qui ſuis genus humanum, &c. *Introeuntes clerici præcedentes decantent* ℟. Domine ſalvum fac regem. *Ad introitum chori metropolitanus dicat hanc ſequentem orationem.* Omnipotens Deus cæleſtium, &c. *Deſignatus princeps pallium deponat, atque inter manus epiſcoporum perductus in chorum uſque ad altaris gradus incedat, cunctoque pavimento tapetis & palleolis contecto, ibi humiliter totus in cruce proſtratus jaceat una cum epiſcopis & preſbyteris hinc inde jacentibus: ceteris in choro letaniam pſallentibus, ideſt duodecim apoſtolos & totidem martyres, & Confeſſores, & virgines, ceteraque uſque in finem huic benedictioni convenientia. Finita autem letania, erectus Princeps interrogetur à metropolitano ſi ſanctas Dei eccleſias & earum rectores, & cunctum populum regni juſte & religioſe regali providentia juxta morem patrum ſuorum defendere ac regere velit. Cum autem reſponderit omnia ſe velle proſequi fideliter, divino fretus adjutorio ac ſolatio ſuorum fidelium, faciat profeſſionem in hunc modum.*

Ego N. in nomine Chriſti promitto, ſpondeo, atque polliceor coram Deo & B. Petro apoſtolo me protectorem ac defenſorem hujus Romanæ eccleſiæ in omnibus utilitatibus, in quantum divino fuero fultus adjutorio, ſecundum ſcire meum & poſſe.

Deinde iterum ipſe metropolitanus affatur populum, ſi tali principi ac rectori velit ſe ſubjicere ac juſſionibus ejus velit obtemperare juxta apoſtolum: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, regi quaſi præcellenti. *Tunc ergo à circumſtante clero & populo unanimiter dicatur,* Fiat, Fiat. Amen. *Poſtea vero eo devote inclinato, dicatur hæc oratio ab uno epiſcoporum:* Benedic, Domine, hunc regem noſtrum, &c. *Hanc orationem dicat alius epiſcopus:* Deus inenarrabilis auctor mundi conditor, &c.

Deinde inunguntur pedes, & ſcapulæ, ambæque compages brachiorum ejus de oleo ſancto cum hac oratione: Deus qui es juſtorum gloria, &c.

Benedictio ſuper gladium regi dandum.

Exaudi quæſumus, Domine, preces noſtras & hunc gladium quo famulus tuus, &c.

Dans

Dans regi gladium metropolitanus dicat.

Accinge hunc gladium cum benedictione Dei tibi collatum, in quo per virtutem Sancti Spiritus reſiſtere & ejicere omnes inimicos tuos valeas, atque protegere caſtra Dei per auxilium invictiſſimi triumphatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit & regnat.

Immittens annulum digito regis dicat:

Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc in te fidei ſignaculum catholicæ, & ſicut hodie ordinaris caput, & princeps regni, ita ſis perſeverator & ſtabilitor chriſtianitatis & chriſtianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum Rege regum glorieris, cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum.

Dans ei ſceptrum metropolitanus dicat:

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, &c.

Poſtquam datus eſt regi gladius, dicatur:

Deus qui providentia tua cæleſtia ſimul & terrena moderaris propitiare Chriſtianiſſimo regi noſtro, ut omnis hoſtium ſuorum fortitudo virtute gladii ſpiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante, penitus conteratur. Per.

Benedictio vexilli.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio & triumphantium fortitudo, &c.

Coronans regem archiepiſcopus dicat:

Accipe coronam regni quæ licet ab indignis, &c.

Deinde ſolus metropolitanus benedicat eum.

Benedicat tibi Dominus cuſtodiatque, &c.

Deinde ducatur ab epiſcopis ad ſolium, detque eis oſculum pacis, & cantatur Te Deum laudamus, *quando in ſolio rex ſublimatur, dicat metropolitanus:* Sta & retine locum, &c.

CAPUT XI.

De benedictione principum & ducum.

NON imperatores ſoli & reges olim benedici ſolebant, ſed ipſi etiam principes & duces: quamquam iſtorum benedictio non tantæ antiquitatis extiterit; unde in vetuſtioribus Pontificalibus Ritualibuſque mss. nulla illius apparet uſpiam mentio. Antiquiſſima omnium ea mihi videtur eſſe quam de Arechis principe Beneventano refert Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis libro 1. cap. 9. his verbis: [Hic Arichis primus Beneventi principem ſe appellari juſſit, cum uſque ad iſtum qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur. Nam

Caput XI
De Bened. princip. & duc.
* *f.* chartis.

& ab epiſcopis ungi ſe fecit, & coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis * caſtris ſcriptum *in ſacratiſſimo noſtro palatio* in finem fieri præcepit.] In antiquo vero Pontificali Arelatenſi iſta habetur.

Benedictio principis seu comitis palatini.

DEus qui congregatis in tuo nomine famulis te medium eſſe dixiſti, corona vallante, da gratiam ſacerdotibus quam Abrahæ in holocauſto, Moyſi in exercitu, Eliæ in eremo, Samuel meruit erimitus in templo. Concede, quæſumus, concordiam quam inſpiraſti patriarchis, prædicaſti prophetis, tradidiſti apoſtolis, mandaſti victoribus. Benedic, Domine, hunc principem noſtrum N. quem ad ſalutem populi nobis conceſſiſti, fac eum annis eſſe multiplicem, ut cum maximo corporis robore vivat, & ad finem ultimum pervenire poſſit ætatis. Sit nobis fiducia obtinere pro populo, quam Aaron in tabernaculo, Eliſeus in fluvio, Ezechias in lectulo. Sit illi virtus regendi qualiter Joſue in caſtris, Gedeon ſumſit in prælio, Petrus accepit in clave, Paulus eſt uſus in dogmate, & ita paſtoris aura fiat, ſicut in fruge Iſaac, Jacob eſt dilatatus in grege. Per.

Eamdem benedictionem exhibet Pontificale ms. Guillelmi Durandi Mimatenſis epiſcopi cui præmittit hunc ℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Dominus vobiſcum.*

Paulo ſerius obtinuit benedictio ducum, quæ tamen ante quingentos annos communis erat. Ordinem benedictionis, ducis Aquitaniæ circa finem ſæculi XII. conſcripſit Elias præcentor Lemovicenſis. Circa eadem tempora Johannes in ducem Normannorum benedictus eſt à VValterio Rothomagenſi archiepiſcopo, cujus benedictionis meminit Chronicon Rothomagenſe ad annum 1189. & 1199. apud Labbæum Bibliothecæ novæ tom. I. Illiuſque titus ita deſcribit Matthæus *Paris* ad annum 1199. [Interim comes Johannes Rothomagum veniens in octavis Paſchæ gladio ducatus Normanniæ accinctus eſt in matrice eccleſia per miniſterium VValteri Rothomagenſis archiepiſcopi: ubi archiepiſcopus memoratus ante majus altare in capite ejus poſuit circulum aureum, habentem in ſummitate per gyrum roſulas aureas artificialiter fabricatas. Et dux coram clero & populo juravit ſuper reliquias ſanctorum & ſuper evangelia ſacroſancta, quod ipſe ſanctam eccleſiam & ejus dignitates ſine malo ingenio defenderet, & ordinatos honoraret. Juravit etiam quod leges iniquas, ſi quæ eſſent, deſtrueret, & bonas ſubrogaret.] Benedictionis vero preces ducum in Normannorum coronatione recitari ſolitas edidit Andræas Cheſnius cum antiquis Rerum Normannicarum Hiſtoricis, Aquitanorum & Mediolanenſium accipe.

ORDO I.

Ex ms. codice S. Stephani Lemovicenſis.

Auctior & emendatior edito ad Beſlio.

INCIPIT ORDO AD BENEDICENDUM DUCEM.

Primo debet venire epiſcopus indutus pontificalibus, cum cappa ſerica, & totus chorus indutus cappis ſericis, ad majorem januam eccleſiæ, ſicut in ſolemnibus proceſſionibus cum textu, & thuribulo, & aqua benedicta, & ibidem ante januam eccleſiæ debet dux aſſiſtere; & datur ei ab epiſcopo aqua benedicta, & induit eum clamyde ſerica cum hac oratione.

Omnipotens ſempiterne Deus cæleſtium, terreſtriumque moderator, qui hunc famulum tuum ad ducatus faſtigium dignatus es provehere, concede quæſumus, ut à cunctis adverſitatibus liberatus, & eccleſiaſticæ pacis dono munitus ad æternæ tranquillitatis gaudia, te donante, perveniat. Per Dominum.

Deinde dicatur iſta oratio.

Adſit officiis noſtris, Domine, tuæ virtutis operatio, ut te faciente, N. dux noſter hodie ſublimatus ducatus culmine, populum ſibi ſubjectum efficaci tueatur auxilio, tuo ſemper fultus præſidio.

Poſtea tradat ei epiſcopus annulum B. Valeriæ dicens.

Accipe dignitatis annulum, & per hunc in te catholicæ fidei cognoſce ſignaculum; quia hodie inſtitueris dux & princeps Aquitaniæ, ut fœlix in opere, locuples in fide glorieris cum Domino dominantium, cui eſt honor & gloria.

Poſt hæc imponit epiſcopus capiti ducis circulum aureum dicens:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum ducatus honore dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, ut ita in hujus ſæculi curſu, ſubditos in communem ſalutem diſponat, quatinus à tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum.

Poſtea accipit vexillum epiſcopo dicente:

Accipe virgam virtutis, atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus pandere viam, lapſis manum porrigere, diſperdaſque ſuperbos, & releves humiles, diligas juſtitiam, & odio habeas iniquitatem.

Deinde dicat epiſcopus hanc orationem.

Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe ſubſiſtere, concede propitius, ut famulus tuus, quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur auxilio, quatinus quibus præeſſe potuit, prodeſſe prævaleat. Per.

Poſt hæc dux ita ornatus ingrediatur eccleſiam, epiſcopo eum ſuſtentante, & choro ſubſequente, & præcentore incipiente: Honor virtus. *Accedat ad altare, & accipiat enſem ab epiſcopo, & calcaria à decano, dicente epiſcopo:*

Accipe gladium in defenſionem ſanctæ Dei eccleſiæ divinitus ordinatum, & eſto memor illius, de quo pſalmiſta prophetavit dicens:

Caput XI. De Bened. princip. & duc.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ut in hoc per eum qui eſt Dominus dominantium vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei eccleſiam ejuſque fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos, quam chriſtiani nominis hoſtes execres ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adjuves ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves, ulciſcaris injuſta, confirmes bene diſpoſita, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo Patre.

Ibidem debet dux vovere, & ſub juramento promittere ſe pro poſſe ſuo conſervaturum & defenſurum jura Lemovicenſis eccleſiæ. His peractis, dux redeat in chorum, & præcentor collocet eum in ſede decani, & audiat miſſam cum devotione, in qua dicet epiſcopus has orationes.

Deus qui miro ordine univerſa diſponis, & ineffabiliter gubernas, præſta quæſumus, ut famulus tuus N. dux Aquitaniæ hæc in hujus ſæculi curſu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere prævaleat. Per.

Concede quæſumus, omnipotens Deus, his ſacrificiis ſalutaribus placatus, ut famulus tuus N. ad peragendum ſuæ dignitatis officium, inveniatur ſemper idoneus, & cœleſti patriæ reddatur acceptus. Per.

Ad hæc celebrata miſſa, ante Agnus Dei, *iterum redeat dux ad altare, & ibidem proſternat ſe, epiſcopo dicente ſuper eum hanc benedictionem.*

Benedicat tibi Dominus, cuſtodiat te; & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe ducem, ita in præſenti ſæculo eſſe felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem, concedatque tibi contra omnes fidei chriſtianæ hoſtes viſibiles & inviſibiles victoriam triumphalem, & pacis & quietis feliciſſimum te fieri longe lateque fundatorem, quatenus te gubernacula Aquitaniæ tenente, populus tibi ſubjectus, chriſtianæ religionis jura cuſtodiens, undique tutus pace tranquilla perfruatur, & te in concilio beatorum principum collocato, æterna felicitate ibidem tecum pariter gaudere mereatur. Per.

Poſt Complet. Oratio.

Deus qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordi N. ducis noſtri inviolabiliter caritatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari. Per.

Poſt conſummationem miſſæ redeat iterum dux ad altare, & offerat ibi clamydem, circulum aureum, annulum & vexillum. Hoc facto dicatur ab epiſcopo iſta oratio.

Deus à quo omnis poteſtas in cœlo & in terra, da quæſumus, ut N. dux noſter, quem tua permiſſione voluiſti populo præferre, ſic regatur tuo moderamine, ut non dominetur ei in ſuperbia & abuſione, ſed in omni humilitate & juſtitia procedente à Patre, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Hac dicta ſtatim ſubſequatur oratio iſta.

Deus qui es ſalus omnium, ſalvum fac ſervum tuum N. ducem noſtrum in corrigendo exceſſus delinquentium, & conterendo vitia ca-

tholicam fidem pervertentium. Per Dominum.

Hac finita, in continenti dicatur & iſta.

Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, luce ſapientiæ ſalutaris illuſtra N. ducem noſtrum, ut ſecundum ſalutare tuum recta ſapiat, & juſta decernat. Per.

His rite peractis, dux lætus in Domino cum Dei gratia revertatur ad propria reddendo in die ſolemnitatis ſuæ & lætitiæ canonicis eccleſiæ S. Lemovicenſis, quæ deceant conſueti emerita ſtipendia convivii.

Hic ordo benedicendi ducis ab Elia præcentore S. Stephani digeſtus eſt, prout ab honorabilibus & providis viris, qui noverant, acceperat, ut docet codex ms. vivebat autem Elias ſub finem ſæculi xij. aut ineunte xiij.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Laudenſis.

ORATIONES INFRA SCRIPTÆ PRO DUCE RECIPIENDO.

Oratio.

QUæſumus omnipotens Deus, ut famulus tuus Franciſcus dux noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit ducatus gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat pervenire. Per.

Deus regnorum omnium chriſtiani maxime protector imperii, da famulo tuo Galeas Maria duci noſtro triumphum virtutis tuæ ſcienter excolere, ut qui conſtitutione dux eſt, tuo ſemper munere ſit potens. Per.

Benedic ✝, Domine quæſumus, hunc ducem noſtrum Galeam Mariam quem ad ſalutem populi nobis à te credimus eſſe conceſſum. Fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis robore vigentem, ad ſenectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo quam Aaron in tabernaculo, Elizæus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in templo. Sit nobis regendi auctoritas qualem Joſue ſuſcepit in caſtris, Gedeon ſumſit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus eſt uſus in dogmate, & ita paſtorum cura ſuum proficiat in ovile, ſicut Iſaac profecit in fruge, & Jacob eſt dilatatus in grege. Per.

Deus Pater æternæ gloriæ ſit adjutor tuus & protector & omnipotens. Benedicat tibi, preces in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, thronum ducatus tui jugiter firmet & gentem in æternum populumque tuum conſervet, & inimicos tuos in confuſione inducat, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat, ut qui tibi tribuit in terris ducatum, ipſe in cælis conferat & præmium. Per.

CAPUT XI. *De Bened. princip. & duc.*

SUPER PRÆTORE SEU COMMISSARIO VEL CAPITANEO.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, da huic famulo tuo N. prætori ſeu commiſſario vel capitaneo hujus civitatis & diſtrictus ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique jugiter placere valeat. Per.

CAPUT XII.

De benedictione novi militis.

CAPUT XII. *De bened. novi militis.*

Milites create & ordinare proprie pertinet ad principes, qui eos cum ſolemni pompa & lætitia præcipuis feſtiſque diebus cingulo donare ſolebant. At cum eccleſia abhorreat à ſanguine, benedictionem novi militis in antiquis pontificalibus libris quos mihi ſumma cum diligentia & magno numero perluſtrare licuit, nuſquam deprehendi, nam quæ in fine Ordinis Romani edita habetur, extra ordinem ex recentiori aliquo codice deſumta videtur. Immo plerique chriſtianæ pietatis æmuli militiam in viro chriſtiano tamquam rem illicitam ſuſpexerunt. Hinc illa S. Martini ad Julianum vox intrepida: [Chriſti enim ſum miles, pugnare mihi non licet.] Obtinebat tamen jam ante annos 500. militum ab epiſcopis benedictio; id quod probat VVillelmi cardinalis epiſtola apud Cheſnium Hiſt. Franc. tom. 4. p. 765. ad quemdam amicum ſuum ita ſcribentis: [Ceterum nepotem tuum, de quo affectuoſiſſime rogaſti, homini honeſto & religioſo epiſcopo de Saliſb. tradidimus, quatenus uſque ad feſtum S. Mariæ ipſum militari cingulo honoret.] An vero de hujuſmodi benedictione intelligendus eſt locus Orderici Vitalis in Hiſtoriæ lib. 8. ubi de Henrico Guillelmi Conqueſtoris filio ita ſcribit: [Hunc Lanfrancus Dorobernenſis epiſcopus dum juvenile robur attingere vidit, ad arma pro defenſione regni ſuſtulit, eumque lorica induit, & galeam capiti ejus impoſuit, eique ut regis filio, & in regali ſtemmate nato, militiæ cingulum in nomine Domini cinxit.] Ritus autem & preces in hujuſmodi creatione novi militis quales in Pontificali Biſuntino & in eo quod digeſſit Guillelmus Durandus reperimus accipe.

Ex ms. Pontificali Biſuntino.

DUM QUIS JUVENIS CUPIT SE IN PRIMIS ACCINGI GLADIO.

Benedictio enſis.

DEus cuſtos & in te ſperantium protector, adeſto ſupplicationibus noſtris, & concede huic famulo tuo, qui ſincero corde gladio ſe primum nititur præcingere, uti in omnibus galea tuæ virtutis ſit protectus, & ſicut David & Judith contra gentis tuæ hoſtes fortitudinis tuæ potentia victoriam tribuiſti: ita tuo auxilio munitus contra hoſtium ſuorum ſævitiam victor ubique exiſtat, & ad ſanctæ eccleſiæ tutelam proficiat. Per.

Alia.

Deus qui trinos gradus hominum poſt lapſum Adæ in toto orbe terrarum conſtituiſti, quo plebs tua fidelis immunis ab omni impetu nequitiæ ſecura & quieta permaneret, adeſto ſupplicationibus noſtris, & hunc enſem quem invocatione tui nominis benedicimus; ita famulus tuus cui eum te largiente concedimus & accingimus utatur: quatenus & hoſtes eccleſiæ Dei inſidiantes reprimat, & ſeipſum ab omni fraude inimici tua protectione potenter defendat. Per.

Ex ms. Pontificali Guillelmi Durandi.

DE BENEDICTIONE NOVI MILITIS.

IN *benedictione novi militis hoc modo proceditur. Pontifex enim priuſquam dicatur evangelium. Benedicat enſem ejus:* Exaudi quæſumus, Domine, preces noſtras & hunc enſem, &c. *Alia benedictio.*

Benedic, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem, &c. *Poſſent etiam hic dici aliæ benedictiones armorum quas require infra in benedictione armorum.*

Armis itaque benedictis, cingat illi enſem præmittens: Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium. *Et dictis tribus primis verſibus cum* Gloria Patri. *dicitur* ℣. Salvum fac ſervum tuum. Eſto ei Domine. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, &c.

Poſt hæc pontifex enſem nudum ſumit de altari, & ponit illum in dextra manu illius dicens: Accipe gladium iſtum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, &c. *Deinde enſe in vagina repoſito, cingit illi enſem cum vagina, & cingendo dicit:* Accingere gladio tuo ſuper femur potentiſſime, &c.

Digitized by Google

Caput XII. De Bened. novi militis.

Enſe igitur acto, miles novus illum de vagina educit, & evaginatum ter in manu vibrat. Et eo ſuper brachio terſo, mox in vaginam reponit. Quo facto inſigniens illum caractere militari, dat illi oſculum pacis dicens : Eſto miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo devotus. *Et mox dat ſibi alapam leviter, dicens* : Exciteris à ſomno malitiæ, & vigila in fide Chriſti & fama laudabili.

Tunc nobiles aſtantes imponunt ſibi calcaria, ubi hoc fieri mos eſt, & cantatur antiphona : Specioſus forma præ filiis hominum, accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus hunc famulum tuum N. &c.

Ultimo dat illi vexillum, ubi hoc fieri mos eſt, cujus vexilli benedictionem require infra de benedictione armorum.

Benedictionem crucis & ordinem ad benedicendos milites eam adverſus hoſtes fidei ſuſcipientes ex ceremoniali Paridis Graſſi deſcribit Odoricus Rainaldus ad annum 1500.

CAPUT XIII.

De benedictione ac dedicatione eccleſiarum.

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

I. INTER ſolemnes eccleſiæ cæremonias, quæ fidelium fovendæ pietati inſtitutæ ſunt, vix ulla umquam baſilicarum dedicatione extitit illuſtrior. Nam ſive rei ipſius naturam ſpectes, ſive multiplicem rituum apparatum, ſive miniſtrorum dignitatem; omnia neſcio quid ſanctum ac religione chriſtiana dignum ſpirant, quo mens à rebus terrenis abſtracta ad cæleſtia miro prorſus modo rapiatur. Neque enim qualiſcumque domus, ſed templum, & templum Altiſſimo conſecratur; in quo non taurorum aut vitulorum caro mactatur, ſed Corpus & Sanguis Agni immaculati in ara crucis pro nobis ſemel immolati in ſacrificium offertur. Conſecratur, inquam, idque tam multiplici rituum genere, ut iis omnibus explendis vix horæ diei plures ſufficiant. Ad cujus dedicationis ſolemnitatem illud accedit, quod non niſi in communi epiſcoporum concilio perageretur. Nam etſi unius dumtaxat epiſcopi mentionem faciant libri rituales & pontificales tam veſtutiſſimi quam recentiores : certum eſt nihilominus plures olim ad baſilicarum dedicationem, præſertim inſignorum, pontifices convocatos fuiſſe, eoſque tunc concilia celebrare ſolitos : id quod infinitis prope exemplis comprobari facile poſſet.

Eccleſiæ olim à pluribus epiſ.

II. Certe cum Conſtantinus primus imperatorum chriſtianus magnificentiſſimam Hieroſolymis conſtruxiſſet eccleſiam; epiſcopos in concilio

Tyrenſi

Tyrenſi ex omnibus provinciis congregatos eo advocavit, ut eam ſolemni ritu dedicarent. Ita tradunt Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 43. & Sozomenus lib. 2. cap. 26. cujus verba maxime notanda ſunt. Narrat enim Conſtantinum epiſtolam epiſcopis direxiſſe, [qua eos hortabatur ut confeſtim Hieroſolyma profecti, eccleſiam illic dedicarent. Iſtud vero cum diu antea decreviſſet, neceſſarium tamen cenſuerat, ut epiſcopi prius in urbe Tyro congregati privatas inter ſe ſimultates componerent: atque ab omni diſcordia & offenſione purgati ita demum ad eccleſiæ dedicationem accederent: Ejuſmodi enim feſtivitati aptiſſime convenire concordiam ſacerdotum.] Decretum ſane imperatoria pietate ac majeſtate dignum. Theodoritus Hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 31. non unam ſed plures ab epiſcopis eccleſias dedicatas fuiſſe indicat: [Imperator, inquit, univerſum concilium, relicta Tyro, Æliam proficiſci juſſerat, alioſque complures undequaque eo convenire præceperat, ut baſilicas ab ipſo conſtructas dedicarent.]

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Epiſcopis ad celebranda concilia congregatis dedicatæ.

III. Aliam idem Auguſtus nec minori forte magnificentia Antiochiæ baſilicam cœperat, quam cum Conſtantius ejus filius tandem perfeciſſet, Euſebius Nicomodienſis, qui Conſtantinopolitanam jam ſedem invaſerat, eo concilium congregari curavit, [prætextu quidem dedicandæ eccleſiæ quam auguſtorum pater Conſtantinus cœperat,] inquit Socrates lib. 2. cap. 8. ſed revera ut conſubſtantialitatis fidem deſtruerent, ac decreta concilii Nicæni abrogarent. Huic concilio ac dedicationi eccleſiæ interfuere epiſcopi ſeptem & nonaginta ut docet idem Socrates, cui concinit Sozomenus lib. 3. cap. 5. Nec multo poſt [Eudoxio in urbe regia ſacerdote conſtituo, magna eccleſia quæ Sophia cognominatur dedicata eſt conſulatu Conſtantii decimo & Juliani Cæſaris tertio, quintodecimo die menſis Februarii,] coacta in Urbe ſynodo epiſcoporum, ut innuit idem Socrates lib. 2. cap. 39. Auctor eſt etiam Sozomenus lib. 4. c. 13. Baſilium epiſcopum [ad dedicationem eccleſiæ à ſe conſtructæ multos vicinarum urbium epiſcopos] Ancyram convocaſſe.

IV. Neque porro exiſtimandum eſt id orientali dumtaxat eccleſiæ extitiſſe ſingulare. Nam in occidente idem prorſus uſus paſſim invaluit. Id probant concilium Arauſicanum I. anno 441. celebratum cap. 10. & Arelatenſe II. cap. 37. cum ſtatuunt ut [ſi etiam quicumque eccleſiam ædificaverit, & alium magis, quam eum in cujus territorio eſt, invitandum putaverit: tam ipſe cui contra conſtitutionem vel diſtrictionem gratificari vult, quam omnes epiſcopi, qui ad hujuſmodi dedicationem invitantur, conventu abſtinebunt.] Non unus ergo, ſed plures ad baſilicarum dedicationem invitabantur epiſcopi. Idem evincitur ex concilio Arelatenſi IV. anno 524. coacto, cujus præfatio ſic incipit: [Cum in voluntate Dei ad dedicationem Baſilicæ S. Mariæ in Arelatenſi civitate ſacerdotes Domini conveniſſent,] &c. Et ex præfatione concilii Arauſicani II. quinquennio poſt Arelatenſe quartum celebrati, in qua congregati Patres ſic loquuntur: [Cum ad dedicationem Baſilicæ quam illuſtriſſimus præfectus & patricius filius noſter Liberius in Arauſica

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

civitate fideliſſima devotione conſtruxit, Deo propitiante & ipſo invitante, conveniſſemus.]

Luculentus ejuſdem conſuetudinis teſtis eſt Fortunatus Pictavorum epiſcopus lib. 3. carmine 6. ad Felicem epiſcopum de dedicatione eccleſiæ ita canens:

Convocat egregios ſacra ad ſolemnia Patres.

Et infra.

Hinc te pontifices circumdant inde miniſtri.

Hos inter pontifices recenſet Euphronium Turonenſem, Domitianum, Victorium, Domnulum & Maracharium. Narrat etiam Fredegarius in Chronico cap. 1. Guntramnum Burgundionum regem ædificato in ſuburbio Cabilonenſi martyri Marcello templo, ſynodum epiſcoporum XL. ibidem congregaſſe, ad illius haud dubium dedicationem. His longe plura adjicere poſſem exempla. Anno 777. perfecta Laureshamenſis templi fabrica, Lullus Moguntinus pontifex cum quatuor aliis epiſcopis illud conſecravit ex Chronico ejuſdem monaſterii. Tempore vero Ludovici Pii imperatoris Paſchalis I. papa cum collegio ſacro epiſcoporum & cardinalium Baſilicam monaſterii S. Vincentii de Vulturno dedicavit. Anno 990. Richardus Normannorum dux ad dedicationem Fiſcamnenſis eccleſiæ epiſcopos quatuordecim convocavit. Non multo poſt Herveus S. Martini Turonenſis Theſaurarius, reſtaurata S. Confeſſoris baſilica, [accerſitiſque plurimarum urbium epiſcopis, opus prædictum conſecrari ſtuduit,] ut loquitur Glaber Rodulphus lib. 3. cap. 4. circa idem tempus anno ſcilicet 1015. crypta monaſterii S. Michaelis à S. Bernardo Hildesheimenſi epiſcopo, Eggehardo Sleſevvicenſi, Theoderico Mimigardevordenſi dedicatur, anno vero 1022. cum abſolutum eſſet ejuſdem monaſterii templum, ab eodem Bernardo Hildesheimenſi aliiſque tribus epiſcopis conſecrarum eſt, ex Vita ejuſdem capp. 39. & 40. apud Surium 20. Nov. In Chronico Lemovicenſi apud Labbæum Bibliothecæ novæ tom. 1. ad annum 1028. conſignatur *dedicatio eccleſiæ Salvatoris mundi ab epiſcopis undecim*, quorum nomina commemorat. Similia exempla videre eſt in Chronico Andegavenſi ad annum 1062. & in Dolenſi ad annum 1106. In Caſſinenſi lib. 3. cap. 30. & lib. 4. 8. In Savignienſi Miſcellaneorum Baluzii tom. 2. In conſecratione Gemeticenſis, Beccenſis, & Cadomenſis S. Stephani eccleſiarum in collectione conciliorum Normanniæ, ut alias interim plurimas dedicationes prætermittam.

Epiſcopi non ſolum ut teſtes, ſed ut coadjutores miniſtri dedicationibus intererant.

V. Ceterum non ſolum ut ſpectatores & teſtes, quod forte exiſtimabit aliquis, ſed ut coadjutores & miniſtri ad hujuſmodi eccleſiarum dedicationes convocabantur epiſcopi, in quibus ſuas quique partes adimplebant, ut conſtat ex citatis jam ſcriptoribus quorum pars maxima, cum epiſcoporum dedicationibus adſiſtentium mentionem facit, eos aſſerit eccleſias dedicaſſe, ſignantius vero id elucebit ex quatuor ſubſequentibus exemplis. Primum repetitur ex actis concilii Remenſis ſub Leone IX. in quibus agitur de dedicatione inſignis baſilicæ archimonaſterii

S. Remigii ab eodem pontifice peracta, ubi inter alia ad propoſitum noſtrum hæc lego: [Dum itaque agitur illa circuitio extra civitatis muros; domnus papa, convocatis epiſcopis, intra dedicandi monaſterii abdita ſingulis ſingula ad conſecrandum delegavit altaria: Remenſem vero archiepiſcopum cum Liſoienſi epiſcopo ternam circuitionem cum crucibus & ſanctorum reliquiis ſecundum eccleſiaſticum ordinem exterius conſtituit agere, ibique conſecrationis officium adimplere: ipſe vero cum ſibi neceſſariis remanens interius, divini tabernaculi ſanctificationem ſtrenue diligenterque exequitur.] Alterum ſubminiſtrat Leo Marſicanus in Chronici Caſſinenſis libro 3. cap. 3. ubi agitur de dedicatione eccleſiæ S. Benedicti à Deſiderio abbate reſtauratæ, ab Alexandro papa ſecundo peracta, cui interfuere archiepiſcopi decem, epiſcopi quadraginta tres. In ea ſiquidem Apoſtolicus altaria duo ſancti ſcilicet Benedicti & S. Johannis conſecravit, altare B. Mariæ Johannes epiſcopus Tuſculanus, Altare S. Gregorii Hubaldus Savinenſis, altare vero S. Nicolai Eraſmus epiſcopus Segrinus. Tertium habemus in dedicatione eccleſiæ Majoris-monaſterii Turonenſis ab Urbano papa ſecundo, in qua Rodulfus Turonicæ civitatis antiſtes, qui jam decennio monachos Majoris-monaſterii perſequebatur, jubente papa, ſanctorum pignora ſub dominico altari propriis manibus collocavit, ſanctaſque reliquias una cum Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo ex capella infirmorum, ubi pernoctarant, propriis adportavit humeris. Inſuper vero alphabetum latinum, Rangerius vero ex monacho ejuſdem monaſterii ob egregias virtutes factus archiepiſcopus Regienſis & cardinalis græcum deſcripſit. Cimiterium vero ab eodem Rangerio & Brunone Signienſi epiſcopo ſacratum eſt. In dedicatione etiam Uticenſis baſilicæ teſte Orderico Vitali lib. 10. hiſt. ad annum 1099. [Giſlebertus Luxovienſis epiſcopus conſecravit principalem aram in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Petri apoſtolorum principis, ac S. Ebrulfi confeſſoris: & Giſlebertus Ebroicenſis altare ad auſtrum in honore omnium apoſtolorum principis. Serlo autem aram in honore omnium martyrum.] Deinde alia ſequentibus diebus altaria cum crucifixo conſecrarunt. Verum nihil majus aut illuſtrius afferri poteſt his quæ ſcribit Sugerius in libro de Conſecratione eccleſiæ S. Dionyſii: [Summo, inquit, mane archiepiſcopi, epiſcopi, de propriis hoſpitiis cum archidiaconis & abbatibus, & aliis honeſtis perſonis ad eccleſiam accedentes, epiſcopaliter ſe componebant, & ad dolium pro conſecratione aquarum ſuperius inter ſanctorum martyrum ſepulturas & S. Salvatoris altare ſatis decenter, ſatis venerabiliter aſſiſtebant. Videres, & qui aderant non ſine devotione magna videbant tot tantorum choream pontificum, veſtibus albis decoram, mitris pontificalibus & circinnatis aurifriſiis pretioſis admodum comatam, paſtorales virgas tenere, circumcirca dolium ambire, nomen Domini exorcizando invocare, tam glorioſos & admirabiles viros æterni ſponſi nuptias tam pie celebrare, ut potius chorus cæleſtis, quam terrenus, opus divinum quam humanum tam Regi quam aſſiſtenti nobilitati videretur

Caput XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

apparere. Populus enim pro intolerabili magnitudinis ſuæ impetu foris agebatur: & dum chorus præfatus aquam benedictam extra cum hyſopo eccleſiæ parietes virtuoſe aſpergendo projiciebat, Rex ipſe ejuſque decuriones tumultuoſum impetum arcebant, & virgis & baculis regredientes ad portas protegebant.] Ecce in tota hac deſcriptione omnes epiſcopi epiſcopaliter induti ſimul aquam benedicere, & ea parietes templi adſpergere egregie repræſentantur. Deinde peracto ſanctæ conſecrationis myſterio cum perventum eſt ad ſanctarum reliquiarum repoſitionem, narrat eas ab epiſcopis ſex fuiſſe delatas, quibus Ludovicus rex ſeptimum ſe adjunxit. In conſecratione altarium deſinit Sugerii narratio imperfecta apud Cheſnium, at illius ſupplementum habemus in Mabillonii Analectorum tomo 1. ex quo diſcimus viginti quatuor aras à viginti quatuor epiſcopis quorum nomina cuique adſignat altari, conſecratas fuiſſe [qui omnes, inquit, tam feſtive, tam ſolemniter, tam diverſi, tam concorditer, tam propinqui, tam hilariter ipſam altarium conſecratione miſſarum ſolemnem celebrationem ſuperius inferiuſque peragebant, ut ex ipſa ſui conſonantia & cohærente harmoniæ grata melodia, potius angelicus, quam humanus concentus æſtimaretur.] His adjicere poſſem ea quæ ſcribit Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 45. ubi agit de dedicatione eccleſiæ Hieroſolymitanæ poſt ſynodum Tyrenſem: [At ſacerdotes Dei partim precationibus, pertim ſermonibus feſtivitatem ornabant. Alii ſiquidem comitatem religioſi imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant & martyrii magnificentiam oratione proſequebantur. Alii ſacris theologiæ dogmatibus ad præſentem celebritatem accommodatis ſpirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam ſacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & myſticos ſenſus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aſpirare non poterant, incruentis ſacrificiis & myſticis immolationibus Deum placabant.]

Dedicatio ab epiſcopo diœceſano facta.

VI. Ex dictis hactenus luce clarius patet epiſcopos qui ad eccleſiarum dedicationes convocabantur, non ſolum teſtes, ſed etiam conſecrationis adjutores extitiſſe: quamquam unus ex illis principalis conſecrator ſemper exstiterit. Is eſſe ſolebat diœceſanus epiſcopus. Hinc capiendus eſt canon 10. concilii Arauſicani I. & canon 36. concilii Arelatenſis II. [Si quis epiſcopus in alienæ civitatis territorio eccleſiam ædificare diſponit.... non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervanda eſt, in cujus territorio eccleſia aſſurgit:] Et canon 23. Synodi S. Patricii. [Si quis preſbyterorum eccleſiam ædificaverit; non offerat antequam adducat ſuum pontificem, qui eam conſecret, quia ſic decet.]

Sed in Italia cum permiſſu papæ.

In Italia tamen id non præſumebant vel ipſi diœceſani epiſcopi, niſi impetrata prius à Summ Poontifice facultate: unde Gelaſius papa epiſtola 9. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos ſcribens cap. 4. [Baſilicas, inquit, noviter inſtitutas non petitis ex more præceptionibus dedicare non audeant.] Et infra cap. 25. nonnullos redarguit qui [abſque præcepto ſedis apoſtolicæ.... ſacras eccleſias vel

oratoria ſacrare] præſumſerant. Id paſſim videre eſt in epiſtolis S. Gregorii papæ, in quibus hujuſmodi facultatem epiſcopis concedit. Ita lib. 5. epiſt. 45. ſcribens ad Leontium epiſcopum Ariminenſem. [Baſilicam, inquit, B. Stephani martyris quam fraternitas veſtra incendio aſſerit concrematam, quam etiam nuper inſtauratam eſſe commemorat, facultatem tribuimus dedicandi,] &c.

Vigiliæ coram reliquiis pridie ante dedicationem.

VII. Convocatis igitur epiſcopis, pridie ante eccleſiæ dedicationem ſolemnes ſub papilionibus aut in vicinis eccleſiis agebantur vigiliæ coram ſacris reliquiis in conſecranda baſilica ſequenti die recondendis, ad quas ſolidam integramque noctem inſumebant. Id teſtantur non ſolum noſtri libri Rituales mss. tam antiqui quam recentes permulti, ſed etiam auctores non pauci. S. Ambroſius epiſtola 22. ad Marcellinam ſororem ſcribens de dedicatione baſilicæ Ambroſianæ : [Quid multa condivimus integra ad ordinem. Tranſtulimus veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ, ibi vigiliæ tota nocte, manus impoſitio, ſequenti die tranſtulimus ea in baſilicam quam appellant Ambroſianam.] Cyrillus Scytopolitanus in Vita S. Euthymii agens de dedicatione eccleſiæ, quam Fidus in Laura S. Euthymii conſtruxerat. [Hoc miraculo cognito, archiepiſcopus Martyrius multa cum magnificentia in dedicationem monaſterii advenit, celebrata eſt vigilia cum inſigni luminum apparatu, & ſynaxim agentes ſub altare depoſuerunt reliquias ſanctorum & egregiorum victorum martyrum Tarachi, Probi & Andronici.] Gregorius Turonenſis eccleſiam S. Juliani dedicaturus pridie ejuſdem ſancti reliquias incipiente nocte in baſilicam S Martini detulit, ubi [depoſitis ſuper altarium ſacroſanctis reliquiis, vigilata nocte, cum grandi pſalterio,] ſequenti die in prædictam eccleſiam tranſtulit, uti ipſe narrat in lib. 2. de Gloria Martyrum cap. 34. & capite ſequenti ejuſdem vigiliæ iterum mentionem facit. Libro etiam de Gloria Confeſſorum cap. 20. agens de dedicatione oratorii ſui : [Concepit inſpirante divinæ pietatis inſtinctu animus, ut cellulam valde elegantem, quam S. Euphronius ad uſum promptuarii habuerat, fideliter dedicarem : qua diligenter compoſita, & altari ex more locato, ad baſilicam ſanctam vigiliis noctem unam ducentes, mane vero venientes ad cellulam, altare quod erexeram ſanctificavimus. Regreſſique ad baſilicam ſanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique martyrum & etiam B. Illidii exinde radiantibus cereis crucibuſque admovimus.] Idem videre eſt in actis concilii Remenſis, ſub Leone IX. in quibus pridie quam eccleſia S. Remigii ab eodem Pontifice dedicaretur, corpus ejuſdem ſancti in eccleſiam B. Mariæ delatum dicitur, & coram eo monachi primum, deinde ſucceſſive canonici vigilias egiſſe memorantur. Prætereo dedicationem Majoriſmonaſterii ab Urbano II. in qua vigiliæ præcedenti nocte in infirmorum oratorio celebratæ ſunt ; ſed audiendus eſt iterum Sugerius in libello de Conſecratione eccleſiæ S. Dionyſii. [Die ſabbati proxime ſanctorum corpora de ſuis aſſumentes oratoriis, ex conſuetudine in palliatis

Caput XIII *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

tentoriis in exitu chorum decentiſſime reponendo locavimus.... Pernoctantes itaque tota nocte veſpertina matutinorum ſynaxi in laudem divinitatis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum .... quatenus pro ſuo honore..... non tantum potentialiter, ſed etiam perſonaliter adeſſe dignaretur, devotiſſime flagitabamus.]

Eccleſiæ abſque reliquiis non dedicatæ.

VIII. Ex his lectores facile colligere poſſunt, non dedicatas olim eccleſias abſque reliquiis ſanctorum, quæ ſacris includerentur altaribus. Hinc S. Ambroſius in epiſtola 22. ad Marcellinam ſororem: [Succedant victimæ triumphales in locum ubi Chriſtus hoſtia eſt: ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt: iſti ſub altari, qui illius redemti ſunt paſſione.] Et S. Paulinus in epiſt. 32. novæ editionis ad Severum. [Verum hanc quoque baſilicam de benedictis apoſtolorum reliquiis ſacris cineribus in nomine Chriſti ſanctorum ſancti martyrum martyris, & dominorum Domini conſecrabunt.] Hujuſmodi veterum teſtimonia non paucas opplere poſſem paginas, præſertim ex Gregorio Turonenſi lib. 3. de Miraculis S. Martini cap. 8. 35. & 51. & lib. 4. cap. 8. libro 1. de Gloria Martyrum cap. 30. 32. 41. 51. lib. 2. c. 34. 40. & ultimo, lib. de Gloria Confeſſorum cap. 2. 20. 99. lib. de Vit. Patrum cap. 8. 15. & lib. 10. Hiſt. cap. 31. Ex Gregorio Magno lib. 1. Dialog. cap. 10. & in epiſtolis paſſim, ex Actis S. Saturnini martyris & S. Theodoti apud Ruinartium ut alios interim plurimos prætermittam.

Reliquiæ tamen illæ non ſemper erant ſanctorum corpora aut partes illorum aliquæ.

IX. Reliquiarum autem nomine non ſemper intelligebant integra ſanctorum corpora, ſeu inſignes eorum portiones, ſed quæcumque illorum fuerant uſui, aut eorum contactu conſecrata fuiſſent. Ita Bertramnus Burdigalenſis de quodam Sudario reliquias, ubi eccleſias conſecrabat, in altari collocabat ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Mart. cap. 32. Ita in Arvernenſi S. Symphoriani eccleſia tres lapilli ſanguine S. Martyris tincti reconditi leguntur ejuſdem libri cap. 51. Et libro 2. capite 34. narrat in dedicata à ſe Turonenſi S. Juliani eccleſia aliud nihil in altari repoſitum fuiſſe quam fimbrias ex palla quæ deſuper ſancti martyris ſepulcrum dependebat. Cap. 40. agens de Baſilica S. Juliani ab Aredio abbate conſtructa: [Veniens, inquit, ſacerdos ad dedicandam ædem..... nihil aliud pro reliquiis in ſanctum altare condere voluit, niſi vaſculum cujus aqua in balſamum commutata fuerat dicens: Hæ ſunt certe reliquiæ, quas martyr paradiſiacis virtutibus illuſtravit.] In libro etiam de Vitis Patrum cap. 8. agens de S. Nicetio Lugdunenſi epiſcopo [Ad nos quoque facitergium dependentibus villis intextum, quod ſanctus ſuper caput in die obitus ſui habuit perlatum: quod nos tamquam cæleſte munus ſuſcepimus. Factum eſt autem ut poſt dies plurimos ad benedicendam eccleſiam in parochia Paternacenſi urbis Turonicæ invitaremur. Acceſſi, fateor, ſacravi altare, decerpſi fila de linteo, locavi in templo,] &c. Idemque ſe in aliis baſilicarum altaribus feciſſe aſſerit. Atque hujuſmodi videntur fuiſſe reliquiæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli SS. Laurentii & Pancratii martyrum quas Palladio San-

ctonenſi epiſcopo miſit S. Gregorius papa epiſt. 50. lib. 5. ad dedicanda quatuor altaria, quæ in baſilica ab eo conſtructa manſerant inconſecrata. Improbat tamen Ordericus Vitalis cum hujuſmodi reliquiis fieri conſecrationes altarium, idque præſumentes temeritatis nota inurere non formidat. Nam lib. 7. Hiſt. Eccleſ. agens de Tranſlatione S. Nicolai in civitatem Barenſem poſtquam dixit plurimos fruſta de marmorea urna ſive ſepulcro S. Antiſtitis quam ruperant abſtuliſſe, addit: [Ex quibus à multis pontificibus per Italiam multa altaria tabulæque temerarie conſecratæ ſunt.]

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

Eccleſiæ aliquando abſque reliquiis conſecratæ.

X. Quamvis autem ab initio cum ſacris ſanctorum pignoribus dedicatæ fuerint baſilicæ; fatendum tamen eam conſuetudinem non ſtatim ubique receptam fuiſſe: immo eam eccleſiæ Romanæ aliarumve quæ ad illius uſum inſtitutæ fuerant, peculiarem fuiſſe, non obſcure innuit S. Ambroſius epiſt. 22. ad Marcellinam ſororem ſic ſcribens; [Nam cum ego baſilicam dedicaſſem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt dicentes, ſicut Romanam baſilicam dedices, reſpondi faciam ſi martyrum reliquias invenero.] Proprium ergo Romanæ erat eccleſiæ baſilicas cum reliquiis dedicare, alioquin martyrum ſacra pignora, ut eccleſiam Romano ritu dedicaret, non requiſiſſet Ambroſius. In Galliis etiam nonnumquam ſine reliquiis conſecrabantur eccleſiæ. Teſtis Gregorius Turonenſis in lib. 1. de Gloria Martyrum, ubi narrat tempore Clodomeri regis reliquias depoſitas fuiſſe [in altari Novicenſis eccleſiæ, ubi nulla adhuc ſanctorum pignora habebantur.] Et libro de Vit. Patrum cap. 8. [Cum apud vicum Priſciniacenſem, inquit, urbis Turonicæ eccleſia dudum conſtructa abſque ſanctorum pignoribus habebatur. Cumque incolæ locorum plerumque peterent, ut eam quorumpiam ſanctorum pignoribus ſacraremus; de ſupradictis reliquiis ſancto altari collocavimus.] Idem confirmat concilium Epaonenſe can. 25. Sanctorum [reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſan clericos cujuſcumque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.] Quamquam peculiaris eſſe poterat ratio pro oratoriis villaribus & privatis, quæ S. Gregorius papa abſque miſſarum ſolemniis conſecrari volebat, ut videre eſt lib. 2. epiſt. 9. In Africa quoque baſilicæ abſque reliquiis dedicabantut nonnumquam, ſed eam praxim improbavit damnavitque concilium Carthaginenſe V. canone 14. cujus titulus eſt [de baſilicis quæ ſine martyrum reliquiis dedicatæ ſunt.] Jubet enim [ut altaria quæ paſſim per agros aut vias, tamquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab epiſcopis qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur,] &c. Nec minor forte extitit ſeveritas concilii Nicæni ſecundi Actione VIII. edito hoc canone 7. [Quæcumque templa conſecrata ſunt abſque ſacris reliquiis martyrum; in iis fieri ſtatuimus reliquiarum depoſitionem cum conſuetis precibus. Epiſcopus autem poſt hæc templum conſecrans ſine ſanctis reliquiis, deponatur, ut qui eccleſiaſticas traditiones tranſgreſſus ſit.] Si ſic puniendi

Caput XIII De Bened. ac dedic. eccleſ.

ſunt qui eccleſias abſque reliquiis dedicant; quid de his faciendum qui nec quidem conſecrant. Audienda eſt concilii Londonenſis anni 1237. definitio cap. 1. [Statuimus & ſtatuendo præcipimus, ut omnes eccleſiæ cathedrales, conventuales & parochiales, quæ perfectis parietibus ſunt conſtructæ, infra biennium per diœceſanos epiſcopos ad quos pertinent, vel eorum auctoritate per alios conſecrentur, ſicque infra ſimile tempus fiat de cetero conſtruendis. Et ne tam ſalubre ſtatutum tranſeat in contemtum; ſi loca hujuſmodi non fuerint intra biennium à perfectionis tempore dedicata, à miſſarum ſolemniis uſque ad conſecrationem manere ſtatuimus interdicta, niſi aliqua rationabili cauſa excuſentur.]

Tres Corporis Chriſti portiones cum ſacris reliquiis in altari repoſitæ.

XI. Neque vero prætereunda, immo ſingulari obſervatione digna eſt antiqua eccleſiæ Romanæ conſuetudo cum ſacris reliquiis tres portiones Corporis Chriſti ſacris altaribus includendi, de qua concilium Celichytenſe in Anglia anno 816. celebratum can. 2. [Ubi eccleſia ædificatur à propriæ diœceſis epiſcopo ſanctificetur: aqua per ſemetipſum benedicatur, ſpargatur, & ita per ordinem compleat ſicut in libro miniſteriali habetur. Poſtea Euchariſtia quæ ab epiſcopo per idem miniſterium conſecratur, cum aliis reliquiis condatur in capſula, ac ſerventur in eadem baſilica. Et ſi alias reliquias intimare non poteſt, tamen hoc maxime proficere poteſt, quia Corpus & Sanguis eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti.] An vero de hujuſmodi praxi intelligendum ſit illud S. Chryſoſtomi homilia 20. in 2. Cor. [Hoc altare natura quidem lapis eſt, ſanctum autem efficitur, poſtquam Chriſti Corpus accepit:] Et illud optati Milevitani: [Quid eſt altare, niſi ſedes Domini noſtri?] aliis judicandum relinquo. Certiſſimum quidem eſt eum uſum per multa ſecula paſſim in eccleſia viguiſſe, utpote quem præſcribunt Liber Sacramentorum S. Gregorii papæ à Menardo editus, antiquum pontificale Egberti Eboracenſis epiſcopi qui ante annos 950. florebat, Pontificale Anglicanum monaſterii Gemmeticenſis in ordine recondendi reliquias ſecundum Romanam eccleſiam, Pontificale B. Mariæ Remenſis annorum 800. Noviomenſe ejuſdem ætatis, Bellovacenſe S. Luciani annorum 700. Lugdunenſe Halinardi archiepiſcopi ejuſdem circiter ætatis, Saliſburgenſe annorum 600. Remenſe S. Remigii annorum circiter 500. Noviomenſe alterum annorum 400. Denique in Pontificali eccleſiæ Lugdunenſis, quod uſui fuit Tarentaſienſi, cujus caracter vix trecentos excedit annos hæc lego: [Sane præcedenti ſero ante diem dedicationis, pontifex paret reliquias in altari conſecrando includendas, ponens eas in decenti & mundo vaſculo vitreo vel æneo vel alio cum tribus granis thuris, vel deficientibus reliquiis ponet ibi Corpus Domini. Ponit ibi etiam cartulam de corio ſcriptam de groſſa littera continentem cujuſmodi reliquiæ ſunt ibi incluſæ, & in cujus ſancti honorem & nomen eccleſia ipſa & altare dedicantur, nomen conſecratoris, & indulgentiam quam in anniverſario dedicationis die concedit. Annum quoque menſem & diem quibus dedicatur ſigillans ipſum vaſculum diligenter.]

Similia

Similia habentur in mſ. Pontificali Guillelmi Durandi Mimatenſis epiſcopi, quod fuit Johannis Sairebruche Catalaunenſis epiſcopi, cujus caracter non attingit annos 300. His accedit Hiſtoria dedicationis eccleſiæ Majoris-monaſterii ab Urbano II. inter alia hæc referens : [In altari ergo Dominico eſt ineffabile Corporis Chriſti ſacramentum collocatum cum horum pignoribus ſanctorum, particula ſcilicet victorioſiſſimæ crucis Chriſti,] &c. In magno etiam Exordio Ciſtercienſis Ordinis diſt. 3. cap. 23. de Gaufrido Sorenſi epiſcopo narratur, quod cum vetuſtiſſimam quandam baſilicam reparare ſtatuiſſet, atque antiquum altare dirui juſſiſſet, [reperit in eo capſulam ſcabroſam ac veterem, ſanctorum reliquias continentem. Porro inter eaſdem reliquias Corpus Domini repoſitum erat,] &c.

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

XII. Antequam vero hinc diſcedam, obſervare licet olim non ſolum in altaribus repoſitas fuiſſe reliquias, ſed in diverſis etiam eccleſiæ locis. Leo Marſicanus in Chronici Caſſinenſis lib. 3. cap. 30. auctor eſt in dedicatione baſilicæ S. Benedicti facta ab Alexandro II. præter altaria repoſitas fuiſſe ſacras reliquias [in turre argentea, quæ eſt in arcu majori..... in abſida S. Johannis..... Super omnia vero hæc, quod tacendum non duximus, inquit, in ſingularum columnarum ejuſdem baſilicæ capitellis, tempore conſtructionis reverenter ſatis in æreis pixidulis reliquiæ SS. Philippi & Jacobi..... & aliorum multorum collocatæ ſunt.] Et paulo poſt addit : [In quatuor angulis campanarii hæ ſunt reliquiæ: lignum Domini, de lapide S. Sepulchri, &c..... [In cruce campanarii lignum Domini,] &c..... In frontiſpicio eccleſiæ in cruce ærea lignum Domini, &c. In portis etiam baſilicarum collocatas fuiſſe ſacras reliquias non obſcure docent Capitularia Regum Francorum lib. 4. cap. 13. edito hoc decreto : [Si in atrio eccleſiæ cujus porta reliquiis ſanctorum conſecrata eſt, hujuſmodi homicidium perpetratum fuerit ; ſimili modo emendetur & componatur.] Quæ totidem verbis leguntur in Iſaaci Lingonenſis epiſcopi canone 2 tituli 2. Atque hinc forte orta eſt conſuetudo ſacra eccleſiarum limina oſculandi, cujus meminit Prudentius in Hymno 2. de S. Laurentio his verſibus :

Reliquiæ in diverſis eccleſiæ locis reconditæ.

Ipſa & ſenatus lumina
Quondam Luperci & Flamines
Apoſtolorum & martyrum
Exoſculantur limina

Hujus ritus meminit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 18. Novembris, ubi obſervat hinc ſibi videri factum ut miro cultu ipſa ſacra eccleſiæ limina ornarentur, ut videre eſt apud Paulinum in Natali 3. S. Felicis :

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.
Et paulo poſt : *Limina ceratis adolentur odora papyris.*
Et in natali 6. *Pulcra tegendis*
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida limo.
Sive coloratis textum fucata figuris :

Hi

CAPUT XIII. *De Bened. ac ædic. eccleſ.*

Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

XIII. Quod vero ſpectat ad reliquos ritus in ipſa dedicatione obſervari ſolitos, pauca dumtaxat obſervare hic licet, cum fuſe ſatis in ſubſequentibus ordinibus ad conſecrandam eccleſiam deſcribantur. Circa alphabetum, quod epiſcopus in pavimento eccleſiæ cinere conſperſo deſcribit cum baculo paſtorali, notat Menardus olim non ſolum latine & græce ſed etiam hebraice delineatum fuiſſe. Antiquus liber Sacramentorum S. Gregorii papæ, Pontificale Egberti Eboracenſis epiſcopi, Anglicanum monaſterii Gemeticenſis & Remenſe B. Mariæ duplicis tantum alphabeti latini meminerunt. Econtra vero Remenſe S. Remigii tempore Caroli Magni ſcriptum duplex græcum præſcribere videtur his verbis: [Deinceps pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribens per pavimentum cum combuca ſua A B C T U P I U M uſque in dextro angulo orientalis A B C T U P I U M ſcribat uſque in ſiniſtro angulo baſilicæ occidentalis,] &c. Sed in aliis communiter pontificalibus unum latinum, alterum græcum advertere licet. In antiquis vere græcis alphabetis viginti ſeptem litteras deprehendere eſt, cum in hodiernis viginti quatuor tantum habeamus. Ita in Noviomenſi pontificali annorum 800. Saliſburgenſi annorum 600. Lyrenſi ejuſdem circiter ætatis, Beccenſi, & Remenſi S. Remigii annorum 500. & Autiſſiodorenſi annorum 300. aut 400. ad ſummum.

Alphabetum.

XIV. Reliqua fere omnia conſtabant variis precibus, inter quas S. Auguſtinus ſermone 336. & 337. recenſet pſalmum vigeſimum nonum; aſperſionibus variis, quarum meminit Beda lib. 5. Hiſt. Angl. cap. 4. & unctionibus de quibus paſſim auctores. Hic dumtaxat obſervabo id quod ſcribit Ordericus Vitalis de eccleſia Narbonenſi. S. Paulus, [ut fertur, baſilicam conſtruxit, & in honorem Machabæorum martyrum dedicavit, ubi adhuc apparet in maceria de oleo crucis ſignum quod idem apoſtolus pollice caraxavit.]

Alii dedicationis ritus.

XV. Cum baſilica & altari omnia quæ in uſum eccleſiæ adhiberi ſolent benedicebantur, ut conſtat ex antiquis Ritualibus mss. omnibus. Hinc S. Auguſtus ſermone 338. qui tertius eſt in dedicatione eccleſiæ in nova editione poſtquam citavit locum ex evangelio ſecundum Matthæum cap. 5. [Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum,] ſic infert: [Bene occurrit lectio, quando candelabra dedicantur, ut ſit qui operatur lucerna poſita in candelabro.]

Benedictio ornamentorum

XVI. Sub finem dedicationis monebat pontifex eccleſiæ fundatores de eccleſiæ dote: quippe antiqui canones eccleſiaſtici vetabant, ut [nemo eccleſiam ædificet antequam civitatis epiſcopus illuc veniat, & ibidem crucem figat publice, & ante præfiniat qui ædificare vult quid ad luminaria, & ad cuſtodiam & ſtipendia cuſtodum, & ad ſuppletionem preſbyteri dotemque eccleſiæ ſufficiat atque pertineat: & facta donatione ſic domum ædificet,] uti videre eſt initio ms. pontificalis S. Re-

Eccleſiæ dotatio.

migii Remenſis annorum circiter 500. Hinc concilium Bracarenſe III. cap. 5. [Unuſquiſque, inquit, epiſcoporum meminerit, ut non prius dedicet eccleſiam aut baſilicam, niſi antea dotem baſilicæ & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas ſi ſine luminariis vel ſine ſuſtentatione eorum qui ibi ſervituri ſunt tamquam domus privata, ita conſecretur eccleſia.] Quæ verba reperiuntur etiam in concilio VVormatienſi anni 868. cap. 3. His concinunt Iſaaci Lingonenſis epiſcopi canon 7. tit. 11. & Capitulare Herardi Turonenſis epiſcopi n. 46. Hos canones paſſim renovat S. Gregorius papa in epiſtolis ut lib. 2. epiſt. 10. & libro 10. epiſt. 12. atque ita in conſecratione baſilicæ Majoris-monaſterii, [locatis de more ſanctorum pignoribus, & ſacrato altari Dominico, dotaverunt ipſum, jubente papa, comes Fulco & Robertus de Rupibus, atque Hugo de Calvomonte, ſed & ceteri proceres, quorum ibi copia multa erat. Dote quadam admodum nobis grata, inquit ſcriptor antiquus, id eſt auxilio tuitione & conſilio ſuo.] Vide Vitam S. Annonis Colonienſis archiepiſcopi lib. 2. cap. 16. apud Surium 4. Decembris, & S. Meinverci cap. 33. & 122. 5. Junii, & Ordericum Vital. lib. 12. ad annum 1126.

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

XVII. Denique Pontifex eccleſiam conſecrans indulgentias aliquando concedebat his qui baſilicæ dedicationi, peccatis prius ad ſacerdotem depoſitis, actaque pœnitentia, interfuerant. Ita in conſecratione eccleſiæ S. Remigii Remenſis Leo papa IX. [Populum ſecundum inſtitutionis ejus verba publicam de peccatis ſuis confeſſionem agentem abſolvit, explicitiſque divinis officiis apoſtolica benedictione ſanctificans illum dimiſit,] ut habent Acta concilii Remenſis. Ita in dedicatione eccleſiæ S. Benedicti Paterbonenſis [per ſalutarem confeſſionis pœnitentiam generalem abſolutionis epiſcopus tribuit indulgentiam, proponens eis in ſermone ad exemplum pœnitentiæ & vitam pœnitentium & pauperum voluntarie,] uti legere eſt in Vita S. Meinverci epiſcopi cap. 33. apud Surium 5. Junii. Vide ſi lubet indulgentias quas Pontius Arelatenſis epiſcopus circa annum 1000. in dedicatione eccleſiæ Montis majoris conceſſit Spicilegii tom. 6. p. 428. ubi multa notatu digna leguntur, & eas quas Raiambadus in conſecratione S. Mariæ de Correno impertivit ibidem p. 441. quæ quidem indulgentiæ eos potiſſimum ſpectabant, qui in gratiam eccleſiarum opem ſuam aliquo modo contulerant, ubi non parvam olim promeruiſſe videtur mater S. Eberardi, quæ ad conſtruendam in propria curte B. M. eccleſiam [dimidio fere milliario nudipes ac propriis humeris lapides ferre ſolebat] in Vita S. Eberardi cap. 2. Sur. 22. Junii.

Indulgentiæ.

XVIII. His obſervationibus finem imponet decretum concilii Cilichyth can. 2. [Præcipimus unicuique epiſcopo ut habeat depictum in pariete oratorii, aut in tabula vel etiam in altaribus, quibus ſanctis ſint utraque dedicata.]

ORDO I.

Ad benedicendam ſeu dedicandam baſilicam.

Ex ms. miſſali Gellonenſi annorum 900.

DENUNCIATIO CUM RELIQUIÆ PONENDI SUNT MARTYRUM.

Dilectiſſimi fratres, inter cetera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque ſuis præſtitit martyribus, pro nominis ejus confeſſione morte ſuſcepta, cæleſtia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocatis integritas ſancti corporis eſſe credatur. Et idio commonemus dilectionem veſtram, quoniam ill. feria illo loco reliquiæ ſunt ſancti illi martyris conlocandæ. Quæſumus ut veſtram præſentiam nobis admonentibus non negetis.

ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDO.

Magnificare, Domine Deus noſter, in ſanctis tuis; & hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipſe ſemper in tua hæreditate lauderis. Per.

Benedictio ſalis & aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta, *&c. ut in miſſali Romano.*

Item.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus-ſancti, omnis vittus adverſarii & omnis incurſio diabuli, & omnis fantaſma & omnem inimici poteſtatem eradicare & effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te creatura aquæ per Deum verum, per Deum vivum, per Deum ſanctum & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, ut ubicumque effuſa fueris vel aſperſa, ſive in domo, ſive in agro, effugiat omnis fantaſiam, omnem inimici poteſtatem, Spiritus-ſancti habitet in domo hac. Per.

Item exorciſmum aquæ.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, emittere dignare angelum tuum ſanctum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, & defendat omnes habitantes in hunc habitaculum famuli tui illi. Per.

Benedic †, Domine, has aquas, quas ad uſus humani generis vel ad abluendum omnium peccata criminum præſtetiſti, ut invocato ſuper eas nomini ſancto tuo, ubicumque aſparſa fuerit, vel à quolibet poteſtate ſalutare tuo munus inviolabilem tribuatur, ut omne quod ſorde eſt

effugiatur, ut tuæ poteſtatis beneficium in omnibus convaleſcat. Per.

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Gratias tibi in nomine tuo, omnipotens Deus noſter, qui mittere nobis dignatus es Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui nobis dedit hunc intellectum, & hanc ſcientiam, unde reſiſtere diabulum & inſidiis ipſius poſſimus, benedicendo hæc creatura ſalis, quam tu Spiritu-ſancto inluſtris, ut ſi quis accipere ex hac creaturam tuam accipiat, virtute nominis tui adverſus omnem telam & jaculam inimici. Per Dominum.

Benedictio ſalis.

Exorcizo te, creatura ſalis, per Deum vivum & verum, per Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum, per Trinitatem inſiparabilem, ut diabulus impugnatus, expugnatus, tremefactus expaviſcat; ſit, ſit ab omne victus Deo, condemnatus, & reus religatus catenæ, ſignus pœnas ſuſcepturus, latro damnabilis exterminetur per eum qui te per Eliſeum prophetam in aquas, mittit juſſit, ut ſanarentur ſterilis aquæ, qui divina vocem oris ſui locutus eſt dicens : Bonum eſt ſal. Et apuſtulus ſuos ait : Vos eſtis ſal terræ. Et cor veſtrum ſalis conditum, qui hæc feceret exorcizato ad effugandum omnem putritudinem ejus per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti qui venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Præſta, Domine, tuum ſalubrem remedium per ſanctam benedictionem tuam, quam hac creaturam ſalis benedicemus, ut ubicumque intercelſerit, ad animo & corpore proficiat ſanitatem. Per.

Exorciſſimum ſalis & aquæ.

Exorcizo te, creatura ſalis & aquæ, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in nomine Nazareni Jeſu Chriſti Filii Dei vivi unigeniti, ut ſis purgatio & purificatio in his locis in quibus aſparſa fuerit aqua hæc ad fugandus immundus & erraticus ſpiritus, omnemque nefariam repellendam atque exterminandam, nec fulgora & ſydera quæ immiſſa dentur in hanc arborem, aut hominibus, aut pecoribus, aut frugibus, noceant ſe aut fugiant invocationem nominis Dei & Jeſu Chriſti filii ſui Nazarei qui venturus.

Oratio ad conſecrandum vinum & aquam.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine permittis Spiritum tuum ſanctum ſuper vinum cum aqua mixtum, ut armata virtute cæleſtis defenſionis ad conſecrationem hujus eccleſiæ vel altaris percipiat. Per Dominum.

Deus, qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hinc invocantibus te auxilium tuum miſericordiæ ſentiatur. Per.

Conſecratio baſilicæ.

Deus ſanctificationum, omnipotens Dominator, cujus pietas ſine fine ſentitur. Deus qui cæleſtia ſimul & terrena complecteris, ſervans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ. Exaudi preces ſervorum tuorum, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte, hancque baſilicam in honore ſancti ill. ſacris myſte-

Caput XIII. De Bened. et dedic. eccleſ.

riis inſtituta, clementiſſimus dedica, miſeratus illuſtra, proprio ſplendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte, propitius dignare reſpicere, ut propter nomen tuum magnum & manu forti & brachium excelſum in hoc habitaculum ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defenſione conſerva, ut ſemper felices, ſemper tua religione lætantes, conſtanter in ſanctæ Trinitatis fidei catholicæ perſeverent. Per.

Benedictio altaris.

Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur, ut hoc altare ſacrificiis ſpiritalibus conſecrandum voces noſtræ exorandum officio præſenti benedictione ſanctificet, ut in eo ſemper oblationes impoſitas benedicere & ſanctificare dignetur, & ſpiritali placatus incenſo, precante familiæ ſuæ promptus exauditor adſiſtat. Per.

Conſecratio altaris ſive benedictio.

Deus omnipotens, in cujus honore altare ſub invocatione tui nominis conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi, & præſta ut in hanc menſam ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, & ſpiritus tui ſemper rore perfuſa, ut omni tempore in hoc loco ſupplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudinis cures, precis exaudias, vota ſuſcipias, deſiderata confirmis, poſtulata concedas. Per.

Præfatio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, ſicut ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, & quemadmodum veſtimenta pontificalia ſacerdotibus & levitis ornamenta & lintiamina fieri famulo tuo Moyſe per XL. dies docuiſti, ſive etiam ea quæ Maria texit & fecit in uſum miniſterii tabernaculi fœderis, ſanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc lentiamina in uſum altaris tui, ad tegendum involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat.

Item benedictio ad omnia in uſum baſilicæ.

Dignare Domine Deus omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium, ſacerdus omnium, pontifix univerſorum, per quem una cum Patre ſanctoque Spiritu facta ſunt univerſa Chriſti Jeſu, benedicere, conſecrare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc altari, lentiaminibus, ceteriſque vaſis, & quemadmodum ſanctificaſti officia tabernaculi teſtimonii olim cum arca, oracula, Cærubim, Aloſis, velis, columnas, candelabra, altare, argenteis vaſibus, tabulis deauratis, holocauſtis huſteis æreo altare, cum Æneis vaſibus tentoriis funibus, oleo unctionis, & ceteris aliis in figura noſtri per manus ſanctorum ſanctificaſti ſacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, ut diximus, patenam hanc, & calicem hunc, & omnia inſtrumenta altaris hujus eccleſiæ ſeu baſilicæ, quæ inter noſtras palmas habentur, corde precamur, ut benedicas, purifices, conſecres, & conſumis, quibus inter nos æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus. Per.

Ad conſecrandam patinam.

Conſecramus & ſanctificamus hanc patinam ad conficiendum in ea

Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti facientis crucem pro ſalute noſtra omnium qui cum Patre & Spiritu-ſancto. CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccl.ſ.*

Inde facis crucem de oleo ſancto ſuper patinam, & dicis:

Conſecrare, & ſanctificare digneris, Domine, patinam hanc per iſtam unctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Ad calicem benedicendum.

Oremus, dilectiſſimi fratres, ut Dominus Deus noſter calicem ſuum in miniſterio conſecrandum cæleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificit, & ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per.

Dignare, Domine, calicem iſtum in uſum miniſterii tui pia famuli tui devotione furmatum ea ſanctificatione perfundere, quam Melchiſedhæc famuli tui ſacratum calicem perfudiſti, & quod arte vel metallo officii compoſitum eſt, altaribus tuis dignum fiat, tua benedictione pretioſum atque ſanctificatum. Per.

Præfatio chriſmatis.

Oremus, fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc miniſterium Corporis Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti geroſum benedictionis, ſanctificationis tutamine, defenſionis donationis implere dignetur, orantibus nobis. Per Dominum.

Omnipotens Deus, Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris Chriſti opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, & Corporis Chriſti novum ſepulcrum Spiritus-ſancti gratia perficiatur. Per.

Oratio ad tabulas benedicendas.

Singulare illud repropitiatorum quam ſe in altare crucis nobis redimendis obtulit immolandum, cujus præfiguratum patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fierit ſacrificium, & porta cæli deſuper aperiretur oraculum, ſimpliciter tibi, Domine, precis fundimus, ut metalli hujus expoliatam materii ſupernis ſacrificiis imbuenda ipſe ſuæ dotare ſanctificationis ubertate percipiat, qui quondam lapideas legem ſcripſit in tabulas. Per Dominum.

Item.

Deus omnipotens, univerſarum rerum rationabilis artifix, qui inter creaturas furmæ lapidei metalli ad obſequium tui ſacrificii condediſti, ut legis liberaturi tuo pareretur altari, annue dignanter hujus inſtitutor myſterii, ut quod hic oblatum ſacrum fuerit nomini tuo adſurgat, religione proficiat, ſpei initietur, fidei ſit honore. Per.

Item.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius precis noſtræ humilitatis exaudi, & reſpice ad hoc altaris tui holocauſtum, quod non tam igne probatur, ſed infuſa Sancti Spiritus tui gratiam in odorem ſuavitatis aſcendat, ut accipiant ibi hac ſumentibus nobis legitima permaniat, euchariſtiaque hæreat in viſceribus noſtris, & vita concedat æterna. Per.

CAPUT XIII. De Bened. et dedic. eccleſ.

† Æterne Deus, qui poſt offendicula lapſus primi hominis inſtituiſti tibi propitiatori delibamenta libaminis, ut culpam quæ præceſſerat, futuris temporibus exibiaretur per munera, quibus honorarentur altaria, honorificarentur & templa, quam tibi primus Noë præparavit officium, rurſus inſtruxit Abraham immolaturus filium, dehinc electus Jacob erexit & unxit in titulum. Adſit Redemtoris mundi pietas exorata, ut lapidis ſanctificandi myſterium qui penetralium & lapis angularis es conſecrare digneris. Benedictionis lapidum & inhæreas placitus majeſtas æternalis obtutu, ut quicquid ſacrum ritum ſuper hoc immolabitur, ſicut Melchiſedhæ oblatum, placiat tibi holocauſtum, ut reportet per hoc præmium quicquid intulerit votum, ſacrificare, benedicere, conſecrareque digneris, & per manibus noſtris, opem tuæ benedictionis infunde, qui te angularem lapidem & ſaxum ſine manibus exciſum numerare ipſe voluiſti, tu lapides iſtos divinis cultibus apparatos benedic atque ſanctifica, & ſacri hujus myſterii ſicut inſtitutor, ita etiam ſanctificator appare. Per Chriſtum.

Ad ſignum eccleſiæ benedicendum.

Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cæleſti, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Poſt hæc cantas pſalmos ſex, Lauda anima mea Dominum, *uſque in finem pſalterii; & dum cantas: laves eum de aqua benedicta cum oleo & ſale. Deinde dicis orationem hanc.*

Sequitur.

Deus qui per Moyſen legiferum, *&c. ut in Pontificali Rom.*

Tunc extergis eam linteo, & dicis ante eum capitula: Vox Domini ſuper aquas Deus majeſtatis intonuit ſuper aquas multas. ℣. Vox Domini in virtute. *Poſtea tangis eam de chriſmate à foris ſepties, ab intus quater, & dicis collectam hanc.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Tunc pones in incenſario ignem, & tymiamatus, & myrra, & eregis cloccam ſuper incenſario, ut totum illum fumum collegat, & dicis antiphonam: Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter. ℣. Viderunt te aquæ Deus, *uſque in finem pſalmi.*

Sequitur.

Omnipotens Dominator Chriſte, *&c. ut in pontificali Romano.*

Benedictio crucis.

Benedic, Domine, hanc crucem tuam per quam eripuiſti mundum, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Item.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, *&c. ut in Pontificali Romano.*

Item.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus ſanctum & terribile nomen, *&c. ut in Pont. Rom.*

Item

Item.

Da quæſumus clementiſſime Pater, in quo vivimus movemur & ſumus, ut quotiens triumphum divinæ humilitatis, quæ ſuperbiam noſtri hoſtis dejecit, oculis intuemur, quotiens mente recolimus & contra hoſtem ipſum fiduciam fortitudinis, & majorem devotæ tibi humilitatis gratiam conſequamur, quatenus in illum tremendum tuæ majeſtatis examine cum paventibus elementis, cælorumque commotis virtutibus, ſignum illud glorificum redemtionis noſtræ apparuerit in cælo, ipſe de morte ad vitam tranſire, ac perpetua beatæ reſurrectionis gaudia videre mereamur. Per.

MISSA DEDICATIONIS.

DEus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, ad ſanctificationem loci hujus propitius adeſſe dignare, ut qui hæc in honorem tui nominis condiderunt, protectorem te habere in omnibus mereantur. Per.

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gregalium differentias hoſtiarum, in unius hujus ſacrificii perfectionis ſanxiſti; reſpice propitius de throno gloriæ tuæ, & ſuper hoc altare benedictionis tuæ munus effunde, ut in eo ſic temporales hoſtiæ conſecrentur, ut & perpetuæ vitæ tuæ ſumtibus procurrant ſubſtantiam. Per.

Conteſtatio.

† Qui cum ubique ſis totus & univerſa tua majeſtate conteneas, ſacrare tamen tibi loca tuis myſteriis apta voluiſti, ut ipſi orationum domus ſupplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent. Effunde ſuper hunc locum gratiam tuam, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut hic in ſacramentorum virtus & votorum obteneatur effectus. Per Chriſtum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famoli tui, vel famolæ tuæ ill. quam tibi offerunt, hanc dedicantes eccleſiam, quæſumus Domine, placatus accipias, noſtraſque preces dignanter exaudias, ut ſint ocoli tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte, templumque hoc in honorem beatorum martyrum tuorum illorum vel illarum, ſanctorum confeſſorum ſacris myſteriis inſtitutum clementiſſimus dica, miſeratus inluſtra, propitio ſplendore clarifica, cunctaque familiam tuam pius adimple, votiſque reſponde, augmenta eis ad aulæ hujus ſuffragia concurrentem benignus exaudi, ejuſdemque conditorum omnia deſideria cordis complacita tibi annos vitæ & tempora felicitate, ut per ſpatia longiva viventes melioribus ornamentis ſtudio eorum locus iſte refulgeat, dieſque noſtros.

Poſt communionem.

Copioſa beneficia, quæſumus Domine, chriſtianus populus adſequatur, ut qui in honorem ſanctorum ſacrandis tibi liminibus devotis oc-

currit, & vitæ ſubſidia præſentes accipiat, & gratia ſempiterna Redemptoris inveniat. Per.

Sequuntur aliæ duæ miſſæ quæ cum editæ reperiantur in Gelaſiano Sacramentario à Thomaſio vulgato hic eas prætermittere ſatius duximus.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi.

INCIPIT ORATIO QUALITER DOMUS DEI CONSECRANDUS EST, ET AD ANNUNCIANDUM POPULO, UT UBI OCCURRANT, QUA DIE EPISCOPUS IN EBDOMADA HOC FACERE VOLUERIT.

Dilectiſſimi fratres, inter cetera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque ſuis præſtitit ſanctis omnibus qui pro nominis ejus confeſſione morte ſuſcepta cæleſtia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocaris integritas ſancti corporis eſſe credatur: & ideo admonemus dilectionem veſtram, quoniam illa feria, vel illo loco, eccleſia eſt ibi dedicanda, & reliquiæ illius ſancti martyris collocandæ. Quæſumus ut veſtram præſentiam nobis ammonentibus ea die non negetis.

Inde vero pridie quam conſecretur eccleſia, providendæ ſunt reliquiæ ab epiſcopo, & ponendæ in tali loco, ut tota nocte cum hymnis & laudibus atque luminaribus ſint uſquequo exinde levandæ, & ad locum ubi condendæ ſunt deducantur.

ORDO QUOMODO ECCLESIAM DEBEAT DEDICARE.

Primitus enim decet, ut epiſcopus & ceteri miniſtri eccleſiæ induant ſe veſtimentis ſacris, cum quibus divinum myſterium adimplere debent, & venientes ante oſtium eccleſiæ quæ dedicanda eſt, illuminentur duodecim candelæ, & ponantur deforis per circuitum eccleſiæ. Poſtea collecta.

Actiones noſtras quæſumus, &c. *Antiphona.* Zachæe feſtinans deſcende, &c. In circuitu eccleſiæ.

Incipiunt letania.

Kyrie eleiſon. iij. Chriſte eleiſon. iij. Chriſte audi nos. Sancta Maria. S. Michael, &c.

Ingrediens vero unus ex diaconibus infra eccleſiam, & claudens oſtium ſtans ante ipſum, ceteri omnes præ foribus remaneant. Tunc pontifex accedens ad oſtium eccleſiæ percutiens ter ſuperliminare de cambuta ſua aut baculo dicens: Tollite portas principes veſtras & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Reſpondeat ille miniſter infra ſtans:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Et iterum dicat epiſcopus:* Tollite portas principes veſtras, *ut ſupra. Et miniſter deintus:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Iterum tertio percutiat epiſcopus ſuper oſtium, & dicat:* Tollite portas principes ve-

ſtras, *ut ſupra. Et miniſter deintus reſpondeat :* Quis eſt iſte rex gloriæ ? *Et reſpondebunt omnes :* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. *Inde vero percutiat epiſcopus oſtium eccleſiæ , & canendo incipiat antiphonam.* Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales. *Et ſtatim aperiatur oſtium. Schola vero verſificet totum pſalmum cum ipſa antiphona ante oſtium foris. Qua expleta, dicit epiſcopus hanc orationem :*

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Domum tuam, quæſumus Domine, clementer ingredere, & in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam conſtitue manſionem, ut cujus ædificatione ſubſiſtit, hujus fiat habitatione præclara.

Tunc ingrediuntur omnes in eccleſiam, & intrantes dicant antiphonam : Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & regredientibus, alleluia. *Et perveniunt cum epiſcopo uſque ad medium ſolum eccleſiæ. Et dicit epiſcopus*, Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. *Et poſt paululum dicit :* Levate. *Et pontifex.*

Deus qui inviſibiliter omnia contines, *&c. ut in Menardi Sacramentario p.* 157. *Antiphona.* Benedic, Domine, domum iſtam & omnes habitantes in ea, quia tu Domine dixiſti, pax huic domui; benedic, Domine, timentes te puſillis cum majoribus. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.

Iterum Flectamus genua.

Tabernaculum hoc ingredere, quæſumus omnipotens ſempiterne Deus, ut famulos famulaſque tuas congregatos ad honorem & laudem B. Mariæ ſacræ Virginis, & ill. benedic. Et ſicut benedicere dignatus es domus patriarcharum, Abraham, Iſaac, & Jacob, puſillis cum magnis; ita benedicere & ſanctificare eos eaſque dignare. Per.

Deinde incipit clerus letania : & cum venerit ante altare pontifex, & ſacerdotes, & levitæ, proſternunt ſe ſuper ſtramenta uſque dum dicant Agnus Dei.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Domine miſerere. Chriſte miſerere. Miſerere nobis pie rex Domine Jeſu Chriſte. Chriſte audi nos. iij. S. Maria, ora. S. Michael. S. Gabriel. Omnis chorus angelorum. S. Petre. S. Paule. S. Andrea. Omnis chorus apoſtolorum. S. Stephane. S. Line. S. Clete. Omnis chorus martyrum. S. Hilarii. S. Martine. S. Silveſter. Omnis chorus confeſſorum. S. Perpetua. S. Felicitas. S. Agatha. Omnis chorus virginum. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Domine miſerere. Miſerere nobis. Chriſte audi nos. iij. Ab inimicis noſtris defende nos Chriſte. Dolorem cordis noſtri benignus vide. Afflictionem noſtram reſpice clemens. Peccata populi tui pius indulge. Orationes noſtras exaudi Chriſte. Hic & in perpetuum nos cuſtodire digneris Chriſte. Fili Dei vivi, miſerere nobis. Agnus Dei. Exaudi nos Chriſte. Exaudi, Exaudi nos Chriſte. Chriſte audi nos. iij. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon, *ut ſupra.*

Ut autem ſurrexerint, ab oratione, non dicit pontifex Dominus vobiſcum, *ſed tantum inchoat, & dicit* Oremus, *& diaconus ut ſupra* Flecta-

Digitized by Google

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

mus genua, *& iterum* Levate. *Sequitur oratio.* Magnificare, *&c. ut in Sacramentario Menardi p.* 148.

Deinde incipit pontifex de ſiniſtro ab oriente ſcribere per pavimentum cum cambuta ſua A. B. C. darium uſque in dextro angulo occidentali, & à dextro angulo orientali ſcribat ſimiliter A. B. C. darium uſque in ſiniſtro angulo baſilicæ occidentalis. Deinde veniens ante altare, dicat: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina *cum* Gloria *abſque* alleluia.

Deinde vero benedicit ſalem & aquam, & dicit hanc orationem:

Exorcizo te, creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Jeſu Chriſti Domini noſtri, & in virtute Spiritus-ſancti. Exorcizo te per Deum verum, per Deum qui te ad tutelam generis humani procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine Trinitatis efficiatur ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum: quem tu Domine ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum in nomne Domini noſtri J. C. qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Item exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, per Deum qui te per Elizeum, &c.

Benedictio ſalis.

Immenſam clementiam tuam, &c.

Exorciſmus aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque, &c.

Benedictio cineris.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus, & mitte ſanctum angelum tuum de cælis, qui benedicat & ſanctificet cineres iſtos, ut ſint remedium ſalubre omnibus nomen tuum humiliter implorantibus, ac ſemetipſos pro conſcientia delictorum ſuorum accuſantibus, atque in conſpectu clementiæ tuæ facinora ſua deplorantibus, vel ſereniſſimam pietatem tuam ſuppliciter obnixeque flagitantibus. Præſta, quæſumus, per invocationem nominis tui, ut quicumque eos ſuper ſe aſperſerint pro redemtione peccatorum corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Per.

Poſt hoc miſcetur ſal, & cinis, faciens crucem ter ſuper ipſam aquam, & dicat hanc orationem.

Deus invictæ virtutis auctor & inſuparabilis imperii rex, &c.

Deinde miſceatur vinum cum aqua, & dicat hanc orationem:

Deus creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu, Domine, mitte Spiritum-ſanctum tuum ſuper vinum hoc cum aqua mixtum, ut armatum virtute cæleſtis defenſionis ad conſecrationem hujus eccleſiæ vel altaris proficiat. Per.

Inde vero faciens crucem cum digito ſuo de ipſa aqua à dextra parte inci-

piens per quatuor cornua altaris, inde aſpergens altare cum hyſopo ambulans in circuitu ſeptem vicibus de ipſa aqua canendo antiphonam: Aſperges me hyſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor *cum pſalmo* 50. Miſerere mei Deus ſecundum magnam.

Benedictionem hanc ſuper altare.

Domine ſancte, Pater clemens, cujus nec initium nec finis advertitur, qui tantus es quantus eſſe voluiſti: ſcilicet ſanctus atque mirabilis. Deus, quem elementa non capiunt, te benedicimus, te ſupplices deprecamur, ut ſit tibi altare hoc, ſicut illud quod Abel ſalutaris myſterii ſacramentum in paſſione præcurſor jugulatus à fratre novo ſanguine imbuit & ſacravit. Sit tibi Domine altare hoc ſicut illud quod Abraham pater noſter, quia videre te meruit, fabricavit, in quo ſacerdos Melchiſedech ſacrificii formam triumphalis expreſſit. Sit tibi Domine altare hoc ſicut illud in quod Abraham ſeminarium fidei noſtræ Iſaac filium ſuum, dum tibi toto corde credidit, impoſuit: in quo ſalutaris myſterii ſacramentum Dominicæ paſſionis oſtenſum eſt, dum offertur filius, & agnus occiditur. Sit tibi, Domine, altare hoc, ſicut illud quod Iſaac puteum profundæ puritatis inveniens, abundantiæ ei nomen imponens, tuæ majeſtati dicavit. Sit tibi, Domine, altare hoc ſicut ille lapis, quem Jacob ſubtexit capiti ſuo, & aſcendentes & deſcendentes angelos per ſcalæ myſterium, ſomno revelante, cognovit. Sit tibi, Domine, altare hoc ſicut illud quod Moiſes ſuſceptis mandatis tuis in præfiguratione apoſtolica XII. lapidum conſtructione firmavit. Sit tibi, Domine, altare hoc ſicut illud quod Moiſes ſeptem dierum purificatione mundavit, & cæleſti tuo alloquio ſanctum vocavit, ſicut locutus eſt ad Moiſen dicens: Si quis tetigerit altare hoc ſanctificatus habeatur. In hoc ergo altare juguletur luxuria omniſque libido feriatur, offeratur pro turturibus ſacrificium caſtitatis, pro pullis columbarum innocentiæ ſacrificium. Per.

Deinde incipiens de dextra parietes ſpargere cum hyſopo de ipſa aqua in circuitu uſque dum veniens ante altare antiphona: Aſperges me, Domine, hyſopo, & mundabor *cum pſ.* Miſerere mei Deus.

Iterum deſuper in circuitu altaris vel eccleſiæ canendo: Exurgat Deus, & noſtris famulatui obſequio in loco ſancto ejus fiat benedictionis augmentum. *Cum ipſo pſalmo uſque dum veniens iterum ante altare, & ſpargens deſuper in circuitu altaris, vel parietes eccleſiæ canendo antiphonam:* Qui habitat in adjutorio Altiſſimi in protectione Dei cæli commorabitur, *cum pſalmo ipſo. Deinde pergat extra eccleſiam, cum omni ſchola ſpargendo ter per parietes in circuitu, & deſuper canendo antiphonam:* Aſperges me, Domine, *tribus vicibus* Miſerere mei Deus.

Item pontifex vadat de ipſo altari ſpargendo per medium eccleſiæ in longum & latum, ſimiliter crucem faciendo ſive per omnem pavimentum de ipſa aqua. Antiphona: Fundamenta templi hujus ſapientiæ ſuæ fundavit Deus, in quo Domino cœli conlaudant angeli, ſi ruant venti & pluant flumina, non poſſunt ea movere umquam, fundata enim erat ſupra petram.

Digitized by Google

Caput XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Item Flectamus genua.

Deus ſanctificator, omnipotens Dominator, cujus pietas ſine fine ſentitur, *&c. ut in Ord. Rom.*

Antiphona. Benedic, Domine, domum iſtam quam ædificavi nomini tuo, & venientes in loco iſto: Exaudi preces in excelſo ſolio gloriæ tuæ.

Antiphona. Domus mea domus orationis vocabitur. Narrabo nomen tuum..

Deinde veniens in medio eccleſiæ, dicit: Oremus. *Diaconus dicit:* Flectamus genua. *Et poſt paululum dicit*, Levate. *Et ill. dicit orationem hanc:* Deus qui loca nomini tuo dicata, &c.

Præfatio in medio eccleſiæ.

Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro, dignum & juſtum eſt. *Et ſacerdos:* † Adeſto precibus noſtris, adeſto ſacramentis, *&c. ut in Ord. Rom.*

Ipſa expleta, incipit antiphonam: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam, *ipſo canendo cum pſalmo* Judica me Deus, & diſcerne. *Vadit ante altare, & fundit quod remanſit de ipſa aqua benedicta ad baſim altaris, & extergit altare linteo, poſtea offerat incenſum & mittit oleum ſuper altare in medio crucem faciens ibi.*

Mane ſurgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum deſuper: votum vovit Domino, vere locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam.

Et ſuper quatuor cornua altaris canendo antiphonam: Erexit Jacob lapidem in titulum fundens oleum deſuper *cum pſalmo* Quam dilecta. *Et ungat cum manu ſua ipſum lapidem, & ſemper incenſum in circuitu ipſius altaris alius ſacerdos ferat. Poſt expleto pſalmo, mittit iterum oleum ſimiliter ſicut prius canendo antiphonam:* Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum, hæc eſt domus Dei, in qua invocetur nomen ejus de quo ſcriptum eſt: Erit nomen meum ibi, dicit Dominus. Deus noſter refugium. *Ipſo expleto, mittit chriſmam ſimiliter canendo antiphonam.* Ecce odor filii mei ſicut odor agri, quem benedixit Dominus. *Pſalmus* Fundamenta ejus. *Deinde in circuitu eccleſiæ per parietes de dextra in dextro faciens crucem cum pollice de ipſo chriſmate, & veniens ante altare faciat crucem incenſi cum thuribulo ſuper eam. Antiphona.* O quam metuendus eſt locus iſte, vere non eſt hic alius niſi domus Dei, & porta cæli.

Deinde dicit Oremus. *Et diaconus ut ſupra. Sequitur benedictio vel conſecratio altaris:*

Deus omnipotens, in cujus honore ſub invocatione tui nominis, *&c. ut in Ord. Rom.*

Præfatio ſuper altare.

Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt. † Ut propenſiori cura & attentiori famulatu, &c.

Digitized by Google

Deinde dicit antiphonam : Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem alleluia *cum* Gloria. CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Oratio poſt unctionem altaris.

Majeſtatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc ad ſuſcipienda populi tui munera, *&c. ut in Ord. Rom.*

Deinde teneant ſubdiaconi vel acolythi in ulnis ſuis linteamina, vel omnia ornamenta eccleſiæ, ſeu vaſa quæ ſacranda ſunt, & ad cultum eccleſiæ pertinere videntur: & benedicit ea pontifex ſicut in Sacramentorum libro continetur.

Item præfatio linteaminum.

Domine Deus omnipotens ſicut ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, *&c. ut in Ord. Rom.*

Item benedictio ad omnia in uſum baſilicæ.

Dignare, Domine, Deus omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium, ſacerdos omnium & pontifex univerſorum, per quem una cum Patre Sanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Jeſu, benedicere, conſecrare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc altare, linteaminibus ceteriſque vaſis, patenam hanc & calicem hunc, vel omnia inſtrumenta altaris hujus eccleſiæ ſeu baſilicæ, quæ inter noſtras palmas habentur, corde precamur ut benedicas, purifices, conſecres & conſummes. Per.

Oratio ad corporale benedicendum.

Clementiſſime, Domine, cujus inenarrabilis virtus, *&c. ut in Ord. Rom.*

Alia.

Benedic, omnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti pannum iſtum lineum benedictione cæleſti, ad capienda myſteria cæleſtia Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Filii tui, ſicut per evangelia in ſindone linea & munda ſepultam cognovimus carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit.

Item oratio ad corporale benedicendo, ſive duo, vel tria, aut amplius fuerint corporalia benedicenda.

Deus qui pro generis humani ſalvatione Verbum caro factum es, & habitare totus in nobis non dedignatus es; quique traditori tuo perfido oſculum pium dediſti, dum pro omnium vita pius voluiſti agnus mactari, atque in ſyndone Joſeph lino texta totum te involvi permiſiſti. Reſpice propitius ad vota noſtra, qui tua fideliter chariſmata amplecti cupimus. Quæſumus, Domine, ſancti ✝ ficare, bene ✝ dicere, conſe✝ crareque digneris hæc linteamina in uſum altaris tui ad conſecrandum ſuper ea, ſive ad tegendum involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, digniſque pareantur famulatibus, ut quicquid ſacro ritu ſuper hæc immolabitur ſicut Melchiſedech oblatum placeat tibi holocauſtum, & reportet per hoc præmium quicumque obtulerit votum. Te quoque humiliter rogamus ac petimus, ut hæc linteamina tuæ ſanctificationis per ſpiritus gratiam ubertate purifices & ſanctifices, qui te pro nobis omnibus ſacrificium offerri vo-

Digitized by Google

luiſti, & præſta ut ſuper hæc ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, & ſpiritus tui ſemper rore perfuſa. Per.

Alia.

Deus qui digne tibi ſervientium nos imitari deſideras famulatum, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſervitutem, & hoc corporale nomini tuo dicatum, *ſeu* hæc linteamina ſervitutis noſtræ uſibus præparata, cæleſtis virtutis benedictione ſan † ctifica, pu † rifica, & conſecra: quatenus ſuper eum *vel* ſuper hæc Spiritus-ſanctus tuus deſcendat, qui & populi tui oblationes benedicat, & corda ſive corpora ſumentium benignus perficiat. Per.

Deinde vadunt ad eum locum in quo reliquiæ per totam noctem præteritam cum vigiliis fuerunt, & dicit ſacerdos orationem hanc antequam inde levantur.

Aufer à nobis, quæſumus, Domine, iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Finita vero oratione, elevant eas ſacerdos cum feretro & cum honore digniſſimo, cum crucibus, & thuribulis, atque candelabris, & luminibus multis laudes Deo decantando cum antiphonis.

Ecce populus cuſtodiens judicium & faciens veritatem, in te ſperaverunt, Domine, uſque in æternum via juſtorum recta facta eſt, & iter ſanctorum præparatum eſt.

Antiphona. Cum jucunditate exhibitis, & cum gaudio deducemini. Nam & montes & colles exilient exſpectantes vos cum gaudio.

Antiphona. De Jeruſalem exeunt reliquiæ, & ſalvatio de monte Sion, propterea protectio erit huic civitati & ſalvabitur propter David famulum ejus.

Antiphona. Plateæ Jeruſalem gaudebunt, & omnes vici ejus canticum lætitiæ dicent.

Antiphona. Via juſtorum recta facta eſt, & iter ſanctorum præparatum eſt.

Antiphona. Ecce, Sion, filiæ tuæ congregatæ cum jucunditate venient, & omnes ſancti gaudebunt ſuper te cum lætitia & exſultatione in ſempiternum.

Antiphona. Jeruſalem civitas ſancta, ornamento martyrum decorata, cujus plateæ reſonant laudes de die in diem.

Antiphona. Sanctificabo te Jeruſalem, dicit Dominus, & dabo ſanctis meis regnum & tabernacula æterna quæ præparat in odore unguenti.

Antiphona. Ambulate ſancti Dei, ingredimini in civitatem Domini. Ædificata eſt enim vobis eccleſia nova, ubi populus odorare debeat Majeſtatem Domini.

Antiphona. Ambulate ſancti Dei ad locum deſtinatum, quod vobis præparatum eſt ab origine mundi.

Dum autem pervenerint ante januam eccleſiæ, canatur letania. Expleta vero

vero dicit epiſcopus: Ingredere, benedicte Domine, præparata eſt habitatio ſedis tuæ.

Sequitur oratio.

Domum tuam, quæſumus, Domine, clementer ingredere, & tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam conſtitue manſionem, ut cujus ædificatione ſubſiſtit, hujus fiat habitatio præclara.

Venientes autem ante altare, & extenſo velo inter eos & populum, facit epiſcopus crucem de ſancto chriſmate intus in confeſſione, in medio, ubi ponendæ ſunt reliquiæ, & per quatuor angulos ipſius ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ponit tres portiones Corporis Domini intus in confeſſione, & tres de incenſo, & recluduntur intus reliquiæ, canentes antiphonam*: Sub altare Domini ſedes accepiſtis, & intercedite pro nobis per quem meruiſtis. *Item alia antiphona*: Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis, *cum pſalmo* Cantate Domino canticum novum, laus ejus. *Et benedicat tabulam altaris, quæ tamen tabula prius lota erit de aqua ſacrata.* NOTA.

Benedictio tabulæ.

Singulare iſtud repropiatorium, quod ſe in ara cru † cis nobis redimendis obtulit immolandum, cujus præfiguratione patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret ſacrificium, & portæ cæli deſuper aperiretur oraculum; ſuppliciter tibi, Domine, preces fundimus, ut metalli hujus expoſita materies ſupernis ſacrificiis imbuendo, ipſe tuæ dotari ſanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem ſcripſiſti in tabulis. Per.

Deinde ponatur tabula deſuper, id eſt menſa altaris, & liniatur calce, & dicat hanc orationem.

Deus qui ex omni coaptione ſanctorum æternum tibi condis habitaculum, &c.

Alia oratio.

Deus omnipotens, univerſarum rerum rationabilis artifex, qui inter ceteras creaturas formam lapidei metalli ad obſequium tui ſacrificii condidiſti, ut legiſlatori tuo præpararetur altare, annue dignanter hujus inſtitutor myſterii, ut quicquid hic oblatum ſacratumve fuerit, nomini tuo adſurgat, religioni proficiat, ſpei initietur, fidei ſit honore. Per.

Conſecratio tabulæ.

Omnipotentem Deum & Dominum noſtrum votis exultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem ſparſit, eccleſiam congregavit, lapiſque exciſus de monte ſine manibus angularem compagem ſolidavit, hanc quoque tabulam ad altare ſerenus illuſtret; eamque impetu æterni luminis irrigatam ita diverſis per membra chriſmatibus locupletet, ut ſuper illam admirandam filii ſui hoſtiam ipſe benedicat impoſitam, ipſe ſuſcipiat conſecratam. Per.

Poſt hæc veſtiatur, & cooperiatur ipſum altare cum antiphona: Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino, alleluia, *cum pſalmo* Fundamenta ejus. *Et benedicit eum his verbis*:

Kk

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Item oratio poſt velatum altare.

Deſcendat, quæſumus Domine Deus noſter, Spiritus-ſanctus tuus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda dignanter emundet. Per.

Item oratio ad patenam conſecrandam.

Conſecramus, & ſanctificamus hanc patenam, &c.

Deinde facit ſignum de oleo ſancto ſuper patenam & benedicit eam his verbis : Conſecrare, & ſanctificare, &c.

Item ad calicem benedicendum vel conſecrandum.

Oremus dilectiſſimi fratres, &c. *Item alia.* Dignare Domine Deus noſter calicem iſtum, &c.

Præfatio chriſmalis.

Oremus, dilectiſſimi fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc miniſterium corporum Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti gerulum benedictione ſanctificationis, tutamine defenſionis, donatione ſalutis implere dignetur orantibus nobis. Per eumdem.

Alia.

Omnipotens Deus, Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur Corporis Chriſti novum ſepulcrum Spiritus-ſancti gratia perficiatur. Per.

Inde revertatur pontifex in ſacrarium, & induat ſe aliis ſolemnibus veſtimentis ipſe & ceteri ordines. Interim namque eccleſia ornetur & decoretur lumine. Poſt hæc cantor petita benedictione, ab epiſcopo incipiat antiphonam ad introitum miſſæ, & tunc procedit pontifex de ſacrario cum omnibus ordinibus ſuis, ſicut mos eſt, & celebrabitur miſſa ſicut in Sacramentorum libro continetur.

Item miſſa in dedicatione eccleſiæ.

Ad introitum. Terribilis, &c. *Pſ.* Dominus regnavit. Deus qui inviſibiliter, &c. *Alia.* Deus qui ſacrandorum, &c. Lectio libri Apocalypſis Johannis apoſtoli. In diebus illis vidi civitatem ſanctam Jeruſalem, *&c. uſque* nova facio omnia. *Grad.* Locus iſte à Deo factus eſt, &c. ℣. Deus cui adſtat, &c. Alleluia. Adorabo, &c. Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis : Non eſt arbor bona, *&c. uſque* fundata enim erat ſupra petram. *Offertorium.* Domine Deus noſter in ſimplicitate, &c. Omnipotens ſempiterne Deus altare nomini tuo dedicatum, &c. *Præfatio.* † Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem te ſupplices deprecamur ut altare hoc, &c. *Communio.* Domus mea domus orationis, &c. *Poſt communionem.* Quæſumus omnipotens Deus ut hoc in loco, &c. *Super populum.* Copioſa beneficia, quæſumus Domine, &c.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis annorum 900.

INCIPIT ORDO QUALITER DOMUS DEI CONSECRANDA EST.

P*Rimitus enim decet ut epiſcopus & ceteri miniſtri eccleſia induant ſe veſtimentis ſacris cum quibus divinum miniſterium adimplere debent, & veniant ante oſtium eccleſia qua dedicanda eſt, cantando antiphonam* Zacchæe feſtinans deſcende, &c. *Qua finita, dicatur hac oratio* Actiones noſtras, &c. Deus qui nos paſtores in populo vocare voluiſti, præſta quæſumus ut hoc quod humano ore dicimur, intus oculis eſſe valeamus. Per.

Et inluminentur duodecim candela foris per circuitum eccleſia, & facit letaniam, & cum hac letania ſanctorum implorans ſuffragium, ter circumeat ipſam qua dedicanda eſt eccleſiam: qua hoc modo incipienda eſt Chriſte audi nos. iij. Sancta Maria, ora pro nobis. S. Michael, &c.

Sequatur oratio. Præveniat nos quæſumus, Domine, miſericordia, &c. *Alia.* Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & ab eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, Per. *Alia.* Deus cæli terræque dominator, auxilium nobis tuæ defenſionis benignus impende. Per. *Alia.* Actiones noſtras, &c.

Tunc ingrediatur unus ex diaconibus eccleſiam, & clauſo oſtio ante ipſum, ceteris omnibus pro foribus remanentibus, tunc & pontifex accedens ad oſtium eccleſia incipiat antiphonam Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales. *Et iterum circumeat eccleſiam verſificando pſalmum uſquequo veniat ad oſtium percutienſque in primis ter cum virga ipſud oſtium dicat directe* Tollite portas principes veſtras, *& reliqua. Epiſcopus ſecundo circumeat eccleſiam pſallendo verſus ejuſdem pſalmi qui ſuperſunt cum antiphona ſupradicta quo ad uſque veniat ad oſtium quod prius, percutienſque iterum ipſum oſtium dicat directe, ut ſupra,* Tollite portas. *Et miniſter reſpondeat:* Quis eſt iſte? *Item tertio circumeat ecleſiam pſallendo quod ſupereſt ejuſdem pſalmi cum antiphona ſupradicta. Quo pſalmo expleto cum antiphona, ſtans ante oſtium tertio percutiat ipſud oſtium, dicatque directe ſine ſono*: Tollite portas principes veſtras. *Et diaconus reſpondeat:* Quis eſt iſte. *Tunc omnis clerus epiſcopo reſpondeat dicens:* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. *Et ſtatim diaconus aperiet oſtium, hanc orationem ante oſtium epiſcopo dicente:* Oremus. Domum tuam, quæſumus Domine, clementer ingredere.

*Hac oratione finita, ingrediantur omnes eccleſiam, epiſcopo crucem in manu * & ſtando, dicatque antiphonam* Pax huic domui, &c. *Pſ.* Fundamenta ejus. *Et ſic canendo uſque ad medium eccleſia ſolum deveniant. Qua finita, dicit epiſcopus ſonora voce* Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua.

* Hic deeſt aliquod verbum.

Et poſt paululum dicit, Levate. *Et pontifex dicit* Oremus. Deus qui inviſibiliter omnia contines, &c. *Item dicat pontifex* Oremus. *Et diaconus ut ſupra*, Flectamus genua. *Et poſt paululum dicit:* Levate. *Deinde dicit epiſcopus orationem hanc:* Tabernaculum hoc ingredere, &c.

Deinde dicit clerus letaniam, & cum venerint ante altare pontifex & ſacerdotes proſternant ſe ſuper ſtramenta uſque dicatur Agnus Dei. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Domine miſerere, &c.

Ut autem ſurrexerint ab oratione, non dicit pontifex Dominus vobiſcum, *ſed tantum inchoat, & dicit* Oremus. *Et diaconus ut ſupra* Flectamus genua. *Et iterum*, Levate. *Sequitur oratio.* Magnificare Domine Deus noſter, &c.

Deinde incipit pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribens per pavimentum cum cambuta ſua A. B. C. darium uſque in dextrum angulum occidentalem, & dicit hanc antiphonam: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud denique quod poſitum eſt à Chriſto Domino. *Pſ.* Fundamenta ejus. *Et à dextro angulo orientali ſcribat ſimiliter A. B. C. darium uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem baſilicæ, canendo antiphonam:* Hæc aula accipiat à Deo gratiam benedictionem & miſericordiam à Chriſto Jeſu. *Pſ.* Magnus Dominus.

Deinde veniens ante altare dicat · Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria *abſque* alleluia. *Deinde benedicens ſalem & aquam cum cinere dicat hanc orationem.*

Exorcizo te creatura ſalis, &c. *Benedictio ſalis.* Immenſam clementiam tuam, &c. *Exorciſmus aquæ.* Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, &c. *Benedictio aquæ.* Deus qui ad ſalutem humani generis, &c. *Benedictio cineris.* Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, &c. *Poſt hæc miſcetur ſal & cinis faciens crucem ter ſuper ipſam aquam benedictam, & dicat hanc orationem.* Deus invictæ virtutis auctor, &c. *Deinde miſcetur vinum cum aqua, & dicat hanc orationem:* Deus creator & conſervator, &c.

Domine Deus rex univerſarum cæleſtium & terreſtrium creaturarum, qui de cælo deſcendiſti, & per myſteriorum tuorum arcana eccleſiæ tuæ iter ad cælos aſcendi præbuiſti, quique inter cetera cæleſtium terribilia myſteriorum miracula etiam ex proprio latere undam ſanguinis & aquæ ob animarum noſtrarum medelam profluxiſſe permiſiſti: concede, quæſumus, ut ſacroſancta ſanguinis tui mixtura in vino cum unda ſanguinis cæleſti benedictione eccleſia tua conſecretur, & ad noſtræ operationis confirmationem conſecrata permaneat. Per.

Et mittat in ea chriſma, & condat de ipſa aqua calcem, & faciat maldam unde recludere debet ipſas reliquias. Deinde faciat crucem cum digito ſuo cum ipſa aqua in dextram partem per quatuor cornua altaris cantando Aſperges me. *Inde veniens ante altare cum yſopo aſperget illud altare in circuitu ſeptem vicibus canendo antiphonam* Aſperges me, Domine, yſopo, &c. *cum pſ.* Miſerere mei Deus, *quem ſequatur oratio.*

Pateant ad hoc altare aures miſericordiæ tuæ, quæſumus Domine, precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas, fac tibi eos placita poſtulare. Per.

Et vadat in circuitu altaris ſpargendo, deinde in dextra parte per parietes eccleſiæ uſque dum veniat ante altare, deinde antiphona: Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum, & hæc eſt domus Dei in qua invocetur nomen ejus de quo ſcriptum eſt: Erit nomen meum ibi dicit Dominus. *Pſ.* Deus noſter refugium. *Quo peracto, ſequatur oratio.*

Hic benedictionem tuam, Domine, populus fidelis ad honorem & laudem nominis tui veniens accipiat, qua corpore ſalvetur & mente, hic gratam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia jugiter inveniat. Per.

Solus & ineffabilis ſupernorum rex, Domine Deus, auxiliare quæſumus eccleſiæ tuæ, ut quicumque hic ad laudem & exaltationem nominis tui conveniunt, ſacræ devotionis proficiant incrementis, & ſuo munere ſemper gubernentur, & ad redemtionis æternæ pertineant te ducente conſortium. Per Dominum.

Sparget iterum tribus vicibus deſuper in circuitu altaris vel eccleſiæ deintus cum antiphona: In dedicatione hujus templi laudate Deum omnes militiæ cælorum, & omnis terra laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius. *Deinde pergat extra eccleſiam cum omni ſchola ſpargendo ter per parietes in circuitu, & deſuper cantando:* Qui habitat in adjutorio Altiſſimi in protectione Dei cæli commorabitur: Dicet Domino.

Adjutor altiſſime Deus & protector cæleſtis, preces noſtras quæſumus clementer exaudi, nobiſque miſericordiam tuam poſcentibus concedas, ut quicumque in parietes hujus eccleſiæ ad te clamaverint, omnium miſericordiam peccatorum & gaudia percipere mereantur æterna. Per.

Antiphona. Aſperges me, Domine, *Pſ.* Miſerere mei Deus. Fundamenta templi hujus ſapientia ſua fundavit Deus, in quo Dominum cæli collaudant angeli, ſurruant venti & fluant flumina, non poſſunt eam movere umquam. Fundata enim erat ſupra petram. *Pſ.* Fundamenta ejus *cum toto pſalmo. Finito hoc, ingrediatur pontifex in eccleſiam cum omni ſchola, & incipiat antiphonam.*

Deus qui Jacob famulo tuo proelecto aſcendentes & deſcendentes in præfigurationem ſanctorum prædicatorum angelos oſtendiſti: Concede, quæſumus, omnes ad hanc dedicationem venientes, apoſtolorum tuorum tueri præſidio, quatinus qui ſurſum ſanctum caput eccleſiæ videlicet Dominum contemplantur, pro his intercedere non deſiſtant qui in imis verſantur. Per Dominum.

Benedic, Domine, domum iſtam, quam ædificavi nomini tuo, ut ſint oculi tui aperti ſuper eam die ac nocte. *Pſal.* Magnus Dominus.

Et vadat de ipſo altari ſpargendo per medium eccleſiæ in longum & in latum faciendo crucem ſuper omne pavimentum cum antiphona. Exſurgat

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Deus ad noſtri famulatus obſequium, & in loco ſancto ejus fiat benedictionis augmentum. Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ, quod ædificatum eſt ad laudem & gloriam nominis tui Domine. *Pſ.* Benedicite omnia opera Domini Domino.

Et veniens in medio eccleſiæ, dicat Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. *Poſtea dicat* Levate. *Et dicat epiſcopus hanc orationem.*

Deus qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur. Per.

Et iterum dicat Oremus. *Et diaconus ut ſupra. Oratio.* Deus ſanctificationum omnipotens Dominator, &c.

Præfatio in medio eccleſiæ.

Surſum corda. Gratias agamus. † Adeſto precibus noſtris, adeſto ſacramentis, &c.

Ipſa expleta, ingrediendum eſt ad altare poſt velum. Antiphona. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Pſ.* Judica me Deus.

Vadat ante altare, effundat quod remanſit de ipſa aqua ad baſim altaris, & extergat altare de linteo cum antiphona. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & Spiritus Dei habitat in vobis, templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, pro cujus amore celebratis hodie gaudia templi tempore feſti. *Pſ.* Laudate Dominum omnes gentes.

Et benedicat tabulam altaris, quæ tamen tabula prius lota erit ex aqua ſacrata.

Benedictio tabulæ.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, miſericordiam tuam vocibus exultantibus deprecamur, ut qui per omnem mundum fidem ſparſiſti, &c.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, creator cæli & terræ, maris & omnium elementorum, ſupplices majeſtatem tuam exoramus & petimus, ut benedicere & ſanctificare digneris tabulam iſtam ex lapide tuæ creaturæ manu hominis adquadratam, ſicut benedicere dignatus es altare illud quod Noe poſt tranſactum cataclaſma per verbum ſanctum tuum in nomine Dei Patris omnipotentis ædificavit, ſuper quod defuncta animantia terræ oblata ſunt munda & immunda: Sed immunda in figura gentilium, quæ à Spiritu-ſancto mundata, & in odore ſuavitatis accepta, ſcriptura commemorante cognovimus, ſuſcipiatur apud te hic ſuperpoſitum ſacrificium quodcumque per manus ſacerdotum offeratur. Qui vivis.

Singulare illud repropitiatorium, &c.

Item alia.

Deus omnipotens, univerſarum rerum rationalis artifex, &c.

Poſtea mittat oleum ſuper altare in medio crucem faciens, & ſuper quatuor angulos cum antiphona Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens

Digitized by Google

oleum deſuper. *Pſalm.* Quam dilecta.

Deum univerſitatis artificem, & immenſæ molis admirabilem conditorem, fratres cariſſimi, votis exultantibus deprecemur, ut qui per totum mundum fidem aſperſit, & eccleſiam congregavit, quam lapis exciſus ſine manibus angulari compage ſolidavit, ut adtolleret caput in cælum, qui de cælo accepit fundamentum, lapidem hunc ad conficiendum in eo vitæ ſacramenta compoſitum, ita chriſmate divinæ ſanctificationis perfundat, ut ſuper illud adorandam Filii ſui hoſtiam ipſe benedicat impoſitam, ipſe ſuſcipiat conſecratam. Sit hic victima unitati ſubſtantiæ & perſonarum Trinitati grata & acceptabilis, ut hunc lapidem quem per invocationem nominis pio dedicamus officio, præſentiæ ſuæ viſitatione inluſtret, & ſanctificatione, benedictione perpetua inhabitante, poſſideat. Per.

Alia.

Deus qui ad ſanctificandum primogenitum tibi populum tabernaculi exemplar in monte Sina Moyſi famulo tuo myſticis ſignificationibus demonſtraſti, ſecundum cæleſtium formam terris ſanctum diſponens, ut ad te ipſi[illegible] quæ noſtra videntur adtraheres, & ſupernis terrena ſociares, qu[illegible]us eminentia ſpiritalis illuc tenderet, te vocante, faſtigium, und[illegible]ordinante ſumſit exordium; hunc quoque lapidem ſalutaribus celeb[illegible]læ redemtionis myſteriis præparatum rore cæleſtis unguenti aſperge, & aromaribus divinæ ſanctificationis perfunde, ac munus gratiæ conſecrantis ſuper illum ſacrificia impone, digneque ſic ſupra quod electas ad ſacrificium creaturas IN CORPUS ET SANGUINEM REDEMPTORIS VIRTUS SECRETA CONVERTAT, ET IN SACRAS AGNI HOSTIAS INVISIBILI MUTATIONE TRANSCRIBAT, UT SICUT VERBUM CARO FACTUM EST, ITA IN VERBI SUBSTANTIAM BENEDICTA OBLATIONIS NATURA PROFICIAT, & quod prius fuerat alimonia vita hic efficiatur æterna. Per Dominum.

Et unguat manu ſua ipſum lapidem ſuper & in circuitu ipſius altaris per quatuor cornua. Expleto pſalmo, mittat iterum oleum ſimiliter ſicut prius, canendo: Mane ſurgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, votum vovit Domino. Locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam. *Pſ.* Deus noſter refugium.

Ipſo expleto, mittat chriſma ſimiliter canendo: Vidit Jacob ſcalam, ſummitas ejus cælos tangebat, & aſcendentes angelos: & dixit vere locus iſte ſanctus eſt. *Pſ.* Fundamenta ejus.

Deinde in circuitu eccleſiæ per parietes à dextro & à ſiniſtro faciens crucem cum pollice de ipſo chriſmate dicens: Sanctificetur hoc templum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. *Cum antiphona:* O quam metuendus eſt locus iſte, vere non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli. *Pſ.* Magnus Dominus. *Et iterum dicat antiphonam:* Lapides pretioſi omnes muri tui, & turres Jeruſalem gemmis ædificabuntur. *Pſ.* Lauda Jeruſalem. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, effunde ſuper hunc locum gratiam

Digitized by Google

tuam, & omnibus in te ſperantibus auxilium tui muneris oſtende : ut hic & ſacramentorum tuorum virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Alia.

Deus qui de vivis & electis lapidibus, &c.

Inde faciens crucem cum incenſo ſuper altare cum antiphona : Fumigante thuribulo, Domine, ad te dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu majeſtatis tuæ. *Pſ.* Domine clamavi ad te. *Antiphona.* Ecce odor filii mei ſicut odor agri, cui benedixit Dominus. *Pſ.* Lauda Jeruſalem Dominum.

Dehinc oratio hæc.

Domine ſancte, Pater clemens, cujus nec initium nec finis, &c.

Iterum dicat Oremus. *Diaconus ut ſupra. Sequitur oratio.*

Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur, ut hæc altaria, &c.

Iterum dicat Oremus. *Diaconus ut ſupra. Sequitur oratio.*

Deus omnipotens, in cujus honore altaria hæc ſub invocatione, &c.

Præfatio ſuper altare.

Surſum corda, &c. Ut propenſiori cura & attentiori famulatu, &c.

Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino, alleluia. *Pſ.* Magnus Dominus.

Oratio ſuper altare.

Majeſtatem tuam, Domine, imploramus humiliter, &c.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem, alleluia, alleluia *cum* Gloria.

Deinde tenentibus ſubdiaconibus & acolythis lintiamina vel omnia ornamenta eccleſiæ ſeu vaſa ſacra quæcumque ad cultum Dei eccleſiæ pertinere videntur, benedicat ea pontifex, ſicut in ſacramentario continetur.

Benedictio linteaminum vel ad omnia in uſum baſilicæ.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, &c.

Alia.

Dignare, Domine Deus, omnipotens rex regum, &c.

Incipiunt orationes ad veſtimenta ſacerdotalia ſeu levitica.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſen famulum tuum, &c.

Alia.

Domine Deus Pater omnipotens rex magnificus triumphator, qui ſanctis patribus noſtris ac ſacerdotibus tibi ſervientibus, qui tibi in ſacerdotali ordine placuerunt, diverſi generis ornamenta & veſtimenta fieri & ornari voluiſti, exaudi propitius orationem noſtram, & hanc planetam, ac caſulam, atque ſuperhumeralem ſeu poderem, albam, ac ſtolam, cingulum, orariumque, dextera tua ſancta benedicere, ſanctificare, conſecrareque ac purificare digneris, quatenus hæc veſtimenta miniſtris & levitis ac ſacerdotibus tuis ad divinum cultum ornandum atque explendum proficiant, ſanctiſque altaribus tuis mundi & ornati his ſacris.

Digitized by Google

ſacris veſtibus miniſtri tui irreprehenſibiles in actu & dictu interius exteriuſque appareant tibi ſolidos puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ eorum irreprehenſibiliter ſanctorum patrum exempla ſequentes ſervire valeant, hiſque ſacris miniſteriis ſecundum tuam voluntatem quando tibi placuerit expletis, cæleſtis regni gloriam cum omnibus ſanctis ſibique commiſſis percipere mereantur. Per.

Item alia.

Deus omnipotens bonarum virtutum dator, & benedictionum largus infuſor, &c.

Oratio ad corporale benedicendum.

Clementiſſime, Domine, &c.

Alia.

Deus qui pro generis humani ſalvatione Verbum caro factus es, & habitare totus in nobis non dedignatus es, quique traditori tuo perfido oſculum pium dediſti, dum pro omnium vita pius voluiſti Agnus mactari, atque in ſindone lino texta Joſeph totum te involvi permiſiſti; reſpice propitius ad preces noſtras, quia tua fideliter cariſmata amplecti cupimus: quæſumus, Domine, ſanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc corporalia in uſum altaris tui, ad conſervandum ſuper ea ſive ad tegendum involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, digniſque pareant famulatibus, ut quicquid tibi ſacro ritu ſuper hæc immolabitur, ſicut Melchiſedech oblatum holocauſtum tibique acceptabile obtulit, ſit ſacrificia noſtra acceptabilia fiant, te quoque humiliter rogamus ac petimus, ut hæc corporalia tuæ ſanctificationis ubertate per Spiritus-ſancti gratiam purifices & ſanctifices, qui te pro nobis omnibus ſacrificium offerre voluiſti, & præſta ut ſuper his ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, & Spiritus-ſancti tui ſemper rore perfuſa. Per.

Alia.

Deus qui tibi digne ſervientium nos imitari deſideras famulatum, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſervitutem, & hæc corporalia nomini tuo dicata ſervitutis noſtræ uſibus præparata cæleſtis virtutis benedictione ſanctifica, purifica & conſecra, quatenus ſuper ea Spiritus-ſanctus tuus deſcendat, qui & populi tui oblationes benedicat & corda ſive corpora ſumentium benignus perficiat. Per.

Oratio ad patenam conſecrandam.

Conſecramus & ſanctificamus hanc patenam, &c.

Deinde facit ſignum de oleo ſancto ſuper patenam, & benedicit eam his verbis: Conſecrare & ſanctificare digneris, &c.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, qui inter ceteras creaturas formam lapidei metalli ad obſequium tui ſacrificii condidiſti, ut legis libatorium tuo præpararetur altari, annue dignanter hujus inſtitutor myſterii, ut quicquid hic oblatum, ſacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocauſtum, atque omnium hic offerentium ſacrificia à te pro Deo benigne ſuſcipiantur, & per ea peccatorum noſtrorum

Ll

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

& eorum vincula abſolvantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur; gratiæ adquirantur, quatenus una cum ſanctis & electis tuis vitam percipere æternam mereamur. Per.

Deus qui per typicum paſcha & eſcis agni carnibus panem ex catino ſumere in proprii comparatione corporis & diſcipulis diſtribuere dignatus es: te ſupplici devotione depoſcimus, ut quicumque de hac patena ore panem ſacratum perceperint, te vivum & verum panem corde concupiſcant & capiant, & benedictionem mereantur percipere æternam. Per.

Ad calicem.

Oramus te Domine Deus noſter ut calicem iſtum, &c.

Deus qui accepto & diſtributo pane vetus determinans paſcha, & novum inſinuans, calicem accipiens benedixiſti, & diſcipulis tuis ad bibendum porrexiſti, quique in cruce pro mundi ſalute poſitus aquam ex latere proprio una cum ſanguine profluxiſſe ſuperna ſanctione voluiſti: reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum, & per te impoſitam benedictionem, & præſta ut quicumque ex hoc calice myſticam ſanguinis tui memoriam mundato corde prægustent, peccatorum omnium à te miſericordiſſimo veniam & gaudia impetrare mereantur æterna. Per.

Item ad calicem benedicendum.

Oremus dilectiſſimi fratres, ut Dominus noſter calicem iſtum, &c.

Item alia.

Dignare Domine Deus noſter calicem iſtum, &c.

Benedictio euchariſtialis vaſculi.

Oremus dilectiſſimi & fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc myſteriale Corporis Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti gerulum benedictione ſanctificationis, tutamine defenſionis, & dominatione ſalutis implere dignetur orantibus nobis. Per.

Euchariſtialis.

Deus qui, ſacra ſcriptura teſtante, tribus diebus & tribus noctibus ſervata integritate divinitatis, ſponteque peracta humani corporis fractione, inſinuans cæſurum quod corruptibile eſt & reſurrecturum quod ſpiritale in ſepulcro jacuiſti, Euchariſtiale quæſumus, quod nos indigni ad myſtici Corporis tui cuſtodiam conſecramus & benedicimus, Tu in nomine ſanctæ Trinitatis angelum tuum cuſtodem deputans conſecrare, & benedicere digneris, quatenus ex eo in acceptione corporis tui viarum præſumſerint viaticum paternarum cæleſti hic & in futuro te miſerante non deſtituantur auxilio. Per.

Benedictio thuribuli.

Deus ad cujus ſepulcrum cum aromatibus in ſpecie ſanctarum animarum virtutes ſanctorum operum geſtantium diluculo mulieres veniſſe memorantur, & in cujus conſpectu angelus aureum habens thuribulum ſtetiſſe in datis incenſis in orationibus ſanctorum omnium ante thronum Domini adoleviſſe cæleſti viſione divulgatur: Adeſto propitius,

& hoc thuribulum cæleſti benedictione perfunde, ut quicumque ex eo tymiamatis vel thuris flagrantiam ſentiunt, tua donante immenſa clementia, odores orationum ante conſpectum majeſtatis tuæ ſanctarum per manus ſanctorum emittant angelorum ac perſolvant. Per.

Alia.

Domine Deus omnipotens, cui adſiſtunt exercitus angelorum cum tremore, quorum ſervitus in vento & igne convertitur, dignare reſpicere & benedicere hanc creaturam incenſi, ut omnes languorum inſidias odorem ipſius ſitientes effugiant & ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo ſanguine Filii tui redemiſti, & numquam lædantur à morſu antiqui ſerpentis. Per.

Alia.

Veniat ergo omnipotens Deus ſuper hoc incenſum larga tuæ benedictionis effuſio, ut quocumque ex hujus aliquid purificationis fuerit miniſterio deportatum, depulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majeſtatis adſiſtat. Per.

Alia oratio quando erga altare deportatur.

Exorcizo te immunde ſpiritus, omne phantaſma inimici, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus-ſancti, ut exeatis & recedatis ab hac ſpecie tymiamatis ſive incenſi cum omni fallacia ac nequitia veſtra, ut ſit hæc ſpecies ſanctificata in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut omnes geſtantes, tangentes, odorantes eam virtutem & auxilium percipiant Spiritus-ſancti; ita ut non ibidem, ubi hæc incenſa vel tymiamata fuerint, adpropinquare audeatis, nec adverſa inferre præſumatis. Adjuro te per nomen, & per virtutem Dei Patris omnipotentis & Jeſu Chriſti Filii ejus, qui venturus eſt in Spiritu-ſancto judicare vivos & mortuos, & nos prævaricatores, & ſæculum per ignem.

Alia.

Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecamur, Domine, ſanctiſſime Pater omnipotens, æterne Deus, ut benedicere digneris hæc tymiamata vel incenſi ſpeciem, ut ſit incenſum majeſtati tuæ in odorem ſuavitatis acceptum. Sit à te hæc ſpecies benedicta: ſit per invocationem ſancti nominis tui ſanctificata: ita ut ubicumque fumus ejus pervenerit, extricetur & effugetur omne genus dæmoniorum, ſicut incenſu jecoris piſcis, quem Raphael Tobiam famulum tuum docuit, cum aſcendit ad Sarræ liberationem. Deſcendat benedictio tua ſuper hanc ſpeciem incenſi & tymiamatis, ſicut in illo de quo David propheta tuus cecinit dicens: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Sit nobis odor conſolationis, ſuavitatis & gratiæ, ut fumo iſto effugetur omne phantaſma mentis & corporis, ut ſimus Pauli apoſtoli voce bonus odor Deo. Effugiant à facie incenſi hujus & tymiamatis omnes dæmonum incurſus ſicut pulvis à facie venti, & ſicut fumus à facie ignis. Præſta hoc, piiſſime Pater, boni odoris incenſum ad opus eccleſiæ tuæ ob cauſam religionis jugiter permanere, ut myſtica nobis

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

ſignificatione ſpiritualium virtutum flagrans oſtenderet odor ſuavitatem. Tu ergo omnipotens Deus, immenſæ majeſtatis dextra hanc creaturam benedicere ex diverſarum rerum commixtione inſertam dignare, ut in virtute ſancti nominis tui omnes immundorum ſpirituum phantaſticos incurſus effugare, omneſque morbos reddita ſanitate expellere ubicumque fumus aromatum ejus affluerit mirabiliter poſſit, atque in odore fragrantiſſimo tibi, Domine, perpetua redoleat ſuavitate. Per.

Conſecratio crucis.

Benedic, Domine, hanc crucem tuam per quam eripuiſti mundum, &c.

Alia.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per lignum perdito mundo lignum redemtionis tuæ crucis prædeſtinaſti, quæſumus ut benedicere digneris hoc lignum ſimilitudine crucis tuæ ſignatum: & præpara in ea tuis fidelibus virtutem, inimicis autem obſtaculum ad augendum nomini tuo credentium chorum virtute cæleſti. Per.

Hic lavas illam crucem cum aqua benedicta, & dic orationem.

Omnipotens æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, tu conditor cæli, conditor animarum vel angelorum & ſyderum: tu fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: tu creaſti mare, tu ſolus omnipotens Deus ſine principio & ſine fine, benedic hanc crucem fabricatam ad inſtar & ad imaginem crucis, in qua paſſus eſt Filius tuus unigenitus Jeſus Chriſtus pro ſalute mundi, quæ erat diffuſa rore proprio decorati Sanguinis Jeſu Chriſti Filii tui. Benedicimus & conſecramus iſtam crucem in honorem & memoriam nominis tui, ut ſit benedicta & conſecrata hæc crux inter myſteria eccleſiaſtica in honore Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, qui tecum vivit.

Hic extergas crucem cum linteo, & poſtea offertur incenſum in circuitu crucis, & dic orationem.

Deus gloriæ excelſæ, &c.

Hæc dicantur ſi crux adornetur, alioquin prætermittantur. Radiet hic unigeniti Filii tui ſplendor, &c. indiſſolubili conjuratione Spiritus-ſancti per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic fac ſignum de oleo ſancto ſuper crucem, & benedic eam his verbis:

Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine Deus omnipotens, hanc crucem per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui tecum vivit.

Item benedictio.

Sanctifica quæſumus, Domine, crucem iſtam quam dignatus es pro mundi ſalute aſcendere ad redimendum per paſſionem tuam humanum genus, qui diu in captivitate diaboli & laqueis capiebatur: Itaque nunc iſtud ſalutiferum per medicinam unctionis tuæ olei & aſperſionis hujus aquæ ad liberationem generis humani, & ad effugandum dæmones, ac

expellendos morbos, & omnes languores animarum per invocationem nominis tui reſtaurare digneris per te Jeſu Chriſte, qui vivis.

Alia.

Deus cui cunctæ obediunt creaturæ, & omnia in Verbo tuo feciſti in ſapientia: quique etiam per lignum ſanctæ crucis Filii tui pio nos cruore redimere dignatus es: ſupplices, quæſumus ineffabilem clementiam tuam, ut tu qui es lignum vitæ, paradiſique reparator, à nobis omnibus in te credentibus, & ſignum præcelſæ admirationis colentibus dira ſerpentis venena extinguas, & per gratiam Spiritus-ſancti poculum nobis ſalutis ſempiternum infundas. Per.

AD SIGNUM ECCLESIÆ BENEDICENDUM.

P*Rimitus lavetur ſignum de aqua benedicta ita dicendo:* Benedic, Domine, hoc ſignum benedictione cæleſti, &c.

Poſt hæc cantabis pſalmos ſex, ideſt Lauda anima mea Dominum *uſque in finem pſal. Iterum laves eam de aqua benedicta cum oleo & ſale, & dic orationem. Antiphona.* In civitate Domini clare ſonant jugiter organa ſanctorum, ibi cinnamomum & balſamum odor ſuaviſſimus, qui ad Deum pertinet, ibi angeli & archangeli hymnum novum decantant ante ſedem Dei alleluia. *Pſ.* Lauda anima.

Benedic. Deinde dices collectam.

Deus qui per Moyſen legiferum, &c. *Tunc exterges eam de linteo, & tanges eam de chriſmate deforis ſepties, & intus quater, & dic orationem:* Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas, *uſque in finem pſalmi.*

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam, &c.

Tunc impones in ignem & ſuperjacias tymiama & myrram, & trigas cloccam ſuper incenſum, ut totum fumum colligat, & dicas verſus. Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia ſolus. *Pſ.* Viderunt, *uſque in finem pſalmi.*

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus Dominator Chriſte, &c.

[*Ad baptiſterium benedicendum.*]

Omnipotens Deus hoc baptiſterium cæleſti viſitatione dedicatum ſpiritus tui illuſtratione ſanctifica, ut quoſcumque fons iſte lavaturus eſt, trina ablutione purgati indulgentiam omnium delictorum tuo munere conſequantur. Per.

Multiplica, Domine, benedictionem tuam, & ſpiritus tui munere fidem noſtram corrobora, ut qui in hæc fluenta deſcenderint in libro vitæ aſcribi mereantur. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons omnium virtutum & plenitudo gratiarum, dignare hunc fontem ſacro baptiſmati præparatum majeſtatis tuæ præſentia conſecrare, ut qui ubique totus es, etiam hic adeſſe te in noſtris precibus ſentiamus; & quicumque hic trinæ confeſſionis &

CAPUT XIII
De Bened. ac dedic. eccleſ.

ſacræ regenerationis effectum percipiunt, gaudia æterna ſic adepturos ſine fine lætentur. Per.

*Incipit * reconciliatio cimiterii.*

* *l.* benedictio.

Primitus cum aqua benedicta epiſcopus cum ſuis clericis circumdare debet omne cimiterium cum antiphona Aſperges me. *Pſ.* Miſerere mei Deus. *Poſtea letania, deinde dicat :* Dominus vobiſcum. Deus qui es totius orbis conditor, &c. *Item alia.* Domine Pater omnipotens trina majeſtas, &c. *Alia.* Domine Deus Paſtor æternæ gloriæ, &c. *Alia.* Omnipotens Deus qui es cuſtos animarum, &c. *Alia.* Adeſto quæſumus, Domine, officio noſtro hunc locum viſitanti, & noſtræ fragilitatis miniſterio, & ſicut benedixiſti per manus patrum majorum ſcilicet Abrahæ & Iſaac & Jacob terram ſepulturæ, & poſtmodum noſtræ ſalutis remedio traditus, flagellatus, tandemque cruci adfixus, per te ipſum Joſeph divinitus præparante terrenum ſanctificaſti ſepulcrum, ita hoc cimiterium benedicere, conſecrare, & ab inviſibilium machinamentis hoſtium roborare digneris : quo omnes quorum poſt laborem vitæ hic corpora pauſaverint, perpetuæ felicitatis præmia conſequantur. Per.

[*Sequitur extra ſuum locum reconciliatio loci ſacri ubi ſanguis fuerit effuſus poſtea referenda, quam ideo hic prætermittere viſum eſt.*]

INCIPIT ORDO QUOMODO IN SANCTA ROMANA ECCLESIA RELIQUIÆ CONDANTUR.

PRimum vadat epiſcopus ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerint, ut elevent eas. Et facit letaniam, & quando levantur reliquiæ, dicat orationem hanc :* Aufer à nobis, &c. *Finita oratione, elevent ſacerdotes ipſas reliquias cum feretro, & portent eas ad eccleſiam cum honore digniſſimo, cum crucibus & thuribulis, atque candelabris, & luminibus multis laudes Deo cum letania atque his antiphonis. Antiph.* Cum jucunditate, &c. *Antiph.* De Jeruſalem, &c. *Antiph.* Via juſtorum, &c. *Antiph.* Jeruſalem civitas ſancta, &c. *Antiph.* Ambulate, &c. *Antiph.* Sanctum eſt verum lumen & admirabile miniſtrans lucem his qui permanſerunt in agone certaminis. Recipiunt ab ipſo ſplendorem ſempiternum in quo aſſidue felices lætentur.

Dum autem pervenerint ante januam eccleſiæ, dicat epiſcopus hanc orationem.

Deus qui in omni loco dominationis tuæ, &c.

Tunc intrent eccleſiam cum antiphona iſta. O quam metuendus eſt, &c. Domum tuam, quæſumus, Domine, clementer ingredere, &c. Deus qui inviſibiliter omnia contines, &c.

Benedic, Domine, domum iſtam.

Tabernaculum hoc ingredere, quæſumus omnipotens Deus ſempiterne, & famulos tuos congregatos ad honorem & laudem B. Mariæ ſacræ Virginis benedic, ſicut benedicere dignatus es domus patriarcharum Abraham, Iſaac & Jacob, puſillis cum magnis, ita benedicere & ſanctificare eos dignare. Per.

Ipſa expleta, ſuſcipit ipſas reliquias à preſbytero, & portet eas cum letania ſuper altare novum, extenſo velo inter eos & populum, recondit pontifex propria manu ipſas reliquias in confeſſione altaris, & ante quam recludantur, ponat chriſma intus in confeſſione per angulos quatuor in modum crucis, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo. CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Deinde pontifex tres portiones Corporis Domini intus in confeſſione altaris, & tres de incenſo; & recluduntur intus reliquiæ canentes antiphonam. Sub altare Dei, &c. *Pſ.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in eccleſia ſanctorum. NOTA.

Subponatur etiam tabula ſacra, ſuper quam infundatur oleum ſacratum, & poſtea per quatuor angulos altaris de ipſo crux figuretur. Finito hoc, dicant hanc orationem. Ab oriente portæ tres, ab occidente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab auſtro portæ tres.

Deus qui ex omni coaptione, &c.

Poſt hæc veſtiatur altare cum antiphona: Ornaverunt faciem, &c. *cum* Gloria Patri.

Oratio poſt velatum altare.

Deſcendat, quæſumus, Domine, Deus noſter Spiritus, &c. Via ſanctorum omnium Jeſu Chriſte, &c. Confirma hoc Deus, &c. Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotum miniſterio ad tibi ſerviendum, &c.

Tibi ſancta Dei genitrix Virgo Maria, vel tibi ſancte Johannes Baptiſta Domini, vel apoſtoli Dei, vel martyres Chriſti, vel confeſſores Domini, commendamus hanc curam templi hujus, quod conſecravimus Domino Deo noſtro, ut hic interceſſor exiſtas, preces & vota offerentium hic Domino Deo conferas, cuſtoſque pervigiles, janitor inſegregabilis hujus domus Domini perſeveres. Inimici humani generis tentamentis ſcutum interpellationis tuæ opponas, ne precum ſanctarum & votorum hic fidelium malitioſus infector efficiatur. Sed omnibus ſanctis intervenientibus, teque præcipue cui hanc curam commendamus, interveniente clypeo divini tutaminis omnes hic orantes à Deo exaudiantur. Odoramenta orationum plebis chriſtianæ in libatorio vaſis aurei angelico comitatus juvamine ad patris thronum conferas, precerìſque quatenus jugi Dominus Deus noſter intuitu hic ingredientes & orantes tueri & gubernare dignetur. Per omnia ſæcula.

Inde vertatur pontifex in ſacrarium cum ordinibus ſuis, & induant ſe veſtimentis aliis ſolemnibus. Interim ornetur eccleſia, & accendantur luminaria multa, & cantor antiphonam incipiat ad introitum, & procedet pontifex de ſacrario cum ordinibus ſuis ſicut conſuetudo eſt in feſtivitatibus.

Antiphona. Terribilis eſt, &c. *Pſ.* Dominus regnavit decorem *cum* Gloria Patri.

Deus qui inviſibiliter omnia contines, &c. *Alia.*

Deus qui ſacrandorum tibi auctor eſt munerum, &c.

Lectio libri apocalypſis Johannis apoſtoli. In diebus illis vidi civitatem ſanctam Jeruſalem, &c.

Grad. Locus iſte factus eſt, &c. ℣. Deus cui adſtat, &c. alleluia. Adorabo, &c.

Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis, non eſt enim arbor bona, &c. *uſque* fundata enim erat ſupra petram.

Super oblata.

Domine Deus in ſimplicitate, &c. ℣. Majeſtas Domini ædificavit templum, videbant omnes filii Iſraël gloriam Domini deſcendentem ſuper domum, & adoraverunt, & laudaverunt Deum, dicentes, Deus Iſraël. ℣. Fecit Salomon ſollemnitatem in tempore illo & proſperatus eſt, & apparuit ei Dominus Deus Iſraël.

Omnipotens ſempiterne Deus, altare nomini tuo, &c.

Præfatio ut apud Menardum, p. 157.

Communio. Domus mea, &c. Dominus regnavit *cum* Gloria.

Completa miſſa, poſtea per totam hebdomadam miſſa publica in ipſa eccleſia celebratur, & in ipſis octo diebus ſemper ibi luminaria ardere aut decent, aut de oleo debent, ne abſque luminaribus & officiis nocturnis diurniſque in prædictis octo diebus ullo modo reperiatur.

ORDO IV.

Ex ms. codice B. Mariæ Remenſis, annorum 800.

Ordo ad benedicendam eccleſiam.

PRimum veniat epiſcopus indutus veſtimentis ſuis, ſimiliter & clerus ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerint, fiantque ibi letaniæ, & det orationem hanc epiſcopus ante tentorium dicens: Aufer à nobis, &c. *Item alia poſt ingreſſum tentorii* : Fac nos, &c. *Et benedicat ſal his verbis:* Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, &c. *Exorciſmus aquæ.* Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Benedictio aquæ.* Deus qui ad ſalutem, &c. *Hic mittitur ſal in aquam.* Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper hanc aquam. Dominus vobiſcum. Deus qui invictæ virtutis auctor, &c. *Quando aſpergitur aqua.* Exaudi nos Domine, &c. *Poſt aſperſam aquam.* Præſta, Domine, per hanc creaturam, &c.

Tunc elevent ipſas reliquias in feretro cum honore & laudibus cum cruce & thuribulis ac luminibus, & exeant pſallendo antiphonam Surgite ſancti, *quam ſequatur alia antiphona* Cum jucunditate exibitis, *donec perveniant ad oſtium eccleſiæ. Tunc vero antequam introeat pontifex eccleſiam, diaconus ſecludatur in ipſa, & illuminentur duodecim candelæ per circuitum ejus, ſtante epiſcopo una cum cetero clero pro foribus eccleſiæ, & canente antiphonam:* Tollite portas *cum pſ.* Domini eſt terra. *Hoc finito, accedat pontifex ad oſtium, percutiens cum baculo ſuo ſuperliminare ſemel, & dicat:* Tollite portas. *Cui diaconus reſpondeat:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Econtra pontifex*

Digitized by Google

tifex : Dominus fortis, Dominus potens in prælio. *Et recedens ab oſtio circumeat ipſam eccleſiam cum clero, aquam ſpargendo, & cantando* ℟. In circuitu tuo Domine. *Tunc iterum veniens ante oſtium, dicat* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. *Poſt hæc orat.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Filium tuum angularem, &c.

Poſt hoc accedens percutiat ſecundo ſuperliminare, & dicat : Tollite portas principes veſtras. *Et diaconus deintus :* Quis eſt iſte rex gloriæ ? *Ac deinde pontifex :* Dominus fortis, Dominus potens in prælio. *Deinde iterum circumeat eccleſiam aquam ſpargendo, &* ℟. *cantando :* Fundata eſt domus Domini. *Et cum venerit ante oſtium, dicat* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis, &c.

Et tunc accedens ad oſtium percutiat tertio ſuperliminare, ac repetat prædictum verſiculum : Tollite portas principes veſtras. *Et diaconus :* Quis eſt iſte rex gloriæ ? *Et reſpondeat pontifex :* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. *Adjiciens,* Aperi. *Et clerus faciat foris letaniam ſacerdotibus feretrum tenentibus uſque dum pontifex altare & omnia inſtrumenta altaris ſanctificet. Dum ergo venerit pontifex ante altare, fiat ibi letania.* Chriſte audi nos, *& reliqua. Poſtea non dicit* Dominus vobiſcum. *Sed tantum* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. *Et dicat epiſcopus hanc orationem :* Magnificare, &c.

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribere per pavimentum cum cambuta ſua alphabetum. Et ſcribat uſque ad dextrum angulum occidentalem. Incipienſque ſimiliter iterum de dextro angulo orientali alphabetum uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem. Iterum canant qui cum eo ſunt : O quam metuendus eſt *cum cantico* Benedictus *&* Gloria. *Deinde veniens epiſcopus ante altare, dicat :* Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria, *abſque* alleluia. *Deinde benedicens ſalem & aquam cum cinere mixto dicat :* Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui apoſtolis ſuis ait, &c. *Benedictio ſalis.* Domine Deus omnipotens benedic, &c. *Exorciſmus aquæ.* Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti, ut repellas, &c. *Benedictio aquæ.* Deus qui ad ſalutem humani generis, *require retro. Tunc miſceatur ſal & cinis, & faciat epiſcopus inde ter crucem ſuper aquam, & dicat :* Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, &c. *Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat :* Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, &c. *Benedictio aquæ cum vino mixtæ.* Omnipotens ſempiterne Deus, creator, &c.

Tunc ingrediens epiſcopus ad altare primo cum pollice de ipſa ſancta aqua faciat crucem in medio altaris : deinde in dextra parte, tum in ſiniſtra per quatuor cornua altaris canendo antiphonam : Aſperges, *cum pſalmo* Miſerere *& cum yſopo aſpergat ipſum altare tribus vicibus canendo eamdem antiphonam. Deinde circumeat ipſam baſilicam tribus vicibus aqua ſancta conſpargendo parietes incipiens à dextra parte orientis uſque dum redeat in orientem, & primo in circuitu canatur antiphona* Aſperges me *cum pſalmo* Mi-

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

ſerere. *Secunda antiphona :* Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus; *cum eodem pſalmo. Tertia vero antiphona :* Hæc eſt domus Domini. *Alia antiphona.* Qui habitat in adjutorio *cum pſalmo. Deinde aſpergat per medium eccleſiæ in longum & latum, canendo antiphonam cum* ℣. Domus mea, domus orationis vocabitur. Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c. Gloria Patri. *Qua finita, in medio eccleſiæ pontifex dicat* Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. Levate. *Et ſic pontifex dicat orationem* Deus qui loca, &c. *Iterum dicat excelſa voce* Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. *Sequitur oratio in conſecratione baſilicæ :* Deus qui ſanctificationum, &c. *Tunc dicat excelſa voce :* Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus, &c. Vere dignum & juſtum eſt, &c. Æterne Deus adeſto, &c.

Hac expleta, eat ante altare, dicente ſchola antiphonam : Introibo ad altare Dei *cum pſ.* Judica me Deus. *Tunc faciat maltam de calce & tegula cum aqua benedicta, & poſtea ipſam aquam quæ remanet fundat ad baſim altaris, & extergatur altare linteo. Poſtea deferat incenſum ſuper altare, & dicat ſchola* ℣. Dirigatur, &c. *Tunc de oleo ſanctificato faciat pontifex crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, & dicatur antiphona.* Erexit Jacob lapidem *cum alia antiphona*, Mane ſurgens Jacob *cum pſalmo* Quam dilecta. *Item antiphona* Sanctificavit Dominus, &c. *&* Hæc eſt domus Dei, &c. *cum pſ.* Deus noſter refugium. *Hoc facto, ſumat chriſma & faciat ſimiliter cantando antiphonam* Ecce odor *cum pſ.* Fundamenta, &c. *Deinde in circuitu eccleſiæ vadat pontifex, & faciat crucem cum pollice ſuo cum ipſo chriſmate in duodecim locis : primo in dextra parte, & ſic in circuitu dicens :* Sanctificetur hoc templum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. Amen. *Et dicat ſchola antiphonam :* Hæc eſt domus Domini, *cum pſalmo* Lætatus ſum. *Tunc redeat ad altare, & offerat ibidem incenſum ſuper altare, & cantent antiphonam* Ædificavit Moyſes, &c. *Sequitur pontifex.*

Præfatio benedictionis.

Dei Patris omnipotentis, &c. Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. Levate. *Sequitur altaris oratio :* Quæſumus omnipotens Deus in cujus honore, &c. *Præfatio tabularum vel altaris :* Supplices tibi, Domine Deus, &c. *Extollens vocem publice proclamet.* Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſcum, &c. Vere dignum, &c. Qui poſt offendicula, &c. Quæſumus omnipotens Deus univerſarum, &c. *Sequitur præfatio altaris,* Per omnia ſæcula ſæculorum, &c. Æterne Deus ut propenſiori cura, &c. *Al.* Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens. *Sequitur benedictio.* Majeſtatem tuam, &c. *Al.* Lapidem quoque. *Al.* Habitator ſanctarum mentium. *Benedictio tabulæ.* Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, &c.

Deinde vadunt ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, & ibi mutat pontifex, ſi voluerit, veſtimenta ſua, & præparet ſe ad miſſam : & redeat ad oſtium eccleſiæ ubi letaniæ vel laudes circa feretrum celebrantur, & dicat præ foribus hanc orationem ſignans oſtium &

eccleſiam. Deus qui ſacrandorum, &c. *Et tunc elevato feretro cum reliquiis, crucibus, & luminaribus, circumeat eccleſiam, ſequente clero, has antiphonas vel ℟. cantando.* Surgite ſancti, &c. ℟. Sancti tui Domine, &c. ℣. Quoniam percuſſit petram. ℟. Tradiderunt. ℣. Iſti ſunt qui venerunt. ℟. Sancti mei. ℣. Benedicti. ℟. Exultabunt. ℣. Epulentur.

His ita per ordinem geſtis, cum redierit iterum ad oſtium eccleſiæ, facto ſilentio, habeat pontifex verbum ad plebem de honore eccleſiaſtico, & de decimis, & de dedicatione. Ipſe autem Dominus & conſtructor ipſius eccleſiæ ammoneatur de dote illius, & qualem honorem vel curam eccleſiæ & preſbytero exhibere debeat. Illo autem profitente in omnibus ita ſe velle agere, pontifex hæc confirmari à Domino poſtulans, antequam intret eccleſiam, dicat hanc orationem: Domum tuam quæſumus, &c. *Tunc accipiat pontifex feretrum cum preſbyteris, & ingrediendo dicat ſchola:* Ingredimini, benedicti Domini, præparata eſt habitatio ſedis veſtræ cum ℟. Sancti Dei dedit vobis. ℣. Benedicta, &c. *cum* ℣. Cantate Domino, &c.

Et cum introierit, extenſo velo intra populum & altare, pontifex recondat reliquias in altare, & preſbyteri qui cum eo ſunt canendo antiphonam: Exultabunt ſancti, &c. *cum* ℣. Cantate Domino, &c. *Et antequam recludantur reliquiæ dicat hanc orationem.* Deus qui in omni loco, &c. *Hoc expleto, ponat chriſma in confeſſione per quatuor angulos in crucem ita dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ponat tres portiones Corporis Domini intro in confeſſione, & tres de incenſo & recludantur reliquiæ in confeſſione, & dum recluduntur canatur antiphona:* Sub altare Dei, &c. *cum antiphona* Exultabunt ſancti, &c. *Et accipiens tabulam confirmet eam cum chriſmate in crucem ita dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc imponat tabulam ſuper reliquias, & det orationem hanc:* Deus qui ex omni coaptione, &c. *Deinde liniet eam cum calce quæ antea fuerat præparata. Et poſtquam linita fuerit, faciat crucem deſuper cum chriſmate dicendo ſicut ſupra. Et mittit chriſma per quatuor cornua altaris, ipſa ſupra ſcripta verba dicendo, & crucem faciendo, canendo antiphonam:* Corpora ſanctorum, &c. *cum* Gloria Patri. *Finita oratione, diaconi ornent altare, & ſchola dicat antiphonam:* Circumdate Sion, &c. *cum antiphona* Mirabilis Deus *cum* Gloria Patri. *Poſtea quoque offeratur incenſum verſuſque dicatur* Omnis terra, &c. *Et ita* Kyrie eleiſon. *Et preces, & dicat pontifex orationem hanc:* Deſcendat, &c. *Oratio poſt velatum altare:* Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc, &c. *Ad calicem:* Omnipotens Deus Trinitas, &c. *Benedictio ad linteamina vel ad omnia in uſum baſilicæ:* Omnipotens & miſericors Deus, qui ab initio. *Benedictio ſtolarum:* Domine Deus omnipotens qui ab initio, &c. *Poſt velatum altare:* Dirigatur oratio noſtra. *Benedictio linteaminum altaris:* Domine Deus omnipotens Rex regum. *Benedictio ad ſtolas, planetas, & cingulos.* Domine Deus omnipotens Rex & magnificus, &c. *Ad miſſam.* Deus qui inviſibiliter.

NOTA.

ORDO V.


Ex mſ. Pontificali eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800.

ORDINATIO ECCLESIÆ.

PRimum *veniat epiſcopus indutus veſtimentis ſacris, ſimiliter & clerus ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, & det orationem hanc epiſcopus ante tentorium dicens:* Oremus. Aufer à nobis, &c. *Item alia poſt ingreſſum tentorii:* Oremus. Fac nos Domine, &c. *Tunc elevent ipſas reliquias in feretro cum honore & laudibus cum cruce & thuribulis & luminibus, & exeant pſallendo antiphonam:* Surgite ſancti, *quam ſequatur alia antiphona:* Cum jucunditate exibitis, *donec perveniant ad oſtium eccleſiæ. Tunc vero incipiant antiphonam:* Tollite portas principes veſtras *cum pſalmo* Domini eſt terra. *Et circumeat ter eccleſiam, aquam aſpergendo benedictam. Antequam autem introeat eccleſiam pontifex illuminentur duodecim candelæ per circuitum eccleſiæ, & dum venerit ad oſtium eccleſiæ poſt circuitum tertium percutiat ter ſuperliminare cum cambuta ſua dicens:* Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Cui diaconus deintus reſpondens dicat:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Tunc pontifex reſpondens addat hæc:* Dominus fortis & potens in prælio. *Cum autem tertia vice pontifex repetit ipſam antiphonam, percutiens ſuperliminare, & diaconus tertio interrogat dicens:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Reſpondeat pontifex:* Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. *Tunc ſtatim oſtio aperto, intret in eccleſiam cum miniſtris duobus vel tribus, & cum manſionario, & acolytho dicens:* Pax huic domui. *Et dicat hanc orationem:* Oremus. Omnipotens Deus, qui ſacerdotibus tuis, &c. *Et clerus foris faciat litaniam, ſacerdotibus tenentibus feretrum uſque dum pontifex altare & omnia inſtrumenta altaris ſanctificet. Dum autem venerit ante altare, non dicat* Dominus vobiſcum: *ſed tantum* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. *Sequitur, dicat* Levate. *Et dicat epiſcopus orationem hanc:* Magnificare Domine Deus, &c.

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribere per pavimentum cum cambuta ſua alfabetum; & ſcribat uſque in dextrum angulum occidentalem: incipienſque iterum ſimiliter in dextro angulo orientali alfabetum ſcribat uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem. Iterumque canant qui cum eo ſunt antiphonam poſt hos caracteres

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.
Alpha	*Beta*	*Gamma*	*Delta*	*E*	*Eriſinon*	*Zeta*	*Heta*	*Theta*	*Iota*



XX.	XXX.	XL.	L.	LX.	LXX.	LXXX.	XC.	C.
Cappa	*Lauta*	*Moic*	*Noi*	*Cſi*	*O*	*Pita*	*Cope*	*Ro*
Ⲕ	Ⲗ	Ⲙ	Ⲛ	Ⲝ	Ⲟ	Ⲡ	Ϥ	Ⲣ

CC.	CCC.	CCCC.	D.	DC.	DCC.	DCCC.	DCCCC.
Simma	*Tau*	*Cy*	*Fi*	*Chi*	*Pſi*	*O longum*	*Ennacos*
Ⲥ	Ⲧ	Ⲩ	Ⲫ	Ⲭ	Ⲯ	Ⲱ	Ϡ

O quam metuendus eſt *cum* Gloria. *Deinde ipſe veniens ante altare, dicat :* Deus in adjutorium meum intende *cum* Gloria, *abſque* alleluia. *Deinde benedicens ſal & aquam cum cinere mixta, dicat :*

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apoſtolis ſuis ait : Vos eſtis ſal terræ, & per apoſtolum dicit : cor veſtrum ſale ſit conditum, ut ſanctificeris ad conſecrationem hujus eccleſiæ ad expellendas omnes dæmonum tentationes, & omnibus qui ex te ſumſerint ſis corporis & animæ tutamentum, & ſanitas, & protectio, & confirmatio ſalutis. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Benedictio ſalis.

Domine Deus omnipotens benedic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum, & ei ſalubrem medicinam immitte, ut ad animæ & corporis ſe ſumentium proficiat ſanitatem. Per.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris & Filii & Spiritus-ſancti, ut repellas diabolum à termino juſtorum, ne ſit in umbraculis eccleſiæ hujus. Et tu Domine Jeſu Chriſte infunde Spiritum-ſanctum in hanc eccleſiam tuam, ut proficiat ad ſanitatem corporum animarumque adorantium te; ut magnificetur nomen tuum in gentibus, & increduli corde convertantur ad te, & non habeant alium Deum præter te ſolum Deum qui vivis & regnas.

Benedictio aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis, &c.

Tunc miſceatur ſal & cinis, & faciat epiſcopus ter inde crucem ſuper aquam : Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Deinde ponat vinum in ipſam aquam, dicens :* Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, &c. *Benedictio aquæ cum vino mixtæ.* Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui es creator, &c.

Tunc ingrediens epiſcopus ad altare, primo cum pollice de ipſa aqua ſancta faciat crucem in medio altaris, deinde in dextra parte, tum in ſiniſtra per quatuor cornua altaris canendo antiphonam : Aſperges me Domine, *cum pſalmo* Miſerere mei Deus. *Et cum yſopo aſpergat ipſum altare tribus vicibus aqua ſancta conſpargendo parietes, incipiens à dextra orientis parte uſque dum redeat in orientem, & primo circuitu canatur antiphona* Aſperges me Domine *cum pſalmo* Miſerere mei Deus, *ſecundo autem antiphonam,* Tu Domine univerſorum *cum pſalmo* Exſurgat Deus. *Tertio vero*

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

antiphonam: Hæc eſt domus Domini *cum pſalmo* Qui habitat in adjutorio Altiſſimi. *Deinde ſpergat per medium eccleſiæ in longum & latum canendo antiphonam:* Domus mea domus orationis vocabitur *cum* ℣. Narrabo nomen tuum *& cum* Gloria. *Qua finita in medio eccleſiæ, pontifex dicat:* Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. *Poſt paululum, dicat:* Levate. *Et ſic pontifex, dicat orationem.* Deus qui loca nomini tuo dicanda. *Iterum dicat excelſa voce* Oremus. *Et diaconus ut ſupra. Sequatur hæc oratio in conſecrationem baſilicæ:* Deus ſanctificationum, &c. *Hac expleta, eat ante altare, dicente ſchola antiphonam:* Introibo ad altare Dei, *cum pſalmo* Judica me Deus. *Tum faciat maltam de calce & tegula cum aqua benedicta. Et poſtea ipſam aquam quæ remanet fundat ad baſim altaris, & extergatur altare de linteo. Poſtea offerat incenſum ſuper altare, & dicat ſchola:* ℣. Dirigatur, Domine, ad te oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. *Tunc de oleo ſanctificato faciat pontifex crucem in medio altari, & per quatuor angulos altaris, & dicant antiphonam* Mane ſurgens Jacob, *cum pſalmo* Quam dilecta tabernacula. *Hoc facto, ſumat chriſma, & faciat ſimiliter cantando antiphonam* Unxit te Dominus oleo lætitiæ, *cum pſalmo* Eructavit cor meum. *Deinde in circuitu eccleſiæ vadat pontifex, & faciat cruces pollice ſuo cum ipſo chriſmate in duodecim locis, primo in dextera parte & ſic in circuitu dicens:* Sanctificetur hoc templum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Et ſchola dicat antiphonam:* Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum, *cum pſalmo* Deus noſter refugium & virtus. *Tunc iterum redeat ad altare, & offerat ibidem incenſum ſuper altare, & dicant antiphonam:* Ec[illegible] odor filii mei. *Item aliam:* Ædificavit Moyſes altare Domino Deo. *Poſt hæc pontifex dicat allocutionem hanc benedictionis altaris.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam, &c. *Deinde ſequitur altaris conſecratio.* Deus omnipotens, in cujus honore.

Deinde teneant ſubdiaconi vel acolythi tabulas vel linteamina ſive omnia ornamenta eccleſiæ, quæ ad cultum Dei pertinere videntur & benedicat ea pontifex orationibus his.

Conſecratio tabularum.

Supplices tibi, Domine, Deus Pater omnipotens, preces effundimus, ut metalli hujus expoſitam materiem ſupernis ſacrificiis imbuendam ipſe tuæ dotare ſanctificationis ubertate digneris, qui quondam ſcripſiſti lapideis legem in tabulis. Per.

Item alia. Oremus. Deus omnipotens univerſarum rerum, &c.

Item alia. Oremus. Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius, &c. *Poſt* Amen *dicat excelſa voce:* Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro, &c. Vere dignum, &c. Qui poſt offendicula, &c.

Benedictio linteaminum.

Domine Deus omnipotens ſicut ab initio hominibus, &c.

Benedictio corporalis.

Omnipotens ſempiterne Deus, benedic linteamen iſtud ad tegendum

involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit.

Benedictio ad omnia in uſum eccleſiæ

Dignare Deus omnipotens Rex regum, &c.

Tunc egrediatur epiſcopus coram oſtio, & det orationem hanc: Domum tuam quæſumus, Domine, clementer ingredere, &c. *Qua finita, dicat ſchola antiphonam:* Ingredere benedicte Domini. *Et cum intraverint, extenſo velo inter portam & altare, ſuſcipiat pontifex reliquias à preſbytero, & portet eas ad altare, & preſbyteri qui cum eo ſunt cantent antiphonam cum pſalmo:* Exultabunt ſancti in gloria. Cantate Domino canticum novum, laus ejus. *Et antequam recludantur dicat orationem hanc:* Oremus. Deus qui in omni loco dominationis, &c.

Hac expleta, ponat chriſma in confeſſionem per angulos quatuor in crucem dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ponat tres portiones Corporis Domini intro in confeſſionem & tres de incenſo & recluduntur reliquiæ. Canant antiphonam.* Sub altari Domini ſedes, *cum* ℣. Exultabunt ſancti. *Et accipiens tabulam confirmet eam cum chriſmate in crucem ita dicendo:* In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc reponat tabulam ſuper reliquias, & det orationem hanc.* Oremus. Deus qui ex omni coaptione, &c. *Deinde liniat eam cum calce quæ antea fuerat præparata. Et poſtquam linita fuerit, faciat crucem deſuper cum chriſmate dicendo ſicut ſupra:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. *Et mittet chriſma per quatuor angulos altaris. Ipſa ſupraſcripta vero dicendo, & crucem faciendo, & cantent antiphonam:* Corpora ſanctorum in pace *adjungentes* Gloria Patri & Filio. *Tunc induant altare veſtimentis ſacris, cantantes antiphonam,* In velamento alarum ſuarum. *Et dicat pontifex orationem iſtam.* Oremus. Deſcendat quæſumus, Domine Deus noſter Spiritus-ſanctus tuus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda purificet. Per. NOTA.

Tunc canat ſchola introitum, & poſt Kyrie *dicat* Gloria in excelſis Deo, *& compleatur miſſa ordine ſuo. Et poſtea per totam hebdomadam fiant miſſæ publicæ in ipſa eccleſia uſque ad dies octo completas.*

ORDO VI.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cadurcenſis & duobus codicibus bibliothecæ Colbertinæ n. 428. & 2585. annorum circiter 800.

INCIPIT ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDAM.

Ponuntur reliquiæ in feretro compoſitæ in altera eccleſia pridie quam nova eccleſia conſecretur; & fiunt ibi vigiliæ in ipſa nocte in honore ſanctorum quorum reliquiæ recondendæ ſunt. In craſtina autem vadit pontifex ad eccleſiam novam quæ ſacranda eſt cum aliquibus miniſtris, id eſt diacono, acoly-

lytho, vel manſionario, ſeu cum his qui ei neceſſarii fuerint, & ordinet in ea quæ ordinanda ſunt, & inluminantur ipſius juſſu duodecim candelæ per circuitum eccleſiæ, & emittuntur foras omnes, & clauditur oſtium. Tunc pontifex cum ſacro eccleſiaſtico cœtu vadit ad eccleſiam, ubi pridie fuerunt reliquiæ poſitæ, & facit letaniam, prout hora dictaverit. Qua perfecta, dicit. Oremus. Actiones noſtras, &c.

Et incipiens reſponſum Domine ſi converſus fuerit populus tuus. *Item aliud.* Exaudiſti Domine orationem ſervi tui, *inde ſi neceſſe fuerit*, Tu, Domine, univerſorum, *uſque dum veniat ad januam conſecrandæ eccleſiæ, ad quam cum pervenerit, finito* ℟. *percutiat pontifex ſuperliminare de cambotta ſua dicens:* Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Et iterum percutiens repetat ſimiliter. Tertio autem eamdem antiphonam præcinens cantent omnes per choros ipſum pſalmum* Domini eſt terra, *cum* Gloria. *Et hac cantilena finita; impingat oſtium eccleſiæ pontifex, & faciens crucem dicat excelſa voce:* Pax huic domui. *Et uſque tertio repetat, & poſt eum omnes intrantes. Deinde incipiat clerus letaniam, & cum venerint ſacerdotes vel levitæ ante altare, proſternant ſe ſuper ſtramenta cum pontifice, uſque dum dicatur* Agnus Dei. *Ut autem ſurrexerint ab oratione, non dicat pontifex* Dominus vobiſcum, *ſed* Oremus *tantum; & diaconus dicat:* Flectamus genua. *Poſtquam oraverint dicat:* Levate. *Et ſequitur oratio* Magnificare, &c.

Deinde pontifex incipiat de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribens per pavimentum cum cambotta ſua A. B. C. uſque in dextrum angulum occidentalem. Incipiens iterum in dextro angulo occidentali A. B. C. ſcribens uſque in ſiniſtrum occidentalis baſilicæ. Deinde veniens ante altare dicat: Deus in adjutorium meum intende *cum* Gloria, *abſque* alleluia. *Deinde ſequitur exorciſmus aquæ.* Diſcede immunde ſpiritus, &c.

Deinde dicat hanc orationem: Sanctificare per verbum Dei, &c.

Benedictio aquæ.

Domine ſancte Pater omnipotens ſtatutor, &c.

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, &c.

Benedictio ſalis.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem, &c.

Et miſcetur ſal & cinis, deinde facit ſuper aquam crucem ter de ſale cum cinere mixto, accipiens exinde per ſingulas vices quantum pugillus capere poteſt ſanctam invocans Trinitatem, & dicit hanc orationem.

Æterne omnipotens Deus, qui nobis à te conditam, &c.

Deinde miſcetur vinum cum aqua, & hæc oratio dicitur: Oremus. Creator & conſervator humani generis, &c.

Inde facit crucem pontifex cum pollice de ipſa aqua, inchoans prius in dextra parte per quatuor altaris cornua. Inde veniens ante altare cum hyſopo & incipiens antiphonam Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor *cum ipſo pſalmo, vadit in circuitu altaris ſepties aſpergens illud deſuper & in circuitu. Deinde incipiat antiphonam* Exurgat Deus, *cum ipſo pſalmo.*

Et

Et aſpergit deſuper altare, & contra cameram eccleſiæ & in circuitu eccleſiæ, inchoans in dexteram partem aquam ſpargendo, vadit ſimul cum choro canendo uſque dum iterum veniat ante altare. Deinde mittit ex miniſtris quantos ſibi viſum fuerit cum aqua, qui extrinſecus eccleſiæ parietes conſpergant, & una voce cum his qui interius pſallunt canant, & inchoat pontifex antiphonam Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, *cum ipſo pſalmo, & vadit ſpargendo per medium eccleſiæ in longum & latum, faciens crucem de ipſa aqua, uſque dum iterum reveniat ante altare. Tunc iterum incipit antiphonam* Domus mea domus orationis vocabitur, *cum verſu* Narrabo nomen tuum fratribus meis, *&* Gloria, *& ſtans in medio eccleſiæ ſpargit aquam ad orientem, ad occidentem, ad aquilonem & auſtrum, & contra cameram eccleſiæ & ſuper pavimentum; & ſtans in medio ipſius eccleſiæ dicit* Oremus. *Et diaconus*, Flectamus genua. *Et poſtea dicit*, Levate. *Et dicit pontifex hanc orationem.*

Deus qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, &c.

Iterum dicit pontifex Oremus. *Et diaconus cetera ut ſupra.* Deus ſanctificationum omnipotens dominator, &c. *

* *In Pontif. Cad. additur* Præfatio. Adeſto precibus, adeſto ſacramentis, &c.

Ipſa expleta, incipit pontifex antiphonam: Introibo ad altare Dei, *cum pſalmo* Judica me Deus. *Et vadit ante altare, & fundit quod remanſit de ipſa aqua ad baſim altaris per circuitum, & dicit hanc orationem admonente diacono ut ſupra* Oremus.

Singulare illud propitiatorium quod ſe in altari crucis nobis redimendis obtulit immolandū, in cujus præfiguratione Patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret ſacrificium, & porta cæli deſuper aperiretur oraculum, ſupplices tibi Domine fundimus preces, ut metalli hujus expolitam materiam ſupernis ſacrificiis imbuendam ipſe tuæ dotari ſanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem ſcripſiſti in tabulis, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Et tunc extergit pontifex manu ſua altare de linteo. Et poſtea offert incenſum deſuper altare ſanctam invocans Trinitatem. Inde facit crucem de oleo ſancto, unde conſignantur infantes in medio, & per quatuor cornua altaris ita dicens: *

* *al. addit.* per ſingulos.

Confirmo & conſecro te in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, in honore & nomine ſanctorum ill. ut per eorum interceſſionem fiant accepta libamina, & hoſtiæ ſuper te oblatæ ad purgationem peccatorum noſtrorum, & eorum pro quibus offeruntur, ipſo ſanctificante & auxiliante, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Et reſpondent omnes* Amen.

Tunc imponens pontifex antiphonam Erexit Jacob lapidem in titulum *cum pſalmo*, Quam dilecta tabernacula tua, *fundit de ipſo oleo ſuper altare, & ungit illud manu ſua, gyrante alio ſacerdote thuribulum ſemper cum incenſo in circuitu ipſius altaris. Deinde admonente diacono ut ſupra dicit pontifex hanc orationem.*

Omnipotentiam tuam, Domine, ſupplices imploramus, ut hoc altare ſacrificiis ſpiritualibus imbuendum, quod in honore & nomine ſanctorum tuorum ill. conſecramus, vocis noſtræ exoratus officio, præſenti

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

benedictione ſanctifices, atque in eo & ſuper eum ſemper oblationes noſtras ac famulorum tuorum ſtudio bonæ devotionis impoſitas, benedicere & ſanctificare digneris, & ſpiritali placatus incenſo, precibus familiæ tuæ promtus exauditor aſſiſtas. Per Dominum.

Inde incipiens antip. Mane ſurgens Jacob, *cum pſalmo* Bonum eſt confiteri Domino, *mittit iterum oleum ut prius, oblato etiam incenſo, & pſalmo expleto, & admonente diacono ut ſupra, dicit pontifex hanc orationem.*

Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc, quod nomini tuo in honore ſanctorum tuorum ill. indigni dicamus, virtutis tuæ benedictione ſanctifica, & omnibus te hic invocantibus atque in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut huic altari impoſita munera ſemper accepta ferre digneris, & in eo ſacramentorum virtus, & votorum ſemper obtineatur effectus. Per.*

* *In Pontif. Cadurc. additur præfatio:* Ut propenſiori cura, &c.

Deinde pontifex faciens crucem de chriſmate in medio & per quatuor altaris cornua cum pollice dicens:

Conſe†crare & ſancti†ficare dignare, Domine, lapidem iſtum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem, in nomine Domini noſtri J. C. ut hujus altaris tui holocauſtum infuſa Spiritus-ſancti tui gratia in conſpectum divinæ majeſtatis tuæ in odorem ſuavitatis aſcendat, & accipientibus atque ſumentibus nobis ſive omnibus orthodoxis legitima euchariſtia permaneat, hæreatque in viſceribus noſtris, & vitam nobis tribuat ſempiternam. Per.

Deinde incipit pontifex antiphonam: Ecce odor filii mei, *ſive* Cum evigilaſſet Jacob, *cum pſalmo* Fundamenta ejus. *Et fundit chriſma ſuper altare, & ungit illud manu ſua. Expleto autem pſalmo, admonente diacono ut ſupra, dicit pontifex hanc orationem.*

Deſcendat quæſumus, Domine Deus noſter, Spiritus-ſanctus tuus ſuper hoc altare, qui & noſtra ac populi tui in eo dona ſanctificet & ſumentium corda dignanter emundet. Per.

Deinde incipit pontifex antiphonam: Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum, *cum pſalmo* Magnus Dominus, *&* Ecce nunc benedicite Dominum. *Et incipiens retro altare in dexteram partem, gyrat eccleſiam faciendo cruces per parietes cum pollice de ſancto chriſmate, & cum expleti fuerint pſalmi prædicti, incipit pontifex antiphonam* Lapides pretioſi *cum pſalmo* Lauda Jeruſalem Dominum. *Quo expleto, & perunctis parietibus eccleſiæ, venit pontifex ante altare, & facit crucem cum incenſo deſuper eo, & dicit:* Oremus. *Et admonente diacono ut ſupra, proſequitur hanc orationem.*

Domine ſancte, Pater omnipotens, qui poſt offendicula lapſus primi hominis inſtituiſti tibi propitiatorii delineamenta libaminis, ut culpa quæ præceſſerat, futuris temporibus expiaretur per munera quibus onerarentur altaria, honorificarentur & templa, quod tibi primus Noe præparavit officio, rurſus Abraham immolaturus filium, dehinc Jacob erexit & unxit in titulum: te, Redemtor mundi, exoramus ut lapidem iſtum ſeu menſam in honore & nomine ſanctorum tuorum ill. conſe†crare & ſancti†ficare digneris benedictionis tuæ inlapſu, & hic inhæreas placito majeſtatis æternalis obtutu, & quicquid ſacro ritu ſuper

hoc immolabitur, ſicut Melchiſedech oblatum tibi placeat holocauſtum & reportet per hoc præmium quiſquis intulerit votum. Sanctificare etiam, bene ✝ dicere conſecrareque digneris hoc altare, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & qui te angularem lapidem, & ſaxum ſine manibus exciſum nominari voluiſti, tu lapidem iſtum noſtris manibus divinis cultibus apparatum bene ✝ dic atque ſanctifica & ſacri hujus myſterii & miniſterii ſicut inſtitutor, ita etiam ſanctificator appare, qui cum Patre.

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Iterum dicit. Oremus. *Et diaconus ut ſupra. Sequitur oratio.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam, &c.

Iterum dicit. Oremus. *Et diaconus ut ſupra. Sequitur benedictio.* Deus omnipotens in cujus honore, &c.

Deinde dicat antiphonam: Confirma hoc Deus * cum Gloria. *Deinde tenentes ſubdiaconi vel acolythi linteamina vel omnia ornamenta eccleſiæ, ſeu vaſa ſacra quæcumque ad cultum Dei & eccleſiæ pertinere videntur, benedicit ea pontifex ſicut hic continetur.*

* *al. cum* pſalmo & Gloria.

Ad conſecrandam patenam.

Conſe ✝ cramus & ſan ✝ ctificamus hanc patenam ad confringendum in ea Corpus Domini, &c.

Inde faciens ſignum crucis de oleo ſancto ſuper patenam.

Conſe ✝ crare & ſan ✝ ctificare digneris, &c.

Benedictio patenæ.

Domine Deus omnipotens, qui per Moyſen famulum tuum, &c.

Ad calicem benedicendum.

Oremus, dilectiſſimi fratres, ut Dominus Deus noſter, &c. *Alia.*

Dignare Domine calicem iſtum in uſum miniſterii, &c. *Alia.*

Oremus, fratres dilectiſſimi, ut Deus omnipotens hoc myſterii, &c.

Alia.

Deus qui Moyſi famulo tuo, &c. *Alia.*

Omnipotens Deus, Trinitas inſeparabilis, &c.

Benedictio ad linteamina, vel ad omnia in uſum baſilicæ.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ab initio utilia, &c. * *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, à quo omnia immunda purgantur, &c.

* *al. addit duas orationes pro benedictione ſtolarum.*

Benedictio ſuper munus quod quis offert eccleſiæ.

Deus cujus verbo & potentia facta, &c.

Exaudi nos, Domine, quæſumus ut hæc linteamina, &c.

Benedictio ſtolarum.

Domine Deus omnipotens qui ab initio hominibus, &c.

Deinde vadit pontifex cum clero & populo ad locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, ut elevent eas; & antequam eleventur dicat pontifex hanc orationem.

Aufer à nobis, &c. *Alia.* Fac nos Domine, &c.

Et præcedentibus crucibus cum thuribulis, & candelabris, multiſque luminaribus, elevantur reliquiæ, & incipiente pontifice antiphonam: Cum jocunditate exhibitis. *Pergunt ad aliam noviter conſecratam. Finita hac*

Digitized by Google

antiphona, incipitur alia antiphona: Ambulate ſancti Dei. *Item, ſi neceſſe fuerit tertia.* De Jeruſalem exeunt reliquiæ. *Item* Ecce populus cuſtodiens. *Et fixo greſſu in liminari oſtii novæ eccleſiæ, dicit pontifex.* Oremus. Domum tuam quæſumus Domine, &c.

Deinde pergit pontifex ad altare ubi recondendæ ſunt reliquiæ, & extenſo velo inter ſe & populum, incipit antiphonam: Ipſe dixit & facta ſunt, *& pſalmum* Laudate Dominum de cælis. *Item antiphona.* Exultabunt ſancti in gloria. *Pſalmum* Cantate Domino iij *Item antiphona* Sub altare Dei ſedes accepiſtis. *Pſalmum* Laudate Dominum in ſanctis.

Finito autem pſalmo cum antiphona, & reconditis reliquiis dicit pontifex hanc orationem. Oremus. Deus qui ex omni coaptatione, &c.

Deinde veſtitur altare veſtibus conſecratis cum antiphona In velamento alarum tuarum, *cum pſalmo* Deus Deus meus ad te de luce vigilo. *Et ponit pontifex incenſum deſuper, & dicit hanc orationem.*

Dirigatur oratio noſtra, quæſumus Domine, ſicut incenſum, &c.

Inde revertitur pontifex in ſacrarium cum ordinibus ſacris, & induunt ſe veſtimentis ſolemnibus. Interea ornatur eccleſia, & accenduntur luminaria, & jubente pontifice incipit cantor antiphonam ad introitum.

Terribilis eſt locus iſte. *Et procedit pontifex de ſacrario cum ordinibus ſacris more ſolemni, & celebretur ibi miſſa more ſolito ordine ſuo cum* Gloria in excelſis Deo. *Tota vero illa hebdomada miſſæ publicæ in eccleſia fiant.*

ORDO VII.

Ex ms. Pontificali Halinardi arch. Lugdunenſis ante annos 600. exarato.

INCIPIT ORDO IN DEDICATIONE ECCLESIÆ, SICUT ANTIQUITUS APOSTOLICA DOCUIT TRADITIO, ET QUOMODO ROMANA GERIT ECCLESIA.

PRimitus enim antequam pontifex adgrediatur eccleſiam, inluminantur duodecim candelæ per circuitum eccleſiæ, & induunt ſe veſtimentis ſacris. Cum autem venerint ante oſtium eccleſiæ, diacono introſiſtente, oſtiorum obfirmatis ſeris, percutit ter ſuperliminare pontifex de cambuta dicens: Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Cui quaſi reſiſtens dicit diaconus:* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Inferat pontifex:* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. *Percutit iterum ter dicens eumdem verſum ſicut ſuperius:* Tollite portas, *uſque in finem. Reſpondente diacono:* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Dicat ſimiliter:* Dominus fortis & potens. *Tertio ſimiliter percutiat ter, dicatque:* Tollite portas, *ut ſupra uſque in finem. Diacono ſimiliter reſpondente:* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Tunc quaſi triumphator dicit pontifex:* Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. *Tunc aperit oſtium quaſi cum violentia canendo antiphonam:* Tollite portas principes veſtras. *Pſal.* Domini eſt terra. *Quem cantent uſque in finem abſque* Gloria. *Aperto oſtio, intrant omnes. Tunc pontifex facit crucem in pavimento cum cambuta di-*

cens : Pax huic domui. *Tunc pontifex progrediens cunctis, faciat iterum crucem dicens :* Crux pellat hoſtem. *Progrediens iterum faciat crucem dicendo :* Crux Chriſti triumphat. *Tunc intra oſtium eccleſiæ incipit clerus letaniam. Strata ante altare tapetia, proſternant ſe pontifex, ſacerdotes, & levitæ : & orent uſque dum dicatur :* Agnus Dei. *At ubi ab oratione ſurrexerint, dicat pontifex.* Oremus. *Pronunciet diaconus* Flectamus genua. *Et paulo poſt*, Levate. *Deinde dicit pontifex hanc orationem.*

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

Magnificare, Domine Deus noſter, in ſanctis tuis; & hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipſe ſemper in tua hæreditate lauderis. Per.

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente, ſcribens per pavimentum cum cambuta ſua. A. B. C. D. uſque ad dextrum angulum occidentis. Incipiat iterum à dextro Orientali angulo ſcribens A. B. C. D. uſque in angulum baſilicæ occidentalem ſiniſtrum. Deinde veniens ante altare dicat : Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria, *abſque* alleluia. *Deinde benedicens ſalem & aquam cum cinere mixto, dicat hanc orationem.*

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ bene✝dictionis infunde, ut creatura myſterii tui tibi ſerviens ad abjiciendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quicquid in locis vel in domibus fidelium hæc unda reſperſerit careat immunditia, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici : Et ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum qui venturus eſt.

Sequitur exorciſmus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine ✝ Dei Patris omnipotentis, & in nomine ✝ Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus- ✝ ſancti; & omnis virtus adverſarii, & omnis incurſio diaboli, omne fantaſma, omnis inimici poteſtas eradicare & effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te per Deum ✝ verum, per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ ſanctum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut efficiaris aqua ✝ ſancta, aqua ✝ benedicta, ut ubicumque effuſa fueris vel aſperſa, ſive in domo, ſive in agro, effuges omnem fantaſiam, omnem inimici poteſtatem, & Spiritus-ſanctus habitet in domo hac. Per eumdem qui venturus.

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritus- ✝ ſancti, qui te per Heliſeum in aqua mitti juſſit, ut ſanarentur aquæ ſteriles, qui Divina oris ſui voce ait : Vos eſtis ſal terræ ; & per Apoſtolum, vas electionis : Sit ſermo veſter ſale conditus. Ideoque efficere ſal exorcizatum, ut ſis remiſſio peccatorum, & ſanitas mentium, in protectione animarum atque corporis, in confirmatione ſalutis, ad

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

excludendas omnes dæmonis tentationes, in nomine Dei Patris omnipotentis & Jeſu Chriſti Filii ejus, qui venturus.

Deinde miſcens ſalem & cinerem, faciat ter inde crucem ſuper aquam. Deinde ponens vinum mixtum cum ipſa aqua dicit hanc orationem.

Oremus.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine permittis Spiritum tuum ſanctum ſuper vinum hunc cum aqua mixtum, ut armata virtute cæleſtis defenſionis ad conſecrationem hujus eccleſiæ vel altaris proficiat. Per.

Deinde faciens crucem cum digito ſuo de ipſa aqua in dextra parte per quatuor cornua altaris. Inde veniens ante altare cum hyſopo aſpergens ipſum altare ſeptem vicibus, canendo antiphonam Aſperges me Domine. *Pſalm.* Miſerere mei Deus. *Et tunc vadit in circuitu altaris ſeptem vicibus ſpargendo. Deinde in dextera parte per parietes eccleſiæ uſque dum veniens ante altare, iterum ipſum altare aſpergat deſuper & in circuitu ejuſdem altaris vel eccleſiæ, canendo antiphonam* Similabo, *cum pſalmo* Exurgat Deus, *uſque dum veniens iterum ante altare tertio eumdem altare ſpargat deſuper & in circuitu ejus, vel eccleſiæ, canendo antiphonam* Hæc eſt domus Domini, *cum pſalmo* Qui habitat. *Deinde mittat de ipſa aqua in alio vaſe, & præcipiat ex miniſtris eccleſiæ duobus, vel tribus, vel quantum neceſſe fuerit, qui extrinſecus in circuitu eccleſiæ per parietes una vice ſpargant canendo hanc eamdem antiphonam* Hæc eſt domus Domini, *cum eodem pſalmo* Qui habitat. *Interim ipſe pontifex vadit de ipſo altare aſpergendo per medium eccleſiæ in longum & in latum faciendo crucem ſuper omne pavimentum canendo antiphonam* Domus mea, *cum verſu* Narrabo nomen tuum, & Gloria. *Et veniens in medio eccleſiæ dicat*. Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. *Et paulo poſt*, Levate. *Et dicat hanc orationem.*

Deus, qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic invocantibus te auxilium miſericordiæ tuæ ſentiatur. Per.

Iterum dicit: Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Præfatio *uſque* Æterne.

Deus ſanctificationum, omnipotens Dominator, cujus pietas ſine fine ſentitur. Deus qui cæleſtia ſimul & terrena complecteris, ſervans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ. Exaudi preces ſervorum tuorum, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte, hanc quoque baſilicam in honore ſancti ill. ſacris myſteriis inſtitutam clementiſſimus dedica, miſeratus illuſtra, proprio ſplendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte, propitius dignare reſpicere, & propter nomen tuum magnum & manu forti & brachio excelſo in hoc habitaculo ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defenſione conſerva, ut ſemper felices, ſemper tua religione lætantes conſtanter in ſanctæ Trinitatis fide catholica perſeverent. Per Dominum.

Poſt hæc incipit antiphonam, Introibo ad altare Dei, *ipſam canendo cum pſalmo* Judica me Deus. *Vadit ante altare, & fundit quod remanſit de ipſa aqua ad baſim altaris; & extergitur altare de linteo. Poſtea offert incenſum, & mittit oleum ſuper altare, in medio crucem faciens, & ſuper quatuor angulos cum antiphona canendo* Erexit Jacob. *Pſalm.* Quam dilecta. *Et unguet cum manu ſua ipſum lapidem: ſemper incenſum in circuitu ipſius altaris illius ſacerdos crucem faciendo. Poſt, expleto pſalmo, mittit iterum oleum ſimiliter, ſicut prius, canendo antiphonam* Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum. *Pſalm.* Deus noſtrum refugium. *Ipſo expleto, mittit chriſma canendo antiphonam*, Ecce odor filii mei. *Pſalm.* Fundamenta ejus. *Et dum hoc pſalmum à clericis decantatur, dicantur ab epiſcopo orationes ad conſecrandum altare; & faciat primum crucem ſuper ipſum altare de chriſmate in medio & per quatuor angulos, & dicat:* CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Confirmo te & conſecro te. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † ſancti, in honore ill. ſancti, ut per ejus interceſſionem fiant accepta libamina, & hoſtiæ ſuper te oblatæ ad purgationem peccatorum eorum pro quibus offeruntur, ipſo ſanctificante & auxiliante, qui vivit.

Alia.

Conſecrare ac ſanctificare dignare, Domine, hoc altare per iſtam unctionem & noſtram bene † dictionem, in nomine † Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut hujus altaris tui holocauſtum, infuſa Sancti Spiritus tui gratia, in odorem ſuavitatis aſcendat, & accipientibus atque ſumentibus nobis ſive aliis legitima permaneat euchariſtia, hæreatque in viſceribus noſtris, & vitam concedat æternam.

Item alia.

Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc, quod nomini tuo indigni dicamus, virtutis tuæ benedictione ſanctifica, & omnibus te invocantibus atque in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut huic altari impoſita munera ſemper accepta ferre digneris, atque in eo ſacramentorum virtus & votorum obtineat effectus. Per.

Deinde vadit in circuitu eccleſiæ per parietes à dextris faciens crucem cum pollice de ipſo chriſmate canendo antiphonam, Ecce tabernaculum Dei. *Pſal.* Magnus Dominus. *Infert adhuc, & dicit antiphonam* Lapides pretioſi. *Pſal.* Lauda Jeruſalem Dominum. *Inde faciens crucem incenſum ſuper altare, dicit:* Oremus. *Diaconus ut ſupra:* Flectamus genua. *Et dicit orationem ſuper altare.*

Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur, ut hoc altare ſacrificiis ſpiritualibus conſecrandum vocis noſtræ exorandus officio præſenti bene † dictione ſanctificet; ut in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum ſtudio ſuæ devotionis impoſitas benedicere & ſanctificare dignetur, & ſpiritali placatus incenſo precanti familiæ ſuæ promtus exauditor adſiſtat. Per.

Inde dicit: Oremus. *Diaconus ut ſupra.*

Sequitur benedictio.

Deus omnipotens in cujus honore altare hoc ſub invocatione tui

Digitized by Google

nominis indigni conſecramus, clemens & propitiatus preces noſtræ humilitatis exaudi, & præſta, ut in hac menſa ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, & Spiritus-ſancti tui ſemper rore perfuſa, ut omni tempore in hoc loco ſupplicantibus tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota ſuſcipias, deſiderata confirmes, poſtulata concedas. Per.

Præfatio.

Per quem ſupplices te deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cæleſti dedicatione ſanctifices, ut ſicut Melchiſedech ſacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili ſuſcepiſti; ita impoſita novo huic altari munera ſemper accepta ferre digneris, ut populus, qui in hanc eccleſiæ domum ſanctam convenerit, per hujus altaris libamina cœleſti ſanctificatione ſalvatus animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam conſequatur. Per eumdem Dominum noſtrum.

Deinde dicat antiphonam Confirma hoc Deus, *cum* Gloria. *Deinde tenentes ſubdiaconi vel acolythi linteamina, vel omnia vaſa eccleſiæ, ſeu ornamenta quæcumque ad cultum Dei pertinere videntur, benedicit pontifex.*

Benedictio linteaminum.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ab initio utilia & neceſſaria hominibus creaſti, templaque manibus hominum facta nomini tuo ſancto dedicari, tuæque habitationis loca vocari voluiſti, quique per famulum tuum Moyſen veſtimenta pontificalia, & ſacerdotalia, ſeu levitica, & alia quæque diverſi generis ornamenta ad cultum & decorem tabernaculi & altaris tui fieri decreviſti, exaudi propitius preces noſtras & omnia hæc diverſarum ſpecierum ornamenta in uſum baſilicæ hujus atque altaris ad honorem & gloriam tuam præparata purificare & ſanctificare, bene † dicere & conſecrare per noſtræ humilitatis ſervitutem digneris, ut & divinis cultibus ſacriſque miniſteriis exiſtant, hiſque confectionibus Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Domini noſtri dignis aptentur famulatibus. Per eumdem.

Alia benedictio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, qui ſicut ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, & quemadmodum veſtimenta pontificalia, ſacerdotalia, & levitica, ornamentaque, & linteamina fieri famulo tuo Moyſi per quadraginta dies docuiſti, ſive etiam ea quæ Maria tenuit & fecit in uſum miniſterii tabernaculi fœderis, ita ſancti † ficare, bene † dicere, conſecrareque digneris hæc linteamina in uſum altaris tui ad tegendum involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item benedictio ad corporalem benedicendum.

Clementiſſime, Domine, cujus inenarrabilis virtus, cujus myſteria arcanis miraculis celebrantur, tribue quæſumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene † dictione ſanctificetur. Per.

Item

Item benedictio ad omnia in uſum baſilicæ.

Dignare Domine Deus omnipotens Rex regum, & Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex univerſorum, per quem una cum Patre Sanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Jeſu, bene ✝ dicere, conſe ✝ crare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc altare linteaminibus ceteriſque vaſis, & quemadmodum olim omnia officia tabernaculi teſtimonii in figura noſtri per manus ſanctorum ſanctificaſti ſacerdotum; ita nunc manens in æternum Summe Sacerdos ſacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, ut diximus, omnia inſtrumenta altaris hujus ſeu baſilicæ quæ inter palmas noſtras habentur, corde precamur, ut bene ✝ dicas, purifices, conſecres, & conſumas, quibus internos æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus. Per eumdem.

Ad conſecrandam patenam.

Conſecramus, & ſanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti patientis crucem pro omnium noſtra ſalute qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat.

Deinde facit ſignum crucis de oleo ſancto ſuper patenam, & benedicit his verbis.

Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, patenam hanc per iſtam unctionem & tuam benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Ad calicem benedicendum.

Dignare Domine Deus noſter calicem iſtum in uſum miniſtérii tui pia devotione formatum ea ſanctificatione perfundere, qua Melchiſedech famuli tui ſacratum calicem perfudiſti: Et quod arte vel metallo effici non poteſt, altaribus tuis dignum fiat tüa benedictione pretioſum, atque ſanctificatum. Per.

Alia.

Oremus, dilectiſſimi fratres, ut Dominus Deus noſter calicem iſtum in miniſterio eccleſiæ conſecrandum cœleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet, ut ad humanam benedictionem plenitudo divini favoris accumulet. Per Dominum.

Ad conſecranda vaſcula, quibus pignora ſanctorum immittenda ſunt.

Omnipotens ſempiterne Deus, Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut divina benedictione hoc vaſculum ſanctificetur, ut Corporis Chriſti novum ſepulchrum cooperante gratia Sancti Spiritus perficiatur. Per.

His omnibus ritè peractis, pergunt ad locum quo reliquiæ nocte præterita cum vigiliis fuerant cuſtoditæ. Et facta letania, dat pontifex hanc orationem.

Aufer à nobis, Domine quæſumus, iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Poſt hanc orationem elevantes eas cum feretro, præcedentibus crucibus, & thuribulis, & multis luminaribus, cantando antiphonam Cum jocun-

Digitized by Google

Caput XIII De Bened. ac dedic. eccleſ.

ditate. *Antiphonam aliam*, Ambulantes ſancti Dei. *Aliam antiphonam.* Ecce populus. *Item antiphonam*, De Jeruſalem. *Item antiphonam*, In ſanctis glorioſus eſt. *His canentibus, cum pervenerint ad oſtium baſilicæ, in qua* * *conditæ ſunt reliquiæ, canunt antiphonam*, Ecce Sion filii tui. *At ubi intro pedem intulerint, dat pontifex hanc orationem.*

* f. condendo.

Domum tuam, Domine quæſumus, clementer ingredere, & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam conſtrue manſionem, ut cujus ædificatione ſubſiſtit, hujus fiat habitatione præclara. Per Dominum.

Deinde pergunt ante altare, quo ſunt reliquiæ recondendæ. Extenſo velo inter eos & populum, ſuſcipiat pontifex reliquias, habens ſecum miniſtros, prout ſibi videtur. Mittat verò chriſma in benedicta aqua, & condit in ea calcem, faciens maldem, unde includat ipſas reliquias. Et baptizato altare cum ſpongia ſemel de aqua benedicta, collecta ſchola, dicet pontifex hanc orationem.

Deus, qui altaria nomini tuo dicata ſanctificas, præſta quæſumus, ut quod noſtra fragilitas non meretur, interceſſione beati ſancti ill. hic ſpiritus tui plenitudo deſcendat, qui & munera noſtra ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ pietatis obtineat. Per.

Tunc ſuſceptas reliquias, ponit eas ſuper altare novum, & antequam recludantur, ponit chriſma intus in confeſſione per angulos quatuor in crucem, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ponit tres portiones Corporis Domini intus in confeſſione, & tres de incenſo. Et dum recluduntur reliquiæ manu pontificis in confeſſione, canunt antiphonam* Sub altare Dei ſedes accepiſtis, *cum* Gloria. *Item aliam antiphonam*: Exultabunt ſancti in gloria, *cum pſalmo* Cantate Domino, laus ejus. *Et poſt reconditas reliquias, dicit pontifex hanc orationem.*

Nota.

Deus qui ex omni coaptione ſanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœleſtia, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adjuvemur. Per.

Deinde linit eum cum malda, quæ ante fuerat præparata. Et poſtquam fuerit linita, facit crucem deſuper cum chriſmate per quatuor angulos altaris, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc velant altare, canendo antiphonam* In velamento alarum. *Pſal.* * *Quo finito, dat pontifex hanc orationem.*

* f. Deus Deus meus.

Deſcendat, quæſumus, Domine Deus noſter, Spiritus tuus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda dignanter emundet. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus altare nomini tuo dedicatum cœleſti virtute & bene ✝ dictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut hic ſacramentorum virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Deinde ponat tabulas altaris in circuitu.

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Oratio ad tabulas benedicendas.

Singulare illud propitiatorium, quod ſe in altari crucis nobis redimendis obtulit immolandum, quod præfigurante patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret ſacrificium, & portæ cœli deſuper aperirentur oraculum, ſuppliciter tibi, Domine, preces fundimus, ut metalli hujus expolitam materiem ſupernis ſacrificiis imbuendam ipſe ſuæ ſanctificationis ubertate percipiat, qui quondam lapideis legem ſcripſit in tabulis. Per.

Alia.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, qui inter creaturas formam lapidis & metalli ad obſequium tui ſacrificii condidiſti, ut legiſlatori tuum pararetur altare, annue dignanter hujus inſtitutor myſterii, ut quod hic oblatum fuerit, nomini tuo aſſurgat, religioni proficiat, ſpei unitietur, fidei ſit honori. Per.

Quo peracto, redit pontifex in ſacrarium cum ordinibus ſuis, & ornent ſe veſtimentis ſolemnibus. Iterum ornatur eccleſia, & accenduntur luminaria. Tunc incipit cantor ad introitum antiph. Terribilis eſt. *Et peragitur miſſa ſicut in ſacramentorum habetur ſcripta.*

E X P L I C I T.

P*Ræfato ordini eccleſiæ dedicandæ præmittitur in eodem codice Benedictio aquæ, ſalis, & vini, diverſa ab ea, quam hic deſcripſimus, quæ quia videtur uſitata fuiſſe in dedicationibus eccleſiarum aut altarium, hic eam ſubjicere non gravabimur.*

Exorciſmus aquæ.

Diſcede immunde ſpiritus ab omnibus, quibus fides noſtra uſura eſt, religioſi officii ſacramentis; nec prætendas culpam criminis, qui agnoſcis potentiam Salvatoris: non eſt meriti confidentia, ſed præcepti; licet ipſa poteſtas miniſterii dignitas ſit miniſtri. Te igitur per communem Dominum aquæ creatura convenio, ut conſervato motu ſenſibilitatis intelligens ſubjici ſervitio, quo placere Deo nitimur non recuſes. Omnem à te communionem dæmonum, omne collegium iniquitatis expurges. Totam phantaſmatis labem capax Dominicæ protectionis extermines, ut gratia ſanctificationis indepta tuo noſtroque pariter creatori debito famulatu deſerviens, omnem ſpirituum pravorum nequitiam quocumque loco fueris aſperſa dejicias, & ſanctæ copiam benedictionis infundas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Deinde dicat hanc orationem.

Sanctificare per verbum Dei unda cœleſtis, ſanctificare aqua Chriſti calcata veſtigiis, quæ montibus preſſa non clauderis, quæ ſcopulis illiſa non frangeris, quæ terris diffuſa non deficis. Tu ſuſtines aridam, portas montium pondera, nec dimergis. Tu cœlorum vertice contineris,

Digitized by Google

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

circumfuſa per totum lavas omnia nec lavaris. Tu fugientibus populis hebræorum in molem durata conſtringeris. Tu rurſum falſis reſoluta verticibus Nili accolas perdis, & hoſtilem globum freto ſæviente perſequeris. Una eademque es ſalus fidelibus, & ultio criminoſis. Te per Moyſen percuſſa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuiſti, cum majeſtatis imperio juſſa prodires. Tu geſtata nubibus imbre jocundo arva fœcundas. Per te aridis æſtu corporibus dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam potus infunditur. Tu intimis ſcaturiens venis, aut ſpiritum incluſa vitalem, aut ſuccum fertilem præſtas, ne ſiccatis exanimata viſceribus ſollemnes neget terra proventus. Per te initium, per te finis exultat; vel potius ex Deo tuum eſt, ut terminum neſciamus. At tu, Domine, omnipotens Deus, cujus virtutum non neſcii, dum aquarum merita promimus, operis inſignia prædicamus, benedictionis auctor, ſalutis origo, te ſupplices deprecamur & quæſumus, ut imbrem gratiæ tuæ ſuper hanc domum cum abundantia tuæ benedictionis infundas, bona omnia largiaris, proſpera tribuas, adverſa repellas, malorum fautorem Dominum deſtruas, angelum lucis, amicum bonorum, proviſorem, defenſoremque conſtituas. Domum in tuo nomine cœptam, te adjutore perfectam, benedictio tua in longum manſuram confirmet. Tuum hæc fundamenta præſidium, culmina tegumentum, oſtia introitum, penetralia mereantur acceſſum. Sit per illuſtrationem vultus tui utilitas hominum, ſtabilitas parietum, ſit impoſitis crux invicta liminibus: utrique poſtes gratiæ tuæ inſcriptione ſignentur, ac per multitudinem propitiationis tuæ viſitatoribus domus hujus ſit pax cum abundantia, ſobrietas cum modeſtia, redundantia cum miſericordia. Inquietudo omnis & calamitas longe recedat, inopia, peſtis, morbus, languor, incurſuſque malorum ſpirituum tua ſemper viſitatione diſcedat. Et ita fuſa in hoc loco noſtræ ſupplicationis oratio extenſos ejus terminos, & atria circumjecta percurrat; ſicque per cunctos angulos ac receſſus data benedictio hujus gurgitis purificatione prolabatur, ut ſemper hic lætitia quietis, gratia hoſpitalitatis, abundantia frugis, reverentia religionis, copia ſit ſalutis; & ubi invocatur ſanctum tuum nomen bonorum ſuccedat copia, malorum tentamenta procul effugiant, & mereamur cuſtodem angelum pacis, caſtitatis, & veritatis, qui nos ſemper ab omnibus malis cuſtodiat, protegat, atque defendat. Per.

Benedictio aquæ.

Domine Deus Pater omnipotens, ſtatutor & conditor omnium elementorum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum elementum hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis reſpectu ſanctifices, atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aſperſa, gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala noſtra te propitiante procul recedant. Per eumdem.

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, &c. *ut ſupra.*

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

Benedictio ſalis.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecamur Domine ſancte, Pater æterne, omnipotens Deus, qui inter omnia neceſſaria, quæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum procreari juſſiſti non minimam gratiam conferre dignatus es ſali, ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ omnibus ad eſcam per eumdem tuum Filium Dominum noſtrum procreaſti. Ideoque te ſupplices exoramus, ut hoc ſal digneris aſpicere, quatenus ex majeſtatis tuæ virtute contra omnes ſpiritus immundos valorem poſſit accipere. Expellat ab omni loco, ubi tua fuerit invocatione aſperſum quicquid poteſt eſſe peſtiferum, ut exhibeat plenum ſalutis effectum. Deterreat omnia præſtigia inimici, & omnia monſtruoſorum genera longius faciat effugari, gravedines omnes, phantaſiaſque compeſcat, & per ſignum crucis Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet. Qui tecum vivit.

Et miſcetur ſal & cinis, facienſque ter inde crucem ſuper ipſam aquam, dicat hanc orationem.

Æterne, omnipotens Deus, qui nobis à te conditam creaturam aquæ in fide diſtinxiſti, ut te liquorem ſimplicem ad lavacrum, ſalſam ſoliditatem præberes ad condimentum, quatenus & ſordida poſſent ablui, & fatua imbui, quo & noxa tolleretur originalis, & corrigeretur error ad viam ſalutis. Te officii noſtri functione immeriti deprecamur, ut hæc ſalis & aquæ in tuo nomine facta permixtio clementiæ tuæ ſanctificetur obtutu, quodque myſterialiter baptiſmo commodum, culpæ traduci inimicum, ſapientiæ aptum, errori præſtas adverſum, Sancti Spiritus tui ſanctitate reddas ſanctificatum, nec ullo contagio reddatur immundum, quod tua fieri credimus majeſtate beatum; ſed ita per te præbeat plenum ſanctificationis effectum, ut ubicumque invocato nomine tuo fuerit manu emiſſum, vel quolibet modo aſſumtum, expulſis & exploſis omnibus inſidiis contrariæ poteſtatis, & cuncta dæmonum machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, & ſanctorum angelorum cuſtodia ſemper inibi manſura conſiſtat. Per Dominum. In unitate ejuſdem.

Deinde miſcens vinum cum aqua, dicat hanc orationem.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu, Domine, mitte Spiritum tuum ſanctum ſuper hoc vinum cum aqua mixtum, ut armata virtute cœleſtis defenſionis, ad conſecrationem hujus eccleſiæ, vel altaris proficiant. Per Dominum. In unitate ejuſdem.

ORDO VIII.

Ex Pontificali Cameracenſi annorum 500.

ORDO AD BENEDICENDAM ECCLESIAM.

IN *primis erunt preparata in eccleſia quaque neceſſaria, id eſt hyſopum, vas cum aqua. vinum, ſal, & cinis, & illuminentur duodecim candelæ intrinſecus per circuitum eccleſiæ, & ejectis cunctis ab eccleſia, ſolus diaconus recludatur in ea. Et epiſcopus ante fores benedicat aquam cum ceteris ordinibus in his verbis.*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, *&c. ut in Pontificali Rom.*

Benedictio ſalis.

Oremus. Immenſam clementiam tuam, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine † Dei Patris omnipotentis, & in nomine † Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, & in virtute † Spiritus-ſancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicandum & explantandum cum angelis ſuis apoſtaticis, per virtutem † ejuſdem Domini noſtri J. C. Qui venturus eſt.

Benedictio aquæ.

Oremus. Deus qui ad ſalutem, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Dum mittit ſal in aquam dicit:

Commixtio ſalis & aquæ pariter in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti, fiat ſalutare ſacramentum. Amen.

Benedictio ſalis & aquæ.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo Oremus.

Deus invictæ virtutis, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Tunc epiſcopus recedens ab oſtio eccleſiæ circumeat ipſam eccleſiam, benedicendo & ſpargendo aquam, cum clero & populo cantando. ℟. Si Dominus meus fuerit mecum, &c.

Hoc finito, accedat pontifex ad oſtium eccleſiæ percutiens cum baculo ſuo ſuperliminare ſemel, & dicat: Tollite portas principes veſtras & elevamini portæ æternales, ut introeat rex gloriæ. *Et diaconus qui deintus eſt reſpondeat:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Econtra pontifex inferat foris:* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. *Et adjiciat epiſcopus.* Oremus. *Et diaconus qui cum eo foris eſt, dicat:* Flectamus genua. *Et poſt paululum.* Levate. *Deinde ſequitur oratio ab epiſcopo.*

Omnipotens ſempiterne Deus, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Iterum circumeat epiſcopus ſimiliter eccleſiam ſicut prius, ſpargendo aquam & cantando cum clero ℟. Fundata eſt, &c. *Et cum venerint ante oſtium eccleſiæ, agat cum baculo ſicut prius, & dicat:* Tollite portas principes

CAPUT XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Et diaconus deintus reſpondeat:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Et epiſcopus dicat:* Dominus fortis, *ut ſupra. Tunc dicit epiſcopus* Oremus. *Et diaconus qui foris eſt dicit:* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus qui ſacerdotibus, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Iterum autem circumeat tertio eamdem eccleſiam, ſpargendo aquam ſicut prius, & cantando cum clero. ℟. Benedic, Domine, &c. *Et cum venerit ante oſtium eccleſiæ, percutiat ſuperliminare cum baculo, ſicut prius, & repetat prædictum verſum:* Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *Et diaconus deintus reſpondeat:* Quis eſt iſte rex gloriæ? *Et epiſcopus:* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ? *Adjiciens:* Aperi.

Aperto oſtio, & intrante epiſcopo in eccleſia, dicat: Pax huic domui. *Et reſpondeant omnes.* In introitu veſtro. *Ingreſſuſque epiſcopus incipiat* Veni Creator Spiritus. *Et proſtrato epiſcopo ante altare, fiant letania.*

Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos, *ter.* Sancte Sanctorum. Deus miſerere nobis. S. Maria, ora pro nobis, &c.

His finitis non dicat præſul Dominus vobiſcum; *ſed tantummodo.* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Sequitur collecta.* Magnificare Domine, &c.

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo ab Oriente ſcribere per pavimentum cum cambuta ſua alphabetum græcis formis uſque in dextrum angulum occidentalem. Incipienſque ſimiliter de dextro angulo orientali alphabetum latinis figuris ſcribit uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem. Interim qui cum eo ſunt cantant: O quam metuendus eſt locus iſte, &c. *Cum cantico* Benedictus Dominus Deus Iſraël, *cum* Gloria Patri.

Deinde veniens ipſe ad locum, ubi præparata ſunt neceſſaria, dicat: Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria Patri. *ſine* alleluia. *Et benedicat ſal & aquam cum vino mixtam & cinere dicens:*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens benedic hanc creaturam ſalis, &c.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, &c.

Benedictio aquæ.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus parce metuentibus, &c.

Tunc miſceatur ſal & cinis & faciat inde epiſcopus crucem ſuper aquam & dicat: Exorcizo te creatura aquæ, &c.

Deinde ponat vinum in aqua, & dicat: Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, &c.

Benedictio aquæ cum vino mixtæ.

Omnipotens ſempiterne Deus creator & conſervator humani generis, &c.

Digitized by Google

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ. *Hoc facto, ingrediens epiſcopus ad menſam primo cum pollice de ipſa aqua ſancta faciat crucem in medio altaris, deinde in dextram partem, tunc in ſiniſtram per quatuor cornua altaris canendo antiphonam* Aſperges me Domine, &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Cum ipſo pſalmo circumeat tribus vicibus ipſam menſam, & aſpergat cum hyſſopo canendo eamdem antiphonam. Et circumeat ipſam eccleſiam ſpargendo aquam, incipiens à dextra parte orientis uſque dum redeat in occidentem. Iterum autem incipit antiphonam*, Exurgat Deus, &c. *Alia.* Hæc eſt domus Domini, &c. *Pſal.* Exurgat Deus. *Et circumeat ipſam menſam cum altari & totam eccleſiam intrinſecus cantando pſalmum, & ſpargendo aquam per circuitum. Item antiph* Qui habitat, &c. *cum eodem pſalmo. Et ſimiliter ſpergat menſam & altare & eccleſiam intrinſecus. Et mittit ex miniſtris eccleſiæ qui extrinſecus per atrium cum aqua ſancta pſallant ſimiliter. Deinde in modum crucis per pavimentum eccleſiæ in longum & latum ſpargat aquam cantando antiph.* Domus mea domus orationis vocabitur, *cum his verſibus* Narrabo nomen tuum fratribus meis. Qui timetis eum. Timeat eum. Nec avertit. *His peractis, dicat pontifex* Oremus. *Et diaconus*: Flectamus genua. Levate. *Et adjiciat epiſcopus hanc orationem*, Deus qui loca nomini tuo dicata, &c. *Et iterum dicat excelſa voce*: Oremus. *Et diaconus*: Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio.* Deus ſanctificationum, &c.

Præfatio ut in Pontif. Rom.

Hac expleta, eat pontifex ante altare, & dicat cum ſchola: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Pſal.* Judica me Deus. *Et fundat de ipſa aqua ad baſim altaris, & de ea quæ remanſerit faciat maltam cum calce & tegula & aqua benedicta. His ita peractis, extergitur menſa mundo linteo. Hac finita, accipiat pontifex feretrum cum preſbyteris, & ingrediendo dicit ſchola*: Ingredimini benedicti Domini, &c. *Et cum pervenerint ad locum vel ad titulum, in quo reliquiæ recondendæ ſunt, extenſo velo inter clerum & populum, epiſcopus recondat eas venerantes, & qui circa eum ſunt cantent.* Exultabunt ſancti in gloria, &c. *Et antequam recludantur, dicat hanc orationem.*

Deus qui in omni loco dominationis tuæ, &c.

NOTA. *Hac expleta, ponit epiſcopus juxta eas tres portiones Corporis Domini, & tres de incenſo, & recluduntur reliquiæ in confeſſione; & dum recluduntur interim cantent:* Sub altare Domini, &c. *Et dicit hanc orationem* Deus qui ex omni coaptatione, &c.

Et liniant miniſtri & optime firment ipſam menſam cum calce quæ antea fuerat præparata cum aqua benedicta. Poſtea offeratur incenſum. Et dum epiſcopus facit crucem ſuper altare, dicit: Dirigatur Domine oratio mea ad te.

Tunc de oleo ſanctificato faciat epiſcopus crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, & ungat totum ipſum lapidem in manu ſua de oleo ſanctificato, & interim cantent. Erexit Jacob titulum, &c. *Pſal.* Quam dilecta, &c.

Et

Et ſemper ſacerdos præparatus faciat incenſum per circuitum altaris donec conſecratio finiatur. Interim autem de eodem oleo perungat lapidem epiſcopus ſicut prius cantando antiphonam Mane ſurgens, &c. *Pſal.* Deus noſter refugium & virtus. *Hoc facto, offeratur chriſma, & ſimiliter ſicut de oleo perungat lapidem cantando:* Ecce odor filii mei, &c. *Pſal.* Fundamenta ejus.

Deinde dicat epiſcopus hanc orationem: Conſecretur & ſanctifice ✝ tur, quæſumus Domine, hoc altare ad laudem & gloriam nominis tui, in honore & veneratione omnium ſanctorum per iſtam unctionem & noſtram bene ✝ dictionem. Qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea in circuitu eccleſiæ eat epiſcopus, & faciat crucem cum pollice ſuo de ipſo chriſmate in duodecim locis: ita dicens in unoquoque loco: Sanctificetur hoc templum in nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritus-ſancti ✝. Pax tibi. Amen. *Et ſchola dicat:* Sanctificavit Dominus, &c. *Pſal.* Lætatus ſum.

Iterum epiſcopus rediens ad altare offerat incenſum ſuper illud cantans: Ædificavit Moyſes altare Domino Deo.

Hoc facto, dicat epiſcopus: Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio.*

Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, &c.

Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Deinde ſequitur altaris conſecratio.*

Quæſumus omnipotens Deus in cujus honore hoc altare conſecramus, &c.

Deinde dicitur antiphona: Confirma hoc Deus, &c. *Deinde tenentes ſubdiaconi vel acolythi tabulas, linteamina, vel omnia ornamenta eccleſiæ quæ ad Dei cultum pertinent, benedicit ea epiſcopus juxta hunc morem.*

Conſecratio altaris vel tabularum.

Supplices tibi Domine Deus, Pater omnipotens, preces, &c.

Alia oratio.

Domine Deus omnipotens, ſicut ab initio homini utilia & neceſſaria, &c.

Alia oratio.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c.

Item alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Deus clemens & propitius, &c.

Præfatio.

Qui poſt offendicula lapſus primi hominis, &c.

Benedictio ad omnia in uſum baſilicæ.

Dignare, Domine Deus omnipotens, Rex regum, &c.

Benedictio ad albas, planetas, vel cingulos.

Domine Deus, Pater omnipotens, Rex & magnificus triumphator, &c.

CAPUT XIII. *De Benedo ac dedic. eccleſ.*

Benedictio altaris.

Majeſtatem tuam, Domine, humiliter imploramus, &c.

Benedictio tabulæ.

Deum omnipotentem, fratres dilectiſſimi, votis exultantibus, &c.

His finitis, epiſcopus cum clero cantent: Corpora ſanctorum, &c. *Deinde diaconi veſtiant altare, epiſcopo & ſchola canentibus* Circumdate Sion Levitæ, &c. *Poſtea offeratur incenſum, & facta cruce ſuper altare, dicatur:* Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi. *Et dicat præſul hanc orationem* Deſcendat quæſumus Domine Deus noſter, &c.

Oratio poſt velatum altare.

Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc nomini tuo dedicatum, &c.

Benedictio ad omnia in uſum baſilicæ.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ab initio utilia & neceſſaria, &c.

Deinde vadat pontifex cum clero & populo ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, ſed antequam ingrediantur tentorium, epiſcopus dicit hanc orationem.

Aufer à nobis quæſumus, Domine, &c.

Poſt ingreſſum autem tentorii cantet ibi clerus hoc ℟. Movete ſancti de habitationibus veſtris, &c. *Pſal.* Venite exultemus.

Hoc finito, epiſcopus dicat hanc orationem,

Fac nos, Domine, ſanctorum tuorum, &c.

Tunc elevent ipſas reliquias in feretro præparatis preſbyteris portantibus eas cum honore & laudibus cum cruce & thuribulis incenſatis ac luminaribus, ut exeant pſallendo antiph. Cum jucunditate, &c. *Alia.* Ambulate ſancti Dei, &c.

Tunc vero antequam pontifex introeat eccleſiam, ipſe & portantes feretrum cum reliquiis circumeat eccleſiam cum clero cantando ℟. Erit mihi Dominus Deus, &c. *Populus vero ſequens cum mulieribus & parvulis cantent* Kyrie eleiſon. *His ita per ordinem geſtis, cum redierit pontifex ad oſtium eccleſiæ, facto ſilentio, habeat verbum ad plebem de honore eccleſiaſtico, de decimis & oblationibus eccleſiarum, ac de eccleſiæ ipſius dedicatione. Ipſe autem Dominus conſtructor ipſius eccleſiæ admoneatur de dote illius & qualem honorem eccleſiæ & preſbyteris debeat exhibere. Illo autem profitente ſe juſſa præſulis impleturum, epiſcopus hæc confirmari à Domino poſtulans, antequam intret in eccleſiam dicat:* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Deinde dicit hanc orationem.* Domum tuam quæſumus, Domine, &c.

Tunc ſecedit Dominus epiſcopus in ſecretarium, & imponit cantor introitum. Poſtea procedit pontifex ad altare cum ordinibus ſuis, ſicut conſuetudo eſt in ſolemnitatibus.

ORDO IX.

Ex mss. Pontif. Apamienſi & Conſtantinopolitano.

Incipit ordo ad benedicendam eccleſiam.

Primitus decet epiſcopum cum clericis ire ad antiquam eccleſiam, vel ad locum in quo reliquiæ ſunt, & ibi diligenter viſis reliquiis omnibus, & ſingulatim nominibus ſcriptis, recondat eas epiſcopus in aliquo vaſe ſigillo ſuo ſignatas, & ſic deferant ad tentorium, vel ad locum in quo vigilandæ ſunt, cantando ℟. Hæc vera fraternitas, *vel aliud* ℟. *de ſancta Maria. Quo finito, dicat epiſcopus hanc orationem,* Omnes ſancti tui, quæſumus Domine, &c. *Deinde jubeat ibidem agi vigilias per noctem. In craſtinum autem cum venerit præſul ad eccleſiam conſecrandam, debent quæque neceſſaria, id eſt hyſopus, vas cum aqua, vinum, ſal, & cinis, inibi preparata inveniri. Et tunc illuminentur duodecim candelæ intrinſecus per circuitum eccleſiæ, & ejectis cunctis ab eccleſia, ſolus diaconus recludatur in ea, & epiſcopus ante fores benedicat aquam cum ceteris ordinibus. Et ſchola incipiat letaniam, dicendo :* Chriſte audi nos *tribus vicibus. Finita autem letania, ſequitur exorciſmus ſalis.*

Exorcizo te creatura ſalis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Benedictio ſalis.

Immenſam clementiam tuam, &c. *ut in Ordin. Rom.*

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, &c. *ut in Ord. Rom.*

Benedictio aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hic mittatur ſal in aquam.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, benedicatur hæc commixtio ſalis & aquæ.

Benedictio ſalis & aquæ pariter.

Deus invictæ virtutis auctor, &c. *ut in Ord. Rom.*

Tunc epiſcopus circueat ipſam eccleſiam cum clero & populo, ſpargendo aquam benedictam, & ſchola cantet ℟. Fundata eſt domus Domini. ℣. Venientes autem. *Ubi autem circuierit epiſcopus eccleſiam, ſtans ante oſtium, dicat :* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. *Poſt paululum.* Levate.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, &c.

Tunc accedat pontifex ad oſtium, & percutiens ſemel cum cambuta ſua ſuperliminare dicat : Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Et diaconus deintus reſpondet :* Quis eſt iſte Rex gloriæ ? *Contra pontifex.* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. *Et recedent ab oſtio, iterum circueat eccleſiam cum*

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

clero & populo, & clerus cantet ℟. Benedic, Domine. ℣. Audi Domine. ℟. Domine ſi converſus fuerit. ℣. Si peccaverit. *Tunc iterum veniens ante oſtium dicat :* Oremus, *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per filium tuum lapidem angularem, &c. *ut in Ord. Rom.*

Poſtea accedens percutiat ſecundo ſuperliminare, & dicat : Tollite portas, &c. *Et diaconus deintus reſpondet ut ſupra.* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Deinde pontifex*, Dominus fortis & potens, &c.

Deinde tertio circueat eccleſiam aquam ſpargendo, & cantando ℟. Tu, Domine, univerſorum. ℣. Tu elegiſti. *Et cum venerit pontifex ante oſtium eccleſiæ dicat :* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. Levate. *Et proſequatur pontifex hanc orationem.*

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Tunc accedens ad oſtium percutiat tertio ſuperliminare eccleſiæ, & dicat : Tollite portas, &c. *Et diaconus deintus reſpondet ut ſupra.* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Econtra pontifex.* Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.
a *l.* adjiciat. *Et* [a] *addicat :* Aperi. *Tunc aperto oſtio, intrans eccleſiam ſolummodo cum*
b *al.* noſtro. *clericis dicat :* Pax huic domui. ℟. In introitu [b] veſtro. Amen. *Et claudatur oſtium eccleſiæ, & dicatur antiphona :* Zacchæe feſtinans deſcende, &c. *Deinde incipiat clerus letaniam, & epiſcopus proſternat ſe ſuper ſtramenta uſque dicat ſchola.* Agnus Dei. *Finita vero letania, cum ſurrexerit pontifex de oratione, ſtans in medio eccleſiæ, non dicatur :* Dominus vobiſcum, *ſed tantum excelſa voce.* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio quæ ſubſcripta eſt. Interim unus de miniſtris aſpergat cinerem per pavimentum eccleſiæ in modum crucis, ita ut de ſiniſtro angulo orientali pergat ad dextrum occidentalem, rurſuſque de dextro orientali pergat ad ſiniſtrum occidentalem.*

Magnificare Domine Deus noſter in ſanctis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo eccleſiæ ab oriente ſcribere per pavimentum cum cambutta ſua totum alphabetum græcum, uſque in dextrum angulum occidentalem A. B. &c. Incipienſque ſimiliter de dextro angulo orientali, totumque alphabetum latinum ſcribat uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem A. B. &c. Interim cantent qui cum eo ſunt antiphonam. O quam metuendus eſt, &c. *cum cantico* Benedictus Dominus Deus Iſraël. *Deinde veniens ante altare dicat*, Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria Patri, *abſque* alleluia. *Tunc benedicat ſalem & aquam his verbis.*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Benedictio ſalis.

Domine Deus Pater omnipotens benedic hanc creaturam ſalis, &c. *ibid.*

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, &c. *ut in Ord. Rom.*

Digitized by Google

Benedictio aquæ.

Domine Deus Pater omnipotens ſtatutor omnium elementorum, &c. *ibid.*

Benedictio cineris.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, *ut in Pont. Rom.*

Tunc miſceatur ſal & cinis, & faciat epiſcopus ter inde crucem ſuper aquam, & dicat: Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ſit ſanctificata ad conſecrationem hujus eccleſiæ & altaris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Oratio.

Deus invictæ virtutis auctor, &c. *ut in Ord. Rom.*

Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat: Fiat commixtio vini & aquæ, *&c. ut in Ord. Rom.*

Præfatio.

Deum omnipotentem fratres cariſſimi, *&c. ut in Ord. Rom.*

Benedictio aquæ cum vino mixtæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator humani generis, *&c. ut in Ord. Rom.*

Tunc ingrediens epiſcopus ad altare primum cum pollice ſuo de ipſa aqua ſancta faciat crucem in medio altaris dicens: Sanctificetur hoc altare, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde in dextra parte, tum in ſiniſtra per quatuor cornua altaris, & cum hyſſopo aſpergat ipſum altare tribus vicibus, & cantetur antiphona, Aſperges me, &c. *cum pſalmo* Miſerere mei.

Sequitur præfatio. *

Deum omnipotentem, fratres dilectiſſimi, nobis votis exultantibus, &c. *ut in Ord. Rom.*

* *al. deeſt* hæc præfatio.

Deinde circueat ipſam eccleſiam deintus aquam ſpargendo per parietes incipiens à dextra parte orientis uſque dum iterum redeat in orientem, & interim cantetur antiphonâ. Hæc eſt domus Domini, &c. *cum pſal.* Lætatus ſum. *Interim autem ſimiliter circueat eccleſiam, & cantetur antiphona:* Exurgat Deus, &c. *cum eodem pſalmo. Tertio ſimiliter cum antiphona:* Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, &c. *cum ipſo pſalmo.*

Deinde aſpergat in modum crucis per medium eccleſia in longum & in latum per pavimentum cantando antiphonam, Domus mea, &c. *cum verſu* Narrabo nomen tuum & Gloria. *Tunc ſtans in medio eccleſia, dicat:* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio*

Deus qui loca nomini tuo dicanda, *&c. ut in Ord. Rom.*

Iterum dicat excelſa voce. Oremus. *Et diaconus ut ſupra, & ſic ſequitur hæc oratio in conſecrationem baſilicæ.* Deus ſanctificationum omnipotens dominator, &c. *ut in ord. & Pont. Rom. Deinde dicat excelſa voce:* Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Digitized by Google

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

Præfatio.

Vere dignum. Adeſto precibus noſtris, adeſto ſacramentis, &c. *ut in Ord. & Pontif. Rom.*

Hac expleta, eat pontifex ante altare, & dicat ſola antiphona: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Pſal.* Judica me Deus. *Tunc effundat de ipſa aqua ad baſim altaris per gyrum, & de ea qua remanſerit faciat maltam cum calce & tegula & aqua benedicta. His ita peractis, extergatur menſa mundo linteo. Deinde vadat pontifex cum clero & populo ad illum locum, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt. Sed antequam ingrediatur epiſcopus tentorium dicat hanc orationem.*

Aufer à nobis, quæſumus Domine, omnes iniquitates noſtras, ut ad Sancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Poſt ingreſſum autem tentorii, clerus cantet has antiphonas. Movete ſancti de manſionibus veſtris, ad loca feſtinate quæ vobis præparata ſunt. *Pſal.* Gaudete juſti. *Antiph.* Ecce populus cuſtodiens judicium. *Pſal.* Venite exultemus Domino.

Hoc finito, epiſcopus adjiciat hanc orationem.

Fac nos, Domine, ſanctorum tuorum, *ut in Pontif. Rom.*

Tunc elevet ipſas reliquias in feretro, præparatis preſbyteris portantibus eas cum honore, & laudibus, cum cruce & thuribulis incenſatis, ac luminaribus, & exeant pſallendo. Et clerici qui cum ipſis ſunt cantent has antiphonas: Cum jucunditate, &c. Ambulate ſancti Dei, ingredimini, &c. Ambulate ſancti Dei ad locum, &c. *Tunc vero antequam introeat eccleſiam ipſe & portantes feretrum cum reliquiis circueat eccleſiam cum clero pſallendo, & cantent quoque* ℟. Erit mihi Dominus, &c. *Populus vero ſequens cum mulieribus & parvulis cantet* Kyrie eleiſon.

His ita per ordinem geſtis, cum redierit pontifex ad oſtium eccleſiæ, facto ſilentio, habeat verbum ad plebem de honore eccleſiaſtico & decimis, & oblationibus eccleſiarum, ac de anniverſaria ipſius eccleſiæ dedicatione, & annunciet, tam clero quam populo in cujus honore conſtructa & dedicata ſit eccleſia, & nomina ſanctorum ibi requieſcentium. Ipſe autem Dominus & conſtructor eccleſiæ admoneatur de dote illius, & qualem honorem eccleſiæ & preſbyteris debeat exhibere. Illo autem profitente ſe juſſa præſulis impleturum, epiſcopus antequam intret eccleſiam dicat: Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genu. Levate.

Oratio.

Domum tuam, quæſumus Domine, clementer ingredere, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Tunc accipiat pontifex feretrum cum preſbyteris, & ingrediendo dicat ſchola: Ingredimini benedicti Domini, quia præparata eſt habitatio veſtra. *Et cum pervenerit epiſcopus ad locum vel titulum in quo reliquiæ recondendæ ſunt, extenſo velo inter populum & altare, recondat eas venerante* * in capſa, & qui circa eum ſunt cantent antiphonam:* Exultabunt ſancti, &c. *Pſal.* Cantate Domino canticum novum, laudatio ejus in

* *al.* addit cum tribus granis incenſi.

eccleſia ſanctorum. *Et antequam recludantur reliquiæ, ponat chriſma in confeſſione in medio & per quatuor angulos crucem faciendo dicens:* Conſecretur hoc ſepulcrum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Deus qui in omni loco dominationis, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Et accipiens lapidem quo claudenda eſt ipſa confeſſio, hoc eſt ſepulcrum, in quo recondendæ ſunt reliquiæ, confirmet ipſum lapidem in medio & per quatuor angulos crucem faciendo cum chriſmate; à parte videlicet illa qua jacere debet ſuper reliquias, ſic dicens per unamquamque crucem, quam fecerit cum chriſmate. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc reconditis reliquiis cum tribus granis incenſi, imponat ipſum lapidem ſuper reliquias, & miniſtri liniant eum, & optime firment cum calce quæ antea fuerat præparata cum aqua benedicta; & clerus cantet antiphonam,* Sub altare Domini, &c. *Pſal.* Exultate Deo adjutori noſtro.

Oratio.

Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum, &c. *ut in Pontif. Rom.*

Hoc facto, ponatur menſa ſuper altare, & miniſtri linient eam, & optime firment cum prædicta calce, poſtea deferatur thuribulum cum incenſo, & dum epiſcopus cum ipſo thuribulo fecerit crucem ſuper altare, canet clerus antiphonam: Dirigatur ad te Domine oratio mea.

Tunc de oleo ſanctificato pro catechumenis faciat crucem in medio, & per quatuor angulos ipſius menſæ, & ungat eam totam manu ſua de oleo ſanctificato per unamquamque infuſionem dicens: Conſecrare, & ſanctificare dignare, Domine Deus, lapidem iſtum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Et interim cantet clerus antiphonam:* Erexit Jacob, &c. *Pſal.* Quam amabilia. *Et ſemper ſacerdos præparatus adoleat incenſum cum thuribulo per circuitum altaris, donec ipſius conſecratio finiatur.*

Iterum quoque de eodem oleo faciat crucem ſicut ſupra in medio & per quatuor angulos ipſius menſæ, & perungat eam totam ſicut prius cantando antiphonam: Mane ſurgens Jacob, &c. *Pſal.* Deus noſter refugium.

Deinde ſumat chriſma, & ex eo ſimiliter ſicut prius de oleo crucem faciat in medio, & per angulos menſæ, & perungat eam totam cantando antiphonam. Ecce odor filii mei, &c. *Pſal.* Fundamenta ejus.

Hoc facto, vadat epiſcopus in circuitu eccleſiæ deintus, & faciat crucem cum pollice ſuo de ipſo chriſmate in duodecim locis, ſic dicens in unoquoque: Sanctificetur hoc templum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo. *Et ſchola dicat antiphonam:* Hæc eſt domus Domini, &c. *Pſal.* Lætatus ſum.

Tunc epiſcopus adoleat incenſum ſuper altare; & cantet antiph. Ædificavit Moyſes, &c. *Deinde dicat:* Oremus. *Diaconus:* Flectamus genua. Levate. Dei Patris omnipotentis miſericordiam, &c. *ut in Pontif. Rom.*

Hic ponatur incenſum in medio & in quatuor angulis altaris, & cum

Caput XIII *De Bened. ac dedic. eccleſ.* *candela incendatur, & cantetur antiph.* Aſcendit fumus aromatum, &c. Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, clemens & propitius, *&c. ut in Pontif. Rom.* Oremus. *Diaconus*: Flectamus genua. Levate. *Sequitur altaris conſecratio.* Quæſumus omnipotens Deus in cujus honore altare hoc, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Deinde dicat excelſa voce: Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus.

Præfatio.

Vere dignum, &c. ut propenſiori cura & attentiori famulatu, &c. *ut in Pontif. Rom.*

Oratio.

Majeſtatem tuam, Domine, humiliter imploramus, &c. *ibid.*

Hic ungatur frons lapidis chriſmate à parte ſacerdotis in modum crucis cantando antiphonam: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo quod eſt in Jeruſalem, alleluia, alleluia. Gloria Patri, & Filio.

Deinde teneant ſubdiaconi vel acolythi linteamina & alia ornamenta ſeu vaſa ſacra, quæcumque ad cultum Dei & eccleſiæ pertinere videntur, & benedicat ea pontifex hoc modo.

Benedictio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia, *&c. ut Pont. Rom.*

Item benedictio ad linteamina & ad alia quæ opus fuerit ſacro miniſterio: Exaudi, Domine, preces noſtras & hæc linteamina, *&c. ut in Ord. Rom.*

His finitis, epiſcopus cum clero cantet antiphonam: Corpora ſanctorum, &c. *Deinde diaconi veſtiant altare, epiſcopo & ſchola canentibus*: Circumdate Sion, levitæ altare Domino Deo veſtite veſtimentis albis, eſtote & vos canentes hymnum novum dicentes, alleluia. *Pſal.* Mirabilis Deus. Gloria Patri.

Poſtea offeratur thuribulum cum incenſo, & facta cruce cum thuribulo *al. addit ter. *ſuper altare cantetur * hac antiphona*: Omnis terra adoret te Deus.

Sequitur oratio.

Deſcendat quæſumus, Domine, Deus noſter Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet & ſumentium corda purificet. Per. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc nomini tuo dicatum, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Deinde revertatur pontifex in ſacrarium donec ornetur eccleſia & accendantur luminaria, & incipiat cantor introitum: Terribilis eſt locus iſte, &c.

Sequitur miſſa, poſt cujus communionem legitur benedictio epiſcopalis ſuper populum in dedicatione eccleſiæ, juxta conſuetudinem quarumdam eccleſiarum, non tamen ſecundum morem Romanæ eccleſiæ.

Benedicat & cuſtodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc ſui muneris præſentia, &c.

MONITUM.

MONITUM.

HIc ſubjungere viſum eſt antiquum tractatum de dedicatione eccleſiæ. Codex S. Audoeni Rothomogenſis ante annos ſexcentos exaratus, ex quo illum deſcripſimus, nullius auctoris nomen præfert. Verum cum in eodem codice immediate ſequatur Remigii Autiſſiodorenſis monachi Expoſitio in celebratione miſſæ, nec ſtilus ejus à noſtri Tractatus ſcribendi ratione diſcrepare videatur, eidem auctori, donec certiora nobis ſuppetant argumenta cui debeat adſcribi, ex conjectura tribuendum exiſtimavimus. Huic tractatui ſubjicimus ſermonem non contemnendum in dedicatione eccleſiæ auctore ut videtur Cæſario Arelatenſi epiſcopo, quem deſcripſimus ex duobus mss. Pontificalibus annorum 900. Rothomagenſi ſcilicet B. Mariæ & Gemmeticenſi.

REMIGII
AUTISSIODORENSIS MONACHI
TRACTATUS
DE DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Quid ſignificent duodecim candelæ?

MOREM quem ſancta eccleſia tenet in ſolemni domus dominicæ conſecratione non eſſe cujuſcumque dignitatis ille cognoſcit, qui antiquæ reminiſcens hiſtoriæ meminit cum quanta celebritate tabernaculum teſtimonii & templum à Salomone conſtructum Domino jubente dedicatum ſit. Nam cum duodecim duces in ſignificatione duodenorum Apoſtolorum una die munera ſua ad tabernaculum detuliſſent, Domino ſanciente, juſſi ſunt ſinguli ſingulis diebus oblationem ſuam offerre, quatenus & feſtivitatis ſplendor augeſceret, & ſignificationi futuræ ipſa veritas hiſtoriæ arrideret. In eo namque quod ſinguli duces per ſingulos dies munera ſua obtulerunt, jam tunc præfigurabatur quod non confuſe apoſtoli in una gente evangelizaturi manerent, ſed ſinguli plurimas pluresve gentes per diſtributionem Sancti Spiritus evangelizaturi ſortirentur. In eo vero quod omnes eadem munera obtulerunt: præfigurabatur quod apoſtolis doctrina

unanimis & conſors in eccleſiæ ædificatione concurreret, ſanctificationemque ejus non ſchiſmatum diverſitas, ſed potius unica confeſſio veritatis adornaret. Iſta ſunt & ſigna Spiritus ſancti fonte irrigata, quorum fructus eſt ad uſum, ſicut in Ezechiele & in Apocalypſi legitur, & folia ejus ad medicinam, & per ſingulos menſes afferentia primitiva ſua, in quorum figura, antequam pontifex baſilicam conſecraturus ingrediatur, duodecim candelæ in circuitu accenduntur. Ipſi ſunt enim quibus veritas dicit: *Vos eſtis lux mundi.* Itemque exhortans eos ad prædicationis verbum fidelibus ſuis erogandum: *nemo*, inquit, *accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Iſti ſunt qui ut alios mentis alacritate docerent & verbo ſplendere; prius linguas acceperunt igneas, ut inſinuarentur & amore fervere & verbo lucere. Dum ergo in circuitu domus dicandæ duodena fulgent lumina, demonſtratur quod in ea prædicanda ſit lucens & ardens apoſtolica doctrina. Domus autem ipſa Dominica abuſive vel metonimice eccleſia dicitur non proprie. Nam metonimice eccleſia non dicitur; ut per id quod continetur id quod continet ſignificetur. Eccleſia namque convocatio interpretatur, ſed ſicut diximus non proprie vocatur eccleſia domus, quæ convocari non poteſt. Dicit tamen propheta: *Coadunate ſenes, convocate eccleſiam.* Sed ſciendum eſt hunc uſum ab antiquo populo ſumtum eſſe qui indifferenter ſynagogam & populum & locum ubi ad orandum & legendum convenire conſueverant uno nomine vocitabant. De populo enim dictum eſt: *dixitque Moyſes ad omnem ſynagogam filiorum Iſraël.* De loco autem in quo adoraturi & lecturi conveniebant dicitur in evangelio, quod cum centurio miſiſſet ad Dominum principes Judæorum pro ſanitate pueri ſui roganda, venerunt ad Dominum iidem principes, & deprecati ſunt eum ſollicite, dicentes: *Dignus eſt ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.* Itemque in Actibus Apoſtolorum: *Et introeuntes in ſynagogam ſederunt. Poſt lectionem autem legis & prophetarum miſerunt ad eos principes dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem dicite.* Claret ergo ſicut & alia plurima, ita & hunc uſum à veteribus ſuſcepimus, ut indifferenter uno nomine & populus eccleſia, & domus quo populi conveniunt ſimiliter eccleſia nuncupetur. Sed magna differentia apparet inter iſta duo nomina, ſynagogæ ſcilicet & eccleſiæ. Synagoga namque congregatio dicitur, quæ & lapidum & brutorum animalium dici poteſt. Eccleſia vero quæ convocatio nuncupatur, non enim eorum eſt qui intelligentiæ dignitate præpollent, ut monſtretur quantum diſtat chriſtiana dignitas à Judaica vilitate. Beatus vero Auguſtinus in libro de origine animæ de hac re ita dicit. Sicut ergo appellamus eccleſiam baſilicam qua continetur populus qui vere appellatur Eccleſia ut nomine Eccleſiæ, id eſt, populi qui continetur ſignificet locum qui continet: ita quia animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum Iſraël per nominatas animas poſſunt. Proprie

autem græco vocabulo baſilica dicitur quæ latine regia interpretatur; ut habitaculum regis æterni monſtretur.

Quare ſuperliminare ter percutitur, & Pax huic domui *dicitur.*

SAne illuminatis candelis mos eſt pontificem ad oſtium accedere, clero & populo ſubſequente, & percutere ter ſuperliminare cum virga quam antiquitas cambutam vocat, & cantare antiphonam, *Tollite portas principes veſtras & elevamini portæ æternales.* Et hæc quidem nequaquam, ut pueris vel pueriliter intelligentibus videtur, accipienda ſunt, ſed ſubtiliter diſcutiendum quare ita à veteribus inſtituta ſint. Hæc namque & alia per doctrinam Apoſtolorum eorumque diſcipulorum ad nos credimus devoluta. Scimus autem ſacros pontifices Domini noſtri Jeſu Chriſti geſtare perſonam, ſicut eis ipſe dicit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Itemque: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Beatus etiam Paulus huic ſenſui aſtipulatur cum vice Chriſti ſe fungi teſtatur dicens: *Pro Chriſto legatione fungimur, obſecramur pro Chriſto, reconciliamini Domino.* Virga autem ſacerdotis poteſtas intelligitur ſacerdotalis, quam eis contulit cum Apoſtolos ad prædicationem mittens, nihil eis aliud ferre permiſit, Evangelio dicente, quod non permiſit, ut aliquid tollerent in via niſi virgam tantum. Qua virga ſancti ſacerdotes & ſolantur humiles & terrent ſuperbos, ac feriunt impenitentes. Eſt eadem virga recurva quæ ſollicitudinem & pietatem præfigurat compaſſionis. Ne enim aliqua ovium aberret, habena præcepti, & caritate utuntur affectionis, imitantes eum qui per prophetam olim clamabat: *Convertimini, filii, revertentes, & ſanabo averſiones veſtras.* Et per evangelium ſalubriter ac pie vocat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam.* Quam poteſtatem à Patre Filius accepit, cum cæleſtium, terreſtrium & infernorum dominatum promeruit, Apoſtolo dicente: *Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Unde ei & inferi patuerunt deſcendenti, dicente pſalmiſta: *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Et cæli novo obſequio ſuſcepérunt ad patrem aſcendentem. Sed & corda mortalium dura prius per obſtinationem poſtea patefacta ſunt per humilem confeſſionem. Eamdem ergo poteſtatem ſalvator ſuis largitur dicendo: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & quidquid ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælo & quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.* Cui ergo dicitur, portæ inferi non prævalebunt, & ei ligandi in cælo & ſolvendi in terra ſimul privilegium traditur, conſtat nimirum & cælo & terræ & inferno principetur. Cum ergo pontifex virga ſua ſuperliminare futuræ eccleſiæ

Caput XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

ter percutit, oſtendit quia ſibi & cæli & terræ & inferi poteſtas cedit. Unde & poſt percuſſionem oſtium aperitur, videlicet quia ſibi poteſtatem ſuam digne conſervanti pars adverſa reſiſtere non poteſt. Nam ipſa domus antequam eam pontifex ingrediatur, populi ignorantis perfidiæ repagulis incluſi figuram tenet, ad quem Dominus venit ut educeret cunctos de tenebris, cui Pater dixerat, *ego ante te ibo & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram & vectes ferreos confringam.* Itemque poſt aliqua ei pater dicit: *Ut diceres his qui vincti ſunt, exite, & his qui in tenebris ſunt revelamini.* Quod & per ſeipſum Dominus in carne veniens peregit, & uſque in finem ſæculi per vicarios ſuos agere non deſiſtit. Cantatur autem antiphona à pontifice dicente: *Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, &c.* Cum autoritate divina imperat pontifex dæmonibus ſive vitiis diverſis, ut tollant portas ſuas, quatenus portæ cæleſtes eleventur, & introeat rex gloriæ. Portæ enim mortis ſunt peccata, de quibus propheta gloriatur ad Dominum dicens: *Qui exaltas me de portis mortis.* Portæ autem ſunt æternales per quas ingredimur ad vitam, de quibus proſequitur idem pſalmiſta: *Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Sunt autem portæ iſtæ quæ elevantur in eccleſia vel maxime tres, baptiſmi gratia chriſmatis honor & ſacri verbi prædicatio, per quas Rex gloriæ introivit, cum Chriſtus per ſancta opera in eccleſia ſua præſentiam notam facit. Gloria enim regis noſtri eſt cum in eccleſia ejus poteſtas & miſericordia & juſtitia prædicatur, dicente ſcriptura, *quia gloria regum ſit celare verbum, & gloria Domini inveſtigare ſermonem.* Aperto vero oſtio, intrat pontifex dicens cum clero & populo ter: *Pax huic domui.* Quia Dominus ingrediens mundum genus humanum per carnis ſuæ aſſumtionem Domino reconciliavit, pacemque illam quam diſcordia per peccatum diſciverat ipſe adventus ſui miſeratione diſcivit. Hinc eſt enim quod angeli eo nato clamaverunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hinc eſt quod ipſe princeps ſacerdotum prædicatoribus, quos eccleſiæ præficiebat, præcepit dicens: *Intrantes autem domum, ſalutate eam dicentes: Pax huic domui.* Sed & ipſe ingreſſus domum Zachæi dixit: *Quia hodie pax huic domui facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.* Idemque poſt reſurrectionem apparens diſcipulis ſuis ait: *Pax vobis.* Pontifex ergo eccleſiam, ingrediens, *Pax huic domui*, clamat, quia ſancti doctores ad hoc ſatagunt ut populus qui à Domino diſcordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum operum exercitia. Hoc Paulus agit pene per omnes epiſtolas ſuas ſcribendo ad diſcipulos: *Gratia vobis & pax multiplicetur.* Clamat autem ter, ut Patris, & Filii & Spiritus-ſancti, quorum una eſt divinitas, ſit reconciliationis æqua parilitas. Unus eſt enim Dominus, una fides, unum baptiſma. In his reconciliationem & pacem ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum meruimus, dicente Apoſtolo, quia *pacificavit per ſanguinem ſuum non ſolum quæ in cælis, ſed etiam quæ in terris ſunt in ipſo.* Quod vero intrante pontifice eccleſiam, clerus cum lætania, ſacerdotes

& levitæ proſtrati in terram ad Dominum clamant pro ſanctificatione ipſius domus, hoc eſt quod & Dominus ante paſſionem egit per diſcipulos & pro cunctis qui poſt ſequuntur fidelibus patrem exorans, dicendo: *Pater ſanctifica eos in nomine tuo quos dediſti. Non pro his autem rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Sed & apoſtoli in epiſtolis ſuis diſcipulis ſcribunt orare ſe ſine intermiſſione ad Dominum pro ipſis & memoriam facere eorum in orationibus. Nec non eccleſiæ mos inolevit per traditionem Apoſtolorum, ut non ſolum pro fidelibus, ſed & pro hæreticis & ſchiſmaticis, nec non pro Judæis ac paganis Domini miſericordiam conveniant. Nam beatus Paulus tamquam ingreſſus eccleſiam cohortatur omnes ad orationem dicens: *Obſecro primum omnium fieri orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus pro regibus, & pro his qui in ſublimitate ſunt.* Pontifex ergo dum eccleſiam novam ſanctificaturus eam ingreditur, & ſtatim ad orationem ſe confert, Apoſtoli vocem complet, qui primum omnium orationes fieri poſcit pro omnibus hominibus, ſcilicet & pro credentibus, & necdum credentibus. Attamen eorum adhuc typum tenet qui rudem plebem inſtruere incipiunt. Inde eſt quod ſurgens ab oratione non ſalutat populum adhuc dicendo, *Dominus vobiſcum*, ſed ad orationem cunctos hortatur. Necdum enim populus novellus ad eam dignitatem pervenit ut ſacerdotis ſalutatione dignus videatur. Adhuc enim fænum tectorum eſt, de quo non implet manum ſuam qui metit, nec ſinum ſuum qui manipulos colligit, ut eis poſſit dici à prætereuntibus, *Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.* In quorum figura Boos ille fortiſſimus, dum meſſores ſuos inviſeret dixit, *Dominus vobiſcum.* Quia videlicet Dominus noſter veraciter fortis quod nomen Boos ſonat dum meſſores ſuos intra meſſem viderit laborare, benedictionis ſuæ ubertate eos accumulat, & tam præpoſitis quam ſubjectis implet promiſſionem ſuam dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Eis vero qui necdum in fidei ſocietate eccleſiæ adunari meruerunt, non ſolum non benedixit, ſed etiam miſceri prohibet dicendo per apoſtolum. *Quæ communicatio Chriſti ad Belial? Qui conventus templo Dei cum idolis?* Itemque per prophetam: *Separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Itemque per beatum Johannem: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nec ave ei dixeritis.* Orandum eſt ergo pro talibus, qui necdum initiati ſunt, non tamen ſalutandi ſunt, quia non eſt eis vel conſentiendum vel adulandum, quia ipſis prædicatoribus Dominus dicit; ut euntes ad prædicandum neminem ſalutent in via. Hinc eſt quod Hæliſæus verus cum puerum mitteret ad reſuſcitandum mortuum, præcepit ut neminem in via ſalutaret, videlicet neminem fluxa vita hujus gaudia requirentem, & hæc cum alacritate appetentem ſpe caſſa vel adulatione demulceat, ſed ad miniſterium ſibi injunctum tota intentione peragendum feſtinet.

Digitized by Google

CAPUT XIII.
De Bened. ac dedic. eccleſ.

Quid ſignificet quod ſacerdos alphabetum in pavimento ſcribit.

HIs rite completis incipit pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribere per pavimentum alphabetum uſque ad dexterum angulum occidentis, atque iterum ſimiliter à dextro angulo orientis uſque in ſiniſtrum angulum occidentalem baſilicæ. Quæ res puerilis ludus videretur, niſi à magnis & ſpiritualibus utpote apoſtolicis viris inſtituta crederetur. Atque ideo tanto magis ſacratius quid in tali facto ſit reconditum requirendum eſt, quanto minus non intelligentibus vile videri poteſt. Sciendum tamen, ſicut jam ſupra dictum eſt, omnia quæ in talibus fiunt, Domini exemplum præceſſiſſe, & quod in illo præceſſit in ſucceſſoribus immutabile remanſiſſe. Superius namque pontifex tantummodo orationem fudit, nec vero jam alphabeti ordine per futuram eccleſiam ſub certæ ſignificationis miſterio deſcribit. Quid autem per alphabetum niſi initia & rudimenta doctrinæ ſacræ intelligi convenit? Unde & Paulus Hebræis exprobrans dicit: *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus rurſum indigetis ut vos inſtruamini quæ ſint elementa mundi & exordia ſermonum Dei.* Scribit ergo pontifex alphabeti ordinem cum fidei docet ſimplicitatem, & dicit cum Paulo apoſtolo: *Lac vobis potum dedi non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis.* Sicut enim parvulorum eruditioni congruit primum litterarum elementa cognoſcere, deinde ac ſyllabas, ac poſt verba paulatim ad ſententiarum cognitionem pervenire; ſic quidam gradus ſunt intellectus in familia ſanctæ Eccleſiæ, quorum primus eſt eorum qui ſimpliciter viventes adhuc tamen ad robur doctrinæ proficientes quaſi primis elementis contenti ſunt. Sed quomodo eadem elementa ſcribi debeant attendamus. Non paſſim, ſed diſtincto ordine ab angulo ſiniſtro orientali uſque in dextrum angulum occidentalem. Ac primum ſciendum eſt quod quatuor anguli baſilicæ quatuor deſignent mundi plagas ad quas pervenit doctrina eccleſiaſtica, quæ per litteras ſignificatur in terra deſcriptas. Quod alphabetum ibidem deſcribitur prædicatio evangelii ſimplex & pura inſinuatur. In alphabeto nihil duplicitatis, nihil falſitatis incurrit, quia evangelica puritas nihil fucatum, nihil appetit falſum ſed ſimplici veritate ſubnixa æternam prorſus reſpuit falſitatem. Quod autem ab angulo orientali in angulum occidentalem prior verſus deſinit, iterumque ab orientali angulo in ſiniſtrum angulum occidentalem, duplici figuræ aggaudet, quarum prima eſt quia in tali ſchiſmate crux figuratur, ut doctrinæ evangelicæ mors Chriſti ſemper inſeratur. In crucis enim effigie litteræ figurantur, cum ſimplicibus quibuſque mors Chriſti ſimpliciter innuitur. Unde Paulus quibuſdam talibus ait. Quod vero ab angulo ſiniſtro orientali ſcribere incipit uſque in angulum oc-

cidentalem, angulus ſiniſter Judaicus intelligitur populus. Unde iſdem angulus orientalis eſt ex quo ortus eſt Dominus noſter. Pervenit autem uſque in angulum occidentalem pontifex ſcribendo, quia cum Dominus noſter a Judæis ortus ſit, mors tamen ejus à gentibus eſt ſuſcepta. Sive angulum orientalis nativitas occidentalis aſcenſio in qua occidit, id eſt, poſtea nobis non apparuit. Scribit enim Lucas ab angulo orientali ſiniſtro uſque in angulum occidentalem dextrum quando primum ſermonem fecit de omnibus quæ cæpit Jeſus facere & docere uſque in diem qua præcipiens apoſtolis per Spiritum-ſanctum, quos elegit, aſſumtus eſt. Sed cum verſus iſdem ab angulo orientali dextro revertitur ad angulum orientalem ſiniſtrum, hoc indicare videtur quia cum plenitudo gentium introierit tunc omnis Iſraël ſalvus fiet. Utriuſque ergo populi collectionem duo verſus iſti ſignificant, in unam tamen crucis compagem. Hinc eſt quod Jacob cum filiis Joſeph benediceret, cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dexrram manum ſuper caput Ephraim minoris ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe majoris poſuit, ſignificans quia populus dexter quondam in ſiniſtrum verreretur, ſiniſterque in dextrum. Sed neque ab re agitur, ut idem ordo vel ſcriptura cum virga ſacerdotali peragatur. Præmonſtratur namque quia eadem permutatio quæ à Judæis ad gentes venit per miniſterium prædicatorum celebrata ſit, & ea denuo converſio quæ in fine ſeculi conſummanda eſt per opus nihilominus ſacerdotale perficiat, id eſt, per prædicationem.

Cur aqua ſali cinerique miſcetur, & ſuper aquam ex ſale & cinere crux figitur.

POſt hæc ad altiora jam ſacerdos ſubit, cum ante altare aſtans Deum in adjutorium ſibi invocat velut qui tunc inchoet operari. Nam præter iſta velut quædam prævia fuere. Dicit enim: ***Deus in adjutorium meum intende**, &c.* adjungens *Gloria Patri & Filio & Spiritui-ſancto*, abſque ***alleluia***. Hic namque verſus martyrum eſt Dominum invocantium in ſui adjutorium dum ad martyrium properant; ſed & doctorum, cum contra aërias poteſtates pro ſancta Eccleſia duros incertoſque ſumunt conflictus, ſcientes quod non ſit eis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Quanto ergo infirmiores ſe ex ſua cognoſcunt imbecillitate, tanto adjutorium Dei amplius implorant ex illius benignitate. Necdum tamen laudibus Dei ***alleluia*** adjungunt, quia adhuc in laboribus atque ſudoribus ſe eſſe conſpiciunt. ***Alleluia*** namque vox eſt exultationis ad laudes Dei ſolummodo pertinens. Sancti autem doctores quamdiu in afflictione ſunt utpote qui necdum de diſcipulorum profectu gloriari non poſſunt, deprecari Domini adjutorium non deſinunt. Lætum autem tunc

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

alleluya cantabunt, cum diſcipulorum ſuorum vitam Domino creſcere viderint, ut Paulus: *Nunc vivimus ſi vos ſtatis in Domino.* Et item: *Scio autem quod veniens ad vos in abundantia benedictionis Chriſti veniam.* Perfectum tamen alleluya tunc reſonabunt quando fiet quod ſcriptum eſt: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Unde & mos increbruit ut per dies afflictionis qui ſunt quadrageſimæ antè paſcha *alleluia* non cantetur, quia dies ſunt luctus & pœnitentiæ. Reſurrectione autem Dominica peracta, ſine intermiſſione cantetur. Pontifex ergo qui cum diſcipulorum imperita repugnatione & contradictione adhuc certat, adjutorium quidem Domini ad ea devincenda flagitat, alleluya autem adhuc pleniter cum eis non cantat, quia ſecundum ſcripturam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Neque primis adhuc inhærentes rudimentis adhuc poſſunt eorum ſubire officium, quorum perfectus animus in laude omnipotentis ſe ſolummodo novit occupare. Quod bene ſciens propheta David pſalmos ſeptem quos in laude Domini compoſuit, & alleluya titulo prænotavit & fine concluſit, non in capite pſalterii, non in medio, vel in alia qualibet regione, ſed in fine poſuit, aperte innuens quia eorum eſt alleluya veraciter cantare, qui jam vitia evadere, & in culmine perfectionis perſeveranter norunt conſiſtere. Econtra aut à laude Dei cohibentur qui adhuc vitiis enerviter ſuccumbunt, dicente eodem pſalmiſta: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Poſt hæc benedicitur aqua cum commixtione ſalis & cineris. Aquam quidem ſignificare populum teſtatur apocalypſis Johannis dicendo: *Aquæ enim populi ſunt.* Sal autem doctrina verbi divini. Unde in lege præcipitur, ut in omni ſacrificio ſal offeratur, dicente legiſlatore: *In omni ſacrificio offeres ſal, nec auferes ſal fœderis Domini Dei tui de ſacrificio ejus:* quod eſt aperte dicere: omnia quæ Deo offerre volueris opera, auctoritate condiantur divina. Nec aliquid Deo putes gratum quod non fuerit illius lege ſancitum. Cinis autem ſignificat conſummationem Dominicæ paſſionis, quam ſignificabat cinis vitulæ illius quæ mactari juſſa eſt in lege ad expiationem populi. Cinis namque vitulæ rubeæ caro eſt ſalvatoris, rubra per ſanguinem crucis, & exuſta igne tribulationis. Hinc ipſe ſalvator, cum quaſi quidam torris exurendus quodammodo ad ignem duceretur paſſionis ait: *Si enim ſanguis hircorum & vitulorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Chriſti qui per Spiritum-ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?* Aqua ergo benedicitur, & ut ſanctificari poſſit, ſal ei cum cinere miſcetur, cum populi per pontificis officium ut ſanctificari poſſint & verbo Dei imbuuntur, & qualiter Chriſto tamquam capiti corpus per ejus paſſionem conjungantur & ſanctificentur ſufficienter inſtruuntur. Fit autem crux ter ſuper aquam ex ſale & cinere, cum docentur populi ſanctæ Trinitati gratias referre pro ſua eruditione atque redemtione: Huic vero,

vero mixturæ additur vinum cum aqua quæ duo geminam in Domino Jeſu Chriſto præferunt naturam in una perſona. Aqua enim humanitatem, vinum vero ſignificat divinitatem. Dum ergo mixturæ ſuperiori miſcetur vinum cum aqua mixtum inſinuatur quia populus per os prædicatoris inſtrui debet quod Dominus noſter & Salvator Deus eſt & Homo, & tamquam vinum mixtum ſit aqua, non tamen ejus divinitas eſt converſa in humanitatem aut humanitas in divinitatem, ſed manentibus in integritate naturis, divinitas aſſumpſit humanitatem unam perſonam efficiens, non naturarum proprietatem commutans. Et intuendus ordo, quam gradatim pergat. Primum pontifex oſtium aperit, deinde pro populo orat. Poſt hæc alphabetum ſcribit. Inde aquam cum cinere & ſale benedicit, cui vinum admiſcet, quia unuſquiſque primum per confeſſionis portam aperit: Deinde officium ſacerdotis eſt pro eo orare & quaſi catechumenum efficere. Deinde qualiter uniri poſſit corpori ſui Salvatoris per ſacram doctrinam docere, inde qualiter Deus & homo ſit Chriſtus ſtudioſe contradere, ad ultimum ſacro fonte purificari. Quem ordinem tenuit, & tenendum ſuo exemplo dedicavit. Cui cum mutus & ſurdus oblatus eſt & ſanandus, eduxit eum de turba ſeorſum, & miſit digitos ſuos in auriculas, & expuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: *Effeta quod eſt adaperire.* De turba namque quis educitur cum prioribus viriis per confeſſionem & abdicationem abrenunciat. Digiti in auriculas mittuntur, cum audito verbo Dei catechiſatur. Suſpexit autem in cælum & ingemuit, ut ſacerdotes Dei doceat Domini miſericordiam cum gemitu petere pro eis quibus illos contigit præeſſe. De ſaliva autem Domini lingua tangitur muti, ut divino verbo inſtruantur qui ſacris miſteriis initiantur.

Quid ſit quod ſacerdos per quatuor altaris cornua digito crucem facit.

POſt hæc tingit ſacerdos digitum in aqua & facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare namque eccleſiæ figuram præfert. Quod quatuor cornua habet, quia per quatuor mundi ordines dilatatur, ſicut olim Abrahæ repromiſſum eſt à Domino: *Dilataberis ad orientem & occidentem, ſeptentrionem & meridiem.* Et bene de aqua crux fit ſuper altare per quatuor cornua, ut demonſtretur omnem eccleſiam mundandam eſſe à ſordibus peccatorum per lavacrum aquæ & per crucis paſſionem.... Bene per quatuor cornua, ut demonſtretur nullum excipiendum ex ſalvatione. Sed ſicut dicit apoſtolus: *In Chriſto Jeſu non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina, ſed omnes in Chriſto unum ſumus.* Inde venit ante altare, & aſpergit illud ſeptem vicibus. Septenario numero plenitudo ſignificatur Spiritus-ſancti, teſtante Iſaia, qui de Domino ait: *Et requieſcet ſuper*

CAPUT XIII
De Bened. ac dedic. eccleſ.

eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Ut ergo demonſtretur quia Spiritus-ſanctus baptiſatis tribuitur, jure ſeptem vicibus altare ſanctificata aqua reſpergitur. Hyſſopus autem cum quo eadem aqua ſpargitur herba eſt humilis, quæ radicibus ſaxorum dicitur penetrare duritiam & interioribus peccatoris medetur incommodis : cujus etiam aſpergine immunditiæ delebantur in lege, ſignificans humilitatem Chriſti quæ duritiam noſtræ obſtinationis confringit paſſioneſque atque immunditias interiores curare novit. Aqua ergo cum hyſſopo aſpergitur ; cum baptiſmus Chriſti paſſione ſanctificatus eccleſiæ tribuitur. Circuit autem altare ſpargendo eamdem aquam ut ſignificet doctores non debere otio indulgere, ſed eorum ſemper quos Domino initiaverint curam gerere, & eorum mundationi operam dare, & ut Dominum mittat angelum ſuum in circuitu eorum & eripiat eos, continuatim orare. Circuit autem totam eccleſiam, & aſpergit parietes illius, ut demonſtret ſe omnem curam impendere utrique ſexui, omni ætati, omni dignitati. Deinde iterum veniens ante altare reſpergit illud ſecundo & omnem eccleſiam docens non ſolum mundatum debere eſſe quempiam à peccato operis ſed etiam cogitationis. Quod oſtendit Dominus in evangelio dicens : *Audiſtis quia dictum eſt antiquis : non occides ; ego autem dico vobis quia qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio.* Gemina ergo reſponſio atque, ut dictum, duplicem ſignificat mundationem, exteriorem ſcilicet & interiorem. Cum autem tertio camdem eccleſiam aqua luſtratur, à tertio genere peccatorum emundari debere decernitur, id eſt, locutionis. Quod qui facere neglexerit, audiet prophetam terribiliter comminantem : *Et erit tribulatio à porta piſcium, & ululatus à ſecunda, & contritio magna à collibus.* Canitur autem antiphona interim vel pſalmus : *Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus*, qui quamquam de Judæis conſcriptus credatur & intelligatur ab eis qui iſtud ordinaverunt officium, & diabolo, & miniſtris ejus convenire poſſe intellectus eſt. Cantatur autem antiphona : *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, aſſerentes nullum poſſe protegi à Deo, niſi eum qui in ejus adjutorio habitaverit, id eſt, ipſum adjutorem ſibi eſſe aſſidue deprecatus fuerit. In eo vero quod mittit pontifex miniſtros qui in circuitu baſilicæ pſallant & aſpergant, ipſe autem per mediam eccleſiam vadit ſpargendo in utraque parte faciens crucem, apertum dat indicium quia pontifex adjutores ſibi debet aſciſcere qui eccleſiæ excubias adjuvent cuſtodire. Unde & beatus Moyſes ſeptuaginta preſbyteros elegit qui populi neceſſitatibus concurrerent. Et Dominus ipſe poſt duodecim Apoſtolorum electionem ſeptuaginta duos miſit ad explendam prædicationem. Ipſe tamen nullo modo ſecuritati aut torpori aliquatenus debet indulgere, ſed per mediam eccleſiam conſpicuus incedere, omnes exemplo ſuo informare, omnibus ſacramenta crucis ac mentis Domini, tam voce quam opere ingerere dicendo cum apoſtolo : *Semper mortificationem Chriſti circum-*

Digitized by Google

ferentes in corporibus noſtris ut vita Jeſu manifeſtetur in nobis. Et cantare dicendo : *Domus mea domus orationis vocabitur* : Ut ſcilicet talem eccleſiam Dei præparet quæ non ſit ſpelunca latronum, ſed domus orationis, id eſt, non fures & latrones dæmones in corporibus peccatoribuſque ſibi ſubjectorum exerceant dominatum, ſed potius ſe tales præparent, ut ſive manducent, ſive bibant, ſive aliud quid faciant in gloriam Domini faciant, & benedicant Dominum in omni tempore, & ſemper laus Dei in ore eorum, qualiter verſum ſubſequentem libera poſſit voce cantare : *Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio eccleſiæ laudabo te*, imitans Dominum qui reſurgens à mortuis dixit mulieribus : *Ite, dicite fratribus meis, ut eant in Galilæam.* Hæc autem tunc bene agit pontifex, cum omen quod bona deliberatione inchoat per divinam invocationem & orationem ut conſummate poſſit impetrat. Unde his peractis, ad orationem ſe confert pontifex petens ut omnis qui in eamdem domum oraturi venerint, orationes ſuas exauditas gaudeant. Utrùmque namque Paulus agebat apoſtolus, qui ſicut dicit ſollicitudinem quotidianam agebat omnium eccleſiarum, cum infirmantibus infirmabatur, cum ſcandalizantibus urebatur, & nocte & die memoriam ſe in orationibus ſuis habere fatebatur.

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

Quid ſignificet aquæ effuſio in baſim altaris.

COmpleta expiatione, & cantibus, & orationibus, atque omnibus quæ ſuperius dicta ſunt, convèrtitur pontifex ad altare incipiens antiphonam : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* ; & cum pſalmo cantando vadit ante altare, & fundit quod remanſit de aqua purificationis ad baſim altaris. Quid ſignificet aqua iſta ex qua purificatur eccleſia, jam ſuperius dictum eſt, doctrinam ſcilicet eccleſiaſticam, quæ maxime continetur in ſacra eruditione verbi quæ ſignificatur per ſal, & in prædicatione mortis ſalvatoris & redemtionis noſtræ quæ ſignificatur per cineres, atque in commendatione geminæ ipſius naturæ quæ ſignificatur per aquæ vinique admixtionem. Per hanc ergo ſacerdos ſequens veſtigia ſui ſalvatoris eccleſiam purificat, cum populum ſe audientem quantum poſſibile eſt erudit, caſtigat, conſolatur & fovet, & contra omnes inimici inſidias armari docet. Quod autem ſupereſt aquæ purificatoriæ ad baſim fundit altaris, quia quod ipſe nequit, humiliter Domino committit, purgationem ſcilicet diſcipulorum, cui utique ipſe tamquam homo cooperari & collaborare poteſt. Perfecta autem mundatio illius eſt ſolius qui quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui. Hinc eſt quod in lege veteris teſtamenti ſanguis hoſtiarum, ſicut juſſum erat, vel in cornibus altaris ponebatur, vel ex aliquibus oſtiis digito ſacerdotis contra Dominum ſepties ſpargebatur, & quod reliquum erat ad baſim altaris fundebatur. Sacerdotum enim eſt quidquid poſſunt ad utilitatem gregis ſibi commiſſi laborare : quod

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

autem vires ſuas excedit Domino devotiſſime commendare. Quam formam ipſe primus paſtorum Dominus & Salvator noſter impreſſam eis reliquit, qui cum paſſioni jam appropinquaret, diſcipulos quos relinquere in terra videbatur, Patri dignatus eſt ad prærogandum exemplum paſtoribus, commendare dicens: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis, & jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte conſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. Cum eſſem cum eis ego ſervabam eos in nomine tuo, &c.* Quæ in eadem oratione miſericorditer veluti fons bonitatis pro diſcipulis orare dignatus eſt. Sic & Paulus cum jam relicturum ſe diſcipulos noſſet, & eis qui amplius eum jam viſuri non eſſent indicaſſet quaſi aquam quæ reſidua erat purificationis ad baſim altaris perfudit, cum Domino fidelibus vitam in articulo vitæ præſentis commendavit dicens: *Et nunc commendo vos Domino & verbo gratiæ ejus, qui potens eſt ædificare & dare hæreditatem in ſanctis omnibus;* quod etiam antiphona ipſa innuit. Dicit enim introiturum ſe ad altare Dei, id eſt, ad altare quod ſignificat illud viſibile. Illud ſcilicet ſpirituale eſt, ad quod viden-dum non penetrat oculus carnalis, quod Joannes in Apocalypſi vidit, de quo aſcendit fumus aromatum, quæ ſunt orationes ſanctorum in conſpectu Domini offerente angelo. Hoc enim ſignificat quod ſubſequitur, *ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Juventus enim iſta eſt, quia in procinctu quod contra diabolum ſuſceptum eſt fortem ſe reddit audiens à Joanne: *Scribo vobis juvenes quoniam fortes eſtis, & viciſtis malignum.*

Poſtea vero extergitur altare de linteo. Quid intelligitur per linteum niſi Dominicæ paſſionis exemplum? Linum namque de terra oritur, & magno labore ad candorem perducitur. Sic & caro Salvatoris noſtra de terra orta eſt, ut pote de Beata Maria Virgine, ſed variis tribulationibus exercita pervenit ad candorem gloriamque reſurrectionis. Extergitur ergo altare de linteo, cum tribulationes ſanctæ eccleſiæ inter preſſuras mundiales liniuntur Salvatoris exemplo. Unde & ipſe diſcipulis dicit: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Itemque: *Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Hoc linteo beatus Petrus diſcipulorum ſudores extergere curabat, cum laborantibus diſcipulis exemplum Domini prærogabat dicens: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Itemque: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Et Paulus: *Si compatimur & conregnabimus.* Iterumque: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Dum ergo doctor talia & hujuſmodi eccleſiæ ſibi commiſſæ ad roborandos diſcipulorum animos apponit, altare madidum labore humanitatis linteo abſtergit Dominicæ imitationis. Deinde offert incenſum. Per incenſum virtutes orationum ſignificari teſtis eſt Pſalmiſta qui ait: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et Apocalypſis Joannis de angelo dixit, quod data ſunt illi incenſa

multa, ut daret de orationibus ſanctorum ſuper altare quod eſt in conſpectu Domini. Jure ergo ille ſacerdos orationes vota perſolvit qui diſcipulorum vitam cum tanto amore quod ſuperius præmiſſum eſt cuſtodit. Ille namque & pro ſe & pro aliis bene & fiducialiter orat, quem ab utilitate proximi nullus amor privatus, nullum otium ſegne revocat. Poſt effuſionem ergo aquæ ad baſim altaris extergitur altare de linteo, & offertur incenſum: quia neceſſe eſt ut ſacerdos qui ſalutem populi ſibi commiſſi Domino commendat, & per afflictionem corporis, & per intentionem illud agat piæ interceſſionis. Unde Dominus poſtquam Patri diſcipulos commendavit, mox paſſionem ſubiturus pro eis orationem piæ interceſſionis effudit. Sed & beatus Paulus cum ſociis prædicatoribus idem legitur egiſſe. Scriptum eſt enim in Libro Actuum Apoſtolorum: *Et cum conſtituiſſent eis per ſingulas civitates preſbyteros & diaconos, & oraſſent cum jejunationibus commendaverunt eos Domino in quem crediderant.*

Quid ſignetur in varia unctione altaris.

INterea mittit pontifex oleum ſuper altare in medio altaris crucem ex eo faciens, & ſuper quatuor angulos altaris. Et quidem ſatis congrue ordo ſervatur, ut poſt emundationem per aquam & reliqua quæ dicta ſunt perfundatur altare oleo: quia & ſancta Eccleſia prius aqua mundatur in fonte baptiſmatis, & ſic unctione inſignitur per manus pontificis, ut Spiritus-ſancti in ſe mereatur adventum, nam oleum gratiam ſignificat Spiritus-ſancti, & dum oleum corporibus adhibetur exterius, adventus Spiritus-ſancti ſignificatur interius. Unde per Iſaiam promiſſum eſt: *Et computreſcet jugum à facie olei.* Jugum enim dæmonicæ dominationis putruit in genere humano per adventum Spiritus ſancti. Sed quærendum cur in medio altaris crux fiat ex oleo, & ſic per quatuor angulos ejus. Ad quod reſpondendum, quia eccleſiæ fundamenta atque initia in Jeruſalem primo ſurrexerunt, quam in medio mundi ſcimus poſitam, teſte Ezechiele, qui dicit: *Iſta eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras.* Et item pſalmiſta: *Deus autem rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* In medium ergo altaris oleum funditur in modum crucis, & ſic per quatuor angulos ejus: quia primum in Jeruſalem poſitæ ſupervenit eccleſiæ donum Spiritus-Sancti, & ſic in cæteras mundi partes derivata eſt. Scriptum eſt enim: *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jeruſalem.* Hinc Salvator diſcipulis cum præcepiſſet: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti:* præcepit eis tamen ut adventum Sancti Spiritus in Jeruſalem expectarent, & ſic ad docendum properarent, dicens: *Vos autem ſedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Recordatus autem pontifex veteris hiſtoriæ ſimul & miniſterii cum canit: *Erexit Jacob lapidem in ti-*

Caput XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ.

tulum, fundens oleum deſuper. Jacob namque cum exularet, lapidem ſibi ſub capite poſuit in Bethel, & dormivit. Domus Dei eſt eccleſia ipſius ſicut Paulus ait ad Timotheum: *Si autem tardavero*, inquit, *ſcias qualiter te oporteat converſari in domo Dei, quæ eſt eccleſia ipſius.* Lapis autem ille quem Jacob ſub capite habuit typum ſalvatoris expreſſit. Ille ergo fundamenta domus Dei contemplari meretur, qui lapidem ad caput habet; quia ille veraciter quæ ſunt divina conſpicit, qui caput, id eſt, mentem in Chriſto fixam habet. Unxit autem eumdem lapidem, quia prævidit futurum illum lapidem & ungendum qui reprobatus à Judæis ædificantibus, & unctus à Deo Patre oleo exultationis præ participibus ſuis. Unde & Petrus: *Sicut unxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute*; aqua unctione Chriſtus, id eſt, unctus dicitur. Unguit pontifex manu ſua ipſum lapidem, quia in poteſtate veri ſacerdotis noſtri fuit quando Spiritum Paraclitum ſuper eccleſiam miſit. Unde dicit ad eumdem lapidem quem primum manu unxit: *Si non abiero paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero mittam eum ad vos.* Dum ergo quando voluit Spiritum-ſanctum eccleſiæ primitivæ attribuit, utique manu ſua lapidem unxit, quia quando voluit oleum Spiritus-ſancti attribuit. Manus enim poteſtas ejus intelligitur, ſicut ſcriptum eſt: *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi*; vel cuilibet alii prophetæ. Hinc Petrus: *Dextera igitur Dei exaltata, & promiſſione Spiritus ſancti accepta effudit in nos qui credimus.* Quod vero in circuitu ipſius altaris alius ſacerdos incenſum ponit, congruit illi tempori, quando Spiritus-ſanctus miſſus eſt ſuper apoſtolos, de quibus ſcriptum eſt; *quod ante adventum Spiritus-ſancti erant ſemper in templo laudantes Deum & benedicentes Dominum.* Cum ergo pontifex altare unguit, alius ſacerdos incenſum ponit, quia cum Dominus & Salvator Spiritum ſanctum ſuper Eccleſiam miſſurus eſt, & ipſe apoſtolorum chorus qui ſacerdos noſter eſt virtutem orationis ad Dominum mittebat. Simulque oſtenditur neminem dignum eſſe adventu Sancti Spiritus, niſi quem virtus ſacræ commendat orationis. Quæri autem poteſt cur altare unguitur, & bis ex ſimplici, tertio autem chriſmate. Sed reſpondemus quia cum Sancti Spiritus dona ſint multiplicia, tres tamen virtutes ipſius ſancta eccleſia perneceſſarias habet, ſine quibus ſalvari nequit: fidem ſcilicet, ſpem & charitatem. Quia ergo tribus his virtutibus genus humanum ditat, tribus unctionibus ſacrum altare decorat. Quod cum prius viliori, tertio autem chriſmate, id eſt, pretioſiori impinguat unguento, ſignificat quia cum fides & ſpes valde ſint neceſſariæ: pretioſior tamen his caritas habetur. Unde Paulus in epiſtola ſua dicit: *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas tria hæc, major autem horum eſt caritas.* Major eſt enim caritas fide & ſpe, quia iſtis deficientibus caritas manet: ſive quia caritatis initium qua Deum diligimus hic inchoatur, cum per ſpeculum videmus & in enigmate: conſummabitur cum viderimus facie ad faciem. Canit autem ſacerdos fuſo chriſmate ſuper altare antiphonam: *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni quem benedixit Dominus.* Reminiſcens

olim prophetiam Jacob pronunciatam nunc compleri in eccleſiæ ædificatione : cujus Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſecundum carnem exiſtit, quem ille jam tunc multa poſt tempora naſciturum prævidit. Cujus ager eſt tota latitudo mundi per quem diffuſa eſt eccleſia. Hic ergo diverſos flores odoris protulit optimi, cum roſas in martyribus, lilia in virginibus, violas in ſæculi contemptoribus, virides herbas in incipientibus, floridas in proficientibus, plenas fructibus in conſummatis atque perfectis animalibus proferre non deſiſtit. Odor ergo filii odor eſt agri pleni, cum campus ſanctæ eccleſiæ diverſis reſplendet virtutibus, & ſuavem Chriſto confert odorem. Unde herba illa aromatica de ſe & ſuis ſimilibus aiebat : *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*. Deinde in circuitu eccleſiæ per parietes crucem cum pollice de ipſo chriſmate pontifex facit, incipiens a dextro latere uſque in dextrum. Altare quidem totum perlinitur ſacra unctione : parietes autem ſignantur pontificis pollice; quia per altare ſignantur illi qui potiori Spiritusſancti debriantur munere, quorum ſcilicet mens in Domini amore fervet ſemper. Atque ideo in quo magis delectantur, eo majori illius munere impinguantur. Per parietes autem minoris quoque ordinis, quibus ſufficit quod lapides ſint eccleſiæ, & in compagis eccleſiæ manent unione, atque ideo per fidem paſſionis ac reſurrectionis, & per caritatem fraternitatis dona merentur Sancti Spiritus. A dextro autem uſque in dextrum crux pingitur; cum recta intentione intrat quis eccleſiam, & in ejus ſocietate perſiſtens, paſſioneſque ſui Salvatoris reminiſcens, terminat hanc vitam. Canit interea antiſtes antiphonam : *Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum*. Tabernaculum Dei eccleſia eſt, & tabernaculo in expeditione utimur vel in itinere. Ideoque hac gemina ratione tabernaculum Dei eccleſia eſt, quia & in præſenti vita quaſi in itinere eſt pergens ad patriam; vel quia ſuſcepit bellum contra aerias poteſtates. Quam Dominus ſanctificavit ſic Apoſtolus dicit : *Faciens eam non habere maculam aut rugam*. Canit etiam : *Lapides pretioſi omnes muri tui*. Muri Jeruſalem munitiones ſunt ſcripturarum, quibus arcentur Judæi hæretici atque pagani. Qui de lapidibus pretioſis ædificantur, quia valde pretioſi Deo fuerunt qui ſcripturas ſacras ipſo auctore condiderunt, & nobis legendas reliquerunt : lapides autem dicti propter invincibilem firmitatem. Quorum uni dictum eſt : *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Quod vero iterum crucem incenſi ſuper altare facit pontifex; indicat quia antequam gratiam mereamur, etiam inſtantia orationum à Deo poſcere debemus. Sed neque poſt acceptam bonitatem remiſſi & negligentes eſſe debemus : quin potius grates illis innumeras pro beneficiis collatis exſolvere convenit : ne ingrati munere ſuſcepto, reddamus accipiendo, ſimulque privemur accepto, ſicut ille negligens & indevotus ſervus qui accepto Domini talento, non modo indevotus apparuit : ſed etiam ad calumniam Domino inferendam procax & malivolus extitit. Quod vitans pontifex poſtquam altare Domini ſpirituali chriſmate linit ad orationem gra-

CAPUT XIII. De Bened. ac dedic. eccleſ. tiarumque actionem ſeſe devotus ſummittit, ſciens ſcriptum: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Neque enim fluere valent, imo ſiccantur omnia flumina, niſi ad matricem redeant abyſſum: quia niſi perceptores divinorum munerum ſeſe humiliter ejus potentiæ ſubdere ſtuduerint, à quo ut fluant acceperunt: eorum velle & poſſe ariditate perpetua marceſcet. Nam quibuſdam talibus Apoſtolus exprobrans ait: *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Sed & pontifex pontificum Dominus Salvator noſter, qui ſedet in dextera paternæ majeſtatis, crucem incenſi ſuper altare tunc ponit, cum pro nobis ſicut Apoſtolis dicit, Patrem intervenit. Crucem enim incenſi facere, eſt paſſionem ſuam Patri oſtendere, ac pro nobis interpellare. Dicit enim Paulus apoſtolus: *Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, qui & reſurrexit, qui & aſcendit in cælos, & ad dexteram Patris ſedet, qui etiam interpellat pro nobis.* Poſt orationem incipit pontifex antiphonam: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem:* cum *Gloria Patri.* Poſtquam enim pene peractum eſt miniſterium ſalvationis humanæ, precatur vel ipſe Dominus Patrem exorans ut confirmet quod operatus eſt, ut ei omnis terra ſubjiciatur propter cujus redemtionem ipſe mori non dubitavit: ſicut ei ante incarnationem promiſerat: *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* & reliqua: vel omnis pontifex vice illius fungens obſecrat, ut quod illius dono exercetur, ejus munera uſque in finem perducantur, ut ſecundum Apoſtolum neque tribulatio neque anguſtia, neque nuditas, neque periculum, neque ulla creatura poſſit nos ſeparare à caritate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Quid ſit autem illud quod Deus operatus eſt in nobis, unde ſcilicet illud donum emerſerit adjecit: A templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem. A templo enim illius quod eſt in Jeruſalem proceſſit quod operatus eſt in nobis: quia ab eccleſia illius proceſſerunt qui in nobis operati ſunt prædicationes, & ſigna exercuere virtutis. Quæ omnia ad gloriam refert eccleſia Patris & Filii & Spiritus-ſancti, quam cognoſcit unum & verum Deum in Trinitate & unitate conſiſtentem. Poſthæc autem ſubdiaconi vel acolythi linteamina, vaſa, & omnia linteamina eccleſiæ pontifici benedicenda offerunt. Quid per hos miniſtros niſi hi intelliguntur qui eccleſiæ ſervitio vel ornatui delegantur, quos neceſſe eſt ad decorem eccleſiæ multa conferre, & varia propriæ poſſibilitati congruentia? ſicut enim in populo Iſraelitico cum tabernaculum juſſu Dei conſtrueretur, varia oblata ſunt donaria: ſic & in ſanctæ eccleſiæ decore diverſa conferuntur dona per miniſtros ejus Domino offerenda. Alii namque linteamina offerunt, corpora ſcilicet diverſis virtutum exercitiis ad candorem caſtitatis perducta: Alii rubra indumenta, id eſt, corda ad martyrium præparata. Alii hyacintina qui dicere norunt: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.* Alii coccinea ardore caritatis flagrantia: alii ſcutulata fœdere pacis inſeparabiliter unita. Alii autem vaſa aurea & argentea ſenſus & eloquii venuſtate fulgentia. Quæ omnia conſiderans pſalmiſta: ab eccleſia vero

Digitized by Google

vero regi debito cum honore referri, acclamat ei dicens: *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Hinc eſt quod idem ipſe propheta tanta ordinatione videns honorem Deo exhiberi debere, hortatur angelos ſive apoſtolos dicens: *Congregate illi ſanctos ejus qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia:* Sed & ipſe Dominus gratiſſime benedictionem talibus impertiri dignatur dicente eodem pſalmiſta: *Benedixit Dominus timentes ſe puſillos cum majoribus.*

Quid innuat tranſlatio reliquiarum & conditio earum in altari.

HIs rite peractis, vadit pontifex ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, & elevat eas. Quid in his innuitur niſi quod verus pontifex noſter poſtquam præparavit nobis, ſicut Apoſtolis ait, civitatem, revertitur ut ſanctos quoque qui in nocte præſenti morantur ſemetipſos cum magna circumſpectione cuſtodiunt vigilantes ſicut Dominus dicit; *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem:* Aſſumat eos de locis ſuis, ut perducat eos in domum patris ſui? Poſtquam enim præparavit pontifex aram in qua reliquiæ conderentur, aſſumit eas & portat ad locum præparatum, quia ipſe pontifex pontificum cujus vicem iſte tenet promiſit apoſtolis ſuis, & per eos cunctis fidelibus: *Vado parare vobis locum, & ſi abiero & præparavero vobis locum iterum veniam & aſſumam vos ad me ipſum, ut ubi ego ſum & vos ſitis.* Sancta autem ſanctorum ſunt quo nulla iniquitas vel fœditas accedere poteſt, quæ non ſunt in terra ſed in cælis, quo orat pontifex ſe pervenire debere cum ſanctorum in ſanctificatione animarum elevat reliquias. Elevantur autem cum magno honore & cantibus divinis, quia miniſtri illi qui animarum ductores & rectores ſunt, valde congaudent eorum dignitati, quod vident in ſupernis ſibi conjungi. Cantant autem: *Ambulati ſancti Dei, ingredimini, in civitatem Domini*, id eſt in cæleſtem Jeruſalem. Unde dicit apoſtolus: *Quæ autem ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt quæ eſt mater noſtra.* Quod autem ſubſequuntur, *ædificata eſt vobis eccleſia nova*, ipſa eſt eademque eccleſia quæ & civitas quam Apoſtolus eccleſiam primitivam nominat. Cantantur etiam diverſæ antiphonæ eidem ſenſui congruentes, tripudium ſcilicet & exultationem imitantes angelicarum virtutum quæ exeuntes de corpore comitantur uſquequo pro meritis ſibi indebitis manſionibus recipiantur. Ingrediens autem pontifex eccleſiam dicit orationem, poſtulans ut domum ſuam Dominus clementer ingrediatur, & in ſuorum cordibus fidelium perpetuam conſtituat manſionem. Domus enim illius fuerunt & ſunt ſancti, dum in corpore manent ſicut ipſe promittit: *Inambulabo in eis & inhabitabo.* Itemque in evangelio: *Et veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Itemque in Apocalypſi: *Ecce ſto ad oſtium.* Et pulſo: *Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum & cœnabo cum ipſo, & ipſe mecum.* Sed

tunc permaxime in eis manſionem conſtituit, cum aliquod malum opus, ſed nec levis inquinationis cogitatio eum à corde jam expellat fidelium. Nunc enim non perpetim in nobis manet, ut pote quorum cogitatio in diverſa vacillat: & nunc hac nunc illac fluitans, non poteſt perpetim eum qui omnem fugit pollutionem habere manſorem. Venit autem pontifex ad altare ubi recondendæ ſunt reliquiæ, & extendit velum inter ſe & populum, & recondit ipſe eas in loco altaris: quia pontifex noſter, ſicut Paulus ait, aſſiſtit pontifex futurorum bonorum, & aſſiſtit vultui Dei pro nobis, ut de ergaſtulo præſentis ſeculi liberatos collocet in habitaculis aræ cæleſtis, ſub qua vidit eos beatus Joannes in Apocalypſi ſua clamantes & vindictam expectantes de his qui eos tribulaverant, ſive certe converſationem eorum in meliora petentes. Extendit autem velum inter ſe & populum, qui nunc & ipſe & loca ſanctarum animarum ſecreta ſunt à viſione mortalium. Beatus autem Paulus apoſtolus in epiſtola ad Hebræos pontificem veteris teſtamenti ſancta ſanctorum ingredientem typum dicit tenuiſſe veri & æterni pontificis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Velum autem cælum interpretatur, ultra quod Filius Dei ingrediens quotidie pro nobis interpellat, & ad ſe venientes in ſancta ara, id eſt in requie æterna collocat, in qua veraciter cantatur: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis;* Gloria enim illa, qua eos glorificans filius dicet: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Ibi lætantur in cubilibus ſuis, id eſt, in cordibus, ſive in manſionibus diverſis: cum, ſicut dicit beatus Joannes in Apocalypſi ſua: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & amplius non erit neque mors, neque luctus quia prima abierunt.* Cui rei concinit oratio pontificis dicens: *Domine Deus qui ex omni coaptione ſanctorum æternum tibi condis habitaculum.* In eccleſiis namque æternum ſibi condit habitaculum ex omni coaptione ſanctorum, quia illuc omnes ſanctos ſuſcipiens, æterna manſione in eis habitat. Iſtud enim habitaculum quod videmus terrenum eſt atque tranſitorium; ſed nec coaptione ſanctorum ædificatur, ſed lapidum atque lignorum: illud vero habitaculum æternum eſt, quia nulli obnoxium mutationi, & de ſanctis fit qui ſunt veri lapides participatione illius lapidis angularis in quo templum æternum compactum & conſtructum creſcit in augmentum Dei modo in Spiritu ſancto. Tunc autem perfectum erit cum omnis numerus ſanctorum collectus fuerit, & capiti ſuo æternaliter adhæſerit. Poſt hæc veſtitur altare. Si altare eccleſiam intelligimus, vel peregrinationem in terris, vel aſſumta in cælis veſtimenta ejus corpora ſanctorum non incongrue intelligimus. Nudum eſt enim altare dum animæ corporibus exutæ & in cælis collocatæ diem reſurrectionis expectant. Veſtietur autem quando, ſicut Dominus dicit, mittet Filius hominis angelos ſuos cum tuba & voce magna & colligent electos ejus à quatuor angulis terræ. Veſtitur altare, quando, ſicut apoſtolus dicit, opportet corruptibile hoc induere corruptionem & mortale hoc induere immortalitatem. Benedicit pontifex ipſum al-

tare cum unumquemque fidelium Dominus & Salvator digna congratulatione fovet eo quod in his quæ quiſque dono illius accepit digna ſeſe converſatione tractave rit dicens ei : *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis intra in gaudium Domini tui.* Hæc ſunr enim dona quæ per pontificem unum ſanctificantur & ſumenda ipſis ſuis fidelibus traduntur dicente ſcriptura : quod comedat unuſquiſque fiuctus laborum ſuorum, & operibus ſuis ſaturetur. Quod vero pontifex revertitur in ſacrarium cum ordinibus ſuis, & induir ſe veſtimentis aliis poſt veſtitum altare ; intimatur nobis quia pontifex noſter ad judicium veniens non ſolemnibus, induirur veſtibus quia nequaquam æternitatis ſuæ gloriam demonſtrabit. De quibus ſcriprum eſt : *Regem in decore videbunt oculi ejus.* Nam de reproborum à ſorte juſtorum ne videant quod ſolis ſetvatur electis ſcriptum eſt : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Hinc eſt quod de ſervis vigilantibus & adventum ejus expectanribus Dominus ait : *Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Præcinget enim ſe quando ad mercedem electis reddendam ſe præparat. Facit aurem illos diſcumbere, cum eos in æterna beatitudine quaſi in quadam ara facit requieſcere. Tranſiens autem miniſtrat quia de judicio ad regnum properar. Ornatur autem eccleſia & accenduntur luminaria multa cum virtutum ornamenta quæ poſitus geſſit unuſquiſque in reſurrectione demonſtrabit. Unde & Apoſtolus : *Nolite*, inquit, *ante tempus judicare quoaduſque veniat Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium ; & tunc laus erit unicuique à Deo.* Reſplender eccleſia mulris luminaribus ; cum, ſicut ait Apoſtolus ; ſtella à ſtella differt in claritatem, ſic & reſurrectio mortuorum. Et Dominus in evangelio : *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Itemque Daniel : *Qui docti fuerint in populo fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti : & qui ad juſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Incipit aurem cantor dicere : *Terribilis eſt locus iſte.* Quid enim terribilius die judicii de quo Dominus dicit ad Job cum de damnatione diaboli ageret : Cum ſublatus fuerit, timebunt angeli & territi purgabuntur ? At vero poſt ſeparationem multorum nequaquam terrorem ſuſtinebunt electi pœnalem, ſed ſolummodo creatoris ſui admirabuntur porenriam in damnatione malorum, & clementiam in liberatione bonorum. Neque enim vel nunc in ſanctis angelis terror eſt excrucians : attamen Ezechiel conſpiciens agmina cæleſtia dicit de eis : *Cum fieret vox ſuper firmamentum ſtabant animalia, & demittebantur pennæ eorum.* Qui enim ſenſus cogitare poteſt ſubſtantiam Dei ſine magno horrore mentis cum dicat Apoſtolus : *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum?* Quem ergo nullus ſenſus prævalet cogitare, reſtat ut qui de eo cogitat non ſit prorſus liber ab omni terrore. Procedit deinde pontifex ſolemnirer & fit officium cum omni lætitia : quia judicio peracto, videbirur facie ad faciem, non per ſpeculum & in enigmate ſicut nunc. Erir enim Deus omnia in omnibus, & ſicut per prophetam dicitur : *Lætitia ſempiterna erit eis.*

FINIS.

Caput XIII. *De Bened. ac dedic. eccleſ.*

SERMO IN DEDICATIONE TEMPLI auctore, uti videtur, S. Cæſario.

I. Natalem templi hujus diem, fratres dilectiſſimi, Chriſto propitio cum exultatione & gaudio hodie celebramus; & matrem ſolemnitatem matris eccleſiæ chriſtiani populi colunt, per quam ſe ſpiritualiter renatos cognoſcunt. Nam qui per primam nativitatem vaſa iræ fuimus, per ſecundam vaſa miſericordiæ fieri meruimus. Prima enim nativitas nos perduxit ad mortem; ſecunda revocavit ad vitam. Omnes enim nos, fratres cariſſimi, ante baptiſmum fana diaboli fuimus; poſt baptiſmum templa Chriſti eſſe meruimus: & ſi de ſalute animæ noſtræ adtentius cognovimus; templum Dei verum nos eſſe cognovimus. Non ſolum in manufactis habitat Deus, nec in domo de lignis & lapidibus facta; ſed præcipue in anima ad imaginem Dei manu ipſius artificis condita. Sic enim beatus Paulus apoſtolus dixit: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Templa enim iſta ideo de lignis & lapidibus fabricantur; ut ibi templa Dei viventia congregentur: ac ſi ad templum Dei conveniant: Unus Chriſtianus unum templum Dei eſt, & multi chriſtiani multa templa ſunt Dei. Etiam, fratres, videte quam pulcrum eſt templum quod ædificatur de templis; & quomodo multa membra faciunt unum corpus, ſic multa membra faciunt unum templum. Sed iſta templa Chriſti, hoc eſt ſanctæ animæ chriſtianæ diſperſæ ſunt per univerſum mundum, cum venerit dies judicii congregabuntur omnia, & in vita æterna facient templum unum. Quomodo multa membra Chriſti faciunt corpus unum, & habent unum caput Chriſtum. Sic & illa templa habebunt ipſum habitatorem Chriſtum: quia membra ipſius ſumus, qui caput noſtrum eſt. Sic enim dicit Apoſtolus, in interiore homine per fidem habitare in cordibus veſtris Chriſtum.

II. Gaudeamus quia templum Dei eſſe meruimus; ſed timeamus ne templum Dei malis operibus violemus. Timeamus quod dicit Apoſtolus: *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Deus enim qui cælum & terram verbo potentiæ ſuæ ſine ullo labore potuit fabricare, in te dignatur habitare, & ideo ſic debet agere, ut talem habitatorem non poſſis offendere. Nihil ergo in te, hoc eſt in templo ſuo Deus inveniat ſordidum, nihil tenebroſum nihil ſuperbum: quia ſi ibi aliquam injuriam pertulerit, cito diſcedit: & ſi Redemptor diſceſſerit, ſtatim deceptor accedit. Et qualis erit anima illa infelix, quæ à ſummo Deo deſeritur, & diabolo occupatur. Vacuatur lumine & tenebris adimpletur, exhauritur dulcedine, inebriatur amaritudine, perdit vitam, invenit mortem, adquirit ſupplicium, & perdit paradiſum. Et ideo, fratres, quia Deus voluit de nobis templum facere, & in nobis dignatur

jugiter habitare, quantum poſſumus cum ipſius adjutorio ſtudeamus ſuperflua * congregare, repudiare luxuriam, caſtitatem tenere, contemnere avaritiam, miſericordiam quærere, odium deſpicere, caritatem diligere. Hæc ſi, auxiliante Deo, facimus, fratres, in templum cordis & corporis noſtri Deum jugiter invitamus: unde nos, cariſſimi, ſi natalem templi cum gaudio celebrare volumus, templa Dei viventia malis operibus in nobis deſtruere non debemus. Et hoc dicam, quod omnes intelligere poſſunt: quotiens ad eccleſiam venimus, qualem illum invenire volumus, tales & animas noſtras præparare debemus. Vis baſilicam nitidam invenire? Noli tuam animam peccatorum ſordibus inquinare. Si tu vis ut baſilica luminoſa ſit, & Deus hoc vult, ut baſilica luminoſa ſit, & Deus hoc vult, ut anima tua tenebroſa non ſit: ſed fiat quod Dominus dicit, ut luceat lux in nobis bonorum operum, & ille qui in cælis eſt glorificatur; quo modo tu intras in eccleſiam iſtam, ſic Deus vult in animam tuam intrare, ſicut ipſe promiſit, & habitabo in illis.

III. Ergo quotiens natalem templi cupitis celebrare; ſobrii, pacifici debetis ad eccleſiam convenire, & ante plures dies caſtitatem, etiam cum propriis uxoribus cuſtodite, & ſecundum vires veſtras pauperibus eleemoſynam exhibite; & tunc ſpiritualiter ad natalem baſilicæ & ad ſanctorum ſolemnitatem veniamus; & quicquid juſte voluerimus à Deo petere, totum merebimur obtinere. Hoc ante omnia oportet, ut quomodo ad eccleſiam nitidis veſtibus venitis; ita etiam mundis cordibus veniatis. Nihil enim prodeſt, ut nitidus appareas in oculis hominum; ſi ſordidus fueris in oculis angelorum. Certe, fratres, quando in eccleſiam intrare & communicare volumus, prius manus noſtras abluimus; ſed opus eſt ut quomodo per aquam lavamus manus noſtras, ſic per caritatem & eleemoſynam abluamus animas noſtras. Nam nihil prodeſt nitor in corpore, ſi puritas non ſervatur in corde. Si malum eſt & turpe cum ſordidis manibus ad altare accedens; quantum pejus eſt in animam ſordidam Corpus & Sanguinem Chriſti ſuſcipere. Si in arcam plenam luto veſtimenta tua non vis mittere; quare in animam plenam peccatis auſus es Chriſti ſacramenta præſumere. Certe & omnes mulieres quando ad altare veniunt; linteola nitida exhibent; in quibus Chriſti ſacramenta percipiant; & bene & juſte faciunt: Sed attendant & conſiderent, ut quomodo nitida linteola exhibent; ſic etiam nitidas animas ſuas exhibeant: ne forte ſi aliter factum fuerit, Chriſti ſacramenta in eis patiantur injuriam: & ideo ut Corpus Domini noſtri & Sanguinem non ad judicium; ſed ad remedium mereamur accipere. Et quantum poſſumus, cum ipſius adjutorio laboremus, ne in nobis per mala opera noſtra patiantur injuriam. Omnis enim qui male agit, Chriſto injuriam facit. Sicut enim tu non vis pati injuriam in domo tua; ita & Dominus non vult pati in domo ſua, ideſt in anima tua. Si ergo tibi non parcis propter teipſum; parce tibi vel propter Deum, qui te dignatus eſt facere templum ſuum. Omnes enim

Caput XIII
De Bened. ac dedic. eccleſ.

ebrioſi, adulteri, invidi, vel ſuperbi, Chriſto injuriam faciunt. Omnes fures & falſi teſtes; omnes ad arbores vel ad fontes vota reddentes: omnes qui caragios & divinos vel præcantores, aut propter ſe aut propter ſuos inquirunt: omnes qui tales ſunt, Chriſtum de corde ſuo projiciunt, & diabolum introducunt. Et qualis eſt infelix illa anima, quæ contemnit vitam & eligit mortem; lucem deſpicit & tenebras quærit. Omnes enim Chriſtiani, ſicut dixi, qui tales ſunt, quamvis ad eccleſiam veniant, & ad altare communicent, quamvis ſe ſignare frequentius videntur, ſi per pœnitentiam non emendaverint; non Chriſto, ſed diabolo ſervire probantur. Illi vero Chriſtiani, qui caſti ſunt, humiles, ſobrii, benigni; qui ad eccleſiam frequentius veniunt, qui eleemoſynas faciunt, qui pacem & caritatem cuſtodiunt, qui nec falſum teſtimonium dicunt: in iſtis talibus templum Dei integrum cuſtoditur, & Chriſtus in illis habitare cognoſcitur.

IV. Et ideo, fratres, & crimina capitalia cum Dei adjutorio fugiamus, & minuta peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, quotidianis eleemoſynis inſiſtentes, aſſiduis etiam orationibus redimamus: ne ſicut dixi, Chriſto injuriam facimus, qui in nobis habitare deſiderat. Duo ſunt enim qui in nobis habitare deſiderant Chriſtus Dominus noſter & diabolus adverſarius noſter: ambo enim pulſant ad oſtium cordis noſtri: noli Chriſtum repellere, ſi vis adverſarium non timere: tene regem legitimum & crudelem tyrannum non timebis: tene lucem, & tenebræ ad te accedere non audebunt: ama vitam, ut poſſis evadere mortem. Et ideo caſtitatis aromatibus repleamus animam noſtram, eleemoſynis dealbemus, & diverſis etiam virtutum floribus adornemus, ut Chriſtum Dominum noſtrum fide invitemus, ſpe paſcamur caritate potemus. Et quotienſcumque feſtivitates fuerint, non ſolum caſto corpore, ſed etiam mundo corde ad eccleſiam veniamus. Ante omnia nullum hominum odium in corde ſervemus: qui enim vel unum hominem odio habet, audiat ſcripturam dicentem, qui fratrem ſuum odit, homicida eſt: & ſi homicida eſt qui fratrem ſuum odit, qua fronte ad altare Domini communicare præſumit? Et ideo qui facit injuriam, cito veniam petat: qui factam pertulit, cito indulgeat, ut ſecurus in oratione Dominica poſſit dicere Deo: *Dimitte nobis debita noſtra.*

V. Baptiſmi ſacramentum, fratres, nulli hominum negari poteſt, præcipue ſi hoc corporis infirmitas exigere videatur. Bonum tamen & legitimum eſt, ut qui ſani ſunt in paſchalem ſolemnitatem ſerventur & ſecundum eccleſiaſticam regulam in diebus quadrageſimæ jejunent, & vigilent, & ad oleum vel ad manus poſitionem accedant. Qui vero in aliqua feſtivitate filium ſuum baptizare deſiderat; juſſum eſt ut vel ante ſeptem dies cum ipſo ad eccleſiam veniat; & ibi jejunet ac vigilet; & filium ſuum ſicut ſupradictum eſt ad oleum vel ad manus impoſitionem faciat accedere, & ſic legitimo ordine baptimi ſacramenta ſuſcipiat. Qui hæc ita fecerint, & filios ſuos faciunt accipere baptiſmi ſacramentum, & ſibi dum vigilant & jejunant adquirunt indulgentiam

peccatorum. Qui vero hæc ita, ut diximus, agere noluerit, & ſub hora filium ſuum ad baptiſmi ſacramenta non ingeſſerit; ſciat ſe non leve peccatum incurrere: quia diſſimulavit eum prius ad oleum vel ad manus impoſitionem offerre. Ipſos tamen infantes, fratres cariſſimi, quos in baptiſmo ſuſcipitis: ſcitote vos apud Deum fidejuſſores eſſe illorum, & ideo ſemper eos admonere & caſtigare contendite, ut caſte & juſte & ſobrie vivant. Ante omnia eis ſymbolum & orationem Dominicam oſtendite, nec eos verbis ſolum ſed etiam exemplis ad bona opera provocate. Qui enim caſte & juſte & ſobrie vivunt, dum aliis exemplum bonæ vitæ præbent, & pro ſe & pro illis mercedem accipient, ſicut econtrario qui male agent, & caſtitatem nec juſtitiam ſervant; & quotienſcumque cauſas audierint, munera ſuper innocentes accipient, quantiſcumque exemplum male vivendi præbuerint; pro tantis æterna ſupplicia ſuſtinebunt. Sed credamus de Dei miſericordia, quod ita nobis inſpiravit agere, ut non pro malis operibus pœnam poſſimus incurrere; ſed magis pro bonis ad æterna præmia pervenire.

VI. Videamus, fratres cariſſimi, tripliciter eccleſiam inter chriſtianos poſſe conſtrui. Conſtruitur autem hiſtorice, tropologice anagogice. Nam nobis eccleſiam hiſtorice eccleſiam fabricamus, quod nomen interpretatur congregatio, quando de multis lignis levigatis vel ſectis lapidibus oratorium in quo Deum adoremus conſtruimur: quam domum manufactam propter fidelium congregationem eccleſiam nominamus. Hac atqui figura locutionis in ſancta ſcriptura ſæpius utuntur oratores, ut metonomice hoc quod continetur, aut quod continetur per hoc quod continet deſignent. Tropologice autem conſtruitur eccleſia, quando unitate fidei nos omnes vel multi ad unius laudem & gloriam nomini Dei dicentes: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, divino inſtincti amore conſonantes & glorificantes congregamur. Eſt vero eccleſia anagogice, quam neceſſe eſt ut fidelis quiſque in corde ſuo ex prædictis in hac lectione virtutibus quaſi multis lapidibus conſtruat. Quas etiam virtutes ut lapides lineo caritate Dei & proximi, ne antiqui hoſtis machina vel ariete diſpergantur conglutinet, ut in æternum in Domino fabrica perſeveret. Ipſo præſtante, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT XIV.

Quæ fuerit veterum diſciplina circa idolorum templa ſynagogas Judæorum & hæreticorum eccleſias.

Caput XIV. De Bened. ſynag. & templ.

I. QUÆ ſuperiori capite diximus, ea potiſſimum illas ſpectant eccleſias, quæ à chriſtianis populis à fundamentis erectæ ſunt, nunc quæ fuerit antiqua eccleſiæ diſciplina circa idolorum fana, ſynagogas Judæorum aut hæreticorum eccleſias brevi inveſtigandum eſt.

Templa idolorum primum diruta.

II. Ea fuit prima chriſtianorum religio, ut in odium dæmonum, templa & ſtatuas eorum nomini dicatas funditus evertendas diſſipandaſque cenſerent, ut ne vel minima, ſi fieri poſſet, eorum memoria ſupereſſet, nulla veſtigia aut monumenta, quæ infirmorum mentes à veri ſummique Dei cultu avertere poſſent. Suum hac in re zelum non minimum palam omnibus fecit Conſtantinus magnus cum erectas ſuper Domini ſepulcrum impudicæ Veneris ſtatuas & ædes dirui ac diſſipari imperavit, atque divino quodam æſtu incitatus, ut loquitur Euſebius lib. 3. de Vit. Conſt. cap. 26. & 27. loco altiſſime effoſſo, ſolum ipſum, utpote dæmonum piaculis contaminatum, ſimul cum egeſta humo quam longiſſime exportari juſſit. Eamdem fuiſſe ſortem idolorum & altarium ad Ilicem Mambre erectorum juſſu imperatoris auctor eſt Euſebius ejuſdem libri cap. 53. qui & cap. 54. tradit fana & ſimulacra ubique tunc diruta fuiſſe: [Gentilium, inquit, ſuperſtitioſum errorem omnibus modis ſtudebat convincere. Itaque quorumdam in urbibus fanorum veſtibula nudabantur, valvis juſſu imperatoris orbata: aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis. Nonnullorum veneranda ex ære ſimulacra, quæ error majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora urbis ab imperatore cognominatæ omnium oculis ſubjecta ſunt: adeo ut ad ludibrium & contumeliam ſpectantium paterent expoſiti, hic Pithius Apollo, illic Sminthius, & in ipſo quidem circo tripodes Delphici, Muſæ autem Heliconides in palatio,] &c. Inter alia vero cap. 55. Narrat everſionem fani apud Aphaca in Phœnice & cap. 56. deſtructionem templi Æſculapii Ægis adeo ut priſtinæ inſaniæ ne veſtigium quidem ibidem remanſerit. Similia habes cap. 58. de Veneris apud Heliopolim fano cujus in loco chriſtiani cultus ingentem baſilicam conſtruxit, cujus rei meminit Sozomenus lib. 2. cap. 5. & lib. 5. cap. 10. Eadem prorſus Theodoſii Magni pietas, is enim ut teſtatur Socrates lib. 5. cap. 16. [Inſtante atque adnitente Theophilo, juſſit ut templa gentilium Alexandriæ deſtruerentur, id fieret ſtudio & cura Theophili...... Ac templa quidem

quidem diſturbata ſunt, ſtatuæ vero in lebetes & in Alexandrinæ eccleſiæ uſus conflatæ, cum imperator Deos gentilium ad ſuſtentandos pauperes ei donaviſſet.] Idem narrat Sozomenus lib. 7. cap. 15. Longe tamen ante Theodoſium aliqua Alexandriæ templa corruerant, nam & Theodoritus lib. 4. cap. 21. mentionem facit templi dæmonum, quod tempore Petri epiſcopi, qui magno ſucceſſerat Athanaſio, funditus everſum eſt. Sed & Marchus Arethuſiorum epiſcopus narrante eodem Theodorito lib. 3. cap. 7. temporibus Conſtantii imperatoris deſtructo idolorum templo eccleſiam Arethuſii ædificavit, quæ res Juliani poſtmodum iram & furorem in piiſſimum epiſcopum concitavit.

III. Alios orbis epiſcopos perinde ac orientales ad ſimile opus audendum mox provocavit imperatorum pietas, licet id aggredi non præſumerent ſine eorum permiſſu. Hinc Patres concilii Africani can. 25. [Inſtant etiam aliæ & neceſſitates à religioſis imperatoribus poſtulandæ, ut reliquias idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari..... ut præcipiant & ipſa deleri & templa eorum, quæ in agris vel locis abditis conſtituta nullo ornamento ſunt, jubeantur omnino deſtrui.] Et Patres concilii V. Carthaginenſis can. 15. [Placuit ab imperatoribus glorioſiſſimis peti, ut reliquiæ idololatriæ non ſolum in ſimulacris, ſed in quibuſcumque locis, vel lucis, vel arboribus omnino deleantur.] Sanctorum epiſcoporum votis mox favere religioſi imperatores. Nam Arcadius & Honorius æquam petitionem eſſe judicantes, promulgatis edictis per orientem & occidentem, Manlio Theodoro conſule, hoc eſt anno 399. omnes idololatriæ reliquias ſuſtulerunt, ſimulacra fregerunt, ſacrificia gentilium prohibuerunt, eorumque templa funditus everterunt. Decreti imperatorii meminit S. Auguſtinus in lib. 18. de Civitate Dei cap. 54. ubi notat Gaudentium & Jovium comites Honorii imperatoris miſſos in Africam Cartagine falſorum Deorum evertiſſe templa XIV. calendas Aprilis. Et Sermone 328. [Videte, inquit, quanta patitur, cujus ubique templa evertuntur, cujus ubique idola franguntur, cujus ubique ſacerdotes & arreptitii cæduntur.] Et mox addit: [Per omnes gentes converti homines ad Deum, dimitti idola, dimitti dæmonia, everti templa, frangi ſimulacra.] Idem alibi docet non avaritiæ cauſa, ſed ſola pietate ad id inductos fuiſſe epiſcopos. Nam epiſtola 47. novæ editionis ad Publicolam ſcribens ſic eum alloquitur: Unde appatet illud eſſe prohibitum, ne in honorem alienorum Deorum aliqua re utamur, aut ut exiſtimemur, ſic eam accipiendo, ut quamvis animo contemnamus; eos tamen qui noſtrum animum ignorant, ad hæc honoranda ædificemus. Et cum templa, idola, luci, & ſiquid ſimile, data poteſtate, evertuntur, quamvis manifeſtum eſt cum id agimus, non ea nos honorare, ſed potius deteſtari: ideo tamen in uſus noſtros privatos dumtaxat & proprios non debemus inde aliquid uſurpare, ut appareat nos pietate ea deſtruere, non avaritia.]

IV. Quod in oriente & in africa contigiſſe demonſtravimus idem & in galliis actitatum fuiſſe colligimus ex Aviti Alcimi Viennenſis epiſc.

Digitized by Google

copi epiſtola 6. Idem poſtmodum in Anglia fieri ſuaſit Gregorius papa ad Edilberetum regem ſcribens in hæc verba: [Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum converſione multiplica, idolorum cultus inſequere, fanorum ædificia everte,] &c. At vero non diu hac in ſententia perſeveravit S. Pontifex. Nam ſcripta ad Mellitum abbatem, quem in Angliam direxerat epiſtola, à venerabili Beda in Hiſt. Angl. lib. 1. cap. 30. relata, mentem ſuam ita exprimit: [Cum ergo Deus omnipotens vos ad reverendiſſimum fratrem noſtrum Auguſtinum epiſcopum perduxerit, dicite ei quia diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi: videlicet quod fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa quæ in eis ſunt idola deſtruantur; aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur: quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt ut à cultu dæmonum in obſequia veri Dei debeant commutari; ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens ac adorans, ad loca quæ conſuevit & familiarius concurrat. Et quia boves ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam de hac re aliqua ſolemnitas immutari: ut die dedicationis vel natalitiis ſanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent, nec diabolo jam animalia immolent; ſed ad laudem Dei in uſu ſuo animala occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant.] Hactenus S. Gregorius cujus prolixum licet, integrum tamen textum hic referre libuit, non ſolum quod ſancti Pontificis mentem de reconciliandis idolorum templis contineat, ſed ritum univerſum ac reconciliationis dedicationiſque ſeriem plane complectatur.

Sed ea in eccleſias converti & conſecrari permittit S. Gregorius.

Idque antea aliquando factitatum.

V. Sunt & quidem viri doctiſſimi qui exemplis de everſione fanorum à nobis ſupra relatis aliiſque ſimilibus inducti, exiſtimarunt nulla ante Gregorium idolorum templa in chriſtianorum eccleſias fuiſſe commutata, primamque iſtiuſmodi immutationis originem illi referendam eſſe. Verum non deſunt nobis exempla quibus ante hanc Gregorii ad Mellitum datam epiſtolam, idolorum delubra in eccleſias converſa feciſſe demonſtretur. Certe Andreas Fundanæ eccleſiæ epiſcopus, teſtante eodem Gregorio Dialog. lib. 3. cap. 7. in ejuſdem civitatis [templo Apollinis beati Andreæ apoſtoli repente oratorium fecit.] Tempore Theodoſii imperatoris tranſlatis Antiochiam Ignatii martyris Roma reliquiis, [templum jampridem dæmoniis conſecratum, quod incolæ Tychæum nominant, fortiſſimo martyri] dedicatum eſt, ut tradit Evagrius Hiſt. lib. 1. cap. 16. Circa idem tempus [Alexandrinæ urbis epiſcopus templum Bacchi, quod illic erat, in eccleſiam commutavit] ſicuti ſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 15. Et antea quidam Inſulani à Machariis ad Chriſtum converſi] Simulacra ſtatim projicientes fabri-

Digitized by Google

cam templi in eccleſiæ ſpeciem commutarunt] teſte Socrate lib. 4. cap. 24. quamvis Sozomenus lib. 6. cap. 20. templum illud everſum fuiſſe aſſerat. Aliquibus poſt annis Arcadius & Theodoſius imperatores, qui ut vidimus anno 339. datis edictis juſſerant idolorum delubra diſſipari, duobus poſt annis ſcilicet anno 401. ea quæ ad ornatum civitatum aliquid conferre poterant reſervari ſanxerunt.]

Caput XIV. De Bened. ſynag. & templ.

VI. Synagogis Judæorum ſors eadem extitit quæ & fanis idolorum. Nam primum penitus deletæ ſunt, poſtmodum vero in eccleſias converſæ ſunt. Prioris uſus exemplum habemus in epiſtola Severi epiſcopi ad univerſam eccleſiam de virtutibus ad Judæorum converſionem in Minorenſi inſula factis in præſentia reliquiarum S. Stephani, quæ extat in Appendice tomo VII. operum S. Auguſtini novæ editionis. Nam poſtquam cedentibus Judæis Synagoga potiti ſunt chriſtiani, [omnia ejus ornamenta, exceptis libris atque argento cum ipſo pariete ignis abſumſit.] Poſtea etiam ipſi parietes credentibus Judæis ſunt ſubverſi, immo ipſa ſynagogæ fundamenta everſa, illis ad novam baſilicam conſtruendam non ſolum impendia conferentibus, ſed propriis etiam humeris ſaxa comportantibus. In antiquis tamen ſacramentorum libris, ut in Gelaſiano Remenſi S. Remigii, & Gellonenſi ante annos 900. ſcriptis reperimus orationes & preces in dedicatione loci ubi prius fuerat Synagoga Judæorum.

Eadem extitit ſors ſynagogis Judæorum.

VII. De Hæreticorum eccleſiis major poteſt eſſe difficultas. Nam cum deteſtentur idola, verum Deum agnoſcant & venerentur, plurimaque fidei chriſtianæ dogmata profiteantur: eorum templa non ea videntur fuiſſe, quæ deſtructione digna cenſeri debere videantur. Et certe S. Gregorius Arianorum baſilicam in Urbe introductis illis B. Sebaſtiani & S. Agathæ martyrum reliquiis dedicaſſe refertur apud Johannem diaconum lib. 2. de Vit. ejuſdem pontificis cap. 31. Et antea Johannes papa, teſte Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Mart. cap. 29. [hæreticos exſecrans eccleſias eorum in catholicas dedicavit.] Conſtantinus etiam imperator in conſtitutione adverſus hæreticos, quam refert Euſebius lib. 3. de ejus Vita cap. 65. [jubet omnium hæreticorum oratoria, ſi tamen oratoria dici debent, ſine ulla contradictione illis adempta catholicæ eccleſiæ tradi.] Et concilium Aurelianenſe I. can. 10. Gothorum, inquit, [eccleſias ſimili, quo noſtræ innovari ſolent, placuit ordine conſecrari.]

Eccleſiæ hæreticorum conſervatæ.

VIII. Verum alia mens erat concilii Epaonenſis cujus canon 33. hæc habet: [Baſilicas hæreticorum, quanta tanta exſecratione habemus exoſas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, ſanctis uſibus applicare, deſpicimus. Sane quas per violentiam noſtris abſtulerunt poſſumus revocare.] Eadem erat ſententia Aviti Alcimi Viennenſis epiſcopi epiſtola 6. ad Victorium epiſcopum ſcribens *rem inſenſibilem, quæ primum innovata polluitur*, nulla poſſe *ſanctificatione purgari*, nec Deum ablatis illorum vaſis & eccleſiæ oblatis delectari, niſi *infuſa fornacibus & diſtenta per laminas* pura efficiantur. Legimus etiam apud Socratem

Aliquando tamen dirutæ.

Digitized by Google

Caput XIV. De Bened. ſynag. & templ.

lib. 7. cap. 29. ſubverſam Conſtantinopoli Arianorum eccleſiam. Narrat etiam Matthæus Paris ad annum 1165. Altaria ſuper quæ Reginaldus Colonienſis epiſcopus ſchiſmaticus celebraverat paſſim fuiſſe diruta.

CAPUT XV.

De reconciliatione eccleſiæ violatæ.

Caput XV. De reconcil. eccleſiæ violatæ

ECCLESIAM duobus præſertim modis violari contingit. Cum homicidium aut grave aliquod crimen in ea committitur, vel cum incendio aut forte fortuna majori ex parte concidit. Primo caſu ceſſabant olim in ea omnia officia divina, omnia ſacrificia, denudabantur altaria, portæ claudebantur. Ita [poſt mortem B. Thomæ martyris fere anno integro eccleſia Cantuarienſis a divinis ceſſavit obſequiis, continuis perſtitit in lamentis, ſubverſum eſt eccleſiæ pavimentum, & ſonus eſt campanarum ſuſpenſus, nudati ſunt parietes ornamentis, & ſic quaſi in cinere & cilicio exſequias in triſtitia & mœrore perſolvit,] ut ſcribit Matthæus Paris ad annum 1172. Poſtea vero ſolemni ritu ab epiſcopo reconciliabatur. Idem fiebat cum baſilicæ dirutæ reſtaurabantur. De quarum reconciliatione interrogatus Vigilius papa ab Eutherio epiſtola 2. cap. 4. ita reſpondit : [De fabrica vero cujuſlibet eccleſiæ, ſi durata fuerit, inſtauranda, & ſi in eo loco conſecrationis ſolemnitas debeat iterari, in quo ſanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere, ſi per eam minime aqua benedicta jactetur; quia conſecrationem cujuſlibet eccleſiæ, in qua Spiritus-ſancti ara non ponitur, celebritatem tantum ſcimus eſſe miſſarum. Et ideo ſi qua ſanctorum baſilica à fundamentis etiam fuerit innovata, ſine aliqua dubitatione, cum in ea miſſarum fuerit celebrata ſolemnitas, totius ſanctificatio conſecrationis implebitur. Si vero ſanctuaria quæ habebat, ablata ſunt, rurſus eorum repoſitione, & miſſarum ſollemnitate reverentiam ſanctificationis accipiet.] At vero ritus & preces reconciliationis baſilicarum ex ſubſequentibus ordinibus omnino patebunt.

CAPUT XV. *De reconcil. eccleſiæ violatæ.*

ORDO I.

Ad reconciliandam baſilicam.

Ex ms. Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi.

RECONCILIATIO ALTARIS VEL LOCI SACRI, UBI SANGUIS FUERIT EFFUSUS VEL HOMICIDIUM PERPETRATUM.

DEum indultorem criminum, Deum ſordium mundatorem, Deum qui cunctum peccatis originalibus mundum adventus ſui nitore purificavit, ſupplices deprecamur, ut diaboli furentis inſidiis fortis nobis pugnator aſſiſtat: & ſi quid ejus calliditate quotidianis infeſtationibus maculatum in nobis corruptumque fuerit, efficiatur cæleſti ſanctificatione ac mundatione ſive miſeratione purgatum, quod fuerat diaboli fraude pollutum: quia ſicut illius eſt ſolidum perfectumque quaſſare; ita auctoris noſtri eſt lapſa reſtituere, & corrupta purgare, cujus majeſtatem precamur, ut hæc fiant ab omni pollutione purgata & ſanctificata, atque in priorem ſtatum reſtituta & reconciliata ac ſacrata. Per.

Alia.

Deus cujus bonitas nec principium, nec finem habet, cujus eſt polluta purgare, neglecta reſtaurare, vitiata reædificare: exaudi orationes noſtras, ut hujus eccleſiæ ſive Poliandri receptaculum placatus accipias, & altare tuum, quod infeſtantis diaboli fraude fuit pollutum, per infuſionem gratiæ cæleſtis ſancti ✝ ſices purificatumque poſſideas. Nihil hic, quæſumus Domine, poſtmodum noceat præteriti culpa contagii, nihil ſit quod maneat inimici fraude pollutum. Reſurgat vero eccleſiæ tuæ pura ſimplicitas & candor innocentiæ hactenus maculatus, dum recipit gratiam, revertatur ad gloriam: quatenus hic populorum turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum ſentiat obtinuiſſe ſuffragia.

MISSA IN RECONCILIATIONE ECCLESIÆ.

DEus qui dixiſti: Domus mea domus orationis vocabitur; domum iſtam gentium ſpurcitiis contaminatam mundare & ſanctificare digneris, ut omnium preces & vota hoc in loco ad te clamantium clementer exaudias & benigne perficias. Per.

Super oblata.

Hæc hoſtia, quæſumus Domine, & locum iſtum ab immunditiis nationum expurgit, & ſupplicationes hic & ubique tibi reddat acceptos. Per.

Caput XV. De reconcil. eccleſiæ violatæ.

Poſtcommunionem.

Percipientes, Domine, munera ſalutis æternæ te ſupplices exoramus, ut templum hoc à barbarorum inquinamentis emundatum tua benedictione maneat ſanctificatum, & pectora noſtra ab omni ſorde vitiorum alienata tibi devota ſemper aſſiſtant. Per.

* adde effuſus.

*Benedictio in reconciliatione eccleſiæ ubi ſanguis * aut homicidium perpetratum fuerit.*

Omnipotens Deus univerſa à vobis, & ab hoc templo vel domo adverſa excludat, ac ſuæ ſuper vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen.

Corda veſtra efficiat ſacris intenta doctrinis, quo poſſint repleri beneficiis ſempiternis. Amen.

Quatenus exſequenda intelligentes, & intellecta exſequentes inter adverſa mundi inveniamini incolumes, & beatorum ſpirituum efficiamini cohæredes. Quod ipſe. Amen.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali Anglicani monaſterii Gemmeticenſis annorum 900.

RECONCILIATIO LOCI SACRI UBI SANGUIS FUERIT EFFUSUS AUT HOMICIDIUM PERPETRATUM VEL ALIQUA RE IMMUNDA.

P*Rimitus ter aſpergat aquam benedictam in circuitu, & intus, & dicat has orationes.*

Aufer à nobis, Domine, iniquitates noſtras, ut ad loca tuo nomini purificanda puris mereamur mentibus accedere. Per.

Deum indultorem criminum, Deum ſordium mundatorem, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Deus cujus bonitas nec principium nec finem habet, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Deus qui in ſanctis habitans ſupernæ moderamine pietatis terram mundus mundam formaſti, quam etiam primi prævaricatoris deſuper ejecti ſedibus ſuggeſtione maculatam priſcis miſertus paradiſi quos creaſti accolis pii effuſione cruoris ac proprii, ab omni antiquæ prævaricationis contagio mundare & abſtergere dignatus es: quæſumus immenſam pietatem tuam, ut hanc etiam eccleſiam vel hoc cimiterium quod prius tua ſanctificatione ſanctificari voluiſti, quamvis jam ejuſdem nævo prævaricatoris maculatam tua cæleſti benedictione benedicas, ut qui ſub timore & tui amore nominis ad hoc oratorium impetrantes ſuorum veniam peccatorum conveniant, vel in hoc cimiterio ſepeliantur, ſe perpetuam omnium veniam peccatorum impetrare gaudeant, & gaudia percipere ſempiterna lætentur. Per.

Digitized by Google

ORDO III.

Ex ms. codice Colbertino annorum 800. *Bellovacenſi annorum* 700. *Pontificali Biſuntino annorum* 600 *Senonenſi & Remenſi S. Remigii annorum* 500. *Apamienſi in Syria ejuſdem circiter ætatis, Aquenſi annorum* 400. *& Rituali Sueſſionenſi tempore Nivilonis ſcripto.*

RECONCILIATIO ECCLESIÆ VIOLATÆ.

P*Rimum veniat epiſcopus cum clero & ſacris veſtibus indutus, & dicat orationem hanc ante ipſam eccleſiam.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam, *&c. require in dedicatione eccleſiæ.*

Aufer à nobis, quæſumus Domine, omnes iniquitates noſtras, ut ad loca nomini tuo purificanda puris mereamur mentibus accedere. Per.

*Tunc intret in eccleſiam cum clero & letaniis.** *Finita letania, dicat epiſcopus.* Oremus. Flectamus genua. Deus qui peccati veteris, &c.

Et benedicat aquam & ſalem cum vino & cinere mixtam, & circumeat * *intrinſecus* * *eccleſiam ſpargendo, & cantando antiphonam* Aſperges me Domine yſopo, *cum pſalmo* Miſerere mei Deus, *lavando & purificando loca contaminata, & dicat hanc orationem :* Deum indultorem criminum, &c.

Codex Sueſſionenſis addit. *Tunc cantant antiphonam:* Exurgat Deus, *cum eodem pſalmo. Et antequam recludantur reliquiæ dicat epiſcopus.* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Deus qui in omni loco, &c.

Pontificale Aquenſe & Apamienſe. *Tunc cantet antiphonam.* Exurgat Deus, *cum eodem pſalmo. Sequitur oratio.* Deus qui in omni loco, &c. *Deinde dicat antiphonam :* Confirma hoc Deus, &c. *cum his* ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Qui timetis Deum, Timeat eum omne ſemen Iſraël. Non avertat faciem ſuam à me. Gloria Patri. *Oratio.* Deus qui eccleſiam tuam de omnibus finibus, &c.

* *Colbertinus addit* expectante foris ſuo populo.

* *Colbert. Remenſ. Apamienſis addunt* tribus vicibus.

* *Senonenſ.* deforis.

ORDO IV.

Ex ms. S. Victoris annorum 500.

IN RECONCILIATIONE ALTARIS, VEL SACRI LOCI, SEU CIMITERII UBI SANGUIS FUERIT EFFUSUS, AUT HOMICIDIUM FACTUM AUT ALIQUA SPURCITIA PUBLICE PERPETRATA.

P*Rimum veniat epiſcopus ante ipſam eccleſiam cum clero & populo, hanc ſonora voce canendo antiphonam :* Deus in ſancto via tua, *ut ſupra. Sequitur oratio ante oſtium.*

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis, *&c. ut in Pontificali Romano.*

Alia.

Aufer à nobis, Domine, quæſumus, *ut in Pontificali Romano.*

Tunc intret eccleſiam cum clero canendo antiphonam: Pax huic domui. *Finita antiphona, dicat epiſcopus.* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate. Deus qui peccati veteris, &c. *ut in Pontificali Romano.*

Poſt modum faciat clerus letaniam, quæ ſupra notata eſt in dedicatione altaris. Deinde dicat epiſcopus ter: Deus in adjutorium meum intende. *Et faciat exorciſmum & benedictionem ſalis, cineris, aquæ, vini ut ſupra uſque.* Quatenus conſecrata ſis aqua ſancta ac proficias ad reconciliationem hujus ſacri loci vel cimiterii, ut per te & per benedictionem divinam, auxiliante Domino, ſive per os & manus atque officium noſtrum hic locus vel hoc cimiterium divinitus per gratiam Spiritus-ſancti conſecretur ac perpetualiter ad invocandum nomen Domini conſecratum permaneat & Spiritus-ſanctus habitet in hoc loco, ſeu in cimiterio. Per eum qui venturus eſt.

Poſtea circueat tribus vicibus intrinſecus & extrinſecus eccleſiam vel cimiterium ſpargendo aquam benedictam cantando antiphonam: Aſperges me Domine yſopo, & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor. *Pſ.* Miſerere mei Deus.

Sequitur oratio.

Deum indultorem criminum, &c. *ut in Pontificali Romano uſque* Et corrupta purgare. *Quibus hic additur* Cujus majeſtatem præcamur, ut fiat ab omni pollutione purgatus & ſanctificatus, atque in priorem ſtatum reſtitutus, & reconciliatus, ac ſacratus. Per eum qui unus in Trinitate perfecta vivit & gloriatur Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Dehinc cantetur hæc antiphona.

Exurgat Deus ad noſtri. *Oratio.*

Deus cujus bonitas nec principium nec finem habet, cujus eſt polluta purgare, neglecta reſtaurare, vitiata reædificare, exaudi orationes noſtras, ut hujus loci receptaculum placatus accipias & altare tuum quod infeſtantis diaboli fraude eſt pollutum per infuſionem gratiæ cæleſtis ſanctifices, purificatumque poſſideas. Nihil hic, quæſumus Domine, poſtmodum noceat præteriti culpa contagii, nihil ſit quod maneat inimici fraude pollutum. Reſurgat vero hujus loci puta ſimplicitas & candor innocentiæ priſtinæ immaculatus, & dum recipit gratiam revertatur ad gloriam, quatenus hic populorum turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum ſe ſentiat obtinuiſſe ſuffragia. Per.

Poſtea circueat epiſcopus eccleſiam, & intus, & foris, & cimiterium cum incenſo canendo: Domine ad te dirigatur.

Deus qui in ſanctis habitans ſupernæ moderamine pietatis terram mundus mundam formaſti, quam etiam primi prævaricatoris de ſupernis ejecti ſedibus ſuggeſtione maculatam priſcis miſertus paradiſi quos

creaſti

Digitized by Google

creaſti accolis, pii effuſione cruoris ac proprii antiquæ ab omni prævaricationis contagio mundare & abſtergere dignatus es, quæſumus immenſam pietatem tuam ut hanc eccleſiam vel hoc cimiterium, quod prius tua ſanctificatione ſanctificari voluiſti, quamvis jam ejuſdem nævo prævaricatoris maculatam tua cæleſti benedictione benedicas, ut qui ſub timore & amore tui nominis ad hoc oratorium pro impetranda ſuorum venia peccatorum convenerint, vel in hoc cimiterio ſepulti fuerint, ſe in perpetuum omnium veniam peccatorum impetrare gaudeant, & gaudia percipere ſempiterna lætentur. Per. CAPUT XV. *De reconcil. eccleſiæ violatæ.*

Tunc elevata manu benedicat ſanctam eccleſiam vel ſanctum cimiterium ita:

Benedictio Dei Patris omnipotentis, ingeniti Filii ipſius Jeſu Chriſti unigeniti, nec non Sancti Spiritus paracliti ab utroque procedentis, maneat jugiter ſuper eccleſiam iſtam vel ſuper cimiterium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde reportentur reliquiæ ad eccleſiam pſallendo: Sanctum eſt verum lumen, *ut ſupra & reliqua ſicut in dedicatione eccleſiæ ſuperius dictum eſt.*

Sequitur oratio.

Deus qui eccleſiam tuam ſanctam de omnibus mundi finibus congregatam, &c. *ut in Pontificali Romano.*

Commendatio ejuſdem ſacri loci.

Oratio.

Deus cujus bonitas ſicut non habuit principium ita non terminum, &c.

Miſſa in reconciliatione S. Eccleſiæ.

Dum ſanctificatus fuero, &c.

ORDO V.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ.

ORDO AD RECONSECRANDAM ECCLESIAM.

ET *nota quod hoc officium locum habet quando muri alicujus eccleſiæ conſecratæ vetuſtate aut incendio conſumti fuerunt, vel ſaltem muri decruſtati ſunt: ita quod in toto vel ſaltem in majori parte ſimul reparati ſunt, fundo eccleſiæ permanente inviolato, fiat hoc modo. Primo diſponatur menſa ſal, cineres & aqua cum hyſopo in medio chori, & procedens ibi epiſcopus indutus plebis pontificalibus dicat:* Adjutorium noſtrum, &c. Sit nomen Domini, &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Virtutum cæleſtium. *Item alia.* Oremus. Deus qui ineffabilis obſervantia ſacramenti, &c. *His duabus collectis dictis, flectat epiſcopus genua ſua, & cantet:* Veni ſancte Spiritus reple tuorum, *&c. clero uſque ad finem proſequente flexis genibus. Et dum completus fuerit* ℣. *Iſte reſurgat epiſcopus, & dicat hunc* ℣. Verbo Domini cœli, &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Actiones noſtras, &c. *Et tunc epiſcopus proſternat ſe ſuper ſedem ſuam, & dicatur letania, in*

Digitized by Google

Caput XV. *De reconcil. eccleſiæ violatæ.*

qua loco ſuo ſurgens dicat : Ut parietes iſtos pro templo inhabitationis tuæ factos & cimiterium iſtud reconciliare bene † dicere, ſancti † ficare & reconſe † crare digneris. *Clerus.* Te rogamus. *Poſtquam iſtud ab epiſcopo & clero ter repetitum fuerit , continuetur letania uſque ad finem. Ut pontificem noſtrum. Qua completa , ſurgat epiſcopus , & aquam pontificalem benedicat , ut ſupra de conſecratione altaris notatum eſt.*

Aqua pontificali benedicta circumcingatur epiſcopus albo & novo panno lineo , & procedat epiſcopus cum clero & populo ante fores eccleſiæ , porteturque poſt eum tina cum aqua benedicta cum hyſopo , & circumiens eccleſiam à fundo ſupra muros novos eccleſiæ diligenter , & quantum ſibi poſſibile eſt per totum cum aqua ſpergat benedicta. Et dum hæc ipſe facit , clerus eum ſequens cantet ℟. Sanctificavit Dominus , &c. *Cum vero epiſcopus circuitum compleverit , & ad oſtium ubi dictum circuitum incœpit pervenerit vel redierit , dicat epiſcopus :* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus.* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Domum tuam , quæſumus , Domine , clementer ingredere , &c. *Poſt hæc epiſcopus & clerus tantum cum aliquibus notabilibus perſonis ſæcularibus viris ſeu feminis , ſi aliquæ tales perſonæ præſentes fuerint , eccleſiam ingrediantur. Et ſtans epiſcopus in medio eccleſiæ voce ſolemni incipiat hunc hymnum , & clerus proſequatur uſque in finem.* Veni Creator Spiritus , mentes tuorum viſita , &c. *Quo percantato , dicat epiſcopus.* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Magnificare Domine Deus noſter , &c. *Poſt hanc collectam accepto hyſopo , & portata ſecum aqua benedicta ad angulum dextrum orientalem chori , clero ipſum ſequente procedat , ibique intra eccleſiam ſicut extra muros novos à fundo prout altius poterit ſemel tantum circuiens aquam ſpargat. Hæc ipſo faciente , clerus cantet* ℟. Lapides pretioſi , &c. *Hæc cum repetitione uſque ad finem circuitus cantabuntur , & completo hoc circuitu , iterum epiſcopus ad medium eccleſiæ procedat , dicens :* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Deus qui loca nomini tuo dicenda , &c. *Poſt hanc collectam accendantur duodecim candelæ , & figantur ad duodecim ſigna ſive cruces in ipſis novis muris ad hunc uſum depoſita. Et accepto chriſmate procedat epiſcopus ad primam crucem in angulo dextro orientali locatam , & cum pollice ſuo dextro eam chriſmate ſacro ſignet , dicens :* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Sancti † ficetur & conſe † cretur hoc templum in nomine Patris & Filii , & Spiritus-ſancti. Amen. *Et ſequitur ſacerdos cum incenſu , thurificans ad quodlibet ſignum , & hoc ad quamlibet crucem faciat eodem modo. Interea clerus ſequens cantet* ℟. Benedic , Domine , domum iſtam , &c. *Et cum perfectum & completum fuerit , ſtans epiſcopus ante majus altare in medio chori dicat ,* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Deus ſanctificationum omnipotens dominator , &c. *Tunc exaltet vocem ſuam per modum præfationis :* Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Adeſto precibus noſtris , adeſto ſacramentis , adeſto piis famulorum tuorum laboribus , &c.

CAPUT XV. *De reconcil. eccleſiæ violatæ.*

His expletis, epiſcopus det benedictionem ſuper populum, & hoc officium concludat dicens: Adjutorium noſtrum, &c. Sit nomen Domini. *Epiſcopus dicat:* Benedicat nos divina majeſtas, una deitas, Pater † & Filius, † & Spiritus-Sanctus. † Amen.

ORDO AD RECONCILIANDAM ECLLESIAM ET CIMITERIUM SIMUL.

P*Rimo epiſcopus indutus alba & pluviali, mitram habens ſuper caput ſuum, & baculum paſtoralem geſtans in manu cum clero & populo exeat uſque ante januas cimiterii exteriores; & ibidem ante eas in loco non conſecrato vertens ſe verſus eccleſiam dicat:* Adjutorium noſtrum, &c. Sit nomen Domini, &c. *Epiſcopus dicat:* Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſacerdotibus tuis tantum, &c. *Item.* Oremus. Aufer a nobis quæſumus, &c. *His collectis dictis, epiſcopus cum clero & populo & duobus clericis dicentibus letaniam eccleſiam ingrediatur, ubi ante menſam albo panno coopertam, ſuper quam ſal, cineres, & vinum & juxta quam tina cum aqua & hyſopo ordinata conſiſtat, ſuper ſedem ſuam ſe proſternat, & in loco letaniæ ſurgat, & dicat:* Ut eccleſiam iſtam ceu cimiterium iſtud bene † dicere, ſancti † ficare, & reconci † liare digneris. Te rogamus. *Epiſcopo hoc ter dicente, clerus toties ſibi reſpondeat:* Te rogamus. *Quo dicto reponat ſe ſuper ſedem ſuam uſque ad finem letaniæ: qua completa ſurgat, & aquam benedicat pontificalem, modo quo ſupra de conſecratione altaris eſt notatum, & poſt hæc circumcinctus albo & mundo linteo, circueat eccleſiam intrinſecus tribus vicibus aquam ſpargendo benedictam, & purificando loca contaminata. Et clerus interea cantet* Aſperges me, &c. *Pſal.* Miſerere mei *cum repetitione* Aſperges me, *donec tres circuitus fuerint expediti, & poſtquam epiſcopus eccleſiam ter, ut prædictum eſt, circuerit, ſtans in medio chori ante majus altare dicat* Dominus vobiſcum. Oremus. Deum indultorem criminum, &c. *Hoc ut prædictum eſt in eccleſia expedito, epiſcopus cum clero & populo extra in cimiterium procedat, ibique ter cimiterium circuiens in utraque videlicet extremitate, & per medium ſpergat aquam benedictam, & clerus interea cantet* Aſperges me. *Pſal.* Miſerere. *Et cantetur iſte totus pſalmus vel quantum ſufficit cum repetitione* Aſperges me, *donec tres circuitus fuerint expediti & completi. Quibus ita completis, iterum epiſcopus ſtans ante januam eccleſiæ orationem jam dictam repetat:* Deum indultorem criminum, &c. *qua oratione completa, ingrediens epiſcopus cum clero & populo incipiat antiphonam ſequentem, & clerus hanc antiphonam proſequatur.* O quam metuendus eſt, &c. *Et cum epiſcopus eccleſiam intraverit, ſtans in medio chori vel eccleſiæ per modum præfationis voce alta incipiat:* Per omnia ſecula ſeculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Æterne Deus, cujus bonitas immenſa ut non habuit principium, ita nec terminum habebit, &c. *Poſtea clerus cantet antiphonam:* Exſurgat Deus, & diſſipentur. *Pſ.* Benedicam. *Poſt hæc dicat epiſcopus,* Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui in omni loco dominationis tuæ clemens & benignus, &c. *Deinde poſt antiphonam & collectam*

CAPUT XV. *De reconcil. eccleſiæ violatæ.*

clerus cantet cum repetitione antiphonam ſequentem. Confirma hoc Deus, &c. Gloria Patri, &c. Confirma. *Item clerus cantet iſtud reſponſorium:* Narrabo nomen tuum, &c. *Poſt hoc ℟. dicat epiſcopus.* Oremus. Deus qui eccleſiam tuam ſanctam de omnibus finibus mundi congregatam, &c. *Tunc epiſcopus det benedictionem ſuam ſuper populum dicens:* Sit nomen Domini. *Epiſcopus.* Benedicat nos divina majeſtas una deitas Pater ✝ & Filius ✝ & Spiritus-ſanctus. Amen.

CAPUT XVI.

De benedictione altaris.

CAPUT XVI. *De Bened. altaris.*

CUM benedictio altarium principalem in dedicatione eccleſiarum partem obtineat, ea quæ hac de re in ordinibus ad conſecrandam baſilicam à nobis ſupra relatis, aut in noſtris obſervationibus continentur, pluſquam ſufficere poſſent. Verum quia nonnunquam altare ſine eccleſiæ dedicatione conſecrari & benedici contingebat, puta cum novum aliquod in jam conſecrata erigebatur eccleſia, aut cum in dedicandis eccleſiis is non eſſet numerus epiſcoporum, qui conſecrandis altaribus omnibus par eſſet; id quod contigiſſe potuit in dedicatione baſilicæ, quam Palladius Sanctonicæ urbis epiſcopus conſtruxerat, ubi ex tredecim altaribus quatuor inconſecrata remanſerant, ad quorum dedicationem S. Gregorius lib. 5. epiſt. 50. reliquias miſit. Non abs re fortaſſis erit hic ea referre, quæ in antiquis Pontificalibus de altaris privata conſecratione reperire licuit. Porro quamvis altarium perinde ac eccleſiarum conſecratio ad epiſcopum pertineat, nihilo tamen minus Julianus Sabas preſbyter & monachus in monte Sinaï eccleſiam conſtruxiſſe & aram conſecraſſe fertur apud Theodoretum in Philotheo cap. 2. Quin & S. Columbanus, & ipſe ſimplex preſbyter S. Aureliæ templum reconciliaſſe memoratur, in ejus Vita à Jona Columbani diſcipulo ſcripta.

Ipſa vero conſecratio benedictione & unctione uti nunc ita olim peragi ſolebat: [Conſecrationem altaris hodie celebramus, inquit S. Cæſarius Serm. 230. in Appendice novæ editionis S. Auguſtini, & juſte ac merito gaudentes celebramus feſtivitatem, in qua benedictus vel unctus eſt lapis, in quo nobis divina ſacrificia conſecrantur.] Et concilium Agathenſe can. 14. [Altaria placuit non ſolum unctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.] Ex decreto tamen concilii Epaonenſis can. 26. [Altaria niſi lapidea chriſmatis unctione ſacrari non debent. Quod decretum renovant Capitularia Caroli magni anni 802. Quonam vero ritu id fieret ex ſequentibus ordinibus accipe.

Digitized by Google

ORDO I.

Ad conſecrandum altare.

Ex antiquo miſſali Francorum à Thomaſio Romæ vulgato.

CONSECRATIO ALTARIS.

CReator & conſervator humani generis, dator gratiæ, & ſpiritalis largitor æternæ ſalutis, tu permitte Spiritum tuum ſuper vinum cum aqua mixtum: ut armata virtute cæleſtis defenſionis ad conſecrationem hujus eccleſiæ vel altaris proficiat. Per.

Præfatio conſecrationis altaris.

Ponis ſuper cornua altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum: & aſpergis altare ſeptem vicibus; reliquum autem fundis ad baſim: & offeres incenſum ſuper altare odorem ſuaviſſimum Domino.

Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur: ut hoc altarium ſacrificiis ſpiritualibus conſecrandum, vocis noſtræ exorandus officio, præſenti benedictione ſanctificet: ut in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum ſtudiis ſuæ devotionis impoſitas benedicere & ſanctificare dignetur: & ſpiritali placatus incenſo præcandi familiæ ſuæ promtus exauditor adſiſtat. Per Dominum.

Benedictio altaris.

Deus omnipotens in cujus honorem altarium ſub invocatione tui conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi; & præſta ut in hac menſa ſint tibi libamina accepta: ſint grata, ſint pinguia, & Spiritus-ſancti tui ſemper rore perfuſa; ut omni tempore in hoc loco ſupplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota ſuſcipias, deſiderata confirmes, poſtulata concedas. Per Dominum noſtrum.

Sequitur benedictio linteaminum, patenæ, calicis, ad omnia, & chriſmalis quam reperies in Ordine Romano.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis annorum 400.

DE ALTARIS CONSECRATIONE, QUÆ FIT SINE CONSECRATIONE ECCLESIÆ. INCIPIT ORDO DE CONSECRATIONE ALTARIS PER SE.

IN primis præparentur quæ ad conſecrationem neceſſaria ſunt, ſal, aqua, cinis, & vinum, yſopus, oleum exorcizatum & chriſma: & induto conſecratore cum miniſtris proſtrato ante tabulam, cantor incipiat letaniam, ſanctorum nomina in quorum honore altare debet dedicari intercedendo. San-

CAPUT XVI. De Bened. altaris.

ctus pontifex & extendens manum faciat ſignum crucis ſuper tabulam & columnam ter dicens: Ut altare hoc ad honorem nominis tui conſecrandum bene † dicere & conſecrare digneris. Te rogamus audi nos.

Finitis letaniis ſurgat pontifex, & ſtans ante altare non dicat Dominus vobiſcum, *ſed tantum ter* Deus in adjutorium *cum* Gloria *ſine* alleluia. *Tunc benedicat ſalem & aquam miſcendo vinum & cinerem, ſicut in prima dedicatione, ſed ubique mentio eccleſiæ excipiatur.*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini Jeſu Chriſti, qui apoſtolis ſuis ait, vos eſtis ſal terræ, &c.

Benedictio ſalis.

Domine Deus Pater omnipotens, benedic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum, & ei ſalubrem medicinam immitte, ut ad animæ & corporis ſe ſumentium perficiat ſanitatem. Per.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, ut repellas diabolum, &c.

Benedictio aquæ.

Domine ſancte, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum elementum hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eum tuæ pietatis Spiritu ſanctifices, atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aſperſa, gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per.

Oratio ſuper cineres.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, &c.

Tunc miſceatur ſal & cinis dicendo:

Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta fit ſanctificata ad conſecrationem hujus altaris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Sequitur oratio.

Deus invictæ virtutis auctor & inſuperabilis imperii rex, &c.

Benedictio vini.

Deus omnipotens qui in Chana Galileæ ex aqua uinum feciſti, qui es vitis vera, bene † dicere & ſanctificare digneris hanc creaturam vini, ut ubicumque fuſa fuerit, vel a quolibet potata, divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur Salvator mundi. Qui vivis, &c.

Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat:

Fiat commixtio aquæ & vini ad conſecrationem hujus altaris in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Benedictio aquæ vino mixtæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator humani generis, & dator gratiæ ſpiritualis, atque largitor æternæ ſalutis, mitte

Spiritum tuum ſanctum ſuper hoc vinum cum aqua, ſale, & cinere mixtum, ut armatum cæleſtis defenſione virtutis ad conſecrationem hujus altaris proficiat. Per.

Tunc ingrediens pontifex ad aram faciat crucem cum pollice & ipſa aqua in medio ejus dicens:

Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & in honore & memoria ſanctorum ill. Amen. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde per quatuor cornua altaris faciat crucem, & aſpergat ſepties cum yſopo, ideſt aſperſorio yſopi, ſicut ſuperius continetur, cantando Aſperges, Miſerere mei Deus *totum ſine* Gloria. *Deinde dicat antiphonam ante altare*, Introibo ad altare Deus, &c. *Pſal.* Judica, &c. *totum dicatur cum* Gloria Patri. *Et fundat de ipſa aqua ad baſim altaris, & faciat camentum ad recludendas reliquias, ut in conſecratione eccleſiæ. Cum autem redierit ad oſtium, non dicat orationem, ſed introeundo dicat ſchola* ingredimini benedicti Domini quia, &c. *Lapis quo obſtruitur os vel foramen altaris, ungatur de chriſmate in quatuor angulis interioribus & foramen ſimiliter. Poſtea recondat eas, & cantet antiphonam* Exultabunt ſancti in gloria, &c. *Pſal.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus, &c. *Et antequam recludantur, dicat orationem* Deus qui in omni loco dominationis tuæ dedicator aſſiſtis, &c. *Et dum recluduntur cantent antiphonam* Sub altari Domini ſedes accipitis, &c.

Oratio.

Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum æternum majeſtatis tuæ condis habitaculum, &c.

Poſtea firmetur menſa cum calce, & offeratur incenſum cantando ℟. Dirigatur oratio mea, ſicut &c. ℣. Elevatio manuum, &c. *Offertorium.* Stetit angelus, &c. *Dehinc offeratur oleum & chriſma, & fiant unctiones cum oratione, ut in conſecratione eccleſiæ.*

Conſecretur & ſanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & in honore ſanctorum ill. ut per eorum merita & interceſſionem fiant hic hoſtiæ ſuper oblata & libamina accepta ad purgationem peccatorum noſtrorum & eorum pro quibus offerentur. Pax tecum. Amen.

Et dicat pontifex antiphonam Erexit Jacob lapidem, &c. *Pſal.* Quam dilecta, &c. *Et incenſat pontifex cum thuribulo per ſingulas unctiones, & ſemper ſacerdos preparatus fiat cum incenſo per circuitum altaris donec conſecratio finiatur. Iterum autem de eodem oleo perungat lapidem pontifex ſicut ſuperius cantando antiphonam* Mane ſurgens Jacob erigebat, &c. *Pſal.* Deus noſter refugium. *Hoc facto, offeratur chriſma, & ſimiliter ſicut de oleo perungat ipſum lapidem cantando antiphonam* Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, &c. *Pſal.* Fundamenta, &c. *Ad liniendum altare cum manu totum dicit pontifex:* Ædificavit Moſes, &c. *Pſal.* Lauda Jeruſalem *cum* Gloria *quæ in ſuperioribus pſalmis non dicitur. Hoc facto, dicat pontifex* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Digitized by Google

Oratio.

Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur dilectiſſimi fratres ut hoc altare, &c.

Alia oratio.

Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua, Levate. *Hic ponitur incenſum in medio, & in quatuor angulis in modum crucis, & incendatur, & dicatur* Alleluia, ℣. Veni ſancte Spiritus, *ut ſupra.*

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus, in cujus honore altare hoc conſecramus, clemens, &c.

Qua finita, dicatur iſta præfatio S. Ambroſii epiſcopi alta voce.

Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Vere dignum & juſtum eſt, &c. Domine ſancte Pater omnipotens & clemens, cujus nec initium nec finis advertitur, qui tantus es quantus eſſe voluiſti. *Deinde dicatur antiphona* Confirma hoc Deus, &c. *Et ungatur altare cum chriſmate, ſicut ſuperius in fronte à parte ſacerdotis, & dicatur oratio.*

Lapidem hunc, fratres dilectiſſimi, in quo unguentum ſacræ unctionis effunditur, &c.

Poſtea benedicat linteamina ſeu vaſa ſacris altaris.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia & neceſſaria, &c.

Alia oratio ſuper vaſa.

Exaudi, Domine, preces noſtras, Pater clementiſſime, &c.

His finitis, pontifex cum clero cantet antiphonam: Corpora ſanctorum, &c. *Item* ℟. Ecce mihi Dominus in refugium, &c. ℣. Si reverſus fuero, &c. *Poſtea offeratur incenſum, & cantet præſul antiphonam:* Omnis terra adoret te, &c. *Sequitur oratio.* Deſcendat, quæſumus Domine, Deus noſter, &c. *Oratio poſt velatum altare:* Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, &c.

Qua finita, dicitur ad miſſam officium.

Dicit Dominus ſermones mei, quos dedi in os tuum non deficient, &c. *Pſal.* Miſericordias Domini, &c. Gloria.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & ad ſanctificandum nomini tuo huic altari benignus adeſto, ut ſacramentorum hic virtus & votorum omnium obtineatur effectus. Per.

Lectio Iſaiæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus in illa die deferetur munus Domini exercituum, &c. ℟. Tollite hoſtias. ℣. Revelavit, &c. alleluia. Redemtionem.

Secundum Matthæum.

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Amen dico vobis, niſi abundaverit, &c. *Offert.* Sanctificavit Moyſes altare, &c.

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dicatum cæleſtis

ſtis virtutis benedictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut hic ſacramentorum virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Præfatio.

Æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem te ſupplices deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cæleſti benedictione ſanctifices, &c.

Benedictio ſuper populum.

Omnipotens Deus, qui vos hodierna die ad conſecrationem iſtius altaris dignatus eſt adunare; ipſe vos cæleſti benedictione dignetur locupletare. Amen.

Concedat vobis fieri templum ſuum & habitaculum Spiritus-ſancti, qui proprium filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro vobis elegit crucifigi. Amen.

Quatinus mente & corpore pariter purificati, habitatorem Deum in vobiſmetipſis ſemper habere poſſitis, & æternæ beatitudinis hæreditatem cum ſanctis & electis poſſidere valeatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Communio. Tollite hoſtias, & introite, &c.

Ad complendum.

Deſcendat quæſumus, Domine, Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda purificet. Per.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ annorum circiter 300.

ORDO AD CONSECRANDUM ALTARE SIVE ECCLESIA.

E*Piſcopus ornamentis pontificalibus indutus ad locum ubi menſa menſali cooperta cum ceteris, ut ſupra, pro aqua pontificali benedicenda, diſpoſita eſt coram altari, procedat dicens :* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. Dominus vobiſcum, Oremus Virtutum cæleſtium : eus, &c. Oremus Deus qui ineffabilis obſervantia ſacramenti,&c. *Deinde flexis genibus incipiat epiſcopus, clero proſequente, antiphonam* Veni ſancte Spiritus, &c. *Quo facto, ſurgat epiſcopus, & dicat,* ℣. Verbo Domini cæli firmati ſunt, &c. Oremus. Actiones noſtras, &c. *Epiſcopus.* Deus in adjutorium meum, &c. Gloria Patri *ſine* alleluia. [Ad marginem recentiori manu: *Hoc dicat trina voce ſemper exaltando vocem aliquantulum.*]

Poſt hæc proſternat ſe epiſcopus, & dicat letaniam in qua ſuo loco ſurgat, & dicat : Ut altare iſtud bene ✝ dicere, ſancti ✝ ficare, & conſe ✝ crare digneris. *Iſtud ter repetatur. Poſt hoc reponat ſe epiſcopus uſque ad finem letaniæ : qua dicta ſurgat, & aquam pontificalem benedicat hoc modo :* Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apoſtolis

Caput XVI. De Bened. altaru.

ſuis ait. *Item ad ſal.* Domine Deus Pater omnipotens benedic hanc creaturam ſalis. *Item exorciſmus aquæ.* Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Item alia.* Domine Deus Pater omnipotens &c. *Ad cineres.* Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, &c. *Hic miſceatur ſal & cineres, & faciat de eis ter crucem ſuper aquam, & dicat:* Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ad conſecrationem hujus altaris vel cemeterii, vel horum altarium in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti † ſit ſanctificata & ſalutare efficiatur ſacramentum.

Conſequenter ſuper hæc tria commixta dicatur hæc oratio. Oremus. Deus invictæ virtutis auctor, &c. *Benedictio vini.* Domine Jeſu Chriſte qui es vitis. *Hic miſceat vinum & aquam, & dicat:* Fiat commixtio vini & aquæ benedictorum pariter ſalutare ſacramentum ad conſecrationem hujus altaris, vel cæmeterii, vel horum altarium in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti †. Amen. Oremus Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, in cujus domo. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator, &c.

Poſt hæc circumcingatur panno lineo, mundo & novo, & accepta aqua benedicta in urceolo ſive in ampulla accedat ad altare incipiens clero proſequente antiphonam ſequentem: Introibo ad altare Dei, &c. *Item incipiat offertorium.* Sanctificavit Moyſes, &c. *Poſtquam hanc ultimam antiphonam vel offertorium incepit, fundat de aqua pontificali ſuper medium ipſius altaris, & dicat:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus faciens per aquam crucem, dicat:* Sanctificetur hoc altare in nomine Patris † & Filii † & Spiritus- † ſancti Amen. *Sic fiat ad quodlibet cornu altaris. Deinde aſpergat altare ſuperius tribus vicibus, clero cantante* Aſperges me. *Quo facto, detergatur altare cum panno lineo, & reponat ſe epiſcopus ſuper ſedem ſuam; & apportentur reliquiæ cum luminaribus & * accenſo clero cantante antiphonam.* O quam glorioſum, &c. *Item clerus cantet antiphonam* Venite ſancti Dei, &c. *Cum vero reliquiæ ipſi epiſcopo præſentatæ fuerint, dicat* ℣. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. *Clerus.* Glorioſus in majeſtate ſua. *Epiſcopus.* Oremus. Fac nos, Domine, ſanctorum tuorum, &c.

* *f.* incenſo.

Deinde parent cæmentum cum calce, arena, & aqua benedicta. Si vero cæmentum jam per alium factum ſit, ſaltem epiſcopus ſpargat illud cum aqua pontificali, & ſignet ſepulcrum altaris per quatuor angulos ejuſdem de ſacro chriſmate ad quemlibet angulum dicat: Pax tecum. *Clerus.* Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus.* Conſecretur hoc ſepulcrum in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti †. Amen. *Hoc epiſcopo faciente, interim clerus cantet antiphonam* Exultabunt ſancti, &c. *Pſal.* Cantate. Exultabunt. Gloria Patri, &c. *Signato ſepulcro cum chriſmate, ut prædictum eſt, imponat reliquias cum tribus granis thuris & ſigillo ſuo pontificali; & lapidem qui ſigillum altaris dicitur cum chriſmate ſignet dicens:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſecretur hic lapis in nomine Patris † & Filii † & Spiritus ſancti † Amen. *Quo ſignato, ipſum imponat in ſepulcrum cum cæmento liniens, circumquaque, & dicat:* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui omni loco dominationis tuæ, &c. *Poſtea ſur-*

Digitized by Google

gat & incenſet ſepulcrum concluſum incipiens, clero proſequente antiphonam: Dirigatur Domine, &c. *Item thurificet & incipiat clero proſequente antiphonam ſequentem:* Erexit Jacob, &c. Quam dilecta. Erexit. *Poſtquam epiſcopus prædictam antiphonam inceperit; cum ſacro oleo inungat altare circa medium, & in quatuor cornibus altaris cum pollice faciens crucem, & dicat:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſe † crare & ſancti † ficare digneris, Domine, lapidem iſtum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Hic incenſet altare, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. Omnipotens ſempiterne Deus altare iſtud quod in honore nominis tui, &c. *Item epiſcopus de eodem oleo in eiſdem locis ſignet altare, & incipiat, clero proſequente, Antiphonam:* Mane ſurgens. *Incepta antiphona prædicta, dicat epiſcopus ad medium, & ad quodlibet cornu altaris, ut ſupra:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſecrare & ſanctificare. *Quo facto, incenſet altare epiſcopus, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, &c. *Hic epiſcopus cum ſacro chriſmate in eiſdem locis ut ſupra ſignet altare, & incipiat, clero proſequente antiphonam.* Ecce odor filii mei, &c. *Pſ.* Fundamenta. Ecce odor. *Incepta antiphona iſta ſignando altare dicat, ut ſupra,* Conſecrare & ſanctificare. *Et poſtea cum pollice ſuo ſacrum chriſma & ſacrum oleum invicem commiſceat, & confricet in illis quinque locis. Deinde thurificat altare, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. Quæſumus omnipotens Deus in quorum videlicet N. & N. honore, &c. *Item thurificet altare, & incipiat, clero proſequente antiphonam:* Aſcendit fumus, &c. *Item antiphonam.* Ædificavit Moyſes. *Pſal.* Fundamenta. *Item dicat epiſcopus cum nota,* Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Et propenſiori cura & attentiori famulatu, &c. *Item hic imponatur incenſum de liquis, thure, & ſtupa in medio, & in quatuor cornibus altaris, clero cantante antiphonam,* Aſcendit fumus, &c. *Item thurificet & incipiat clero proſequente ℟. ſicut ſequitur ſine ℣.* Ecce odor filii mei, &c. *Poſt hac dicat:* Oremus. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens & propitius preces, &c. *Item epiſcopus.* Oremus. Majeſtatem tuam, Domine, humiliter imploramus, &c. *Item thurificet altare & incipiat, clero proſequente, antiphonam:* Confirma hoc Deus, &c. Gloria Patri. Confirma. *Epiſcopus dicat:* Oremus. Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, &c.

Hic purgetur altare de incenſo deſuper aduſto, projiciantur reliquiæ incenſi ad ignem, & incipiatur antiphonam Corpora ſanctorum in pace, &c. Gloria Patri. *Hic epiſcopus thurificet ſepulcrum altaris, id eſt ubi reliquiæ concluſæ ſunt, & poſtea dicat:* Oremus. Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c. *Hic ſuper ponantur pallæ altaris, epiſcopo incipiente, cum ℣.* Circumdate Sion. *Epiſcopus ſubjungat dicens:* Oremus. Deſcendat quæſumus, &c. *Item epiſcopus incipiat flexit genibus & oſculato altari antiphonam:* Omnis terra adoret te, &c. *Iſtam antiphonam ter epiſcopus incipiat clero totiens proſequente & qualibet vice thu-*

CAPUT XVI. *De Bened. altaris.*

rificet altare, & poſtea officium illud concludat dicens: Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, &c. *His ita expeditis, concludat, & det benedictionem ſuper populum dicens:* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum, &c. *Epiſcopus.* Benedictio Dei omnipotentis, Patris † & Filii † & Spiritus- † Sancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. Amen.

Circa iſtud officium eſt notandum quod ſi plura altaria in eccleſia ſimul conſecranda ſint, quicquid hic dictum eſt poſt benedictionem aquæ ad quodlibet altare fiat ſigillatim & complete, quia mutare numerum ſingularem in pluralem & per hoc plura, & per hoc ſimul plura conſecrare altaria temerarium reputo & incautum; eo quod forma verborum ſacramentum principaliter efficiens à chriſto vel ab eccleſia inſtituta, nec augeri debet, nec minui, nec mutari.

CAPUT XVII.

De benedictione altaris portatilis.

CAP. XVII. *De bened. altaris portat.* Altarium portatilium antiquitas.

I. PRÆTER altaria fixa, de quibus hactenus, fuerunt & alia *portatilia, geſtatoria,* aut *itineraria* dicta, quorum originem ad octavum ſæculum referunt nonnulli. Verum longe altius, immo ad ipſa eccleſiæ naſcentis incunabula illorum inſtitutionem eſſe repetendam, uſumque portatilium fixis altaribus multo præiviſſe, nemini dubium eſſe debet. Nam cum primis ſæculis chriſtianis nulla eſſent templa, nulla ad ſacros conventus ſtata & permanentia loca, ſed ut ait apud Euſebium lib. 7. cap. 22. Dionyſius Alexandrinus, [quivis locus, ager, inquam, ſolitudo navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacras ſynaxes peragendas] eſſet. Portatoriis altaribus & ad quemlibet locum facile tranſferendis uti neceſſe erat. Verum reddita eccleſiæ pace, conſtructiſque principum munificentia ſuperbis baſilicis; quæ mobilia pene hactenus fuerant, cæperunt in fixa commutari altaria, geſtatoriis factis rarioribus. Sed ea poſtmodum revocavit & neceſſitas itinerum, & altarium fixorum & conſecratorum defectus: Unde venerabilis Beda in Hiſtor. Anglor. lib. 5. cap. 11. agens de duobus Evvaldis, [cotidie, inquit, ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerebant, habentes ſecum vaſcula & tabulam altaris vice dedicatam.] Jam vero qualis eſſet eorum materia, qualis forma & figura paucis veterum teſtimoniis aperio.

Materia.

II. Materiam clare enuntiat Hincmarus Remenſis archiepiſcopus in ſuo tertio Capitulari art. 3. ſtatuens, ut [nemo presbyterorum in altario ab epiſcopo non conſecreto cantare præſumat. Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec eccleſia vel altaria conſecrentur, & in ca-

De Bened. altaris portat.

pellis etiam quæ conſecrationem non merentur, tabulam quiſque preſbyter, cui neceſſarium fuerit, *de marmore vel nigra petra aut litio honeſtiſſimo* ſecundum ſuam poſſibilitatem honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum offerat, quam ſecum cum expedierit deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum eccleſiarum agere valeat.] Et codex ms. cœnobii Dionyſiani prope Lutetiam Pariſiorum, in quo Carolus Calvus prædicto monaſterio contuliſſe dicitur [altare portatile de marmore porphyretico, per quadrum auro incluſo, quatuor pedes habente, atque in eos pretioſas auro reliquias incluſit.]

Figura.

III. Ex hoc teſtimonio non modo materiam altarium portatilium, ſed etiam figuram diſcimus, quadratam ſcilicet, quatuor circiter pedum. Hujuſmodi videtur fuiſſe altare S. VVlfranni Senonenſis epiſcopi, quod poſtmodum Fontanellenſi legavit monaſterio, [altare conſecratum in quatuor angulorum locis, & in medio reliquias continens ſanctorum in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat.] Ad ejuſdem monaſterii abbatem ſcribens Ivo Carnotenſis epiſcopus epiſt. 72. & ad Fiſcamnenſem epiſt. 80. quædam habet quæ ad formam altarium portatilium revocanda videntur. [Hæc enim altaria, inquit, ſcilicet portatilia, non aliter conſecramus, niſi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti ſubſtratorio compacta & firmiter ſint affixa. His conſentit S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 159. ad VVillelmum abbatem: [Cavendum exiſtimo ne altare geſtatorium conſecretur ſine fundamento, quod multi cuſtodiunt, & fere ubique cuſtoditur:] addit nihilominus: [quamvis in Normannia cum ibi eram, non ſervaretis, ſed nudi lapides nuſquam affixi conſecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo.] Quod ſpectat ad ritus in eorum benedictione ſeu conſecratione obſervari ſolitos, eos abunde ſupplent ſequentes ordines.

ORDO I.

Ad benedicendum altare geſtatorium.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cameracenſis annorum 500.

CONSECRATIO ALTARIS GESTATORII.

ASperges me, Domine, hyſſopo, &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus.
Sequitur ſchola.

Antiph. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Pſal.* Judica me Deus & diſcerne.

His ita peractis, extergitur menſa mundo linteo. Poſtea offeratur incenſum. Et dum epiſcopus facit crucem ſuper altare, dicit antiphonam Dirigatur, Domine, oratio mea ad te.

Tum de oleo ſanctificato faciat epiſcopus crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, & ungat totum ipſum lapidem in manu ſua

CAPUT XVII. De Bened. altaris portat.

de oleo ſanctificato, & interim cantent antiphonam: Erexit Jacob titulum fundens oleum deſuper. *Pſal.* Quam dilecta. *Et ſemper ſacerdos præparatus faciat incenſum per circuitum altaris, donec conſecratio finiatur.*

Iterum autem de eodem oleo perungat lapidem epiſcopus ſicut prius cantando antiphonam: Mane ſurgens Jacob. *Pſal.* Deus noſter refugium & virtus. *Hoc facto, offeratur chriſma & ſimiliter ſicut de oleo perungat lapidem cantando antiph.* Ecce odor filii mei, &c. *Pſal.* Fundamenta.

Deinde dicit epiſcopus hanc orationem.

Conſecretur & ſanctificetur, quæſumus Domine, hoc altare ad laudem & gloriam nominis tui, in honorem & venerationem omnium ſanctorum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem. Qui vivis & regnas, per omnia.

Iterum offerat incenſum cantans antiph. Ædificavit Moyſes. *Hoc dicto dicat epiſcopus:* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, &c.

Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Deinde ſequitur altaris conſecratio.* Deus omnipotens in cujus honore altare hoc conſecramus, &c. Poſtulata concedas. Per.

Deinde dicitur antiph. Confirma hoc Deus, &c.

Conſecratio altaris.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, &c.

Alia.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, &c. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Surſum corda, &c. *ut in Pontif. Rom.*

Benedictio altaris.

Majeſtatem tuam, Domine, &c.

Benedictio tabulæ.

Deum omnipotentem fratres dilectiſſimi, &c.

His finitis, cantet antiph. Corpora ſanctorum, &c. *Poſtea offeratur incenſum, & facta cruce ſuper altare, dicatur antiph.* Omnis terra adoret te, Deus & pſallat tibi. *Et dicit præſul hanc orationem.*

Deſcendat quæſumus Domine, Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet & ſumentium corda purificet.

Oratio poſt velatum altare.

Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dicatum, &c.

Digitized by Google

ORDO II.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria.

Benedictio altaris itinerarii.

IN primis aſpergatur aqua benedicta lapis conſecrandus, & tabula in qua infigi debet, & tunc cantetur antiphona: Aſperges me, Domine, *cum pſalmo* Miſerere. *Sequitur oratio.*

Deum omnipotentem fratres dilectiſſimi, &c. *ut in Ord. Rom.*

Alia oratio.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hic quoque aſpergatur lapis & tabula aqua benedicta ſicut prius, & ponatur incenſum in thuribulo, & ſine intermiſſione fiat incenſum, donec ipſius altaris conſecratio finiatur.

Sequitur oratio.

Exaudi nos Deus noſter, &c. *ut in Ord. Rom.*

Finita hac oratione, crucem faciat cum pollice ſuo de aqua benedicta in medio, & per quatuor cornua altaris ſic dicens: Sanctificetur hic lapis in nomine Patris, & Filii & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequitur oratio.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hac expleta, faciat cum pollice crucem de chriſmate in medio, & in quatuor angulis confeſſionis quæ eſt in ipſa tabula, ubi reliquiæ ſunt recondendæ ſic dicens: Conſecretur hoc ſepulcrum in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde recondat reliquias cum tribus granis incenſi, & cantet antiphonas:* Sub altare Dei. Exultate Deo adjutori.

Oratio poſt impoſitas reliquias.

Deus qui altaria nomini tuo dicanda, &c. *ut in Ord. Rom.*

Et accipiens lapidem deſuptus confirmet eum cum pollice de chriſmate crucem faciendo dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Et ſemper faciat incenſum. Tunc ponat lapidem ſuper reliquias, & conſequenter dicat: Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum, &c. *ut in Ord. Rom.*

Deinde liniat eum cum calce præparata cum tegula & aqua benedicta, ſicut dictum eſt in dedicatione eccleſiæ. Et poſtquam linitum fuerit & firmatum, faciat crucem cum pollice de chriſmate in medio, & per quatuor cornua altaris dicens: Sanctificetur hoc altare in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc*

CAPUT XVI. De Bened. altaris.

ctus pontifex & extendens manum faciat ſignum crucis ſuper tabulam & columnam ter dicens: Ut altare hoc ad honorem nominis tui conſecrandum bene ✝ dicere & conſecrare digneris. Te rogamus audi nos.

Finitis letaniis ſurgat pontifex, & ſtans ante altare non dicat Dominus vobiſcum, *ſed tantum ter* Deus in adjutorium *cum* Gloria *ſine* alleluia. *Tunc benedicat ſalem & aquam miſcendo vinum & cinerem, ſicut in prima dedicatione, ſed ubique mentio eccleſiæ excipiatur.*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini Jeſu Chriſti, qui apoſtolis ſuis ait, vos eſtis ſal terræ, &c.

Benedictio ſalis.

Domine Deus Pater omnipotens, benedic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum, & ei ſalubrem medicinam immitte, ut ad animæ & corporis ſe ſumentium perficiat ſanitatem. Per.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, ut repellas diabolum, &c.

Benedictio aquæ.

Domine ſancte, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum elementum hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eum tuæ pietatis Spiritu ſanctifices, atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aſperſa, gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per.

Oratio ſuper cineres.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, &c.

Tunc miſceatur ſal & cinis dicendo:

Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ſit ſanctificata ad conſecrationem hujus altaris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Sequitur oratio.

Deus invictæ virtutis auctor & inſuperabilis imperii rex, &c.

Benedictio vini.

Deus omnipotens qui in Chana Galilææ ex aqua uinum feciſti, qui es vitis vera, bene ✝ dicere & ſanctificare digneris hanc creaturam vini, ut ubicumque fuſa fuerit, vel a quolibet potata, divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur Salvator mundi. Qui vivis, &c.

Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat:

Fiat commixtio aquæ & vini ad conſecrationem hujus altaris in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Benedictio aquæ vino mixtæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator humani generis, & dator gratiæ ſpiritualis, atque largitor æternæ ſalutis, mitte

Spiritum tuum ſanctum ſuper hoc vinum cum aqua, ſale, & cinere mixtum, ut armatum cæleſtis defenſione virtutis ad conſecrationem hujus altaris proficiat. Per. *Caput XVI. De Bened. altaris.*

Tunc ingrediens pontifex ad aram faciat crucem cum pollice & ipſa aqua in medio ejus dicens:

Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & in honore & memoria ſanctorum ill. Amen. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde per quatuor cornua altaris faciat crucem, & aſpergat ſepties cum yſopo, ideſt aſperſorio yſopi, ſicut ſuperius continetur, cantando Aſperges, Miſerere mei Deus *totum ſine* Gloria. *Deinde dicat antiphonam ante altare,* Introibo ad altare Deus, &c. *Pſal.* Judica, &c. *totum dicatur cum* Gloria Patri. *Et fundat de ipſa aqua ad baſim altaris, & faciat cæmentum ad recludendas reliquias, ut in conſecratione eccleſiæ. Cum autem redierit ad oſtium, non dicat orationem, ſed introeundo dicat ſchola* Ingredimini benedicti Domini quia, &c. *Lapis quo obſtruitur os vel foramen altaris, ungatur de chriſmate in quatuor angulis interioribus & foramen ſimiliter. Poſtea recondat eas, & cantet antiphonam* Exultabunt ſancti in gloria, &c. *Pſal.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus, &c. *Et antequam recludantur, dicat orationem* Deus qui in omni loco dominationis tuæ dedicator aſſiſtis, &c. *Et dum recluduntur cantent antiphonam* Sub altari Domini ſedes accipitis, &c.

Oratio.

Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum æternum majeſtatis tuæ condis habitaculum, &c.

Poſtea firmetur menſa cum calce, & offeratur incenſum cantando ℟. Dirigatur oratio mea, ſicut &c. ℣. Elevatio manuum, &c. *Offertorium.* Stetit angelus, &c. *Dehinc offeratur oleum & chriſma, & fiant unctiones cum oratione, ut in conſecratione eccleſiæ.*

Conſecretur & ſanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & in honore ſanctorum ill. ut per eorum merita & interceſſionem fiant hic hoſtiæ ſuper oblata & libamina accepta ad purgationem peccatorum noſtrorum & eorum pro quibus offerentur. Pax tecum. Amen.

Et dicat pontifex antiphonam Erexit Jacob lapidem, &c. *Pſal.* Quam dilecta, &c. *Et incenſat pontifex cum thuribulo per ſingulas unctiones, & ſemper ſacerdos preparatus fiat cum incenſo per circuitum altaris donec conſecratio finiatur. Iterum autem de eodem oleo perungat lapidem pontifex ſicut ſuperius cantando antiphonam* Mane ſurgens Jacob erigebat, &c. *Pſal.* Deus noſter refugium. *Hoc facto, offeratur chriſma, & ſimiliter ſicut de oleo perungat ipſum lapidem cantando antiphonam* Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, &c. *Pſal.* Fundamenta, &c. *Ad liniendum altare cum manu totum dicit pontifex:* Ædificavit Moſes, &c. *Pſal.* Lauda Jeruſalem *cum* Gloria *quæ in ſuperioribus pſalmis non dicitur. Hoc facto, dicat pontifex* Oremus. *Et diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Digitized by Google

lestis virtutis benedictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut hic ſacramentorum virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Caput XVI. De Bened. altaris.

Præfatio.

Æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem te ſupplices deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cæleſti benedictione ſanctifices, &c.

Benedictio ſuper populum.

Omnipotens Deus, qui vos hodierna die ad conſecrationem iſtius altaris dignatus eſt adunare; ipſe vos cæleſti benedictione dignetur locupletare. Amen.

Concedat vobis fieri templum ſuum & habitaculum Spiritus-ſancti, qui proprium filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro vobis elegit crucifigi. Amen.

Quatinus mente & corpore pariter purificati, habitatorem Deum in vobiſmetipſis ſemper habere poſſitis, & æternæ beatitudinis hæreditatem cum ſanctis & electis poſſidere volutis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Communio. Tollite hoſtias, & introite, &c.

Ad complendum.

Deſcendat quæſumus, Domine, Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda purificet. Per.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Moguntinæ annorum circiter 300.

ORDO AD CONSECRANDUM ALTARE SIVE ECCLESIA.

Epiſcopus ornamentis pontificalibus indutus ad locum ubi menſa menſali cooperta cum ceteris, ut ſupra, pro aqua pontificali benedicenda, diſpoſita eſt coram altari, procedat dicens: Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. Dominus vobiſcum, Oremus Virtutum cæleſtium: eus, &c. Oremus Deus qui ineffabilis obſervantia ſacramenti,&c. *Deinde flexis genibus incipiat epiſcopus, clero proſequente, antiphonam* Veni ſancte Spiritus, &c. *Quo facto, ſurgat epiſcopus, & dicat,* ℣. Verbo Domini cæli firmati ſunt, &c. Oremus. Actiones noſtras, &c. *Epiſcopus.* Deus in adjutorium meum, &c. Gloria Patri *ſine* alleluia. [Ad marginem recentiori manu: *Hoc dicat trina voce ſemper exaltando vocem aliquantulum.*]

Poſt hæc proſternat ſe epiſcopus, & dicat letaniam in qua ſuo loco ſurgat, & dicat: Ut altare iſtud bene † dicere, ſancti † ficare, & conſe † crare digneris. *Iſtud ter repetatur. Poſt hoc reponat ſe epiſcopus uſque ad finem letaniæ: qua dicta ſurgat, & aquam pontificalem benedicat hoc modo:* Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apoſtolis

Digitized by Google

CAPUT XVI. *De Bened. altaris.*

ſuis ait. *Item ad ſal.* Domine Deus Pater omnipotens benedic hanc creaturam ſalis. *Item exorciſmus aquæ.* Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Item alia.* Domine Deus Pater omnipotens &c. *Ad cineres.* Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, &c. *Hic miſceatur ſal & cineres, & faciat de eis ter crucem ſuper aquam, & dicat:* Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ad conſecrationem hujus altaris vel cemeterii, vel horum altarium in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti † ſit ſanctificata & ſalutare efficiatur ſacramentum.

Conſequenter ſuper hæc tria commixta dicatur hæc oratio. Oremus. Deus invictæ virtutis auctor, &c. *Benedictio vini.* Domine Jeſu Chriſte qui es vitis. *Hic miſceat vinum & aquam, & dicat:* Fiat commixtio vini & aquæ benedictorum pariter ſalutare ſacramentum ad conſecrationem hujus altaris, vel cæmeterii, vel horum altarium in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti †. Amen. Oremus Deum omnipotentem, fratres cariſſimi, in cujus domo. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator, &c.

Poſt hæc circumcingatur panno lineo, mundo & novo, & accepta aqua benedicta in urceolo ſive in ampulla accedat ad altare incipiens clero proſequente antiphonam ſequentem: Introibo ad altare Dei, &c. *Item incipiat offertorium.* Sanctificavit Moyſes, &c. *Poſtquam hanc ultimam antiphonam vel offertorium incepit, fundat de aqua pontificali ſuper medium ipſius altaris, & dicat:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus faciens per aquam crucem, dicat:* Sanctificetur hoc altare in nomine Patris † & Filii † & Spiritus- † ſancti Amen. *Sic fiat ad quodlibet cornu altaris. Deinde aſpergat altare ſuperius tribus vicibus, clero cantante* Aſperges me. *Quo facto, detergatur altare cum panno lineo, & reponat ſe epiſcopus ſuper ſedem ſuam; & apportentur reliquiæ cum luminaribus & * accenſo clero cantante antiphonam.* O quam glorioſum, &c. *Item clerus cantet antiphonam* Venite ſancti Dei, &c. *Cum vero reliquiæ ipſi epiſcopo præſentatæ fuerint, dicat* ℣. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. *Clerus.* Glorioſus in majeſtate ſua. *Epiſcopus.* Oremus. Fac nos, Domine, ſanctorum tuorum, &c.

* *f.* incenſo.

Deinde parent cæmentum cum calce, arena, & aqua benedicta. Si vero cæmentum jam per alium factum ſit, ſaltem epiſcopus ſpargat illud cum aqua pontificali, & ſignet ſepulcrum altaris per quatuor angulos ejuſdem de ſacro chriſmate ad quemlibet angulum dicat: Pax tecum. *Clerus.* Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus.* Conſecretur hoc ſepulcrum in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti †. Amen. *Hoc epiſcopo faciente, interim clerus cantet antiphonam* Exultabunt ſancti, &c. *Pſal.* Cantate. Exultabunt. Gloria Patri, &c. *Signato ſepulcro cum chriſmate, ut prædictum eſt, imponat reliquias cum tribus granis thuris & ſigillo ſuo pontificali; & lapidem qui ſigillum altaris dicitur cum chriſmate ſignet dicens:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſecretur hic lapis in nomine Patris † & Filii † & Spiritus ſancti † Amen. *Quo ſignato, ipſum imponat in ſepulcrum cum cæmento liniens, circumquaque, & dicat:* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui omni loco dominationis tuæ, &c. *Poſtea ſur-*

get & incenſet ſepulcrum concluſum incipiens, clero proſequente antiphonam: Dirigatur Domiue, &c. *Item thurificet & incipiat clero proſequente antiphonam ſequentem:* Erexit Jacob, &c. Quam dilecta. Erexit. *Poſtquam epiſcopus prædictam antiphonam inceperit; cum ſacro oleo inungat altare circa medium, & in quatuor cornibus altaris cum pollice faciens crucem, & dicat:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſe ✝ crare & ſancti ✝ ficare digneris, Domine, lapidem iſtum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Hic incenſet altare, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. Omnipotens ſempiterne Deus altare iſtud quod in honore nominis tui, &c. *Item epiſcopus de eodem oleo in eiſdem locis ſignet altare, & incipiat, clero proſequente, Antiphonam:* Mane ſurgens. *Incepta antiphona prædicta, dicat epiſcopus ad medium, & ad quodlibet cornu altaris, ut ſupra:* Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Conſecrare & ſanctificare. *Quo facto, incenſet altare epiſcopus, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, &c. *Hic epiſcopus cum ſacro chriſmate in eiſdem locis ut ſupra ſignet aleare, & incipiat, clero proſequente antiphonam.* Ecce odor filii mei, &c. *Pſ.* Fundamenta. Ecce odor. *Incepta antiphona iſta ſignando altare dicat, ut ſupra,* Conſecrare & ſanctificare. *Et poſtea cum pollice ſuo ſacrum chriſma & ſacrum oleum invicem commiſceat, & confricet in illis quinque locis. Deinde thurificat altare, & dicat:* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. Quæſumus omnipotens Deus in quorum videlicet N. & N. honore, &c. *Item thurificet altare, & incipiat, clero proſequenee antiphonam:* Aſcendit fumus, &c. *Item antiphonam.* Ædificavit Moyſes. *Pſal.* Fundamenta. *Item dicat epiſcopus cum nota,* Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Et propenſiori cura & attentiori famulatu, &c. *Item hic imponatur incenſum de liquis, thure, & ſtupa in medio, & in quatuor cornibus alearis, clero cantante antiphonam,* Aſcendit fumus, &c. *Item thurificet & incipiat clero proſequente ℟. ſicut ſequitur ſine ℣.* Ecce odor filii mei, &c. *Poſt hæc dicat:* Oremus. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens & propitius preces, &c. *Item epiſcopus.* Oremus. Majeſtatem tuam, Domine, humiliter imploramus, &c. *Item thurificet altare & incipiat, clero proſequente, antiphonam:* Confirma hoc Deus, &c. Gloria Patri. Confirma. *Epiſcopus dicat:* Oremus. Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, &c.

Hic purgetur altare de incenſo deſuper aduſto, projiciantur reliquiæ incenſi ad ignem, & incipiatur antiphonam Corpora ſanctorum in pace, &c. Gloria Patri. *Hic epiſcopus thurificet ſepulcrum altaris, id eſt ubi reliquiæ concluſæ ſunt, & poſtea dicat:* Oremus. Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c. *Hic ſuper ponantur pallæ altaris, epiſcopo incipiente, cum ℣.* Circumdate Sion. *Epiſcopus ſubjungat dicens:* Oremus. Deſcendat quæſumus, &c. *Item epiſcopus incipiat flexis genibus & oſculato altari antiphonam:* Omnis terra adoret te, &c. *Iſtam antiphonam ter epiſcopus incipiat clero totiens proſequente & qualibet vice thu-*

Caput XVI. *De Bened. altaris.*

rificet altare, & poſtea officium illud concludat dicens: Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, &c. *His ita expeditis, concludat, & det benedictionem ſuper populum dicens:* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum, &c. *Epiſcopus.* Benedictio Dei omnipotentis, Patris † & Filii † & Spiritus- † Sancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. Amen.

Circa iſtud officium eſt notandum quod ſi plura altaria in eccleſia ſimul conſecranda ſint, quicquid hic dictum eſt poſt benedictionem aquæ ad quodlibet altare fiat ſigillatim & complete, quia mutare numerum ſingularem in pluralem & per hoc plura, & per hoc ſimul plura conſecrare altaria temerarium reputo & incautum; eo quod forma verborum ſacramentum principaliter efficiens à chriſto vel ab eccleſia inſtituta, nec augeri debet, nec minui, nec mutari.

CAPUT XVII.

De benedictione altaris portatilis.

Cap. XVII. *De bened. altaris portat.* Altarium portatilium antiquitas.

I. PRæter altaria fixa, de quibus hactenus, fuerunt & alia *portatilia, geſtatoria*, aut *itineraria* dicta, quorum originem ad octavum ſæculum referunt nonnulli. Verum longe altius, immo ad ipſa eccleſiæ naſcentis incunabula illorum inſtitutionem eſſe repetendam, uſumque portatilium fixis altaribus multo præiviſſe, nemini dubium eſſe debet. Nam cum primis ſæculis chriſtianis nulla eſſent templa, nulla ad ſacros conventus ſtata & permanentia loca, ſed ut ait apud Euſebium lib. 7. cap. 22. Dionyſius Alexandrinus, [quivis locus, ager, inquam, ſolitudo navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacras ſynaxes peragendas] eſſet. Portatoriis altaribus & ad quemlibet locum facile tranſferendis uti neceſſe erat. Verum reddita eccleſiæ pace, conſtructiſque principum munificentia ſuperbis baſilicis; quæ mobilia pene hactenus fuerant, cœperunt in fixa commutari altaria, geſtatoriis factis rarioribus. Sed ea poſtmodum revocavit & neceſſitas itinerum, & altarium fixorum & conſecratorum defectus: Unde venerabilis Beda in Hiſtor. Anglor. lib. 5. cap. 11. agens de duobus Evvaldis, [cotidie, inquit, ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerebant, habentes ſecum vaſcula & tabulam altaris vice dedicatam.] Jam vero qualis eſſet eorum materia, qualis forma & figura paucis veterum teſtimoniis aperio.

Materia.

II. Materiam clare enuntiat Hincmarus Remenſis archiepiſcopus in ſuo tertio Capitulari art. 3. ſtatuens, ut [nemo presbyterorum in altario ab epiſcopo non conſecreto cantare præſumat. Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec eccleſia vel altaria conſecrentur, & in ca-

pellis etiam quæ conſecrationem non merentur, tabulam quiſque preſbyter, cui neceſſarium fuerit, *de marmore vel nigra petra aut litio honeſtiſſimo* ſecundum ſuam poſſibilitatem honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum offerat, quam ſecum cum expedierit deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum eccleſiarum agere valeat.] Et codex ms. cœnobii Dionyſiani prope Lutetiam Pariſiorum, in quo Carolus Calvus prædicto monaſterio contuliſſe dicitur [altare portatile de marmore porphyretico, per quadrum auro incluſo, quatuor pedes habente, atque in eos pretioſas auro reliquias incluſit.] *De Bened. altaris portat.*

III. Ex hoc teſtimonio non modo materiam altarium portatilium, ſed etiam figuram diſcimus, quadratam ſcilicet, quatuor circiter pedum. Hujuſmodi videtur fuiſſe altare S. VVlfranni Senonenſis epiſcopi, quod poſtmodum Fontanellenſi legavit monaſterio, [altare conſecratum in quatuor angulorum locis, & in medio reliquias continens ſanctorum in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat.] Ad ejuſdem monaſterii abbatem ſcribens Ivo Carnotenſis epiſcopus epiſt. 72. & ad Fiſcamnenſem epiſt. 80. quædam habet quæ ad formam altarium portatilium revocanda videntur. [Hæc enim altaria, inquit, ſcilicet portatilia, non aliter conſecramus, niſi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti ſubſtratorio compacta & firmiter ſint affixa. His conſentit S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 159. ad VVillelmum abbatem: [Cavendum exiſtimo ne altare geſtatorium conſecretur ſine fundamento, quod multi cuſtodiunt, & fere ubique cuſtoditur:] addit nihilominus: [quamvis in Normannia cum ibi eram, non ſervaretis, ſed nudi lapides nuſquam affixi conſecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo.] Quod ſpectat ad ritus in eorum benedictione ſeu conſecratione obſervari ſolitos, eos abunde ſupplent ſequentes ordines. Figura.

ORDO I.

Ad benedicendum altare geſtatorium.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Cameracenſis annorum 500.

CONSECRATIO ALTARIS GESTATORII.

ASperges me, Domine, hyſſopo, &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Sequitur ſchola.*

Antiph. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Pſal.* Judica me Deus & diſcerne.

His ita peractis, extergitur menſa mundo linteo. Poſtea offeratur incenſum. Et dum epiſcopus facit crucem ſuper altare, dicit antiphonam Dirigatur, Domine, oratio mea ad te.

Tum de oleo ſanctificato faciat epiſcopus crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, & ungat totum ipſum lapidem in manu ſua

CAPUT XVII. De Bened. altaris portat.

de oleo ſanctificato, & interim cantent antiphonam: Erexit Jacob titulum fundens oleum deſuper. *Pſal.* Quam dilecta. *Et ſemper ſacerdos preparatus faciat incenſum per circuitum altaris, donec conſecratio finiatur.*

Iterum autem de eodem oleo perungat lapidem epiſcopus ſicut prius cantando antiphonam: Mane ſurgens Jacob. *Pſal.* Deus noſter refugium & virtus. *Hoc facto, offeratur chriſma & ſimiliter ſicut de oleo perungat lapidem cantando antiph.* Ecce odor filii mei, &c. *Pſal.* Fundamenta.

Deinde dicit epiſcopus hanc orationem.

Conſecretur & ſanctificetur, quæſumus Domine, hoc altare ad laudem & gloriam nominis tui, in honorem & venerationem omnium ſanctorum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem. Qui vivis & regnas, per omnia.

Iterum offerat incenſum cantans antiph. Ædificavit Moyſes. *Hoc dicto dicat epiſcopus:* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio.* Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, &c.

Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Deinde ſequitur altaris conſecratio.* Deus omnipotens in cujus honore altare hoc conſecramus, &c. Poſtulata concedas. Per.

Deinde dicitur antiph. Confirma hoc Deus, &c.

Conſecratio altaris.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, &c.

Alia.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, &c. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Surſum corda, &c. *ut in Pontif. Rom.*

Benedictio altaris.

Majeſtatem tuam, Domine, &c.

Benedictio tabulæ.

Deum omnipotentem fratres dilectiſſimi, &c.

His finitis, cantet antiph. Corpora ſanctorum, &c. *Poſtea offeratur incenſum, & facta cruce ſuper altare, dicatur antiph.* Omnis terra adoret te, Deus & pſallat tibi. *Et dicit præſul hanc orationem.*

Deſcendat quæſumus Domine, Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet & ſumentium corda purificet.

Oratio poſt velatum altare.

Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dicatum, &c.

Digitized by Google

ORDO II.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria.

BENEDICTIO ALTARIS ITINERARII.

IN primis aſpergatur aqua benedicta lapis conſecrandus, & tabula in qua infigi debet, & tunc cantetur antiphona : Aſperges me, Domine, *cum pſalmo* Miſerere. *Sequitur oratio.*

Deum omnipotentem fratres dilectiſſimi, &c. *ut in Ord. Rom.*

Alia oratio.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hic quoque aſpergatur lapis & tabula aqua benedicta ſicut prius, & ponatur incenſum in thuribulo, & ſine intermiſſione fiat incenſum, donec ipſius altaris conſecratio finiatur.

Sequitur oratio.

Exaudi nos Deus noſter, &c. *ut in Ord. Rom.*

Finita hac oratione, crucem faciat cum pollice ſuo de aqua benedicta in medio, & per quatuor cornua altaris ſic dicens : Sanctificetur hic lapis in nomine Patris, & Filii & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequitur oratio.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex, &c. *ut in Ord. Rom.*

Hac expleta, faciat cum pollice crucem de chriſmate in medio, & in quatuor angulis confeſſionis quæ eſt in ipſa tabula, ubi reliquiæ ſunt recondendæ ſic dicens : Conſecretur hoc ſepulcrum in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde recondat reliquias cum tribus granis incenſi, & cantet antiphonas :* Sub altare Dei. Exultate Deo adjutori.

Oratio poſt impoſitas reliquias.

Deus qui altaria nomini tuo dicanda, &c. *ut in Ord. Rom.*

Et accipiens lapidem deſuptus confirmet eum cum pollice de chriſmate crucem faciendo dicens : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Et ſemper faciat incenſum. Tunc ponat lapidem ſuper reliquias, & conſequenter dicat : Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum, &c. *ut in Ord. Rom.*

Deinde liniat eum cum calce preparata cum tegula & aqua benedicta, ſicut dictum eſt in dedicatione eccleſiæ. Et poſtquam linitum fuerit & firmatum, faciat crucem cum pollice de chriſmate in medio, & per quatuor cornua altaris dicens : Sanctificetur hoc altare in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc*

Digitized by Google

CAPUT XVII *De Bened. altaris portatil.*

cantet antiphonam: Corpora ſanctorum. Gloria Patri & Filio. *Sequitur.* Lapidem hunc fratres dilectiſſimi, in quo unguentum ſacræ unctionis infunditur, &c. *ut in Ord. Rom.*

Tunc dicat excelſa voce hanc præfationem: Per omnia ſæc. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Præfatio.* Vere dignum, &c. qui poſt offendicula lapſus primi hominis, &c. *ut in Ord. Rom.*

Poſtea ponatur incenſum in medio & in quatuor angulis altaris, & incendatur, & cantetur antiphona: Dirigatur. *Antiph.* Omnis terra. *Deinde dicatur:* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Exultabunt ſancti in gloria. Exultent juſti in conſpectu Dei. Pretioſa in conſpectu Domini. Lætamini in Domino & exultate juſti. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dicatum, &c. *ut in Ord. Rom.*

ORDO III.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis annorum 400.

INCIPIT ORDO DE CONSECRATIONE TABULÆ.

IN *primis parantur quæ ad conſecrationem neceſſaria ſunt, ſal, aqua, cinis, vinum, yſopus, oleum exorciſtarum, & chriſma. Deinde induatur præſul cum miniſtris, & cantet letaniam, & poſt benedicat aquam.*

Exorciſmus ſalis.

Sic incipiat Deus in adjutorium *cum* Gloria *ſine* alleluia.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apoſtolis ſuis ait, vos eſtis ſal terræ, &c.

Benedictio ſalis.

Domine Deus, Pater omnipotens, benedic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum; & ſalubrem medicinam immitte, ut ad animæ & corporis ſumentium proficiat ſanitatem.

Exorciſmus aquæ.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei † Patris, & Filii, † & Spiritus † Sancti, ut repellas, &c.

Benedictio aquæ.

Domine exaudi orationem meam. Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum, &c.

Benedictio cineris.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cuncta benedicenda benedicis, qui cuncta ſanctificanda ſanctificas; benedicere digneris hos cineres, ut in quocumque loco aſperſi fuerint, in tuo nomine ſanctificentur. Per.

Tunc

Tunc miſceatur ſal & cinis, & faciat praſul ter inde crucem ſuper aquam, & dicit: Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ſit ſanctificata ad conſecrationem hujus tabulæ, in nomine Patris, & Filii & Spiritus-ſancti. Amen.

Domine exaudi orationem. Oremus.

Deus invictæ virtutis auctor & inſuperabilis imperii rex, &c.

Benedictio vini antequam miſceatur cum aqua ſale & cinere.

Domine exaudi orationem. Oremus.

Domine Jeſu Chriſte Filii Dei vivi, qui ex quinque panibus & duobus piſcibus, quinque millia hominum ſatiaſti & in Chana Galilææ, &c.

Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat:

Fiat commixtio aquæ & vini ad conſecrationem hujus tabulæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Benedictio aquæ vino mixta.

Domine exaudi orationem. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſervator generis humani, & dator gratiæ ſpiritualis, *&c. ut ſupra in benedictione altera.*

Tunc pontifex cum pollice ſuo de ipſa aqua faciat crucem in medio tabulæ dicens:

Sanctificetur hæc tabula in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde per quatuor cornua ejuſdem tabulæ faciat crucem & cum yſopo aſpergat ipſam tabulam vij. vicibus cantando Aſperges me. *Pſ.* Miſerere mei, *totum.*

Oratio.

Deus qui es viſibilium rerum & inviſibilium omnium conditor, & cunctarum ſanctificationum conſecrator ad dedicationem, &c.

Quo peracto, extergatur ipſa tabula: poſtea deferatur incenſum & ſuccedens cum igne ponat conſecrator per quinque loca ubi prius fecerat crucem de aqua benedicta cantando ℟. Dirigatur. ℣. Elevatio. *Deinde offertorium.* Stetit angelus, *ſine* alleluia. *Tunc conſecrator de oleo ſancto faciat crucem in medio tabulæ, & per quatuor angulos dicens:*

Conſecretur & ſanctificetur hæc tabula in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti in honore ſanctorum ill. ut per eorum merita & interceſſionem fiant hic hoſtiæ ſuper oblata & libamina accepta ad purgationem peccatorum noſtrorum & eorum pro quibus tibi offeruntur. Pax tecum. Amen.

Et cantent antiphonam: Erexit Jacob lapidem, &c. *Pſ.* Quam dilecta: *Et dicat totum ſine* Gloria, *& incenſet conſecrator per ſingulas unctiones. Iterum autem de eodem oleo perungat tabulam conſecrator ſicut prius cantando antiphonam*, Mane ſurgens Jacob, &c. *Pſal.* Deus noſter refugium. *Totum dicatur ſine* Gloria Patri. *Hoc facto, offeratur chriſma & ſimiliter ſicut de oleo perungat tabulam cantando antiphonam:* Ecce odor filii mei, &c. *Pſ.* Fundamenta. *Dum cantat clerus conſecrator dicat:*

Conſe ✝ crare, & ſancti ✝ ficare digneris, Domine, hoc altare per

Caput XVII
De Bened. altaris portat.

iſtam unctionem & noſtram benedictionem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut hujus altaris tui holocauſtum infuſa Sancti Spiritus tui gratia in odorem ſuavitatis aſcendat, & accipientibus atque ſumentibus nobis ſive aliis legitima permaneat euchariſtia, quæ hæreat in viſceribus noſtris & vitam concedat æternam. Per.

Ad liniendam totam tabulam cum manu dicat conſecrator : Ædificavit Moyſes altare, &c. *Pſal.* Lauda Jeruſalem *cum* Gloria Patri *quæ in ſuperioribus pſalmis non dicitur. Hoc facto, dicit conſecrator* Oremus. *Et diaconus :* Flectamus genua. Levate.

Oratio.

Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur dilectiſſimi fratres ut hanc tabulam, &c.

Alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi & reſpice, &c.

Benedictio tabulæ.

Oremus.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus ut metalli ejus expolitam materiem ſupernis ſacrificiis imbuendam ipſe tuæ dotare ſanctificationis ubertate digneris, qui quondam ſcripſiſti lapideis legem in tabulis. Per.

Deinde extollat vocem Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus.

Præfatio.

Æterne Deus, qui poſt offendicula lapſus primi hominis tibi offerri propitiatorii dilinimenta libaminis, &c.

Deinde dicatur antiphona : Confirma hoc Deus, &c. alleluia, *cum* Gloria Patri. *Iterum conſecrator ungat tabulam cum chriſmate in quatuor locis, ac ſic conjungat lapidem cum ligno dicens hanc orationem.*

Oremus.

Deus omnipotens univerſarum rerum rationalis artifex qui inter, &c.

Poſtea offeratur incenſum, & facta cruce cum thuribulo ſuper tabulam dicatur antiphona : Omnis terra, &c. *Et dicit conſecrator orationem quæ ſequitur.*

Deſcendat, quæſumus Domine, Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hanc tabulam, qui & populi tui dona ſanctificet & ſumentium corda purificet. Per.

Digitized by Google

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali eccleſia Moguntinæ.

ORDO AD CONSECRANDUM LAPIDEM ITINERARIUM SIVE ALTARE VIATICUM SECUNDUM QUOSDAM HOC MODO FIERI CONSUEVIT.

P*Rimo dicat epiſcopus* : Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum, &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Deum omnipotentem, fratres dilectiſſimi, votis exultantibus deprecamur, &c. Oremus. Exaudi nos Deus ſaluraris noſter, & precum noſtrarum libenter accipe vota, &c. *Deinde epiſcopus aſpergat tabulam ligneam cum aqua pontificali vel preſbyterali, & thurificet eam, & poſtea ſepulcrum ejuſdem tabula in quatuor angulis ſuis cum ſacro chriſmate ſignet, & dicat :* Pax recum. *Clerus.* Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus.* Conſe † cretur & ſanctificetur † hoc ſepulcrum, in nomina Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Iſtud faciat, & dicat epiſcopus ad quemlibet angulum ſepulcri. Quo facto, imponat reliquias ad ſepulcrum illud cum tribus granis thuris, & dicat :* Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis. ℣. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in eccleſia ſanctorum. Exulrabunt. Gloria Patri. Sicut erat. Exultabunt. *Poſt hæc ſignet lapidem in quatuor angulis ſuis cum ſacro chriſmate, & ad quodlibet ſignum dicat :* Pax tecum. *Clerus.* Et cum ſpiritu tuo. *Epiſcopus.* Conſecrate † & ſanctificare † Domine, lapidem iſtum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Conſignato lapide cum chriſmate ponat eum epiſcopus in ipſum tabulam ligneam concavatam ſuper reliquias, & liniet ſeu conglutinet lapidem cum tabula per aliquam materiam tenacem, vel cum cæmento, & thurificet ipſum lapidem cum tabula dicens* : Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. *Item thurificet ea, & dicat :* Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Dei de manu angeli. *Epiſcopus.* Oremus. Deus qui ex omni coaptione ſanctorum æternum majeſtati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia, & præſta ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adjuvemur. Per. *Item alia oratio.* Lapidem hunc fratres cariſſimi in quo unguentum, &c. *Item alia.* Supplices tibi Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, &c. *Sine nota dicat :* Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Qui poſt offendicula lapſus, &c. *Poſtea dicat epiſcopus & thurificet :* Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt, & vivent nomina eorum in æternum. *Deinde dicat :* Oremus. Deus omnipotens univerſorum rex, rationabilis artifex, &c. *Et epiſcopus concludens hoc officium dicat :* In nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti † benedictus ſis.

Digitized by Google

Caput XVII. *De bened. altaris portat.*

ORDO AD CONSECRANDUM LAPIDEM ITINERARIUM SEU VIATICUM SECUNDUM MOREM ALIQUARUM ECCLESIARUM SINE IMPOSITIONE RELIQUIARUM.

P*Rimo concavatur tabula lignea, & poſtea aptetur deſuper lapis quadratus politus & planus, & imponatur in ipſam tabulam immobiliter & fixe, & dicat epiſcopus ſuper eam:* Adjutorium noſtrum, &c. Sit nomen Domini, &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui ex omni coaptione, *ut ſupra. Item alia.* Supplices tibi, Domine, &c. *ut ſupra. Hic aſpergat & thurificet lapidem dicens*: Dirigatur Domine oratio mea, *ut ſupra. Hoc facto, ſignet lapidem cum chriſmate in quatuor angulis ſuis, & dicat:* Conſecrare † & ſanctificare. † *Poſtquam epiſcopus in medio lapidis & in quolibet angulo ſuo iſtud perfecerit; iterum thurificet lapidem, & dicat:* Aſcendat fumus aromatum, &c. *Sequitur oratio.* Lapidem hunc fratres, *ut ſupra. Item epiſcopus thurificet lapidem, & dicat:* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem. ℣. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Confirma hoc. *Epiſcopus.* Dominus vobiſcum. Oremus. Deus omnipotens, univerſorum rex rationabilis, &c. *His dictis, epiſcopus concludat officium, & dicat*: In nomine Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti† benedictus ſit lapis iſte.

Circa iſta duo officia eſt ſciendum quod ſecundum officium à primo differt principaliter in hoc quod primum imponat reliquias cum ſollemnitate ad hoc debita & conſueta. Hoc autem ſecundum officium nullas reliquias imponit. Verumtamen ſecundum Dominum Oſtienſem & fratrem Johannem in Summis ſuis utrumque tamquam canonicum acceptatur. Mihi autem videtur primum propter tui celebriorem uſum eſſe acceptandum.

CAPUT XVIII.

De altarium confractione.

QUÆ hactenus à nobis de altaribus diſputata ſunt; ea exigunt ut de eorum deſtructione & confractione pauca hic proferamus. Hoc enim expoſcit neceſſaria materiei connexio. *Altaria ſuperflua* in eccleſiis haberi vetant Capitularia regum Francorum aliquot in locis, ut in Capitulari Caroli Magni anno 805. apud Theodonis villam edita cap. 6. & in Collectione Benedicti Levitæ lib. 6. cap. 256. Ea abſolute deſtrui jubet concilium Meldenſe anni 845. aliquando etiam pietatis intuitu vetera, ut magnificentius reſtaurentur, funditus ſubvertuntur, quamvis id abſque pontificum per-

miſſu attentare omnibus etiam abbatibus interdicat concilium Londonenſe anni 1237. can. 1. Immo nonnumquam neglecta altaria in ſanctiorem locum transferre volentes divinitus impediti memorantur, ut apud Hericum monachum in lib. 1. de miraculis S. Germani Autiſſiodorenſis cap. 40. Quia tamen id certis ex cauſis permittit eccleſia, quonam pacto ac ritu hæc altarium confractio perageretur paucis accipe ex ms. Pontificali Moguntino jam laudato.

CAP. XVIII. *De altarium confractione.*

Ordo ad aperiendum sive confringendum altare antiquum ubicumque novum construitur.

IN *primis cantetur quando itur ad altare antiphona :* Surgite de manſionibus veſtris, loca ſanctificate, plebem benedicite, & nos homines peccatores in pace cuſtodite.

Item alia antiphona. Cum jocunditate exibitis, & cum gaudio deducemini. Nam & montes & colles exilient expectantes vos cum gaudio.

Deinde aperto ſanctuario, cantetur antiphona : Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis *cum* ℣. Cantate Domino canticum novum laus ejus in eccleſia ſanctorum. Exultabunt. Gloria Patri. Exultabunt. ℣. Exultent juſti in conſpectu Dei & delectentur in lætitia. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Lætetur eccleſia tua Deus, omnium & horum ſanctorum tuorum confiſa ſuffragiis, atque eorum precibus glorioſis devota permaneat & ſecura conſiſtat. Per.

JAm vero utrum amota altaris menſa, ſuper novam lapidum ſtruem poſita, iterum debeat conſecrari, olim dubitatum eſt. Interrogatus ea de re Ivo Carnotenſis epiſtola 80. ad VVillelmum abbatem Fiſcamnenſem ſic reſpondit : [De motione altaris vel parietum eccleſiæ utrum iteranda ſit conſecratio vel non iteranda, nihil ſcriptum in antiquis regulis reperi. In Collectionibus autem Burchardi VVormacenſis epiſcopi ex concilio Meldenſi capitulo quinto ita ſcriptum reperitur. Altare ſi motum fuerit, eccleſia denuo conſecretur ; parietes vero ſi moti fuerint & non altare, ſalibus tantum exorcizentur.] Deinde remittit ad ea quæ ſcripſerat ea de re ad monachos S. VVandregeſili epiſt. 72. ubi prolato ſupradicto concilii Meldenſis decreto, ita infert : [Quod ſi eccleſia propter motionem ſolius altaris, denuo eſt conſecranda ; quanto magis ipſum altare, quod motum eſt.] Nam Ivonem dumtaxat conſuluit VVillelmus ; ſed Anſelmum etiam Cantuarienſem archiepiſcopum, cui ille lib. 3. epiſt. 159. de propoſita quæſtione ita repoſuit : [De quo quidem, neque in decretis, neque in canonibus, memini me aliquid legiſſe : ſed à quodam epiſcopo audivi, quod in decretis Eugenii papæ legitur, altare motum iterum conſecrandum. De his cum domno papa Urbano

Digitized by Google

CAP. XVIII *De altarium confractione.*

locutus ſum, aſſiſtentibus quibuſdam epiſcopis; ſed papa dicebat, menſam altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum conſecrandam, nec amplius in altare reputandam. Alii vero dicebant tantum reconciliandam, nullam tamen auctoritatem oſtendentes. In hoc autem omnes concordant, quod violato principali, tota eccleſia cum altari iterum conſecranda eſt, nec eccleſia conſecranda eſt ſine conſecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem eccleſia. In his autem omnes concordant, cum quibus locutus ſum, excepta altaris menſa. Item ſi aliqua pars eccleſiæ deſtructa reficitur, aut nova fit, altari immoto, aquam tantum ab epiſcopo aſpergendam dicunt.]

CAPUT XIX.

De benedictione ciborii.

Ex mſ. S. Victoris annorum 500. n. gg. 14.

CAPUT XIX. *De Bened. ciborii.*

P*Ræfatio ciborii, ideſt umbraculi altaris.*

Oremus, fratres dilectiſſimi, Deum rectorem & gubernatorem omnium ſæculorum, ut iſtud inſtrumentum ad honorificentiam nominis ſui compactum placidus ac miſericors illuſtratione vultus ſui benedicere & ſanctificare dignetur. Qui vivit.

Tunc fiat per ſingulas columnas crux de chriſmate dicente epiſcopo.

Sanctificet hoc umbraculum per iſtam unctionem & noſtram benedictionem in nomine Domini.

Oremus, dilectiſſimi, indulgentiam omnipotentis Dei, ut poſtpoſitis humanæ fragilitatis admiſſis conſuetæ miſericordiæ ſuæ munere hoc repoſitorium ſacris altaribus præparatum per unigenitum verbum, virtutem ſcilicet ac ſapientiam ſuam in ſpiritu ſanctificationis ac chriſmate ſacræ unctionis conſecrare dignetur. Qui vivit & regnat.

Poſt hæc circueat cum incenſo canendo antiphonam : Domine ad te dirigatur oratio mea ſicut incenſum.

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui fideli famulo tuo Moiſi præcepiſti ut duo cherubim ſuper arcam teſtamenti collocaret, quam extenſis ad alterutrum alis protegerent verſis vultibus in propitiatorium, quæſumus ineffabilem clementiam tuam, ut hoc tegimen venerandi altaris tui, in quo unigenitus filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris fidelium manibus jugiter immolatur, & ſub quo ſanctorum tuorum corpora reconduntur quæ veraciter fuerunt arca teſtamenti tui receptacula videlicet ſpiritus ſancti per eumdem

conſubſtantialem tibi filium, qui factus eſt vobis à te ſanctificatio & redemtio in virtute ejuſdem ſpiritus veritatis univerſa antiqui hoſtis falſitate cum ſatellitibus ſuis depulſa cum omnibus ornamentis ad ipſum umbraculum pertinentibus, vel ab illo dependentibus aut eidem ſuperpoſitis tua ſancta benedictione perfunde & ſacro incenſi flagramine conſecrare atque ad tuitionem pignerum ſanctorum ac roboranda ſive multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conſervare digneris, annuente Domino noſtro Jeſu Chriſto filio tuo, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejuſdem Spiritus-ſancti Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT XIX. *De bened. ciborii.*

CAPUT XX.

De benedictione cimiterii.

CUM eccleſia olim ſolebat benedici & cimiterium, igitur operæ pretium eſt, ut poſtquam ea quæ pertinent ad eccleſiæ benedictionem diſſeruimus, nonnullos antiquos ordines ad benedicendum cimiterium proferamus.

CAPUT XX. *De bened. cimiterii.*

ORDO I.

Ex ms. pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi.

IN CONSECRATIONE CIMITERII.

P*Rimitus cum aqua benedicta epiſcopus cum clericis ſuis circumdare debeat omne cimiterium cum pſalmo* Miſerere mei Deus, *& antiphona* Aſperges me. *Poſtea letania, deinde dicat:* Dominus vobiſcum, *in Orientali angulo cimiterii.* Deus qui es totius orbis conditor & humani generis redemtor, &c. *In auſtrali angulo cimiterii.* Domine ſancte, Pater omnipotens, trina majeſtas, &c. *Item in occidentali angulo cimiterii.* Domine Deus, paſtor æternæ gloriæ, &c. *In aquilonari angulo cimiterii.* Omnipotens Dominus, qui es cuſtos animarum, &c. *Oratio in medio poliandri.* Adeſto quæſumus, Domine, officio ſervitutis, &c.

Caput XX. *De bened. cimiterii.*

ORDO II.

Ex mſ. Pontificali monaſterii Lyrenſis, annorum 600.

In consecratione cimiterii.

PRimum faciat epiſcopus exorciſmum ſalis & aquæ uſque quatinus ſis aqua ſancta ac proficias ad dedicationem hujus cimiterii, ut per te & benedictionem divinam auxiliante Domino ſive per os ſive per manus atque officium noſtrum hoc cimiterium divinitus per gratiam Spiritus-ſancti conſecretur & perpetualiter ad ſepelienda fidelium corpora conſecratum permaneat; & Spiritus-ſanctus habitet in hoc cimiterio per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Poſtmodum illuminentur xii. cerei in quatuor angulis. Tunc epiſcopus ter circueat cimiterium ſpargens aquam benedictam canendo hanc antiphonam: Aſperges me. Miſerere mei Deus. *Deinde dicantur letaniæ. Poſt letanias dicat epiſcopus hanc collectam verſus ad orientem.*

Deus qui es totius orbis conditor, &c. Exurgat Deus ad noſtri famulatus obſequium, & in loco ſancto ejus fiat benedictionis augmentum

Ad occidentem.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, trina majeſtas, &c. *Antiph.* Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Sequitur ad meridiem oratio.

Domine Deus paſtor æternæ gloriæ, &c. *Antiphona.* Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia. *Pſal.* Viderunt te aquæ Deus.

Ad aquilonem.

Omnipotens Deus, qui es cuſtos animarum, &c. *Antiphona.* Domine ad te dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu majeſtatis tuæ. *Pſal.* Domine clamavi.

Et ita circueat epiſcopus cimiterium cum incenſo. Quo peracto dicat idem epiſcopus hanc orationem in medio Poliandri, ſed primitus debet dicere: Dominus vobiſcum. Oremus.

Adeſto, quæſumus Deus, officio noſtro hunc locum viſitanti, &c.

Tunc elevata manu benedicat epiſcopus cimiterium, dicens:

Deus qui es judex vivorum ſive mortuorum, benedictionis tuæ ſanctificationem noſtræ devotionis officio ſuper cimiterium iſtud multiplica, & animæ defunctorum fidelium, quorum ſub tuo patrocinio in eo ſepelienda ſunt corpora non afficiantur terroribus pœnæ infernalis; ſed potius cum ſanctis omnibus ſocientur tecum cæleſtibus gaudiis, qui in Trinitate perfecta vivis & gloriaris Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Sequitur

Sequitur miſſa de eodem.

Requiem æternam. *Collecta.*

Deus cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt. Huic cimiterio angelum tuum deputes cuſtodem & da propitius, ut omnium quorum hic corpora ſepelientur, animæ abſolutæ ab omni dolore ſine fine lætentur. Per.

Epiſtola. Vir fortiſſimus. *Graduale.* Si ambulem. *Tractus.* De profundis. *Evangelium.* Sicut enim pater. *Offertorium.* O pie Deus qui primum hominem. *Secreta.*

Munera, Domine oblata ſanctifica, & qui te ipſum in ſepulcro in poni voluiſti, per hæc nos quæſumus ad finem vitæ properantes à peccatorum noſtrorum maculis emundemur. Qui vivis. *Præfatio.* Per quem ſalus.

Benedictio.

Copiam, quæſumus Domine, tuæ benedictionis populo hic adunato tribue, tentationum omnium pericula remove, & perturbationum procellas ab eo miſeratus exclude. Amen.

Mala cuncta arce, bona tribue, noxia ſubtrahe, proſpera concede, ut in laude tua in præſentis vitæ ſtudio currentes, placere tibi valeant in futuro gaudentes. Amen.

Sic quæſumus, Domine, in hoc poliandro ſeu cimiterio requieſcentium corpora tuæ virtutis clypeo protege, & brachio tuæ defenſionis robora, quatinus in noviſſimo tubæ clangore à cunctis nexibus peccatorum eruti, & æternæ vitæ gaudiis reſtituti, reſurgant in parte dextra coronandi. Amen.

Quod ipſe præſtare.

Communio. Lux æterna.

Poſtcommunio.

Muneribus ſacris ſatiati quæſumus Domine Deus noſter, ut plebs tua quæ in futuro à morte corporis reſurrectura creditur, te miſerante in hujus vitæ curſu à morte animæ reſurgamus.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali metropolitanæ eccleſiæ Apamienſis in Syria.

Benedictio cimiterii.

In primis ubi epiſcopus ad locum venerit pro cimiterio benedicenda verſùs ad orientem dicat hanc orationem.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Benedicere digneris omnipotens Deus piiſſime, & miſericordiſſime conſolator vivorum ſimul & mortuorum in te credentium hujus terræ locollum tibi Domino Deo dedicandum, ut ſit cimiterium, hoc eſt quies & dormitio corporum chriſtianorum inibi ſepeliendorum, & animæ fidelium, quorum hic corpora ſepelienda ſunt reſurrectura, quan-

doque ſpiritualia in æterna beatitudine partem & ſocietatem cum ſanctis omnibus habere mereantur. Per eum qui venturus eſt.

Deinde giret epiſcopus cum clero ſuo totum cimiterium cantando antiphonam Aſperges me *cum pſalmo* Miſerere mei Deus, *& ſpargendo aquam benedictam. Et poſtquam venerit ad locum ubi primum dixerat orationem; tunc quoque verſus ad orientem faciat letaniam. Sequitur.* Pater noſter. In memoria æterna erunt juſti. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus totius orbis conditor, & humani generis redemtor, &c.

Hinc tranſeat ad contrariam partem cimiterii cantando antiph. Placebo Domino, *cum pſalmo* Dilexi quoniam. *Et ibi vertens ſe ad occaſum dicat* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, trina majeſtas, &c.

Deinde cantando antiphonam, Aperite mihi portas, *cum pſal.* Confitemini Domino. *Tranſeat ad aliam partem cimiterii, ubi vertens ſe ad meridiem dicat:* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. A porta inferi Erue, Domine, animas omnium fidelium defunctorum. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. Oremus.

Domine Deus Pater æternæ gloriæ, lux & honor, &c.

Hinc quoque tranſiens ad contrariam partem cimiterii cantando antiph. Hæc requies mea, *& pſal.* Memento Domine David. *Vertat ſe ad Septentrionem, & dicat:* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus.

Omnipotens Deus, qui es cuſtos animarum & tutela ſalutis, &c.

Tunc incipiens epiſcopus ℟. Libera me Domine, de morte æterna, *tranſeat ad medium cimiterii, ibique verſus ad orientem, finito* ℟. *dicat;* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. In memoria æterna erit juſtus. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Adeſto quæſumus Domine Deus officio noſtro hunc locum viſitanti, &c.

Deinde rediens ad eccleſiam dicat hanc orationem.

Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum defenſionis tuæ auxilium ſentiatur. Per Dominum.

Caput XX. *De bened. cimiterii.*

ORDO IV.

Ex mſ. Pontificali eccleſiæ Senonenſis annorum 500.

Benedictio cimiterii.

V*Adat epiſcopus ante januas eccleſiæ ubi cimiterium debet eſſe, & verſus ad orientem dicit hanc benedictionem aqua prius benedicta.*

Benedicere digneris omnipotens piiſſime & miſericordiſſime conſolator vivorum ſimul & mortuorum in te credentium locum iſtum tibi Domino Deo dedicatum, ut ſit cimiterium hoc eſt quies & dormitio corporum chriſtianorum inibi quieſcentium, & animæ fidelium, quorum hic corpora ſepelienda ſunt reſurrectura, quandoque ſpiritualia in æterna beatitudine partem & ſocietatem cum ſanctis omnibus habere mereantur. Per.

Deinde dicit Aſperges me. Miſerere mei. *Et ſic gyret ſpargendo aquam benedictam uſque ad ſeptentrionalem partem, & verſus ad meridiem repetat ſupradictam orationem* Benedicere digneris.

Poſt inchoet antiphonam: Hæc requies mea. Memento Domine. *Dehinc gyret cum aqua benedicta ad partem orientalem. Et tunc verſus ad occidentem repetat ſupradictam orationem.*

Dehinc inchoet antiphonam, De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine probaſti me. *Deinde gyret uſque ad partem meridianam cum aqua benedicta, & verſus ad ſeptentrionalem repetat orationem.*

Deinde inchoet antiphonam, Audivi vocem. *Pſal.* Lauda anima mea Dominum. *Et redeat uſque ad partem occidentalem; & ibi dicta oratione Dominica cum convenientibus capitulis faciat abſolutionem fidelium defunctorum.*

Alia benedictio.

Eadem eſt cum prima quam deſcripſimus ex pontificali Egberti niſi quod ſecunda oratio quæ dici debet ad auſtrum, hic recitanda præſcribitur ad occidentem. Et in fine notatur oratio Deus qui ſacrandorum, *dicenda in eccleſia: quæ benedictio etiam reperitur in antiquo pontificali mſ. Bellovacenſi: Eadem & in pontificali Remenſi S. Remigii annorum* 500. *in quo tamen cum letania ſeptem pſalmi recitandi præſcribuntur, accenſis quatuor candelis ſuper quatuor crucibus & recitato* ℟. Fundata eſt domus *ante orationem* Deus qui ſacrandorum.

Digitized by Google

CAPUT XX.
De Bened. cimiterii.

ORDO V.

Ex mſ. Pontificali Chriſtiani Moguntini archiepiſcopi.

BENEDICTIO CIMITERII.

PRimo ponantur quatuor cruces ſecundum amplitudinem cimiterii ad orientem & occidentem, ad aquilonem & auſtrum, quinta in medio, fiantque exorciſmi ſalis & aquæ, cineris & vini ſicut in conſecratione eccleſiæ. Tunc dicantur ſeptem pſalmi. Interim epiſcopus affigat cuilibet cruci candelam ardentem, & poſt pſalmos ſequatur letania. Qua finita, epiſcopus per circuitum cimiterii ſequendo crucem ſpargit aquam cum antiphona Aſperges me Domine. *Pſal.* Miſerere mei. *Poſtquam ter hoc fecerit etiam per longum & latum in modum crucis, ſemel ſpargat. Deinde ſtans juxta crucem mediam vertat ſe ad orientem, dicens :* Dominus vobiſcum, Oremus. Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, locorum omnium ſanctificator, &c. *Rurſum verſus ad occidentem repetat eamdem orationem. Similiter contra aquilonem & meridiem. Poſthac epiſcopus admoneat omnes ut dicant :* Pater noſter. Et ne nos. Ego dixi, Domine, miſerere mei. Convertere, Domine, uſquequo. Fiat miſericordia tua. Salvum fac populum. Ne tradas, Domine, beſtiis. Domine, exaudi orationem. Oremus. Deus cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, &c. *Abeuntes autem & intrantes eccleſiam dicant :* Deus miſereatur noſtri. Pater noſter. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. Et ſalutare. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Prætende, Domine, fidelibus tuis dextram cæleſtis auxilii, ut te tota virtute perquirant, & quæ digne poſtulant aſſequantur. Per.

Sit nomen Domini benedictum. Adjutorium noſtrum.

Benedicat nos omnipotens Deus Pater & Filius, & Spiritus-ſanctus.

ORDO VI.

Ex Pontificali eccleſiæ Romanæ bibliothecæ Colbertinæ n. 4160. *annorum* 300.

BENEDICTIO CIMITERII.

IN primis epiſcopus in loco in quo altare fabricandum eſt figat crucem dicendo hanc antiphonam : Signum ſalutis, Domine Jeſu Chriſte pone in loco iſto, & non permittas introire angelum percutientem ſuper lapidem quem impono. *In medio altaris ſcribat Jeſus Chriſtus* α *&* ω. *Pſ.* Quam dilecta. *Et tunc aſpergat cum aqua benedicta cantando* ℟. *iſtud* Domine Jeſu Chriſte, ne deſpicias deſiderium meum; ſed in honore

Digitized by Google

ſanctæ Genitricis tuæ & martyrum confeſſorumque tuorum præpara in hoc loco habitationem tuis aptam ſervitiis, qui de virgine naſci pro ſalute humani generis & mortem ſubire dignatus eſt. Præpara. *Finito ℟. ſequitur letania; & interferatur verſiculus iſte:* Ut locum iſtum ad gloriam nominis tui viſitare & conſecrare digneris. Te rogamus audi nos. Fili Dei. Te rogamus. *Pſal.* Fundamenta ejus, *per totum. Interim ponentur duodecim lapides in quatuor angulis ipſius crucis in foſſa. Deinde preces* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Oſtende nobis Domine miſericordiam. Et ſalutare tuum. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis. A facie inimici. Non nobis, Domine, non nobis. Sed nomini tuo da gloriam. Fiat pax in virtute. Et abundantia. Deus tu converſus vivificabis. Et plebs tua. Pretioſa in conſpectu Domini. Mors ſanctorum. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. Et ſancti tui. Domine exaudi orationem. Et clamor meus. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, fundator omnium creaturarum, benedicere digneris hos lapides, ſive hæc ligna ſeptiformis gratiæ tuæ dono & omnium laudes ad illa convenientes referat nomini ſancto tuo. Per.

Oratio.

Domine Deus qui licet cælo & terra non capiaris, domum tamen tibi in terra fieri juſſiſti, in qua nomen tuum jugiter invocaretur: hunc locum B. Mariæ ſemper Virginis, omniumque ſanctorum tuorum intercedentibus meritis, ſancto tuo pietatis intuitu viſita & vide, & illum ad fabricandum elige & per infuſionem gratiæ cæleſtis ab inquinamento omni purifica, purificatumque conſerva, ut qui dilecti tui David devotionem in filii Salomonis opere complevisti, tui famuli N. in opere habita precavare, vota perfice, & illud te inſpirante incipiat, te adjuvante perficiat, ſuique laboris præmium in terra conſequatur viventium. Effugiant ergo hinc te jubente, Domine, omnes nequitiæ ſpirituales, & cum fraudibus ſuis cuncta diaboli turma tua virtute depulſa. Reſurgat ictu eccleſiæ pura ſimplicitas, & amabilis tibi innocentiæ candor, ſicque hunc locum per unigeniti tui Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti dilectionem coæterni Spiritus paracliti rore fœcunda gratiſſimo, ut quicumque hic pro ſuis neceſſitatibus auribus tuæ benignitatis ingerit vota, votorum ſuorum conſequatur effectum. Per Dominum.

In primis debent quatuor cruces eſſe paratæ; & una debet deponi ſupina in parte orientali, & alia in occidentali, tertia in auſtrali, quarta in aquilone, donec induat ſe epiſcopus. Et dum indutus fuerit ſacris veſtibus pontificalibus, dicat: Aſperges me. *Poſtea proceſſio cum letania vadat ad partem cimiterii, ubi primo debet ponere crucem, & ibi finita letania legantur iſti duo ſubſequentes pſalmi:* Domine ne in furore. Beati quorum. *Et ibidem epiſcopus elevet crucem ligneam prius depoſitam, & figat in terram cum hac antiphona:* Signum ſalutis. *Poſt vertens ſe ad orientem dicat hanc*

CAPUT XX *De bened. cimiterii.*

orationem, Domine qui es totius orbis conditor, &c.

Tunc vertens ſe epiſcopus vadat ad occidentalem plagam cimiterii cum his pſalmis: Domine ne in furore. Miſerere mei Deus. *Quibus finitis, leves ibi epiſcopus aliam crucem ligneam prius ibi poſitam, & figat in terram cum eadem antiphona:* Signum ſalutis. *Et dicas hanc orationem*, Domine Deus omnipotens trina majeſtas, &c.

Deinde vadat ad auſtralem terminum cimiterii cum his ſubſcriptis pſalmis: Domine exaudi orationem, & De profundis. *Quibus finitis, levet crucem, & figat in terram dicendo antiphonam*, Signum ſalutis. *Oratio.* Domine Deus paſtor æternæ gloriæ, &c.

Deinde vadat ad aquilonem cum his pſalmis: Domine exaudi orationem meam, auribus percipe. Miſerere mei Deus, miſerere mei quoniam in te. *His finitis, levet crucem ſicut ſupra. Oratio* Omnipotens Deus qui es cuſtos animarum, &c. *Deinde veniens in mediam cimiterii, dicat hanc orationem:* Adeſto quæſumus, Domine Deus, officio noſtro hunc locum viſitanti, &c.

Deinde vadat ad eccleſiam, & dicat hanc orationem: Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, &c.

CAPUT XXI.

De benedictione ſeu baptiſmo ſignorum.

CAPUT XXI. *De Bened. ſeu bapt. ſignorum.*

I. ETSI Capitularia Caroli Magni anno 789. edita n. 18. jubeant *ut clocca non baptizentur* antiquus tamen uſus eccleſiæ obtinuit, ut ſignorum ſeu campanarum benedictio baptiſmi nomine indigitetur. Non quod revera baptizentur campanæ eo baptiſmo, qui in remiſſionem peccatorum confertur; ſed quia præcipuæ, quæ in puerorum baptiſmo obſervantur ceremoniæ, in iis benedicendis peragantur, ut lotio, unctio, nominis impoſitio: quæ non tam baptiſmum quam baptiſmi ſigna & ſymbola repræſentare dicenda ſunt. Ipſa etiam nominis impoſitio in omnibus antiquis pontificalibus libris, Ritualibuſque prætermittitur, unum ſi excipias Remenſe S. Remigii annorum 500. & alterum, ſi bene memini, Noviomenſe annorum 600, quamvis, ut ait Vulgatus Alcuinus [novum videri non debet campanas benedici, ungi, eiſque nomen imponi.] Et revera nobis non deſunt exempla, quibus hæc ſaltem aliquando cerimonia ad praxim reducta fuiſſe comprobetur. Robertus Francorum rex, referente Helgaldo Floriacenſi monacho in ejus Vita, in Aurelianenſi S. Aniani baſilica feciſſe dicitur [ſigna quinque, unum ex his ſatis mirabile, in quo duo millia metalli & ſexaginta libræ fuerunt, cui imprimi juſſit, ſignum bap-

Benedictio ſignorum baptiſmi nomine

Nomen eis impoſitum.

tiſmi de oleo & chriſmate facti, ſicut ordo depoſcit eccleſiaſticus, & ut vocaretur Robertus attribuit Spiritus-ſanctus.] In Foſſatenſi S. Mauri monaſterio Teuto abbas [duo ſigna pretioſa nomen ſuum uni imponens ad honorem Domini *facere precepit*, ut ſcribit Odo Foſſatenſis in Vita Burchardi comitis. Ineunte ſæculo XII. Rodulphus abbas S. Trudonis ſcripſit Chronicon monaſterii ſui, editum Spicilegii tom. 7. in cujus lib. 9. narrat conflata à ſe & benedicta xvi. ſigna, quorum nomina ſigillatim recenſet. Similia exempla habes apud Ingulſum in Chronico Croylandenſi. Sed ante hæc omnia inſigne eſt illud quod refert Baronius ad annum 968. n. 93. [Cum imperator [Capuæ] moraretur, contigit primariam Lateranenſis eccleſiæ campanam miræ magnitudinis recens ære fuſam ſuper campanili elevari, quam prius idem pontifex [Johannes XIII.] ſacris ritibus Deo conſecravit atque Johannis nomine, puto Baptiſtæ, cujus eccleſiæ eſſet uſui, nuncupavit. Qui ſacer ritus in eccleſia perſeveravit, ut eo modo quo ipſe uſus eſt, campanæ in eccleſiis collocandæ Deo primum, impoſito eis nomine, dicarentur, quod teſtantur veteres codices Rituales.]

Hæc benedictio quam antiqua.

II. His verbis innuere videtur Baronius benedictionem ſignorum à Johanne originem duxiſſe, cum ait ritum ab eo uſurpatum in eccleſia perſeveraſſe *ut eo modo quo ipſe uſus eſt* campanæ benedicerentur, quaſi antea nullo aut alio modo benedicerentur. Verum antiquiorem Johanne ſignorum benedictionem probant antiqui mss. codices. Egberti præſertim pontificale & Gellonenſe tempore Caroli Magni exaratum, hoc eſt ducentis fere annis antequam Johannes Lateranenſis eccleſiæ ſignum benedicere, in quibus ritus & preces benedictionis referuntur. Quod vero addit Baronius veteres codices Rituales teſtari nomen alicujus ſancti campanis benedictis impoſitum fuiſſe, neſcio à quibus acceperit codicibus, nam veteres codices quorum turbam magnam perluſtravi, uno aut altero excepto, hunc ritum prætermittunt. In edito etiam Ordine Romano nullum de impoſitione nominis verbum. Nullum & in ms. Vindocinenſis monaſterii.

III. Ordinem benedicendi ſigna ſupra retulimus ex Gellonenſi miſſali, cum ritum eccleſiæ benedicendæ deſcripſimus. Eumdem exhibent Pontificale Egberti Eboracenſis archiepiſcopi, ſacramentorum libri duo eccleſiæ Turonenſis annorum 800. Moyſacenſe bibliothecæ Colbertinæ ejuſdem circiter ætatis, Bellovacenſe S. Luciani annorum 700. Lyrenſe Pontificale annorum 600. Floriacenſe Rituale, Cameracenſe Pontificale, Noviomenſe annorum circiter 500. aliaque nonnulla. Eaſdem benedictionis preces eoſdemque ritus continet Ordo Romanus editus, & ms. additis quibuſdam orationibus & pſalmis, in Pontificali Remenſi annorum 500. & Silvanectenſi etiam contentis. Remenſe ultimæ orationi hanc ſubjicit rubricam. *Tunc ſub trina infuſione aquæ Sanctæ impone ei nomen, ſi velis.* Rituale Leodienſe nonnullos addit Ritus, quos hic repræſentare non erit fortaſſis abs re.

Digitized by Google

Caput XXI
De bened. ſeu bapt. ſignorum.

Ritus conſecrandi campanas juxta vetuſtiſſima exemplaria recognitus.

Ante benedictionem aquæ qua campana conſecratur nominetur ipſa campana quinquies ſimul à conſecrante & ab aliis ad ipſam conſecrationem convocatis.

Benedictio aquæ.

Bene † dic, Domine, aquam iſtam benedictione cæleſti, &c.

Aqua benedicta dividatur in duobus vaſis, & ipſe conſecrans lavet campanam linteo ex altero vaſorum, & perlavet foris & intus ſuppoſito alio vaſe ampliori quam eſt campana, ne aqua lotionis ſtillet ſuper terram. Interim alii ſacerdotes & clerici dicant vel cantent hos pſalmos: Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Lauda Jeruſalem Dominum. Laudate Dominum de cælis. Cantate Domino canticum novum; laus ejus in eccleſia ſanctorum. Laudate Dominum in ſanctis ejus. *Et interim ponat conſecrans ſacrum oleum pollice ſeu virgula in aquam benedictam in alio vaſe reſervatam ad modum crucis cum ſale. Et cum pollicem ſuum, ſi eo uſus fuerit, beneficando detergat cum ſale ſuper aquam in qua eſt oleum ſacrum. Et tunc lavet foris & intus campanam alio linteo mundo cum dicta aqua, oleo ſacro & ſale mixta, quod linteum comburetur tempore apto. Et detur opera ut vas campanæ ſubponendum, ſit ſatis amplum: ne aqua ablutionis defluat in terram, quibus præſtitis, nominetur campana ſemel N.*

Oratio.

Deus qui per Moyſen legiſlatorem tuum &c.

Nominetur campana N. Et extergatur linteo alio quod etiam comburatur tempore apto. Et deinde dicat hos verſus: Vox Domini ſuper aquas, &c. *uſque in finem pſalmi.*

Tunc conſecrans ungat campanam chriſmate in modum crucis dicens: Conſecretur & ſancti † ficetur tintinnabulum iſtud in honorem N. *(nominetur patronus eccleſiæ in qua appenditur campana)* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. *Et hoc fiet foris in quatuor partibus circa partem ampliorem inferius in modum crucis, diſtantibus circulariter: & ſuperius in tribus æque diſtantibus in modum trianguli. Item interius in quatuor partibus in modum crucis circa loca magis tacta malleo in pulſando. Tunc nominetur campana N.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam fœderis Domini, &c.

Tunc conſecrans ponet tymiama & myrram in igne in incenſorio ſub campana, & tunc nominetur campana N. & dicantur hi verſus, qui habentur feria v. in pſalmo ſcilicet: Voce mea ad Dominum clamavi, *verſus xiii. cum ceteris.* Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter. *&c. nominetur campana N.*

Oremus.

Oremus.

Omnipotens dominator Chriſte, quo ſecundum aſſumtionem carnis, &c.

Tunc abſtergat conſecrans ſtuppa ſanctum chriſma ubicumque prius appoſitum fuit campanis, & ſtatim comburatur ſtuppa, poſtea removeatur ignis cum fumo prædicto.

Deinde conſecrans faciat tres ictus in campanis cum earum bacellis nominando eas N. Idem faciat unuſquiſque ſigillatim unus poſt alium, qui ad dictam conſecrationem fuerant vocati. Deinde campana albo linteo involvantur. Poſtmodum ſi velit conſecrans poteſt exprimere populo cauſam conſecrationis campanarum, videlicet contra tonitrua, fulmina, ventos, & alias tempeſtates aëreas, ac diabolicas infeſtationes. Poſt hæc campanæ in altum trahantur, ne à populo minus reverenter tangantur.

Pro præparamentis conſecrationis campanarum habeant duo vaſa parva, unum vas largum, ſal, linteum parvum. Item duo adhuc lintea parva, ſtuppam, tripedem, linteamen.

Longe breviorem ſignorum benedictionem exhibet Rituale Carmelitarum quam hic etiam ſubjicio.

BENEDICTIO CAMPANÆ.

DUm æs conflatur, ſi forte hujuſmodi conflatio in conventu fiat, congregatis ibidem fratribus, & pro ut locus permiſerit, proceſſionaliter diſpoſitis, dicetur alternatim pſalmus: Laudate Dominum in ſanctis ejus, &c. *Quo finito, ſacerdos dicet clara voce:* Pater noſter. Et ne nos inducas. ℣. Adjutorium noſtrum, &c. Sit nomen Domini, &c. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Bene ✝ dic, Domine, hoc metallum ignitum, quod benedicere ſtatuimus, & illud quæſumus tua gratia perfundere digneris, & tua virtute obumbres, ut tua clementia favente, quod deſideramus, attingamus ad laudem & gloriam Dei omnipotentis ad honorem Sancti N. vel Sanctæ N. *(Hic exprimetur nomen ſancti cujus campana dicanda, & cujus nomine nuncupanda erit).* Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Et ſtatim aſpergetur aqua benedicta.*

Cum autem jam conflata & perfecta campana fuerit, antequam ea fratres utantur, modo infra poſito benedicetur. Dicto pſalmo & verſibus ut ſupra, ſacerdos dicat:

Oremus.

Deus qui per ſanctum Moiſen legitimum famulum tuum, tubas argenteas fieri præcepiſti, quibus dum levitæ tempore ſacrificii clangerent, ut ſonitus dulcedine populus monitus ad te orandum fieret præparatus, & ad celebranda ſacrificia conveniret: præſta quæſumus, ut hoc vaſculum ſanctæ tuæ eccleſiæ præparatum, à tuo Sancto Spiritu per noſtræ humilitatis obſequium ſancti ✝ ficetur: ut per illius tactum & ſonitum

Digitized by Google

Caput XXI. De Bened. ſeu bapt. ſignorum.

fideles invitentur ad ſanctam matrem eccleſiam & ad præmium ſupernum. Procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua, proſternat aëreas tempeſtates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum tremiſcant, & fugiant ante crucis vexillum, in eo depictum. Quod ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus præſtare dignetur, qui abſorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris cum eodem Spiritu-Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde aſperget campanam aqua benedicta.

CAPUT XXII.

De benedictione Turris.

Caput XXII. De Bened. Turris.

POST benedictionem ſignorum, æquum eſt ut benedictionem Turris in qua appenduntur etiam referamus. Nec mirum cuiquam videbitur Turres benedictas olim fuiſſe, ſi meminerit obſervationis à nobis alias factæ de reliquiis ſacris in turribus reconditis. Addo non ſolum ſacras reliquias reconditas, ſed altaria inſuper in turribus erecta atque in honorem S. Michaelis dicata fuiſſe, id quod aliquando fuſius demonſtrandum, ſi ſe dederit occaſio, ſuſcipiemus. Cum ergo olim benedictæ fuerint Turres, benedictionis illarum ritus & preces, quas unus Pontificalis liber S. Remigii Remenſis annorum 500. deſcribit ſubjicio.

ORDO

AD TURRIM BENEDICENDAM.

AD dedicandam turrim benedicat aquam &c. ſalem & cantet vii. pſalmos cum letania.

Benedic, Domine, hanc turrim in honore ſanctiſſimi nominis tui fabricatam, ut ſit in hoc loco ſanitas, ſanctitas, caſtitas, virtus, victoria, & ſanctimonia, humilitas, lenitas, manſuetudo, plenitudo legis & obedientia Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & ſit ſuper hanc turrim ad laudem & gloriam nominis tui compoſitam tua longa benedictio, ut laudetur & magnificetur nomen tuum, glorificetur in omnibus operibus tuis & manuum tuarum. Qui vivis.

Deus univerſitatis conditor & ſervator cujus ſunt univerſa quæ condita ſunt, tuo tuere gubernamine, & quæ lapſa ſunt, tuo cæleſti & inſuperabili reſtaurare dignare moderamine, tuæ immenſam pietatis celſitudinem ſubnixis & humillimis obſecramus deprecationibus, ut

hanc turrim ad campanas ſuſtinendas, ad divinum cultum pertinentes, cæleſti benedictione benedicas, & ſanctificatione ſanctifices, & præſta ut quicumque ad honorem nominis tui confluxerint, effugata verſuti inſidiatoris poteſtate, & tota ejus per te elongata communione corporis tui cæleſtis clipei protectione defenſamur, & animæ in futuro cæleſtium gaudiorum potiri mereamur ſublevamine. Nec qualitas te precantium in hujus conſecrationis à te conſideretur precaminibus : ſed quia à ſæculo ſolitus es & à peccatoribus obſecrari, & precantibus miſereri ad noſtræ notis per te datam & per nos poſitam benedictionem cæleſtis dextram auxilii benedicendo porrigas : & nobis licet indignis perpetuæ benedictionis auxilium impendas, ut non noſtris exigentibus meritis, hoc quod benedicimus & conſecramus oculis tuæ majeſtatis videatur ingratum, ſed famulis & famulabus tuis laudem & gloriam nomini tuo referentibus, te benedicente & conſecrante, ad tutelam corporis & animæ ſalutem proficiat ſempiternam. Per. CAPUT XXII. *De bened. Turris.*

Domine ſancte Pater, trina majeſtas & una deitas, Pater & Filius & Spiritus-Sanctus, juſtitiæ dator, veniæ largitor, bonorum auctor, ſanctitatis origo, cariſmatum diſtributor, omniumque ad te venientium pius receptor : præſta propitius ut hanc turrim in honorem nominis tui fabricatam benedicere & conſecrare digneris, famulis & famulabus tuis nomen ſanctum tuum humiliter implorantibus opem miſericordiæ tuæ & quietis ſedem, & ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam benignus largitor tribuas, ut poſt animarum corporumque reſurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem ſempiternam percipere mereantur. Per.

CAPUT XXIII.

De variis aliis benedictionibus.

ORDO

Ad benedicendam crucem.

Ex ms. Pontificali monaſterii Lyrenſis annorum circiter 600.

IN CONSECRATIONE SANCTÆ CRUCIS.

PRimum *letania agantur, deinde dicat epiſcopus ter :* Deus in adjutorium meum intende. *Poſtea faciat exorciſmum ſalis & aquæ & cætera uſque* Exorcizo te creatura ſalis quatinus conſecrata ſis aqua ſancta ac proficias ad dedicationem hujus ſanctæ crucis, ut per te & CAP. XXIII. *De variis aliis benedict.*

Digitized by Google

CAP. XXIII. *De variis aliis benedict.*

per benedictionem divinam, auxiliante Domino, ſive per os & per manus atque officium noſtrum hæc crux divinitus per gratiam Spiritus-Sancti conſecretur & perpetualiter ad adorandam imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti conſecrata permaneat, & Spiritus-Sanctus habitet in hac cruce ſancta. Per eumdem.

Tunc lavetur crux aqua benedicta, modulando hanc antiphonam Aſperges me Domine. Miſerere mei.

Sequitur oratio.

Benedic, Domine, hanc crucem per quam redemiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per vetitum lignum: triſtis tamen dimiſit per lignum crucis tuæ quos antea ſeductos habuit. Sancti † fica, quæſumus Domine, iſtud ſignaculum paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuum ſalutis vexillum Salvator mundi. Qui cum.

Alia.

Rogamus te, Domine, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut Sancti Spiritus tui gratia ad conſecrandam divinæ pietatis unigeniti Domini noſtri operationem nos efficias idoneos atque bene † dicere digneris hoc ſignum crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemtio animarum, protectio & tutela contra ſæva jacula inimicorum, & in utriuſque naturæ ſalvationem ſit propitiatio ſpiritualis omnium in te credentium. Per eumdem.

Alia.

Deus qui beatæ crucis patibulum, quod prius erat ſceleſtis ad pœnam, converſis in ſanguine Filii tui redemiſti ad liberationem: benedic quæſumus hoc ſignum crucis ſanctitatis tuæ ſacramento, & concede plebi tuæ illius vallari præſidio, cujus eſt armata vexillo. Sit nobis hæc crux fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in adverſis defenſio. Sit in hoſte victoria, in civitate concordia, in campo cuſtodia, in domo fultura. Gregem tuum, Domine, per virtutem crucis tuæ conſerva incolumem, & hæc cæleſti ſanctificatione glorioſa ad vitam perducat ſempiternam, quæ nobis agno vincenti converſa eſt in ſalutem. Per eumdem.

Oratio.

Deus omnipotens, glorioſe Deus, Pater benignitatis immenſæ, qui pretioſo Unigeniti tui cruore per paſſionem crucis mundum à debitæ mortis eripuiſti diſpendio, & ſpirituali illuminatione vivificaſti, quique cuncta regna diſponis, qui etiam es bonorum collator munerum, & virtutum omnium largus attributor, cui gentes & populi ſerviunt, cui omnis legio angelorum famulatur, quique largiris famul s tuis, unde ad laudem ſancti nominis tui debita tibi vota perſolvant: cui prius fides offerentium complacet, & deinde ſanctificatur oblatio: quæſumus

exorabilem clementiæ tuæ bonitatem, ut ſancti † fices & conſe † cres tibi ad honorem, & fidelibus tuis ad miſericordiæ propitiationem hoc ſignum crucis, quod voluntaria mentis devotione pia ac religioſa fides conſtruxit, trophæum ſcilicet victoriæ tuæ, & vexillum redemtionis noſtræ, quodque in amorem Chriſti Filii tui triumphali in ævum gloria conſecramus. Accipe hoc ſignum crucis inſuperabile, quo & diaboli eſt exinanita poteſtas, & mortalium tua largitione reſtituta libertas. Licet fuerit aliquando crux in pœna, ſed nunc verſa eſt in honorem per gratiam: & quæ quondam reos puniebat ſupplicio, nunc tuæ redemtionis gratia obnoxios abſolvit à debito. Per hoc tibi, Domine, nitimur placere, per quod tibi placuit nos redimere. Nullum tibi debitum amplius munus eſt, quam quod tui Corporis Chriſte dedicavit affixio. Nec tibi eſt ulla magis familiaris oblatio quam quæ manuum tuarum extenſione ſacrata eſt. Illis ergo manibus hanc crucem accipe, quibus illam amplexatus es, & de ſanctitate illius hanc ſanctifica: ac ſicuti per illam mundus expiatus eſt à reatu, ita offerentis famuli tui anima devotiſſima ejuſdem crucis merito & interceſſionibus omnium ſanctorum tuorum ab omnibus terrenæ corruptionis nexibus abſolvantur, ſimulque retributionis æternæ ſolatia hujus ſanctæ Crucis gratia in divinitatis tuæ gloria à te crucifixo percipiat, qui cum Patre & Spiritu-Sancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

CAP. XXIII. *De variis aliis benedict.*

Si crux argento vel auro ſeu gemmis eſt ornata benedicatur his verbis.

Radiet hic, quæſumus Domine, ſancte Pater, Unigeniti tui Filii tui ſplendor divinitatis in auro. Emicet gloria paſſionis ejus in ligno. In gemmarum colore rutilet noſtræ mortis redemtio, in ſplendore chriſtalli noſtræ vitæ purificatio. Sit tuorum hæc ſancta Crux protectio, ſpes firma, certa fiducia, noſque ſimul & omnem plebem fide confirmet, ſpe ſolidet, pace conſociet, augeat triumphis, amplificet proſperis, proficiat cunctis fidelibus ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis, ut nos & temporali florentes gloria muniat, & perpetua redimitos corona ad regna cæleſtia, te miſerante, perducat. Præſta per propitiationem Sanguinis Jeſu Chriſti quo placatus es, per ipſum mediatorem qui ſe dedit redemtionem pro multis, qui ſe hoſtiam pro delictis noſtris offerre dignatus eſt, qui exaltatus in ligno ſanctæ Crucis, principatus & poteſtates humiliavit, qui tecum ſidereo conſidet in throno indiſſolubili connexione Spiritus-Sancti per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic faciat epiſcopus de chriſmate ſignum ſuper crucem, & benedicat eam his verbis:

Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine Deus omnipotens, hanc crucem per iſtam ſanctam unctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro qui vivit & regnat.

Hic aſpergat eam aqua benedicta. *Sequitur oratio.*

Sanctifica, quæſumus Domine, crucem iſtam, quam dignatus es pro mundi ſalute aſcendere ad redimendum paſſione tua humanum genus,

quod diu in captivitate diaboli & laqueis capiebatur. Itaque nunc iſtud ſalutiferum ſignum crucis aſperſione hujus aquæ ſancti † fica, ac ſacro unctionis tuæ chriſmate benigniter perfunde ad liberationem generis humani, & ad effugandos ab eis dæmones, & expellendos morbos, ut & omnes languores corporis & animæ hujus ſanctæ crucis præſentia per invocationem ſanctiſſimi nominis tui repellantur, & credentes in te ſpiritualis medicinæ remedio vivificentur. Per.

Hic adoleatur thus ſuper ipſam crucem cantando hanc antiphonam: Domine ad te dirigatur. *Pſ.* Domine clamavi.

Domine Jeſu Chriſte, ſalus immortalis, rex angelorum, via & veritas credentibus in te, qui pro ſalute totius mundi de ſede majeſtatis tuæ humilis deſcendiſti ad terram, & in crucem aſcendiſti, ſuſpenſuſque in ligno ad redemtionem generis humani hoc ſignum paſſionis tuæ pius ſanctificaſti: ideoque ſignaculum iſtud crucis tuæ, quo nos redemiſti portamus tam in fronte quam in corde contra ſæva jacula inimici vexillum fidei & veritatis ad noſtram æternam ſalutem. Proinde, Domine, ſuppliciter te deprecamur, ut ſignum iſtud ſanctæ Crucis tuæ ſalubre ſit remedium eccleſiarum tuarum, & ſit hæc ſancta Crux ſignum univerſorum credentium in ſanctam & perfectam Trinitatem. Mirifica, quæſumus, Domine, miſericordias tuas per virtutem ſanctæ Crucis tuæ, & concede propitius, ut cum thimiamatis iſtius fragantia locis ac domibus fidelium, ubi crux iſta manſerit, fugentur dæmones & immundi Spiritus, ac peſtiferi expellantur morbi, careant immunditia, & omnes adverſæ poteſtates & inſidiæ inimici cognitione tua ſint repulſæ, & in virtute benedictionis tuæ ſit benedicta, ſanctificata & mundata; ut ſit tibi Domino Deo gratiarum actio, & ſuper nos atque populum tuum benedictio, & ſalutarium donorum tuorum affluentia per te Salvator mundi.

Poſt hæc elevetur crux, & ab omnibus adoretur, canteturque hæc antiphona: O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, ſalva præſentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Super omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior, in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit. Alleluia.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus ſanctum & terribile nomen inter cæteras viſibiles creaturas ſigna quoque fructifera laudare ac benedicere non ceſſant, te ſupplices deprecamur, ut hoc ſingulare ſignum, quod ad exemplum illius primi ſacratiſſimique vexilli ob memoriam ſanctæ crucis expreſſum eſt, cæleſti benedictione ſanctificare digneris, ut omnibus ante illud genuflectentibus ac tuæ majeſtati ſupplicantibus largiatur cordis compunctio, & indulgentia concedatur admiſſorum, atque intercedente ipſa victorioſiſſima paſſione Unigeniti tui, & tibi

placita poſtulare, & citius valeant poſtulata percipere. Per.

Conſecrata crux benedicatur his verbis:

Benedictio atque ſanctificatio omnipotentis Dei Patris, ſimulque incarnati Verbi, atque Paracliti Spiritus-Sancti maneat jugiter ſuper hanc ſimilitudinem crucis Chriſti, ut ſit hæc crux omnibus adorantibus ſalubre remedium in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORDO

Ad benedicendam imaginem S. Stephani.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Arelatenſis.

BENEDICTIO IMAGINIS B. STEPHANI.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Benedictus es, Domine, in ſanctis tuis. Laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Unctio in pectore imaginis ad modum crucis.

Unctio †, conſecratio †, & ſanctificatio, quam huic imagini ad honorem Sancti patroni noſtri prothomartyris Stephani dignanrer inſigimus, ſit totius diabolicæ fraudis expulſio, ſitque fidelium augmentatrix devotio in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.

Oratio.

Omnipotens & ineffabilis Deus noſter, cujus nutu cuncta bene diſponuntur, quique electis fidelibus tuis per ſanctorum tuorum ſupplices interceſſiones in fide Eccleſiæ ſanctæ tuæ paradiſi aditum pie & miſericorditer indulſiſti; & qui dulia ſanctos & electos tuos venerari & adorari voluiſti, quos fundatiſſima & ſacratiſſima mater noſtra catholica eccleſia digne veneratur & colit, hanc ſtatuam, effigiem, ſive imaginem ad exaltationem tui nomini glorioſi & in honorem & reverentiam glorioſiſſimi ac triumphantiſſimi prothomartyris tui Stephani erectam & fabricatam ſic benedicere † & ſanctificare † & conſecrare † digneris, ut inimicus humanæ conditionis diabolus & ſatan antiquus neminem in hujus imaginis & ſancti venerationem illudat, devotionem non deturpet, eique devotos non ſupplantet; ſed potius, te indulgente, populus tuus fidelis & devotus in ejuſdem ſanctiſſimi patroni noſtri Stephani frequentem venerationem & ob præſenrem imaginem illius aſſiduam memoriam & continuam commemorationem conſequatur in fine dierum ſuorum gratiam tuam ſummam & cæleſtem, ut ſicut invictus ille athleta Stephanus prothomartyr tuus pro inimicis oravit, & pie deprecatus eſt, ita nos devotos ſuos apud te dignos deprecando efficere mereatur; & ſicut Filium tuum ad dextram tuam humanis ſuis oculis in gloria tua videre meruit, ſic nos, eo intercedente, gloriam tuam conſ-

picere facias, ut in cæleſtibus cum electis & ſanctis tuis ſine fine habitare valeamus, te præſtante cui honor eſt & infinita gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, deſcendat ſuper hanc venerandam prothomartyris Stephani effigiem ſive ſtatuam & ſuper nos devotos ſuos. Amen.

BENEDICTIO EFFIGIEI B. VIRGINIS CATHERINÆ.

OMnipotens ſempiterne Deus, cujus diſpoſitione omnia ex nihilo creantur, qui in monte Synaï, ubi dediſti legem Moyſi corpus B. Catherinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter per ſanctos angelos tuos collocaſti; hanc imaginem in honore ejuſdem virginis venerabiliter adoptatam benedicere ✝ & ſanctificare ✝ digneris; & præſta miſericordiſſime Pater, per invocationem tui nominis atque unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem pro ſalute generis humani integritate Virginis Mariæ permanente incarnare voluiſti: quatenus precibus ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ quicumque dictam virginem & martyrem tuam Catherinam coram hac effigie adorare ſtuduerint; & de inſtantibus periculis eruantur, & in præſenti gratiam quam deſiderant mereantur adipiſci atque in futuro cum electis tuis poſſint ſalvatione perpetua gratulari. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

ORDO II.

Ad benedicendum ſcrinium vel arcam.

Ex ms. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis.

INCIPIT BENEDICTIO SCRINII VEL ARCÆ.

P*Rimitus dicantur letania quas ſequatur oratio.*

Actiones noſtras, quæſumus Domine, & aſpir. præv. &c.

Poſt hanc lavetur arca interius & exterius aqua exorcizata ab epiſcopo & tergatur à miniſtris, & hac ſequatur oratio.

Domine Deus omnipotens, qui Moyſi famulo tuo in montem aſcendere præcepiſti, & eum inter immenſa cæleſtium oracula myſteriorum etiam arcam teſtamenti, ſcriptura teſtante, proprio ore præparare juſſiſti, cujus longitudinem & latitudinem, necnon & altitudinem ſecundum præfinitam pietatis tuæ menſuram divino famine diſcrevisti: exaudi nos quæſumus indignos qui ſuper univerſas digniſſimus à ſæculo ſolitus es etiam indigniſſimis auditum præbere & miſereri & concede nobis obſervantibus & hanc arculam in tui nominis impreſſione lavantibus & benedicentibus ut ſit in tuo ſancto nomine ſanctificata atque benedicta, quatinus cunctorum hic precamina fundentium preces exaudiantur, & à te piiſſimo remuneratore cunctorum ſqualoribus peccatorum purgari & in perpetuum tueri mereantur. Per Dominum.

Hic

Hic unguatur intrinſecus ſacro ſancto chriſmate in quatuor parietibus ſimili modo ut agitur in conſecratione eccleſiæ & hæc agantur ab epiſcopo & hæc ſequatur oratio. CAP XXIII. *De variis aliis benedict.*

Domine Deus univerſorum, in quo ſolo cæleſtium machina ingeniorum atque terreſtrium conſtat cunctorum, quique non ſolum angelicis creaturis divinarum rerum præſagimina, ſed etiam humanis ingenia divinitus afflata in hujus vitæ corruptela quod mirabilius eſt & miſericordius naſcentibus & manentibus largiri dignatus es: qui etiam inter ceteros quos in hoc mundo à primordio uſque in hanc horam variis & ſubtiliſſimis ditaſti ingeniis Beſeleh & Oliab diſcipulos famuli tui Moyſis ſapientia & intellectu in fabrefactis rebus ad culturam Dei pertinentibus & miro præ cæteris Iſraheliticæ plebis ingenio decorare dignatus es, in tantum ut etiam in præfigurationem eccleſiæ tuæ de imputreſcibili materia arcam teſtamenti lignorum miro ingenio pro ut prius famulo tuo Moyſi propagaſti componere mererentur. Exaudi nos deprecantes miſericordiam tuam, & immitte ſuper hanc arcam chriſmatis unctione in Chriſti nomine perunctam ſereniſſimam pietatis tuæ benedictionem, & ut nos qui in arca teſtamenti divini triplex legimus & credimus munus imponi & recondi, videlicet tabulas teſtamenti, urnam auream manna repletam, & virgam diſciplinæ, te trinum in eccleſia legiſlatorem Deum incarnatum hominem correctorem animarum credamus & confiteamur: quatinus te confitentes & glorificantes, panem vivum & verum manducare, & in perpetuum tecum vivere mereamur in cælis. Per Dominum.

Hic thuris fraglantia odoretur intrinſecus & extrinſecus quam fraglantiam ſubſequens oratio proſequatur ab epiſcopo.

Dominator, Domine Deus, univerſarum cæleſtium & terreſtrium creaturarum, qui ſupernorum fraglantia odoramentorum, ſolus ſacerdos ſacerdotum inter angelicas placaris naturas: præſta benedictionem tuam ſuper hanc arcam ad ſanctimonia tua recondenda præparatam, & thuris incenſu per manus ſervorum tuorum redolatam: & concede nobis miſericordiam tuam poſcentibus ut quicumque ad hanc nomen ſanctum tuum & tremendum adoramus ſupernorum vaſa aurea angelorum virtutum ornamentis, & ſanctarum precum copiis replere mereamur, & ab æterno remuneratore Domino noſtro Jeſu Chriſto coram conſpectibus cæleſtium & terreſtrium univerſum mundum judicante gaudia, te miſerante, conſequamur æterna. Per Dominum noſtrum.

ORDO II.

Ex ms. cod. S. Victoris n. gg. 14. an. 500.

A*D ſcrinium vel arcam vel capſam benedicendam, primum litania dicantur. Deinde dicat epiſcopus ter:* Deus in adjutorium meum. *Poſtea faciat exorciſmum aquæ, ut ſupra.*

CAP. XXIII. *De variis aliis benedict.*

Quatenus conſecrata ſis aqua ſancta & proficias ad dedicationem hujus ſcrinii, *vel* arcæ, *vel* capſæ, ut per te & per benedictionem divinam, auxiliante Domino, ſive per os, & per manus, atque officium noſtrum hæc arca, ſcrinium, *vel* capſa divinitus per gratiam Spiritus-ſancti conſecretur & perpetualiter conſecrata permaneat, & Spiritus-Sanctus habitet in hoc ſcrinio, *vel* in hac arca, *vel* in hac capſa.

Deinde aſpergat ſcrinium, vel arcam, vel capſam cum aqua pſallendo antiphonam Aſperges me Domine. *Tunc dicat epiſcopus hanc orationem.*

Actiones noſtras quæſumus, Domine, adſpirando præveni & adjuvando proſequere, ut interveniente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria cum omnibus ſanctis, cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat & per te cæpta finiatur. Per Dominum.

Poſt modum extergatur ſcrinium, vel arca, vel capſa cum linteo canendo antiphonam: Qui habitat.

Domine Deus omnipotens qui Moiſi famulo tuo in montem aſcendere præcepiſti, &c.

Deinde perungat epiſcopus intrinſecus faciens crucem in quatuor locis cum ſancto criſmate canendo antiphonam hæc aula accipiat. Pſalm. Magnus Dominus.

Domine Deus univerſorum in quo ſolo cæleſtium machina, &c.

Poſtea epiſcopus faciat crucem cum incenſo ſuper ipſum ſcrinium, vel arcam vel capſam fumigante thuribulo modulando hanc antiphonam: Domine ad te dirigatur.

Oratio.

Dominator, Domine Deus, univerſarum cæleſtium & terreſtrium, &c.

Tunc benedicatur ſcrinium dicente epiſcopo.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, unigenitique Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſancti quoque Spiritus deſcendat ſuper hoc ſcrinium, & virtus Altiſſimi maneat ſemper ſuper illud. Amen.

ORDO

Ad benedicendas ſacras veſtes.

Ex mſ. Pontificali Sagienſi bibliotheca Bigotiana annorum 200.

BENEDICTIO AMICTUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, copiam tuæ benedictionis ſuper hunc amictum infunde, ut tibi oblator ſacrificii inde opertus omnes dæmonum fraudes galea ſalutis munitus valeat illæſus expugnare & ſuperare, & injunctum ſibi officium coram omnipotentia majeſtatis tuæ digne celebrare. Per Dominum.

Benedictio alba.

Deus omnipotens bonorum virtutum dator, omnium benedictionum

largus infuſor, ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hanc albam divino cultui præparatam virtute Spiritus ſancti benedicere & ſanctificare digneris, omnibuſque ea utentibus gratiam ſanctificationis ſacri miniſterii tui benignus concede, ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati atque irreprehenſibiles appareant, & auxilium miſericordiæ tuæ acquirant. Per.

CAP. XXIII. *De variis aliis benedict.*

Benedictio cinguli.

Deus qui nobis per ſancti tui evangelii præconium lumbos corporis typici ſuccingere præcepiſti, expectando Chriſtum à nuptiis reverſurum, ſanctifica, quæſumus, tuæ virtutis potentia hoc cingulum noſtrum corpus in tuis officiis aſtricturum, ut ardore libidinis extincto, caſto corde & corpore valeamus miniſtrare omnipotenti Deo. Qui vivit & regnat.

Benedictio manipuli.

Deus virtutum dator, cordium mundorum pius habitator, quæſumus, adeſto ſupplicationibus noſtris hujus manipuli ſanctificator; & præſta, ut qui majeſtati tuæ immolaturus extiterit ſacris altaribus ornatus, ex eo cordis oculos in te teneat intentos, & immunda fœce cogitationum tuæ caritatis ardore ſiccata cogitando atque proferendo valeat tibi placere omnipotenti Deo. Qui vivis.

Benedictio ſtolæ.

Deus qui per Filii tui præconium dicentis: *Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve*, nobis arcanum novi teſtamenti pateſeciſti myſterium, ut nobis ſtolam immortalitatis, quam in prævaricatione primi parentis perdideramus ejus trophæum redderes ornamentum, ſanctifica quæſumus hanc ſtolam in tuo ſervitio deputatam, ut illam geſtantes immolationis officio tuæ pietatis adipiſci valeant propitiationem, & ſibi & aliis pro quibus tuam flagitabunt clementiam, deſiderabilem immortalitatis veſtem obtineant. Per eumdem.

Benedictio tunicæ.

Deus qui per Moiſen famulum tuum & per Aaron & filios ejus ad celebrandum pro humana ſalute ſacrificii myſterium tunicis indui præcepiſti; hanc tunicam tuæ immolationis myſterio dicatam ſanctifica virtute tuæ benedictionis, ut quiſquis ea indutus ſalutiferam hoſtiam tibi immolaturus ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ venerit, ſentiat in ſe ſalutis effectum, quatenus, laſcivia carnis edomita, omnium officio membrorum tibi placere valeat. Per.

Benedictio dalmaticæ.

Domine Deus omnipotens, qui veſtimenta pontificibus & levitis in uſum tabernaculi fœderis neceſſaria per Moiſen famulum tuum agere juſſiſti, eumque ſpiritu ſapientiæ ad id peragendum repleſti, hanc dalmaticam in uſum & cultum miniſterii tui benedicere † & ſanctificare digneris, atque miniſtros altaris tui qui eam induerint ſeptiformi Spiritus-ſancti gratia dignanter repleri diſponas, atque caſtitatis ſtola beata

Cap. XXIII. De variis aliis benedict.

facias cum bonorum fructu opum myſterii congruentis immortalitate veſtiri. Per Dominum.

Benedictio caſulæ.

Omnipotens & miſericors Deus, & origo ſanctificationis, pius reparator humanæ ſalutis, qui Moiſi famulo tuo inter cetera mandata vario pretioſarum fulgore gemmarum Aaron veſtimentâ ornare præcepiſti, ut immolaturus tibi pro ſuis & populi delictis placeret conſpectibus tuis tuam, Domine, exoramus clementiam, ut hanc infulam tui ſervitii myſterio deſtinatam tuæ virtute benedictionis reddas ſanctificatam, ut quicumque immolaturus tuis ſacris altaribus aſtiterit ornatus ex ea, tuæ protectionis auxilium ſentiat, virtutum gemmis fulgeat, bonorum operum exhibitione polleat, & efficaci ſuæ petitionis perventu gaudeat. Per Dominum.

ORDO

Ad benedicendum baculum & peram peregrinorum.

Ex ms. V. C. Menard.

Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte redemtor mundi, qui per os beati apoſtoli tui Pauli innotuiſti nos non habere hic manentem civitatem ſed futuram habere debere, hic ſemper inquirere; quique beatis apoſtolis præcepiſti, ut cunctis ad prædicandum Verbum Dei virgas tantum ſumerent, te ſuppliciter deprecamur ut digneris has capſellas ſive peras pro tui nominis amore ad inſtar humilis armaturæ lateri ſupplicandas & ſuſtentationis baculos benedicere, quatenus portantes eos in peregrinationis ſignum & ſuorum corporum ſuſtentationem cœleſtis gratiæ plenitudinem in eis & munimen valeant tuæ benedictionis percipere. Et quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixiſti: ita & hos famulos per hæc inſignia quæ ad honorem & reverentiam apoſtololorum tuorum Petri & Pauli vel S. Jacobi aſſumere cupiunt de manibus noſtris, & ad eorum limina veneranda portare, benedicas & ab omnibus peccatis abſolvas, ut in die judicii in parte mereantur dextera collocari. ℟. Amen.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, humani generis reformator & auctor, qui Abrahæ puero tuo præcepiſti ut exiret de terra nativitatis ſuæ, & iret in terram quam ei demonſtrares; necnon & populum Iſraëliticum in deſertum ad te adorandum, multis prodigiis venire

Digitized by Google

fecisti. Hos quoque famulos tuos ad apoſtolorum Petri & Pauli vel Jacobi volentes limina properare ſemper & ubique protegas, à periculis omnibus exuas, & à nexibus peccatorum abſolvas. Te, Domine, qui es via, veritas, & vita & in te ſperantibus fortitudo eorum tu eis iter bene diſponas & proſpera eis cuncta concedas, ut inter omnes præſentis ſæculi anguſtias tuo ſemper auxilio protegantur. Mitte eis, Domine, angelum tuum de cælis quem Tobiæ famulo tuo comitem dediſti in itinere ſuo, ut ubicumque fuerint ſit eis defenſor contra hoſtes viſibiles & inviſibiles & contra omnes diabolicas & humanas inſidias, quatenus divino ſuffragio roborati, animo pariter & corpore valeant incolumes ad propria remeare. Per Chriſtum. ℟. Amen.

CAP. XXIII. ¶ *De variis aliis benedict.*

Poſtea aſpergat aquam benedictam ſuper capſellas & baculum, & tradat illis dicens: Accipite has capſellas & hos baculos & habitum peregrinationis veſtræ in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & per eam mereamini accipere in hoc ſæculo remiſſionem omnium peccatorum & in futuro conſortium beatorum, atque ad limina ſanctorum quo pergere cupitis fideliter pervenire & peracto itinere ad nos incolumes remeate. ℟. Amen.

Tunc cantatur antiphona: Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. *Pſal.* In convertendo. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvos fac, Domine, ſervos tuos. Mitte eis auxilium de ſancto. Eſto eis turris fortitudinis. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

Oremus.

Deus infinitæ miſericordiæ & majeſtatis immenſæ, quem nec ſpatia locorum, nec intervalla temporum ab his quos tueris abjungere, adeſto præſentibus famulis tuis in te ubique fidentibus & per omnem quam ituri ſunt viam dux eis & comes eſſe digneris nihil eis adverſitatis noceat, nihil difficultatis obſiſtat: Cuncta eis ſalubria & ſub opere dexteræ tuæ quicquid juſte expetierint deſiderio, celeri conſequantur effectu. Per Dominum. Amen.

Ultimo aſpergat illos cum aqua benedicta, & benedicat illos cum ſigno crucis.

De officio quod agitur eis quando redeunt de peregrinatione.

Primo dicitur antiphona: Benefac, Domine, bonis & rectis corde. *Pſal.* Qui confidunt. Kyrie eleiſon. Chriſte. Kyrie. Pater noſter. Et ne nos. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

Oremus.

Quæſumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui quos incolumes de itinere ſancto redire feciſti, quicquid tibi per carnis fragilitatem, ſive per viſum aut auditum impudicum, aut per colloquia otioſa, ſive aliis quibuſcumque modis contra tuam juſtitiam commiſerunt; tu, ſanctiſſime Pater, miſericorditer indulgeas & dimittas, & eos illæſos ab omni im-

Cap. XXIII *De variis aliis benedict.*

pugnatione diabolica cuſtodias, & tuis ſemper facias devote inhærere mandatis. Per Chriſtum.

Oratio.

Deus qui juſtificas impium & non vis mortem peccatorum; majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut hos famulos tuos de tua miſericordia confidentes, cælesti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te ſeparentur. Per Chriſtum. Amen.

Benedicat nos omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus-ſanctus. Amen.

Ex ms. cod. Floriacenſi annorum circiter 500.

Benedictio ſportæ.

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui recto incedenti itinere pius es adjutor; te ſuppliciter exoramus, ut hoc opus tua benedictione conſecrare digneris & præſta, piiſſime Pater, ut hic famulus tuus, qui hoc opus in humeris ſuis ſuſpenderi benedictionis tuæ gratia repleatur, & hic & ubique defenſionis tuæ auxilio muniatur, qui vivis & regnas.

Ad ſportam dandam.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, accipe hanc ſportam itineris tui, ut protectione ipſius, ab omnibus malis defenſus, ad locum deſtinatum pervenias, & opportuni temporis iteratus repetito ad propria revertendo, ejus ſuffragiis merearis adipiſci cuſtodiam. Per.

Ad baculum.

Accipe hunc baculum itineris tui, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui famulo ſuo Thobi ducem & prævium præſtitit, ipſeque angelum ſuum dirigat tibi, qui te ad deſtinata loca perducat, fiatque tibi comitatu jocundus, ut nullus viæ tuæ ſurripiat inimicus, procul à te malignorum acceſſus, & comes eſſe tibi dignetur Spiritus-Sanctus. Per.

Benedictio retis.

Largitor omnium gratiarum Domine, qui admirabili ſapientia tua diſcipulis propriis officium piſcaturæ non ſolum in melius commutaſti; ſed etiam priſtina, ejuſdem artis ſpecie manente, augere voluiſti; adeſto invocationibus noſtris, & huic reti ad idem miniſterium præparato, ipſis diſcipulis tuis intervenientibus benedictionibus, & gratiæ tuæ tribue propitius ubertatem. Qui tecum vivit.

Benedictio ferri igniti, quod cauſſa judicii portatur.

Deus cujus notitiam nulla umquam ſecreta fugiunt, fidei noſtræ tua bonitate reſponde, & præſta ut quiſquis purgandi ſe gratia hoc ignitum tulerit ferrum, potentiæ tuæ judicio vel abſolvatur innocens, vel obnoxius detegatur. Per.

Oratio contra fulgura.

Cap. XXIII. *De variis aliis benedict.*

Primum ſpargatur aqua benedicta, & poſtea dicatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, & propitiare ſupplicibus, ut poſt noxios ignes nubium & vim procellarum in materiam laudis tranſeat commutatio. Per.

Benedictio ad libros benedicendos.

Deſcendat, Domine, virtus Spiritus-Sancti tui ſuper hos libros, qui eos mundando purificet, & benedicat, atque ſanctificet, & omnium clementer corda illuminet, & verum intellectum tribuat; ſed & inluminata tua præcepta cunſervare & implere ſecundum tuam voluntatem bonis operibus implendo concedat. Qui vivit & regnat.

Digitized by Google

ADDENDA

Ad Paginam 106.

JURAMENTUM CANONICORUM.

EGo N. canonicus in hac eccleſia beatiſſimi Martini Turonenſis inſtituendus, juro & promitto obedientiam, ſubjectionem, & reverentiam Capitulo iſtius eccleſiæ, & omnimodam ſymoniam abjuro, & in omnibus negotiis & cauſis quæ pertinent ad communitatem hujus eccleſiæ, fidelis ero, & ad tuendam libertatem, utilitatem & honeſtatem ejuſdem eccleſiæ, conſilium, quòd melius credam cum fuero requiſitus in Capitulo dabo, neque conſilia Capituli alicui revelabo. Unde damnum vel dedecus ipſi eccleſiæ, vel perſonæ ejuſdem poſſit provenire, Item quod ſi canonicus hujus eccleſiæ alteri ſuo concanonico, verbo aut facto injuriatus fuerit, & de hoc ſufficienter convictus, ad mandatum Capituli juxta ipſius ordinationem emendare noluerit, certificatus & requiſitus ſuper hoc, nec in choro, nec in capitulo, donec illud emendaverit, illi communicabo. Item juro ſtatuta, libertates & conſuetudines iſtius eccleſiæ, & quod pro poſſe meo obſervabo conſtitutiones auctoritate apoſtolica factas, tam ab Hamelino epiſcopo Cænomanenſi, & ab abbate de Perſenna, ac Dominis Roberto de Freta & Petro de Marlhaco apoſtolicis reformatoribus, quam à Gallone Cardinali, & tunc apoſtolicæ ſedis Legato: & quod diſtributiones quotidianas, vel groſſos fructus, ſive quoſcunque hujus eccleſiæ exitus vel proventus ſcienter non recipiam contra hujus eccleſiæ conſuetudines aut ſtatuta, ſi ignoranter recipiam, citius quam de hoc certificatus ero, eos reddam aut de eis ſatisfaciam infra menſem. Item juro ſolvere quindecim libras de primis fructibus quos percipiam in hac eccleſia de præbenda mea ad tuitionem iſtius eccleſiæ, & triginta libras ad opus burſæ panis, antequam panem recipiam, nec petam ſuper hoc dilationem ſeu diſpenſationem. Item juro quod neminem in canonicum vel in ſtallum recipiam, qui vel tutor ejus, ſi ipſe infra annos fuerit, hoc non faciat ſacramentum, niſi ſit epiſcopus, & qui non juret, quatenus omnes quos viderit canonicari in hac eccleſia, hoc ſacramentum facere, ſymoniam abjurare compellat, & à ſucceſſoribus ſuis hoc ipſum exigat: quod ſi facere noluerit, nec in choro, nec in capitulo, donec juraverit, eidem communicabo. Hæc omnia bona fide & ſine malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Juramentum

Digitized by Google

Juramentum Decani.

EGo N. hujus eccleſiæ beatiſſimi Martini Turonenſis Canonicus modo Decanus inſtituendus juro me ſervaturum conſuetudines hujus eccleſiæ pro viribus & facultate mei ingenii, & quod in hac villa Ligiam manſionem faciam, & de Clauſtro iſto, & hominibus & redditibus meis & Capituli, & hominibus & terris Præpoſituræ Ligogali huic Eccleſiæ fidelis ero, nec juſtitiæ ſtare in hoc Capitulo quoties fuero requiſitus ſecundum conſuetudines ejuſdem Capituli recuſabo: & quod nihil pro honore iſto dedi, vel promiſi, vel alius pro me, me ſciente, & ſi promiſſum fuiſſe cognoſcam, nullatenus reddam, & quod infra annum Preſbyter ero, niſi Capitulum mecum ſuper hoc diſpenſet; & quod conſtitutiones Judicum Cænomanenſium, & Domini Gallonis Cardinalis, ac Dominicorum Roberti de Freta & Petri de Marlhaco pro poſſe meo obſervabo & obſervare faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Juramentum Theſaurarii.

EGo N. hujus eccleſiæ beatiſſimi Martini Turonenſis canonicus modo Theſaurarius inſtituendus, juro me ſervaturum conſuetudines hujus eccleſiæ pro viribus & facultate mei ingenii & quod in hac eccleſia Ligiam manſionem faciam: & de Caſtro iſto, & hominibus & redditibus meis & Capituli, & hominibus & terris, & redditibus Domnæ Mariæ huic eccleſiæ fidelis ero, nec juſtitiæ ſtare in hoc Capitulo quoties fuero requiſitus ſecundum conſuetudines ejuſdem Capituli recuſabo; & quod nihil pro honore iſto dedi vel promiſi, nec alius pro me, me ſciente, & ſi promiſſum cognoſcam, nullatenus reddam, & quod conſuetudines Judicum Cænomanenſium, & Domini Gallonis Cardinalis, ac Dominorum Roberti de Freta & Petri de Marlhaco pro poſſe meo obſervabo & ſervare faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Juramentum Cantoris.

EGo N. hujus eccleſiæ beatiſſimi Martini Turonenſis Canonicus modo Cantor inſtituendus ſuper hoc ſanctum Evangelium juro, quod in hac villa Ligiam faciam manſionem ſecundum interpretationem per Dominum Papam Innocentium factam, & quod de Cantoria & ejus pertinentiis huic eccleſiæ fidelis ero, nec juſtitiæ ſtare in hoc Capitulo quoties fuero requiſitus ſecundum conſuetudinem ejuſdem Capituli recuſabo: & quod nihil pro honore iſto dedi vel promiſi, nec alius pro me, me ſciente: & ſi promiſſum fuiſſe cognoſcam, nullatenus reddam: & quod infra annum preſbyter ero, niſi Capitulum mecum ſuper hoc diſpenſet: & quod conſtitutiones Judicum Cænomanenſium, & Domini Gallonis Cardinalis, ac Dominorum Roberti de Freta & Petri de Marlhaco pro poſſe meo obſervabo & ſervare faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Ego

Juramentum Præpoſitorum.

EGo N. Præpoſitus inſtituendus talis loci juro vobis & promitto, quod ego amodo fidelis ero huic eccleſiæ & vobis de veſtris hominibus & terris, nemoribus, redditibus, cenſibus, decimis, terragiis, oblationibus, aquis, pratis, paſcuagiis, & aliis omnibus ad Præpoſituram meam pertinentibus, & ſtabo juri coram vobis in Capitulo ſecundum conſuetudinem iſtius eccleſiæ, quotieſcunque fuero requiſitus, & Ligiam faciam ſecundum interpretationem Domini Papæ Innocentii, manſionem, & quod nihil dedi vel promiſi, nec alius pro me, me ſciente, pro iſta Præpoſitura adipiſcenda, & ſi promiſſum ſciero, non reddam. Item juro, quod conſtitutiones Judicum Cænomanenſium, & Domini Gallonis Cardinalis, ac Dominorum Roberti de Freta & Petri de Marlhaco pro poſſe meo obſervabo & ſervare faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Juramentum Vicariorum.

EGo N. in hac eccleſia beatiſſimi Martini Turonenſis Vicarius inſtituendus, juro & promitto obedientiam, ſubjectionem & reverentiam Capitulo iſtius Eccleſiæ, & reſidentiam ſecundum ſtatuta Apoſtolica, & omnimodam ſymoniam abjuro, & in omnibus negotiis hujus eccleſiæ fidelis ero, & ad tuendam libertatem & honeſtatem eccleſiæ, & quod ordinatum eſt aut ordinabitur per Capitulum circa Vicarios Eccleſiæ & eorum Officium, necnon conſtitutiones hujus eccleſiæ quas obſervant canonici, obſervabo, & quod diſtributiones quotidianas, aut quoſcunque hujus eccleſiæ exitus & proventus ſcienter non recipiam, niſi eos & eas fuero lucratus, & ſi aliquid recepero ſic, reſtituam infra menſem. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Juramentum Abbatis Cormeriacenſis.

EGo N. ſancti Pauli Cormeriacenſis abbas inſtituendus, ſuper hoc ſanctum Evangelium promitto & juro obedientiam, ſubjectionem & reverentiam huic eccleſiæ beatiſſimi Martini Turonenſis & Capitulo ejuſdem, & quod fidelis ero huic eccleſiæ de abbatia Cormeriacenſi ejuſque pertinentiis, nec juſtitiæ ſtare in hoc Capitulo quoties fuero requiſitus ſecundum conſuetudinem hujus eccleſiæ recuſabo, neque conſilia hujus Capituli revelabo, unde damnum vel dedecus ipſi eccleſiæ vel perſonæ ejuſdem poſſit provenire, & quod pro honore iſto nihil dedi vel promiſi, nec alius pro me, me ſciente, & ſi promiſſum fuiſſe recognoſcam, nullatenus reddam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta verba.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

ABBATIS electio, 91. è congregatione, 25. 26. 40. cum concilio vicinorum abbatum, 26. præſente epiſcopo, 40. & ab eo confirmata, 39. à duodecim fratribus ſubſcripta, 27. lecta in ambone, *ibid.* 42. quo ritu celebranda, 40

Abbas eligendus ſit preſbyter, 2. aut diaconus, 10. electus delatus ſuper altare majus, 46. oſculum in capitulo omnibus tribuit, 9. regulam ſe obſervaturum jurat, 8. 16. baculum paſtoralem de altari ſumit, 8. eo carent abbates canonicorum regularium, 4

Abbatum benedictio quam antiqua, 2. ejus ritus, 3. 5. *& ſeq.* die Dominica facienda, 43. benedicendorum abbatum. Examen, 25. 29. 30. 34. 44. eis coaſſiſtunt duo fratres vel duo abbates, 30. 33. 43. manus imponuntur, 34. 39. 41. 42. 45.

Abbatis ordinandi profeſſio, 4. *& ſeq.* 25. 29. 31. 40. 44. in ſua benedictione obedientiam non promittebat, 4. & 5

Abbati ordinando traditur regula, 16. Anulus, 18. Baltheum & Wanti inconſutiles, 25. pacis oſculum ab omnibus fratribus, 30. 42. ordinato obedientia ab omnibus promiſſa, 48

Abbas ordinatus communicet de manu epiſcopi, 30. 42. per campanas inveſtitus, 30. nudis pedibus accedit ad ſuum monaſterium, 47

Abbas Caſinenſis ipſo ſuæ ordinationis die jejunat in pane & aqua, 19. ſex presbyteros & ſex diaconos comites ſecum ſemper habeat, 14. 18

Abbas quibus virtutibus pollere debeat, 11. *& ſeq.* 15. & 16. 17. 34. *& ſeq.* ſit, Legatus & preco veritatis, 11. bonum exemplum fratribus ſuis exhibeat, 21. extraneos diſcurſus vitet, *ibid.* communem cibum cum fratribus ſumat, 12. cum quibus ſibi eſt altaris menſa communis, indignos non judicet, qui ſibi participent in corporalibus alimentis, 22 à pompis ſæcularibus ſit alienus, 35

Abbatum duritia increpatur, 87. *& ſeq.* in ferendis ſententiis ne ſint præcipites, 13

Abbatum onus majus quàm epiſcoporum, 91

Abbas recipiens profeſſionem tantum teſtis eſt, 85. an poſſit monachum abſolvere à ſua profeſſione, 85. *& ſeq.*

Abbates quando mitra uti cœperunt, 4. Regis ordinatio ſeu benedictio ab abbate facta 183. miſſa pro abbate, 38

Abbatiſſæ ordinatio, 32. 39. 42. fieri poteſt à preſbytero, 2

Abbatiſſis virgines velare illicitum, 111

Accuſationes quomodo recipiendæ, 13

Alapa creato novo militi data, 232

Albarum benedictio, 297. 380

Alleluia vox exultationis ad laudes Dei pertinens, 311. tempore quadrageſimæ taceetur, 312. A quibus recte cantari debeat, *ibid.*

Alphabetum græcum, 27. litteris olim conſtabat, 240. 276. quid ſignificet, 310

Alphabetum in dedicandis eccleſiis latine græce & hebraice deſcriptum. Aliquando græce & latine, 242. 295. 300

Altaris conſecratio, 246. 253. 280. 296. motum an iterum debeat conſecrari, 359. plura ſimul conſecrare incautum, 350

Altaris conſecratio à preſbytero, 340

Altaris conſecrationi neceſſaria quæ præparanda, 341

Altaria niſi lapidea chriſmatis unctione ſacrari non debent, 349

* * *

Digitized by Google

Altarium portatilium antiquitas, 350. materia, *ibid.* figura, 351. conſecrationis ritus, *ibid. & ſeq.* eorum conſecratio ſine reliquiis, 358
Altaria ſine reliquiis conſecrata ſunt evertenda, 239. item ſuperflua, 358. tamen non ſine epiſcopi permiſſu, 359. quo ritu deſtruerentur, *ibid.*
Amictus benedictio, 380
Ampulla ſacra ad unctionem regum Francorum, 199. 201. 210. 211. ad regis unctionem quo ritu afferenda, 199. 210. quo reducenda, 219
Anachoritæ qui dicendi, 67
Anima à Deo deſerta quam infelix, 324. 326
Animam perdere quis credendus, 80
Anuli paſtoralis benedictio & traditio in abbatis ordinatione, 18. 45
Annulus virginum, 114. 124. 126. 130. 134. 139. regum, 194. 204. 225. ducum, 227
Apoſtata quis, 71
Apoſtatæ reputandi ſunt qui regulam tranſgrediuntur, 13
Apoſtaſiæ ſimile vagari in eccleſia tempore officii, 103
Apoſtaſia nullum majus peccatum, 71. Illam quanta mala ſequantur, 72
Aquæ antiqua benedictio, 291. ad dedicandas eccleſias, 244. 252. 260. 277. 285. 294. 295. 299.
Aquæ ſalis & cineris benedictio in dedicationibus eccleſiarum quid ſignificent, 312
Aquæ effuſio ad baſim altaris in eccleſiæ dedicatione quid ſignificet, 315
Arcæ benedictio, 378
Aſperſio aquæ in dedicatione eccleſiæ quid ſignificet, 314
Avaritia ab abbate fugienda, 12. 36

B

BAculi benedictio, 382. 384.
Baculus paſtoralis abbati ordinando traditus, 3. 17. 26. 28. 29. 31. 32. 37. 40. 41. 45
Baculum paſtoralem de altari ſumit abbas electus, 8. de tumulo S. Martini abbas Cormeriacenſis, 3. abbatiſſæ aliquando ordinatæ datus, 33. 43. aliquando non datus, 39. eo carent abbates canonicorum regularium, 4
Baculus cantori ſolo reſervatus, 103.
V. Virga.
Baltheum & VVantos inconſutiles accipiat ordinatus abbas, 25 35
Bannus epiſcopalis pro virginibus conſecrandis, 124 129. 131. 135. 137
Baptiſmi ſacramentum nulli negandum, 326. in paſchate recipiendum præmiſſo jejunio, 326. in feſtivitatibus præmiſſo jejunio & vigiliis adminiſtratus, 326. baptiſmus campanarum, 368
Baptiſterii benedictio, 269
Baſilica metonimice eccleſia dicta, 306
S. Benedictus monaſtici ordinis reformator, 68
Benedictio albarum, planetarum & cingulorum, 297. 380. amictus, *ibid.* aquæ, 291. baculi & peræ peregrinorum, 382. 384. baptiſterii, 269. caſulæ, 382. cinerum, 354. ad eccleſias dedicandas, 252. 260. 301. cinguli, 381. cœmeterii, 361. corporalis, 255. 265. 278. 288. crucis, 268. 373. dalmaticæ, ducum quando incœperit, 226. enſis, 381. 231. Euchariſtialis vaſculi, 266. ferri igniti quod cauſa judicii portatur, 384. Imaginis S. Catarinæ, 378. imaginis S. Stephani 377. librorum, 385. linteaminum, 246. 255. 264. 278. 288. 297. manipuli, 381. militum 230. quando cœperit, monachorum, 69. prætoris, commiſſarii vel capitanei, 230. principum quando incœperit, 225. retis, 384. ſalis & aquæ ad eccleſias dedicandas, 244. 252. 260. 277. 285. 294. 295. 299. ſcrinii ſeu arcæ, 378. ſignorum eccleſiæ, 248. 269. 368. ſportæ, 384. ſtolarum, 283. 381. tabularum, 247. 157. 291. 298. thuribuli, 266. tunicæ, 381. turris, 372. vini, 342
Bona monaſterii vota fidelium pretia peccatorum, 14. ea qui diſſipat ſacrilegus eſt, 14
Burdones eremitæ liberi, 70

C

CAlix ordinatis diaconiſſis datus, 148. ejus conſecratio, 247. 258. 266. 283. 289
Cambuta virga ceu baculus pontificalis, 307
Camiſia regia ipſius unctionis die comburenda, 219
Campanarum benedictio quam antiqua,

389. eis nomen imponi quam ſit antiquum, 368. *Vide* Signa.
Candelæ duodecim ad eccleſiæ dedicationem, 250. 259. 272. 280. 284. 294. 299. 305.
Canonum liber quotidie in canonicorum capitulo lectus, 101
Canonicorum vita, 102. veſtis, 101. 102. quales inſtitui debeant, 105. 106. quo recipiendi ritu, 101. *& ſeq.* inſtituendorum juramentum, 104. 106. ipſis modeſtia commendatur, 103. controverſiæ ipſorum ut finiendæ, 104. extra clauſtrum pernoctaturi licentiam à decano obtineant, 104. cum veſte nigra ſepulti, 102
Canonicorum regularium benedictionis ritus, 96. *& ſeq.* profeſſionis formula 96. 100. ipſo profeſſionis die communicent 28. eorum abbates baculo paſtorali carent, nec curias regum frequentare debent, 4
Capitanei benedictio, 230
Capitulum culparum feriis ſextis apud canonicos ſæculares, 104
Capituli celebratio apud canonicos qualis, 102. 103.
Caputium mortificationis ſignum, 75
Carolus Calvus veſte inſolita uſus, 183
Carthuſienſium monialium benedictio, 141
Caſſinenſis abbatis electio quo ritu facta, 5. *& ſeq.* obedientiam etiam ſummo pontifici olim non promittebat, 5
Caſtitatem ante ſanctorum feſta ſervent conjugati, 325
Caſulæ benedictio, 384
Cerei xii. accenſi in benedictione cœmeterii, 362. alibi tantum iv. 365. 366
Chorepiſcopis virgines velare illicitum, 111
Chorum non ingrediantur canonici advenientes poſt primum pſalmum, 103
Chriſtum ſequi eſt illum imitari, 76
Ciborium altaris umbraculum, 360. quo ritu benedici debeat, 360
Cilicinum veſtimentum monachi ſtaminia, 75
Cingulorum benedictio, 297. 381
Cinis vitulæ rubræ carnem Salvatoris ſignificat, 312
Cinerum benedictio, 354. ad eccleſias conſecrandas, 252. 260. 301
Circilliones, 67
Claves monaſterii abbati electo publice deferendæ, 9
Clerici unde dicti, 81
Cœmeterii benedictio, 361. *& ſeq.* reconciliatio, 270
Cœnobitæ genus monachorum optimum, 67
Colonienſis archiepiſcopi eſt coronare imperatorem, 172
Columba aurea in ſummitate virgæ regalis, 189
Communio canonicorum regularium ipſo profeſſionis die, 98. poſt profeſſionem monaſticam per triduum, 52. 55. 57. 63. 80.
Communio dominica prima cujuſque menſis apud monachos, 61
Communio imperatorum, 160. 164. regum, 197. 207. 219. virginum per octo dies, 114. 122. 124. per tres dies, 131
Communioni præmittenda manuum lotio, ſed multo magis animæ munditics, 325
Communionem linteolis excipiunt mulieres, 325
Concilia celebrata in dedicationibus baſilicarum, 233
Confeſſio ante profeſſionem monaſticam, 61
Conſecratio virginum qua ætate peracta, 109. 136. quo die 110. 122. 124. 138. à quibus, 111. 112.
Conſenſus parentum poſtulatus in conſecratione virginum, 113
Conſtantini zelus in deſtruendis fanis idolorum, 328
Converſione morum quid promittatur, 82. quomodo facienda, 83
Cormeriacenſis abbas baculum paſtoralem de tumulo S. Martini accipit, & obedientiam capitulo ejuſdem eccleſiæ jurat, 3
Corona regia, 187. regum Francorum, 185 ipſis à paribus impoſita, 203. eam olim ſemper deferebant reges. 185. eam. Deponit rex Franciæ dum legitur evangelium, 219. ducum qualis, 226
Corona capiti conſecratæ virgini impoſita, 140
Corporalis benedictio, 255. 265
Corporis Chriſti tres portiones in altari conſecrato reconditæ, 240 271. 275. 279. 290. 296.
Correctio ut facienda, 22
Crucis benedictio, 268. 373

Digitized by Google

Crux in ſummitate ſceptri regalis, 189
Crucis lignum appictum velo virginum, 115
Crux data conſecratis virginibus Carthuſianis, 141
Cucullа innocentiæ ſignum quid ſit, 75
Culparum capitulum feriis ſextis apud canonicos ſæculares, 104
Curias regum frequentare non debent abbates canonicorum regularium, 4

D

DALMATICÆ benedictio, 381
Decani faciendi ritus, 23
Dedicationis eccleſiarum ritus, 242. ab apoſtolis eorumque diſcipulis ad nos devoluti, 307. 310
Dedicatio eccleſiæ à pluribus epiſcopis ad celebranda concilia congregatis, 233. quorum principalis conſecrator erat epiſcopus diœceſanus, 236. fiebat cum ſacris reliquiis, 238. 256. 272
Dedicans ſine reliquiis eccleſias epiſcopus deponendus, vigiliæ coram reliquiis pridie ante dedicationem, 237. 250. 256. 279
Dedicatæ aliquando ſine reliquiis eccleſiæ, 239
Deſerta à Deo anima quam infelix, 324. 326
Detractio homicidii genus, 13
Deo tria dare poſſumus, 70
Diaconiſſarum munia, 144. Non ordinababantur niſi virgines aut uni dumtaxat viro nuptæ, 145. Idque poſt annum quadrageſimum, *ibid.* Earum ordinationis ritus, *ibid.*
Diſcurſus extra monaſterium abbas vitare debet, 21
Doctores ſummam eorum quos inſtruunt curam agere debent, 314
Dotatio eccleſiæ antequam conſecretur, 242. 298. 302.
Ducum benedictio quando incœperit, 126

E

ECcleſia per totum orbem dilatata, 313. ejus defenſor imperator conſtitutus, 166
Eccleſia fidelium convocationem ſignificat, 306. apud chriſtianos quomodo hiſtorice, tropologice & anagogice conſtrui poſſit, 327
Eccleſiæ olim dedicatæ à pluribus epiſcopis ad celebranda concilia congregatis, 233. quorum principalis conſecrator erat epiſcopus diœceſanus, 236. ſine reliquiis non dedicatæ, 238. aliquando ſine reliquiis conſecratæ, 239. in Italia non conſecratæ ſine papæ conſenſu, 236. non dedicatæ interdictæ, 240. earum dotatio antequam conſecrentur, 242. 298. 302.
Eccleſia duobus modis poteſt violari, 332. quomodo reconcilianda, 332. *& ſeq.*
Eccleſiam quales intrare debeamus, 325
Ejectio è monaſterio pro clareſcentibus culpis, 8
Electionis abbatis ritus, 46. *Vide* abbas.
Electores imperii duodecim, 182
Eleemoſyna commendatur, 70
Enſis benedictio, 241
Epicombia ſeu pecuniarum largitio in imperatorum unctione, 161. 165
Epiſcoporum eſt velare virgines, 111. 121. ex monachis facti habitum monaſticum retinent, 94. ex laicis non faciendi, 91. non ordinentur inviti, 90. eis reverentiam exhibeant canonici, 104. 106
Eremitæ qui dicendi, 67
Evangelium in miſſa ipſo ſuæ coronationis die legit imperator, epiſtolam rex Siciliæ, 182
Evangelium dum legitur rex Franciæ deponit coronam, 219
Euchariſtia in altari conſecratæ eccleſiæ repoſita, 240. 257. 271. 275. 279. 290. 296. ad euchariſtiæ elevationem ſtat imperator, 159. 164
Euchariſtialis vaſculi benedictio, 266
Exemplum efficax prædicatio, 21

F

FAVORIS nummus in conferendis beneficiis non exquirendus, 90
Ferri igniti, quod cauſa judicii portatur, benedictio, 384
Fibula imperatoris, 159. 163
Fidei profeſſionem ante coronationem emittebant olim imperatores, 152. 160. Item reges ante unctionem, 184
Fiſcanenſis abbatis profeſſio, 5
Oratio contra Fulgura, 385

G

GRATIARUM actio Deo pro beneficiis referenda, 319. 320

H

HABITUS monaſticus ſanctitatis decor, 51. 77. mortificationem carnis & humilitatem cordis ſignificat, 51. ipſius aſſumtio cum benedictione facit monachum, 73. illum retinent monachi facti epiſcopi, 74
Homicidii tria genera, 13
Hoſtia conſecratis virginibus data ad communicandum per octo dies, 114. 122. 124
Hyſopus humilitatem paſſionis Chriſti deſignat, 314

I

JEJUNIUM baptiſmo præmittendum, 326. unctioni regiæ, 222
Imperatoris electores duodecim, 182
Imperatores non dicebantur niſi à papá inuncti, 154. ab epiſcopis quando coronari cœperunt, 151. in occidente triplici corona donabantur, ubi, & quo ritu, 154. *& ſeq.*
Imperatores aliquando bis coronati, 151. ante coronationem fidei profeſſionem ſcripto emittebant, 152. 160. Eorum benedictionis ritus, 153. unctio, 157. 169. in ambone facta, 158. 162.
Imperator ipſo coronationis die evangelium legit in miſſa, 281. ſtat ad elevationem Corporis Chriſti, 159. 164. communicans Corpus Chriſti manu excipiebat Sanguinem ex calice hauriebat, 160. 164. poſt inunctionem Romæ factam in eccleſia S. Petri coronam defert in Lateranenſem, 182
Imperator coronatus altare thurificat, 160. 164
Imperatorum ſacramentum de conſervandis eccleſiæ juribus, 157. 160. 168. 170. 174. 178
Imperatorum coronationi qui adeſſe debent principes & epiſcopi, 182
Imperator receptus canonicus S. Petri, 157
Imperatricum coronatio, 158. 162. 171. 176. 181.
Impoſitio manus in abbatis ordinatione, 34. 39. 41. 42. 45. in conſecratione virginum, 113. in regis unctione, 183.
Incenſum virtutes orationum ſignificat, 316
Indenſis abbas an poſſit imperatorem abſente archiepiſcopo Colonienſi coronare, 172
Indulgentiæ in dedicationibus conceſſæ, 243
Ingratitudo erga Deum vitanda, 319
Juramentum canonicorum inſtituendorum, 104. 106. 386
Juramentum à regibus præſtitum ante unctionem de tuenda fide catholica, eccleſiæ libertate, &c. 184. 189. 192. 199. 205. 211. 212. 222. 224
Juramentum ducum in ipſorum benedictione, 226. 228

L

LAÏCUS ad epiſcopatum non accedat, 91
Laïci fratres monachis & preſbyteris non præponendi, 13
Laudes oriente ſole celebrandæ, 102
Lectio in capitulo ex libro canonum, 101
Letania antiqua in imperatorum coronatione, 166. 174
Letania in dedicatione eccleſiæ, 251
Librorum benedictio, 385
Limen eccleſiæ cur tertio percutiat pontifex in dedicationibus, 307
Limina ſacra oſculandi conſuetudo unde nata, 241
Linteaminum benedictio, 246. 255. 264. 278. 288
Luxuriæ cauſa ſuperbia, 72

M

MULTA de calce & tegula cum aqua benedicta ad eccleſiæ dedicationem, 278. 290. 296. 302
Mali à bonorum conſortio ſeparandi, 92
Manipuli benedictio, 381. monialibus Carthuſianis datur, 141
Manus impoſitio. *Vid.* Impoſitio.
S. Matthæi benedictio pro virginibus conſecrandis, 123. 126. 129. 131. 136
Menſa communis abbatis & fratrum, 22
Militum benedictio epiſcopalis quando cœperit, 230. illius ritus, 231

Militi novo data alapa, 232
Militiam homini chriſtiano illicitam quidam cenſuerunt, 230
Miſericordia commendatur, 70
Miſſa per octo dies in eccleſiarum dedicationibus, 172. 279. 284
Miſſa pro monachis profeſſis triduo dicenda, 59
Miſſa pro abbate, 38
Miſſarum celebratione reconciliatur eccleſia violata, 332
Mitra data abbati ordinato, 45. ea quando uti cœperunt abbates, 4. qualis illa eſſe debeat, *ibid.* ea non utuntur Præmonſtratenſes, *ibid*
Mitra virginum, 113. 124. 126. 130. 140
Modeſtia in choro præſertim ſervanda, 103
Monachorum ſex genera, 67
Monachorum benedictio, 69
Monachi Græci Ægyptii & Armenii profeſſionem non faciunt, 77
Monachum non facit profeſſionis ſubſcriptio, 76
Monachus an poſſit mutare profeſſionem ſuam, 88
Monachum à profeſſione an poſſit abbas abſolvere, 85. *& ſeq.*
Monachus ſecundum evangelicam perfectionem major preſbytero, 73
Monacho proficiente nihil melius, deficiente nihil pejus, 84
Monachi ad ſuccurrendum, 77. quomodo fierent, 64.
Monaſterium portus & aſylum, 77. carcer, 81. quem Deus efficit paradiſum voluptatis, 82. nulli meliores quam qui in monaſteriis profecerunt, nulli pejores quam qui ibi ceciderunt, 84
Monaſterii bona qui diſtrahit ſacrilegus, 14
Monaſtici ordinis ortus, 63. à S. Benedicto reformatus, 68. ex peccatoribus facit ſanctos, 74. habitus, ipſius ſanctitas, 77. perfectio alterius voluntati ſubdi, 79
Monaſticam vitam profiteri volentes, ſi conjugati, ſeparentur, 80
Mortis memoria imperatori recenter coronato refricata, 154
Mortificatio commendatur, 21
Mulieres communicaturæ euchariſtiam linteo excipiunt, 325
Mulierum colloquia à canonicis vitanda, 103. 104
Munus triplex, 90

N

NEGOTIIS ſæcularibus plus æquo ne ſit deditus abbas, 11
Nomen campanis imponi quam antiquum ſit, 368
Novitii quomodo recipiendi & inſtituendi, 60. monaſtico habitu quando induendi, *ibid.*

O

OBEDIENTIA commendatur, 19. 20. eſt perfectio monaſticæ inſtitutionis, 84. reddenda in omnibus niſi appareat peccatum, 79. in profeſſione non abbati, ſed Deo & monaſterio promittitur, 86
Obedientia novo abbati promiſſa, 48
Obedientiam epiſcopo eos benedicenti olim non promittebant, 4. 5
Oblationis puerorum formula, 53
Oblatio regia una marca auri puriſſimi, 190
Odium proximi fugiendum, 326
Officium B. Mariæ & S. Benedicti cum canonico ſeu regulari, 19
Officii tempore vagari in eccleſia apoſtaſiæ ſimile, 103
Officium ceſſat in eccleſia violata, 332
Orare bene pro ſe & pro aliis quis dicendus eſt, 317
Oratio pro hæreticis, ſchiſmaticis, paganis, & Judæis ex traditione apoſtolica, 309. adventu Spiritus-ſancti indignus niſi quem virtus orationis commendat, 318
Oſculandi limina ſacra conſuetudo unde orta, 141
Oſculum pacis abbas electus omnibus in capitulo tribuit, 9. novo canonico datur, 107
Otioſitas vitanda, 82

P

PARENTUM conſenſus poſtulatus in conſecratione virginum, 113
Pares Franciæ, 110. coronam capiti regis impoſitam ſuſtentant, 203. 217
Patenæ conſecratio, 246. 158. 265. 283. 289.

Digitized by Google

Patrinorum in filiolos officia, 327
Pacis oſculum abbati ordinato ab omnibus fratribus datum, 50. 42
Peccata ſunt portæ mortis, 308. minora eleemoſynis & oratione redimenda, 316
Pedules abbati ordinando dati, 33
Peræ peregrinorum benedictio,
Planetarum benedictio, 297
Pomum aureum imperatori datum, 156
Portæ tres per quas intrat Rex gloriæ, baptiſmi gratia, chriſmatis honor, & ſacri verbi prædicatio, 308
Portæ mortis peccata. *ibid.*
Præmonſtratenſes abbates mitra non utuntur. 4
Prætoris benedictio, 230
Presbytero virgines velâre illicitum, 111. abbatiſſam conſecrare poteſt, 2. altaris conſecratio à presbytero, 340
Principum benedictio quando incœperit, 225
Probatio tyronum antequam in monaſteriis admitterentur, 66
Proceſſiones quomodo faciendæ, 103
Profeſſio monaſtica feria VI. fieri ſolita, 54. ipſius formulæ, 58. 59. 62. 81. in variis monaſteriis diverſæ, 69
Profeſſionis ſubſcriptio non facit monachum, 76
Profeſſio ſuper altare deferenda, 50. 56. 58. 62
Profeſſionem abbas recipiens tantum eſt teſtis, 85
Profeſſio monaſtica res difficilis, 81. eam mutare tribus ex cauſis poteſt monachus, 88
Pſalterium de manum cantoris recipiunt qui inſtituuntur canonici, 101
Pſallendum aſtantibus, 103
Pueri oblati veri monachi, 77. ſub qua formula Deo in monaſteriis oblati, 53
Punga ſeu gazophilacium unde eleemoſyna ſubminiſtretur, 9

R

Reclusorum benedicendorum ritus, 93. *& ſeq.*
Reconciliatio eccleſiæ quomodo facienda. 332. *& ſeq.*
Regulæ S. Benedicti elogium, 68. à Spiritu-ſancto dictata, 12. abbati ordinando data, 8. 16. 26. 31. 37. 40. 41. 45. eam ſe obſervaturum jurat abbas electus, 8. 16. illam violantes apoſtatæ reputandi, 13
Regula abbatiſſæ ordinandæ data, 32. 43
Regula canonicorum abbati ordinando data, 29. 32.
Reliquiæ ſanctorum ſub altari recònditæ, 360
Reliquiæ ad eccleſiarum dedicationem adhibitæ, 258. 256. 272. in altari conſecrando quomodo recondantur, 270. 290. 296. 302. 348. Quid myſtice ſignificet hic ritus, 321
Reliquiæ in altari portatili aliquando non conditæ, 358. in diverſis eccleſiæ locis collocatæ, 241
Reliquiarum nomine non ſemper ſanctorum integra corpora aut partes eorum intelliguntur, 238
Retis benedictio. 384
Rex triduanum jejunium inunctioni ſuæ præmittere debet, 222. pridie ante unctionem in eccleſia vigilat, 210
Regum benedictio quam antiqua, 183. fidei profeſſionem ante unctionem edebant, 184
Regis coronati præcepta ad populum, 188
Regum Anglorum benedictionis ritus, 185. 188. Francorum, 192. *& ſeq.* 209
Regia veſte quando uti cœperunt reges, 183
Reginæ benedictio, 197 207. 220. 223.

S

Sacerdotes ad utilitatem commiſſi gregis debent laborare & orare pro eo, 315
Sacerdos indignus qui non fuerit ordinatus invitus, 90
Sacramentum. Quidquid in eccleſia agitur, aut ſacramentum eſt, aut figura ſacramenti, 78
Salis benedictio ad eccleſias dedicandas, 244. 245. 252. 260. 277. 285. 294. 295. 299
Sarabaïtæ, 67
Scandala fugienda, 11
Sceptrum regale, 186. 189. 195. 225
Scrinii benedictio, 378
Scriptura murus adverſus Judæos & hæreticos, 319
Scrutinium ante profeſſionem monaſticam, 80
Septenarius numerus perfectionem do-

ſignat, 313
Sepulti cum veſte nigra canonici, 102
Sequi Chriſtum eſt illum imitari, 76
Sermo in dedicatione eccleſiæ, 298. 302
Signorum baptiſmus, 368. ſeu benedictio, 148. 269. quam antiqua, 369. quo ritu peracta, 370
Silentium tribus diebus poſt emiſſam à monachis profeſſionem, 52. 57. 80. tribus poſt conſecrationem diebus ſervandum à virginibus, 141
Simoniaci prælati deponendi, 90
Stabilitate quid promittatur, 81. Stabilitas qua ratione dulceſcat, 82
Stabilitatem non profitebantur monachi antiqui, 66
Standum in choro, 103
Stolarum benedictio, 283. 381
Stola diaconiſſis data, 148. Carthuſianis virginibus, 141
Societas communis congregationis, ſub qua formula data, 58
Sportæ benedictio, 384
Superbia luxuriæ & apoſtaſiæ cauſa, 72
Suſceptorum in baptiſmo officia, 327
Synagogæ Judæorum à chriſtianis primum everſæ, deinde in eccleſias converſæ, 331

T

Tabernaculum Dei eccleſia eſt, 319
Templum Dei per baptiſmum efficimur qui ante diaboli fanum eramus, 324. Quam ſanctum debeat eſſe illud templum, 324. *& ſeq.*
Templa idolorum à primis chriſtianis deſtructa, 328. non tamen ſine permiſſu imperatorum, 329. poſtea in eccleſias converſa, 330
Theodoſii zelus in deſtruendis idolorum templis, 328
Thuribuli benedictio, 266. Imperatores orientis altare incenſabant, 160. 164
Thronus imperatoris coronandi, 158. 161
Tonſura clericalis ab apoſtolis inſtituta creditur, 75
Tonſura prima canonicorum qua ratione conferenda, 105
Tonderi non ſolebant virgines Deo ſacratæ, 113
Tranſubſtantiatio, 263
Tunicæ benedictio, 381
Turris benedictio, 372

V

Velum virginibus imponere ſolius epiſcopi apud latinos, 111
Velum viduarum purpureum nigrum, 143. à presbyteris impoſitum, *ibid.*
Veſperæ ad ſolis occaſum cum cereis accenſis & lucernis, 102
Veſtis monaſticæ benedictio, 51. 55. Virginum nigra, 112. Ejus benedictio, 117. 120. 121. 122. 124. 138. Humilitatem & contemtum mundi ſignificat, 117. 120
Veſte regia quando uſi ſunt reges, 183
Veſtes regales regum Francorum, 200. 211
Viduæ conſecratio, 119
Viduæ qua ætate caſtitatis propoſitum amplecti poterant, 142. non ante trigeſimum à viri obitu diem, 142. apud Longobardos non ante annum, 142. quo die & loco, 142. Scripto caſtitatem promittebant, 143. nulla benedictione conſecrabantur, 143. Eas velabant ſimplices presbyteri, 143. velum earum nigrum, 143
Vigiliæ nocturnæ media nocte, 102
Vigiliæ coram reliquiis pridie ante dedicationem, 237. 250. 256. 279
Vini benedictio, 342. ad dedicandam eccleſiam, 245
Virga pontificis recurva, 307. ſignum poteſtatis ipſius, 307
Virga regalis, 195. 204. unius cubiti, habens in ſummitate manum eburneam, 200. 211. columbam auream, 189
Virginitas poſt fidem & martyrium ſuperiorem obtinet locum, 74
Virginum duplex genus, 108
Virginum votum ante duodecim ætatis annos irritum reddere poſſunt parentes, 112. conſecrandæ debent eſſe expreſſe profeſſæ, 138. earum conſecratio duplex, 118. conſecrationis ritus, 112. *& ſeq.* conſecratio per orationem & manuum impoſitionem, 113
Virginis conſecrandæ manus palla altaris involuta, 122
Virginum conſecratio quandiu perduraverit, 114
Virgines intonſos crines deferre ſolebant, 113

Virginum

Virginum mitra, 113. 124. 126. 130. 140. Annulus, 114. 124. 126. 130. 134. 139. Velum, 113. duplex, 115. Veſtis, 112
Virgo cultius ornata adultera cenſetur, *ibid.*
Virgines tribus à conſecratione diebus ſilentium ſervant, 141
Virginum communio per dies octo, 114
Vivit utiliter in tempore qui comparat meritum quo vivatur in æternitate, 80
Unctio imperatorum, 157. 169. regis à pluribus epiſcopis facta, 186. in quibus corporis partibus, 184. 189. 201. 205. 212. 224
Unctio reginæ, 197. 207. 220. 223
Unctiones in eccleſiarum dedicatione factæ, quid ſignificent, 317. *& ſeq.*
Wanti inconſutiles abbati ordinato dati, 25. 35

Errata graviora corrigenda.

PAg. 51. *linea* 2. bonorum, *lege* bonarum. *pag.* 60. *linea* 33. ſocitatem, *lege* ſocietatem. *pag.* 88. *lin.* 3. voluerint, *lege* noluerint, *pag.* 97. *lin.* 43. luxuria, *lege* luxuriæ. *pag.* 100. *linea* 3. ſtudium, *lege* ſtadium. *pag.* 104. *lin.* 13. ſe, *lege* ſi. *pag.* 113. *linea* 37. intonſas, *lege* intonſos. *pag.* 153. *lin. ultima*, diximus, *lege* diſcimus. *pag.* 184. *lin.* 5. gerendis, *lege* regendis. *pag.* 227. *in margine*, ad Beſlio, *lege* à Beſlio. *pag.* 233. *lin.* 25. conſtituo, *lege* conſtituto. *pag.* 290. *in margine*, condendo, *lege* condendæ. *pag.* 307. *linea* 20. quæ virga, *lege* qua virga. *pag.* 310. *lin.* 13. nec vero, *lege* nunc vero. *pag.* 319. *linea* 29. ſic apoſtolus, *lege* ſicut apoſtolus. *pag.* 320. *linea* 20. ejus munera uſque in fine perducantur, *lege* ejus munere uſque in finem perducatur. *pag.* 321. *lin.* 28. ambulati, *lege* ambulatis. *pag.* 324. *lin.* 5. *dele* matrem. *ibid. lin.* 16. vireutia, *lege* viventia. *pag.* 326. *lin.* 26. paſcamur, *lege* paſcamus. *pag.* 327. *lin.* 21. conſtruimur, *lege* conſtruimus. *& lin.* 23. *dele* atqui. *pag.* 329. *lin.* 37. ut exiſtimemur, *lege* uti exiſtimemur. *pag.* 330. *lin.* 24. animala, *lege* animalia. *pag.* 331. *lin.* 7. quæ ac *lege* quæ &. *ibid. lin.* 8. in eccleſiis, *lege* in eccleſias. *pag.* 332. *lin.* 1. ſubverſum, *lege* ſubverſam. *pag.* 334. *lin.* 17. Anglicaui, *lege* Anglicano. *pag.* 335. *lin.* 5. Nivilonis *lege* Nivelonis. *ibidem lin.* 34. plebis *lege* plenis. *pag.* 336. *lin.* 30. dicenda, *lege* dicanda. *pag.* 347. *lin.* 17. volutis, *lege* valeatis. *ibidem lin.* 23. ſive eccleſia, *lege* ſiue eccleſia. *pag.* 351. *lin.* 9. in eos, *lege* in eo. *pag.* 353. *lin.* 31. deſuptus, *lege* de ſubtus. *pag.* 357. *lin.* 27. tui, *lege* ſui. *pag.* 359. *lin.* 36. nam Ivonem, *lege* non Ivonem. *pag.* 361. *lin.* 1. vobis *lege* nobis. *pag.* 363. *lin.* 39. locollum, *lege* locellum. *pag.* 367. *lin.* 29. habita precavare, *lege* iſto precamur. *pag.* 369. *lin.* 25. benedicere, *lege* benediceret. *pag.* 367. *lin.* 15. tripedem, *lege* tripodem. *pag.* 373. *lin.* 9. notis, *lege* vocis. *pag.* 370. *lin.* 17. beneficando, *lege* bene fricando. *pag.* 383. *lin.* 2. abjungere, *lege* abjungere poſſunt. *pag.* 384. *lin.* 15. ſuſpenderi, *lege* ſuſpenderi cupit. *ibid. lin.* 25. *Thobi* lege Tobiæ.

Digitized by Google

FACULTAS SUPERIORUM.

PRESIDENS & Definitores Capituli generalis Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti in Majori-monaſterio prope Turones congregati, *Libros quatuor de Antiquis Eccleſiæ Ritibus, collectos ex variis inſigniorum eccleſiarum Pontificalibus libris, Sacramentariis, Miſſalibus, Breviariis, Ritualibus ſeu Manualibus, Ordinariis cùm manuſcriptis tùm editis, ex diverſis Conciliorum decretis, epiſcoporum ſtatutis, aliiſque probatis auctoribus permultis, ſtudio & opera D.* EDMUNDI MARTENE *ejuſdem Congregationis monachi & presbyteri*; & ab aliquibus noſtræ Congregationis Theologis examinatos & probatos tenore præſentium typis mandari permittimus. Datum in Majori-monaſterio die decima tertia menſis Junii anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti.

De mandato Capituli generalis,
Fr. SIMON BOUGIS Definitor
& Scriba Capituli.

APPROBATIONES.

NOs infra ſcriptus ſacræ Theologiæ Facultatis Pariſienſis Doctores, teſtor nos egregium opus *De Antiquis Eccleſiæ Ritibus* inſcriptum, ſtudio & opera R. P. EDMUNDI MARTENE Preſbyteri & Monachi Benedicti è Congregatione Sancti Mauri perlegiſſe, nihilque in eo deprehendiſſe quod non ſit rectæ fidei aut bonis moribus conſonum, & quod non futurum ſit omnibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ & Rituum ſtudioſis utiliſſimum, in cujus rei fidem ſubſcripſi Rotomagi die 22. Octobris an. 1699.

AUVRAY, Eccleſiæ Rotomagenſis
Eccleſiaſtes & Pœnitentiarius.
BULTEAU.

Extrait du Privilege du Roy.

PAR Lettres Patentes de Sa Majeſté, données à Paris le vingt-troiſiéme jour d'Aouſt 1699. ſignées BOUCHER, & ſcellées du grand Sceau de cire jaune ſur ſimple queuë : Il eſt permis à GUILLAUME BEHOURT Imprimeur & Marchand Libraire à Roüen, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *De Antiquis Eccleſiæ Ritibus Libri quatuor, &c.* compoſé par le R. P. EDMOND MARTENE Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur. Avec défenſes à toutes perſonnes d'imprimer, faire imprimer ou contrefaire ledit Livre, ſous quelque pretexte que ce ſoit, le vendre ou diſtribuer ſans le conſentement de l'Expoſant, durant le tems & eſpace de *dix années* conſecutives, à commencer du jour que ledit Livre ſera achevé d'imprimer, à peine de trois mille livres d'amende, de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interêts, comme il eſt plus amplement porté par leſdites Lettres de Privilege.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Marchands Libraires de la Ville de Paris l'onziéme Septembre 1699.

C. BALLARD, *Syndic.*

Les Exemplaires ont été fournis.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 25. Avril 1702.

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I. DE conciliorum celebratione, 390
Ordo I. *Ad celebrandum concilium. Ex concilio Toletano IV. canone IV.* 399
Ordo II. *Ex vetuſto ms. codice Floriacenſi,* 400
Ordo III. *Ex ms. codice S. Martialis Lemovicenſis,* 403
Ordo IV. *Ex ms. S. Martialis Lemovicenſis,* 405
Ordo V. *Ex collectione viri Clariſſimi & eruditiſſimi Gaudefridi Hermant, canonici Bellovacenſis,* 407
Ordo VI. *Ex ms. Pontificali Biſuntino.* 409
Ordo VII. *Ex Chartulario S. Romani de Blavia,* 413
Ordo VIII. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Pariſienſis, annorum* 300. 414
Ordo IX. Incipit ordo provinciali conciliis Senonenſis, 417
CAPUT II. De depoſitione ſeu degradatione & reſtitutione clericorum, 421
Ordo I. *Ad deponendum ſeu degradandum preſbyterum. Ex ms. Pontificali eccleſiæ Rotomagenſis,* 424
Ordo II. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Moguntinæ,* 425
Ordo I. *Reſtitutionis clericorum in eccleſia Sagienſi. Ex ms. codice bibliothecæ regiæ num.* 3866. 426
Ordo II. *Ad reconciliandos ſacros ordines. Ex ms. Pontificali Arelatenſi,* 427
CAPUT III. De clamore pro tribulatione, 428
Ordo I. *Ex antiquo libro Sacramentorum inſignis eccleſiæ Turonenſis S. Gatiani ante annos* 800. *ſcripto,* 431
Ordo II. *Ex ms. Rituali S. Martini Turonenſis cap.* 179. ibid.
CAPUT IV. De formula & ritu promulgandæ excommunicationis, 433
Formula I. *Ex Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis, ante annos* 900. *exarato,* 434
Formula II. *Ex ms. codice Gemmeticenſi cujus caracter ſæculum XI. ſapit.* 435
Formula III. *Ex eodem ms. codice.* 436
Formula IV. *Ex tribus ms. codicibus Noviomenſi, Regio, & Vindocinenſi annorum* 600. 437
Formula V. *Ex tribus prædictis mss. & editione Baluziana,* 438

Digitized by Google

Formula VI. *Ex ms. codice S. Audoeni Rotomagenſis ante annos 600. exarato*, 440
CAPUT V. De reconciliatione excommunicatorum, 441
Ordo I. *Ad reconciliandos excommunicatos. Ex duobus mss. regio & Vindocinenſi annorum 600.* 442
Ordo II. *Ex ms. codice S. Remigii Remenſis annorum 400.* 444
Ordo III. *Ex ms. miſſali Ebroicenſi*, 445
Ordo IV. *Ex ms. Pontificali Sagienſi bibliotheca Bigotiana*, ibid.
CAPUT VI. *De reconciliatione hæreticorum*, 446
Reconciliatio rebaptizati ab hæreticis, 450
Alia minore ætate, 451
Item alia minori ætate, ibid.
Ex eodem Gellonenſi, ibid.
Reconciliatio redeuntibus à paganis, ibid.
Ordo I. *Ad reconciliandos hæreticos. Ex ms. Pontificali Romano bibliotheca Colbertina ante annos 300. exarato*, 452
Ordo II. *Ex Græcorum Euchologiis apud Morinum lib. 9. de Pœnit. cap. 9. n. 13.* 453
Ordo III. *Ex ms. codice bibliotheca regia n. 1818. apud Cotelerium in notis ad lib. 5. Conſtitutionum apoſtolorum*, 454
CAPUT VII. De variis judiciis ſeu probationibus ad detegenda occulta ſeu dubia crimina, 456
Ordo I. *Ad faciendum judicium. Ex concilio Grateleiano anno 928. celebrato cap. 5.* 460
Ordo II. *Ex legibus eccleſiaſticis Æthelſtani regis Angliæ cap. 7.* ibid.
Ordo III. *Ex ms. Pontificali Cadurcenſi ante annos 800. exarato*, 461
Ordo IV. *Ex veteri codice Uticenſis monaſterii ante annos 600. exarato*, 465
Ordo V. *Ex ms. codice S. Victoris Pariſienſis n. B r. 11.* 468
Ordo VI. *Ex eodem codice ms. Victorino.* 473
Ordo VII. *Ex eodem ms. codice Victorino*, 475
Ordo VIII. *Ex eodem ms. codice*, 477
Ordo IX. *Ex eodem codice*, ibid.
Ordo X. *Ex ms. Pontificali Cameracenſi*, 479
Ordo XI. *Ex vetuſtis codicibus monaſterii S. Sergii Andegavenſis*, 480
Ordo XII. *Ex ms. Pontificali Beccenſis monaſterii annorum 500.* 482
Ordo XIII. *Ex ms. Rituali eccleſiæ Sueſſionenſis, tempore Nivelonis epiſcopi exarato*, 485
Ordo XIV. *Ex ms. Pontificali eccleſiæ Noviomenſis, annorum 400.* 486
Ordo XV. *Ex eodem Noviomenſi codice*, 490
Ordo XVI. *Ex ms. codice monaſterii S. Nicolai Andegavenſis*, 492
CAPUT VIII. De probatione ſanctarum reliquiarum, 495
CAPUT IX. De arreptitiorum ſeu energumenorum adjurationibus, 497
Ordo I. *Ad energumenos adjurandos. Ex ms. Pontificali Anglicano mo-*

Digitized by Google

naſterii Gemmeticenſis, 499
Ordo II. *Ex ms. codice S. Gatiani Turonenſis ab annis* 800. *exarato*, 502
Ordo III. *Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n.* 3866. *annorum circiter* 600. *&*
Vindocinenſi ejuſdem ætatis, 509
Ordo IV. *Ex ms. codice Uticenſis monaſterii*, 522
CAPUT X. De ſeparatione leproſorum, 531
Ordo I. *Ad ſeparandum leproſum. Ex veteri codice S. Albini Andegavenſis*, 532
Ordo II. *Ex Rituali ad uſum provinciæ Remenſis anno* 1585. *edito.* 534
Ordo III. *Ex Rituali Bituricenſi & Senonenſi juſſu Cardinalis Borbonii edito*, 538
Ordo IV. *Ex Rituali Ambianenſi*, 540
Ordo V. *Ex antiquo Rituali inſignis eccleſiæ Catalaunenſis*, 541
CAPUT XI. De agendis circa ægrotos in exitu animæ laborantes, 543
CAPUT XII. De obſequiis defunctis ſtatim poſt eorum obitum exhibitis, 553
CAPUT XIII. Quo tempore & loco ſepelirentur defuncti, 563
CAPUT XIV. De reliquis ſepulturæ ritibus, 572
CAPUT XV. In quo varii ad juvandos morientes & ſepeliendos mortuos referuntur, 581
Ordo I. *Ex ms. codice monaſterii S. Benedicti Floriacenſis, annorum circiter* 900. 581
Ordo II. *Ex ms. Pontificali Prudentii Trecenſis epiſcopi*, 603
Ordo III. *Ex ms. libro Sacramentorum bibliothecæ n.* 2585. *qui fuit olim S. Dionyſii*, 605
Ordo IV. *Ex ms. codice Somaricenſi, ante annos* 600. *exarato*, 607
Ordo V. *Ex ms. S. Victoris n. gg.* 15. *annorum circiter* 500. 608
Ordo VI. *Ex mss. Pontificali Saliſburgenſi*, 610
Ordo VII. *Ex ms. codice Gemmeticenſi tempore Theodorici abbatis exarato*, 620
ORDO *in exitu animæ*, 621
Ordo VIII. *Ex vetuſto Rituali monaſterii S. Eligii Noviomenſis, ante annos* 500. *ſcripto, quod modo ſervatur in bibliotheca Majoris-monaſterii Turonenſis*, 626
Ordo IX. *Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria*, 636
Ordo X. *Ex Muſei Italici tomo II. & duobus mss. bibliothecæ regiæ, quorum unus fuit ad uſum Aquenſis eccleſiæ exaratus*, 638
Ordo XI. *Ex veteri Rituali inſignis eccleſiæ S. Martini Turonenſis*, 640
Ordo XII. *Ex ms. codice Majoris-monaſterii*, 642
Ordo XIII. *Ex ms. codice S. Audoeni Rotomagenſis, annorum circiter* 400. 643
Ordo XIV. *Ex ms. codice S. Audoeni Rotomagenſis*, 651
Ordo XV. *Ex ms. codice monaſterii S. Georgii in pago Rotomagenſi*, 653

Digitized by Google

Ordo XVI. *Ex ms. codice monaſterii Pontiſlevii*; 654
Ordo XVII. *Ex veteri Rituali eccleſiæ Toloſanæ*; 655
Ordo XVIII. *Ex Rituali Ambroſiano*, 656
Ordo *ad ſepeliendos defunctos ſæculares*, 658
Ordo *ad ſepeliendum ſacerdotem vel clericum*; 660
Ordo *ad ſepeliendos infantes infra ſeptennium*, 662
Ordo XIX. *Ex Ceremoniali Ambroſiano*, 665
Ordo *officii*, 667
De exequiis, 669

DE AN-

Digitized by Google

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS,

LIBER III.

De ritibus ad eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus aliiſque nonnullis.

TERTIUS hic liber eos præſertim ritus complectetur, qui ſpeciali ratione ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, alioſque nonnullos qui ad priores duas claſſes revocari nequiverunt. Primum agemus de celebrandis conciliis, quorum præcipuus ſcopus eſt collapſam reſtaurare diſciplinam, reſtauratamque tueri ac conſervare: id quod præſertim exſequuntur, pravos mores, maxime clericorum, corrigendo, illatam à potentibus vim reprimendo, errantes ad viam veritatis & fidei reducendo. Ideoque ſubinde tractabimus de epiſcoporum aliorumque clericorum, quorum id perverſi mores exigunt, depoſitione ac reſtitutione, deque judiciis eccleſiaſticis ac probationibus quibus dubia incertaque olim crimina explorabantur, hæc ſequentur ritus in clamore pro tribulatione & in excommunicationibus cenſuriſque, quibus violentiam potentium eccleſia coercet, adhibere ſoliti. Poſtea agemus de reconciliatione hæreticorum qui agnita veritate, abjuratis erroribus, ad eccleſiæ matris gremium revertuntur. His nonnulla ſubjungemus de exorciſmis energumenorum, de ſeparatione leproſorum, deque modo & ritu adjuvandi infirmos ad pie chriſtianeque moriendum, eorumque poſt mortem ſepultura. Hæc tota hujuſce libri materia, hæc tota ſeries erit.

CAPUT I.

De conciliorum celebratione.

Caput I. De concil. celebratione.

I. CONCILIA alia fuere provincialia, alia nationalia ſeu univerſalia dicta, alia œcumenica. Provincialia conſtabant ex metropolitano & epiſcopis ſuæ provinciæ, nationalia ex epiſcopis plurium ſimul provinciarum ſeu univerſi alicujus regni, œcumenica ex totius orbis præſulibus. Provincialia concilia bis aut ſaltem ſemel in anno eſſe congreganda clamant paſſim eccleſiaſtici canones, quibus congerendis per otium nec vacat, cum integra volumina opplere poſſent, ſed neque neceſſarium. Ea tamen in Galliis neglecta deflet Avitus Viennenſis epiſcopus, idque ſibi à Romano pontifice graviter exprobratum fuiſſe aſſerit epiſtola 80. ubi inter alia hæc habet: [Conventus ergo, quos bis per annum à ſacerdotibus fieri ſeniorum cura decreverat, utinam vel ſingula poſt biennia faceremus. Nam & venerabilis papæ Urbis nobis hanc negligentiam ſuccenſentis mordacia mihi nonnunquam ſcripta perlata ſunt.] Sed huic malo occurriſſe videtur concilium Turonenſe 2. can. 1. Cui [placuit interpoſita virtute Domini Martini, in ſancta baſilica ſua conſcribi, ut bis ad ſynodum annis ſingulis metropolitanus & comprovinciales ſui in locum quem deliberatio metropolitani elegerit, Deo propitiante, conveniant: aut ſi neceſſitas, ſicut hactenus, inevitabilis præpedierit, vel ſemel in anno.] Neque enim aliam ob cauſam patres congregati deſiderant, hunc canonem patenti cunctis in loco deſcribi in baſilica ſancti Martini, quam ut eum nulla deleret oblivio, omnibuſque undicumque illuc devotionis gratia confluentibus, ipſis etiam principibus, innoteſceret præſulum ad concilium veniendi neceſſitas, quæ eos ſub excommunicationis pœna, ut habent extrema verba canonis hujus, conſtringeret: nec ulla privatæ aut regiæ utilitatis cauſa præpediret, quominus ſaltem ſemel in anno convenirent.

Concilia provincialia quando celebranda.

Nationalia.

II. Concilia nationalia pro cujuſque regni aut nationis neceſſitate cogebantur, idque ad voluntatem epiſcoporum & principum, qui ea convocare ſolebant. In Africa tamen ſingulis annis congregabantur, concilio III. Carthaginenſi can. 2. decernente [ut propter cauſas eccleſiaſticas quæ ad perniciem plebium ſæpe veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis concilium convocetur. Ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habent de conciliis ſuis ternos legatos mittant, ut & minus invidioſi, minuſque hoſpitibus ſumptuoſi conventus plena poſſit eſſe auctoritas. De Tripoli autem propter inopiam epiſcoporum unus epiſcopus veniat.] Poſtea tamen concilio Milevitano can. 9. [Placuit, ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas; ſed quoties exegerit cauſa communis, ideſt totius Africæ, undecumque ad hanc ſedem pro

concilio datæ litteræ fuerint, congregandam eſſe ſynodum in ea provincia, ubi oportunitas perſuaſerit.] In Galliis etiam ſua ſingulis annis congregari concilia nationalia voluit concilium Agathenſe can. 71. Attamen Matiſconenſe II. can. 2. decernit tantum, ut [ad ſynodum poſt trietericum tempus omnes conveniant] epiſcopi, curamque ac ſollicitudinem convocandi concilii Lugdunenſi epiſcopo committit, accedente principis voluntate, [prius definientis locum mediterraneum, ad quem omnes epiſcopi ſine labore alacres congregentur.] Hanc nihilominus ſibi antea arrogaverat auctoritatem Hilarius, ut pro ſuo arbitrio poſſet concilium cogere, edito in concilio II. Arelatenſi hoc canone 18. [Ad Arelatenſis epiſcopi arbitrium ſynodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, ſub S. Martini tempore legimus celebratum fuiſſe concilium.] Hilarii præſumtionem repreſſit S. Leo epiſtola decima novæ editionis ſcribens ad epiſcopos Viennenſis provinciæ ut [ſuis unaquæque provincia ſit contenta conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere ſynodales.] Verum qui Leoni in apoſtolica ſede ſucceſſit Hilarius papa, eam poteſtatem Leontio Arelatenſi tunc epiſcopo fecit, epiſt. 8. ſcribens in hæc verba: [Per annos ſingulos ex provinciis quibus poterit congregari habeatur epiſcopale concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus, ſecundum diſpoſitionem fratris & coepiſcopi noſtri Leontii, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis, celebretur.] Quam auctoritatem poſtmodum Cæſario Arelatenſi epiſcopo in omnes Galliæ & Hiſpaniæ provincias Gothis ſubjectas prorogavit Symmachus papa epiſt. 11. Eamque ſaltem quoad Gallias Aureliano confirmavit Vigilius epiſt. 11.

Caput I. De concil. celebratione.

III. At generalia ſeu œcumenica concilia longe extitere rariora, non ſolum propter difficultatem congregandorum omni ex orbe pontificum; ſed etiam quia non niſi propter urgentes, quæ univerſam eccleſiam reſpiciant, neceſſitates, cogi debeant. Eorum tamen utilitatem attendens concilium Conſtantienſe, ea de decennio in decennium celebrari decreverat. Quam quidem utilitatem ac conſequens decretum ita exprimit Seſſione 39. [Frequens generalium conciliorum celebratio agri Domini cultura eſt præcipua, quæ vepres, ſpinas, & tribulos hæreſum & errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus præmiſſa diſſeminat, atque fovet: hæc præteritorum temporum recordatio & præſentium conſideratio ante oculos noſtros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus & ordinamus, ut à modo concilia generalia celebrentur, ita quod primum à fine hujus concilii in quinquennium immediate ſequens: ſecundum vero à fine illius immediate ſequentis concilii in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis quæ ſummus pontifex per menſem ante finem cujuſlibet concilii, approbante & conſentiente concilio, vel in ejus defectum, ipſum concilium deputare & aſſignare teneatur.] &c.

Generalia.

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

Conciliis œcumenicis non olim intererant ſummi Pontifices.

IV. Porro tametſi præcipuam à ſuffragio ſummorum pontificum auctoritatem accipiant concilia, nec niſi de eorum conſenſu debeant indici, iis tamen propria in perſona intereſſe olim non conſueverant: cujus rei luculentus teſtis eſt S. Leo magnus epiſtola 33. novæ editionis ad Theodoſium imperatorem, qui concilium generale adverſus Eutychem convocaverat, ſcribens in hæc verba: Unde quamvis ad diem concilii epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc ante exempla præceſſerint, & temporalis neceſſitas me non patiatur deſerere civitatem.] Et epiſtola 72. ad Synodum Calchedonenſem: [Amplectendum eſt clementiſſimi principis plenum religione conſilium, quo ſanctam fraternitatem veſtram, ad deſtruendas inſidias diaboli, & ad reformandam eccleſiaſticam pacem, voluit convenire, beatiſſimi Petri apoſtoli jure atque honore ſervato: adeo ut nos quoque ſuis ad hoc litteris invitavit, ut venerabili ſynodo noſtram præſentiam præberemus: quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo poterat permittere.] Clarius Julianus epiſcopus ejuſdem Leonis in Calchedonenſi vicem gerens, Actione 1. pag. 122. [Melius poteſt veſtra cognoſcere ſanctitas, quia neque in Nicæna, neque in Epheſina ſancta ſynodo, neque in alio tali ſancto concilio papa perpetuæ ſanctiſſimæ Sedis adfuit, pro qua re hujus formæ ſequens conſuetudinem, nos direxit,] Leo ſcilicet & Paſchaſinus Lilibæi epiſcopus, alter ejuſdem Leonis in prædicto concilio legatus, initio Actionis 3. [Notum eſt nempe huic Deo amabili concilio, & ad beatum & apoſtolicum & catholicum papam Leonem ſacras eſſe litteras deſtinatas, quatenus huic ſancto concilio ſe præſentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit conſuetudo, neque generalis temporis neceſſitas permittere videbatur, noſtram parvitatem huic ſancto concilio pro ſe præſidere præcepit.] Hinc etiam coacta Conſtantinopoli quinta Synodo, Vigilius papa qui per id tempus ea in urbe verſabatur, atque ut ſynodo intereſſet etiam atque etiam rogatus, primum quidem à tribus patriarchis & ſeptemdecim epiſcopis, id nomine totius concilii ſuppliciter orantibus; deinde à tribus patriciis cum epiſcopis ab imperatore miſſis, nullis potuit adduci precibus, ut a majorum ſuorum, qui ſynodis generalibus abſtinuerant, conſuetudine recederet, ut teſtantur acta ejuſdem concilii. Et Evagrius lib. 4. Hiſt. eccleſ. cap. 38. Antea tamen Hormiſdas papa epiſt. 3. ad Anaſtaſium imperatorem qui novum indixerat concilium reſcripſit, quod etſi novum eſſet Romanum pontificem ab imperatore vocatum venire ad concilium; ſe tamen iturum, ſi Calchedonenſis concilii decreta in dubium non revocarentur.

In conciliis quidam admittebantur.

V. Quamvis autem ſoli in conciliis epiſcopi jus ferendi ſuffragii obtineant, non ii tamen ſoli in eccleſiaſticis illis conventibus admittebantur. Sed ipſi etiam preſbyteri, diaconi, aliique inferiores clerici, à quibus non modicum adjutorium accipiebant præſules congregati, ſive in diſputationibus adverſus hæreticos, ſive in examinandis ſolvendiſque rebus dubiis. Quid in Nicæno concilio adverſus Arium præſtite-

ſit Athanaſius diaconus, quantique profuerit, omnibus notum eſt. Eo in concilio præter epiſcopos 318. adfuit presbyterorum, qui eos comitati fuerant, diaconorum, acolythorum aliorumque tanta multitudo, eorum ut numerus iniri vix potuiſſet, uti teſtantur Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini c. 8. & Socrates lib. 1. c. 8. Et certe qui ex epiſcopis infirmitatis aut alterius juſtæ neceſſitatis cauſa conciliis intereſſe non poterant, ii presbyteros aut diaconos qui vices ſuas in ſynodo ſupplerent ſolebant dirigere, ut infinitis poſſem exemplis demonſtrare, tametſi tantum honoris diaconis tribui improbaverit concilium Emeritenſe anno 666. celebratum, edito hoc canone: [quod ſi contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate, qualiter non poſſit venire aut per regiam juſſionem injunctum acceperit aliquid accipere, ut ſit per quod non poſſit concilio intereſſe, quidquid tale acciderit, metropolitano ſuo fideliter intimet cuncta per ſuam epiſtolam manu ſua ſubſcriptam, ut poſt modum quæratur an ne excuſationem faciat aliquam. Ad ſuam tamen perſonam, non aliter niſi aut ſi archipreſbyterum ſuum diriget, aut ſi archypreſbytero impoſſibilitas fuerit, preſbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat, à tergo epiſcoporum inter preſbyteros ſedere, & quæque in eo concilio fuerint acta ſcire & ſubſcribere. Injuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, ut quiſquam epiſcoporum diaconum ad ſuam perſonam dirigat. Hic enim quia preſbyteris junior eſſe videtur, ſedere cum epiſcopis nulla ratione permittitur,] &c. Verum eo ſcrupulo mori non fuerunt Angli epiſcopi, qui & abbates & abbatiſſas in concilio Becamceldenſi admiſerunt, in quo poſt epiſcopos ſubſcripſere abbatiſſæ quinque ante preſbyteros. Certe nec ipſi laici maxime principes à conciliorum conſeſſu excludebantur, immo ipſis plerumque præfuiſſe leguntur. Teſtantur id Acta S. Lanfranci Cantuarienſis epiſcopi, cap. 6. ubi dicitur [congregata Synodus magna VVindreſoris, in qua *præſidente rege* ab ipſis legatis dejecti ſunt quidam epiſcopi indigni epiſcopatu.] Acta S. Godehardi Hildesheimenſis epiſcopi n. 29. apud Bollandum 4. Maii, ubi anno M. XXIV. [Aribo Moguntinus epiſcopus Franconovordi concilium coadunavit præſidente imperatore cum epiſcopis XXIII.] Quibus ſuffragatur Vita Meinverci epiſcopi Paderbornenſis cap. 98. in quo idem legitur. Capite vero 56. ait habitam fuiſſe [Synodum in Goſlaria (anno M. XVIII. in ea] præſidente imperatore cum epiſcopis ceteriſque regni primoribus.] Neque vero id de provincialibus quibuſdam aut nationalibus ſynodis intelligendum eſt, ſed de œcumenicis ipſis ac generalibus ut patet ex concilio III. Conſtantinopolitano, quod eſt ſextum œcumenicum cujus omnes fere Actiones ita incipiunt: [In nomine Domini &c. Præſidente eodem piiſſimo & Chriſto dilecto magno imperatore Conſtantino in ſecretario ſacri palatii quod cognominatur Trullus.] Sed præſidere his aliiſque hujuſmodi locis nihil aliud ſonat, quam intereſſe. Nam ſi quando reges aut principes ſacris conventibus ſuam exhibebant præſentiam, id quidem agebant, non ut res dubias in fide præſertim de-

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

terminarent aut leges conderent; ſed potius ut omnes in officio ſuo continerent, epiſcopoſque ad pie recteque agendum exhortarentur: id ipſe proteſtatus eſt piiſſimus imperator Marcianus in concilio Calchedonenſi Actione 6. congregatos patres ſic alloquens: [Nos non ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi principis Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus.]

A diaconis.

VI. Sed quicumque tandem conciliis intereſſe permitterentur, nullis ſane ſacrum ingredi conventum dabatur, niſi a diacono introductis: unde concilium Alexandrinum de Tyri ſynodo Ariana loquens, [qua fronte, inquit, talem conventum ſynodum appellare audent; cui..... commentarienſis ſive carcerarius pro diaconis adventantes introducebant.] Idque confirmant noſtri libri Rituales mss.

Concilia quibus in locis congregata.

VII. Quonam vero concilia celebrantur in loco multis profari haud vacat: cum in Eccleſiis potiſſimum ea coacta fuiſſe nullus ignoret. Audiendus hic ſcriptor Vita S. Stephani Junioris Analectorum Græcorum tomo 1. de ſex primis œcumenicis agens: [Annon in ſacris templis ſex ſanctæ ſynodi congregatæ ſunt? Prima Nicææ in templo S. Sophiæ, ſecunda Conſtantinopoli in templo S. Irenes, tertia Epheſi in templo Theologi, quarta in noſtra Calchedonenſi metropoli in templo celeberrimæ Euphemiæ, quinta iterum & ſexta Conſtantinopoli, illa in templo S. Sophiæ, hæc in ſacro palatio in loco qui dicitur Trullus.] De Nicæno tamen poſſet eſſe aliqua difficultas, propterea quod nonnulli ſcriptores in palatio imperatoris celebratum fuiſſe videantur indicare. Verum hanc difficultatem ſolvit vir multæ eruditionis Henricus Valeſius in notis ad Euſebii Librum 3. de Vita Conſtantini cap. 10. Et ſane omnino conſentaneum erat eccleſiæ religioniſque negotia in templis tractari, ut loci dignitate & reverentia, eorum qui convenerant animi ad majorem religionem excitarentur: unde non modo in eccleſia, ſed ipſius ſacratiori loco altari viciniori præſulum habebatur corona: id quod præſertim eluxit in concilio Calchedonenſi cujus ſeſſiones omnes *ante altaris ſanctiſſimi cancellos* celebratæ fuerunt. Aliquando tamen epiſcopi conveniebant in ſecretario ſeu ſacriſtia, uti videre eſt in codice canonum eccleſiæ Africanæ, in concilio Carthaginenſi III. & IV. Arelatenſi III. aliiſque, & apud Gregorium Turonenſem lib. 5. Hiſt. Franc. c. 18. Verum ſecretaria olim templi vicem referebant, ut pote in quibus erecta erant altaria, ut in Lateranenſi S. Thomæ, in Vaticano S. Gregorii, uti obſervavit Mabillonius in Commentario prævio ad ordinem Romanum. Quamquam & ſecretarii nomine nonnunquam intelligitur eccleſiæ ſanctuarium, ut in concilio Arelatenſi II. can. 15. quo ſtatuitur, [ut in ſecretario diacono inter preſbyteros ſedere non liceat, vel Corpus Chriſti præſente preſbytero tradere non præſumat.] Quapropter quod ait S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium Cirtenſe concilium [in domo Urbani Donati, res prorſus inſolita & præter ordinem fuit, cujus cauſam adducit Optatus Milevitanus lib. 1. his verbis: [Quia baſilicæ necdum fuerunt reſtitutæ in domum Urbani Cariſi conſiderunt.]

Digitized by Google

ſiderunt.] Nam catholicorum eccleſias occupaverant Donatiſtæ. Valentinum III. tamen concilium [in domo baſilicæ S. Johannis adjacente] celebratum lego anno 855.

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

VIII. Quod ſpectat ad ſeſſionis ordinem audiendus eſt Henricus Valeſius in notis ad Euſebii librum 5. Hiſt. eccleſ. cap. 23. [In eccleſiaſticis conciliis, inquit, diverſa fuit ſedendi ratio pro diverſis temporibus ac locis. Simpliciſſima quidem & rationi maxime conſentanea ſeſſionis fuit ratio, ut antiquiſſimus epiſcopus ceteris præſideret. Poſtea epiſcopis primariarum urbium ſeu metropoleon id honoris conceſſum. Apoſtolicæ vero ſedes, utpote matres reliquarum eccleſiarum citra controverſiam principem ſemper locum obtinuerunt, inter quas Romana eccleſia, tamquam caput omnium eccleſiarum ab apoſtolicis uſque temporibus habita eſt.] In Francofordienſi concilio anno 1024. celebrato hic ſeſſionis ordo obſervatus eſt, ut [in orientali parte ante altare archiepiſcopus Aribo cum ſuis ſuffraganeis (navem conſederet.) In occidentali parte imperator conſedit, & à dextris ejus Piligrinus Coloniæ archiepiſcopus cum ſuis ſubditis. . . . à ſiniſtris Hunfridus Parthenopolitanus archiepiſcopus cum ſuis. In auſtriali plaga, (quatuor alii aſſederunt epiſcopi.) In aquilonari abbates.] Ita VVolferrus in Vita S. Godehardi cujus extiterat diſcipulus. In concilio Bracarenſi II. can. 6. ſtatutum fuit, [ut conſervato metropolitani epiſcopi primatu, ceteri epiſcoporum ſecundum ordinationis ſuæ tempus alius alio ſedendi deferat locum.] Idem ſtatutum antea fuerat in concilio Milevitano II. cap. 13. & poſtea in Toletano IV. cap. 4. quorum decreta renovavit, anno 1075. celebratum ſub Lanfranco concilium Londinenſe: Ita tamen, ut digniores ſedes obtinerent ii, qui [ex antiqua conſuetudine ſive eccleſiarum ſuarum privilegiis] alios præcedere deberent. Porro presbyteri retro epiſcopos ſedebant diaconi vero aliique inferiores clerici ſtabant.

Seſſionis ordo.

IX. Neque vero prætereundum eſt præcipuum in conciliis locum ſacroſanctis evangeliis attributum fuiſſe: [Cum autem convenit ejuſmodi epiſcoporum ſynodus apud patriarcham vel metropolitanum, inquiunt canones Arabici concilii Nicæni, præparetur illis ad conſidendum locus, in cujus fronte ponatur thronus, ſuper quem collocetur evangelium] &c. Verum ne quis canonibus illis Arabicis fidem detrahat, audiat Cyrillum Alexandriuum epiſcopum in Apologetico ad Theodoſium imperatorem de actis in concilio Epheſino, cui ipſe nomine Cæleſtini papæ præfuerat, diſſerentem: [Synodus in ſancta eccleſia quæ Maria dicitur congregata Chriſtum veluti caput conſtituit. Venerandum enim evangelium in ſancto throno collocatum erat, illud tantum non ſanctorum ſacerdotum auribus inſinuans, juſtum judicium judicate.] Idem videre in concilii Epheſini Actione 1. pag. 570. & in epiſtola ejuſdem concilii ad Theodoſium & Valentinianum Auguſtos pag. 746. Quibus ſuffragatur concilium Calchedonenſe in cujus Actione 4. hæc lego: [Reſidentibus omnibus ante altaris ſanctiſſimi cancellos,

Primatium locum tenebat ſacrum evangelium.

CAPUT I. De concil. celebratione.

& propoſitis in medio ſacroſanctis evangeliis] &c. Et concilium Conſtantinopolitanum Actione VII. inſerta concilii Calchedonenſis Actioni I. [Congregata rurſus ſancta & magna ſynodo, prolatis ſanctis ac tremendis evangeliis] &c. Huc reſpicit Eutychii patriarchæ Conſtantinopolitani epiſtola ad Vigilium papam, qua illum invitat, ut concilio C.P. convocato præſidere velit: [Petimus, præſidente nobis veſtra beatitudine, ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine, *propoſitis ſanctis evangeliis* communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conſervari.] Idem conſtat ex concilio Lateranenſi ſub Martino papa cujus Actio prima ita incipit:[Præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Martino papa ſanctæ Sedis Apoſtolicæ urbis Romæ *propoſitis ſacroſanctis & venerabilibus evangeliis* in eccleſia Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti] &c. Idem & ex epiſtola Taraſii patriarchæ Conſtantinopolitani ad Hadrianum papam de geſtis in concilio Nicæno II. [Cum omnes ſediſſemus caput fecimus Chriſtum. Jacebat enim in ſancta Sede evangelium ſanctum, conteſtans nobis omnibus ſacratis viris qui conveneramus: *Judicium juſtum judicate.*] His addo id quod legitur in Fragmento hiſtorico apud Cheſnium Hiſt. Franc. tom. 2. p. 404. de actis in concilio Ponticonenſi: [Epiſcopis & ceteris quibuſque clericis veſtibus eccleſiaſticis indutis, & domo ac ſedilibus palliis protenſis, atque in gremio ſynodi & proſpectu imperialis ſedis, lecto ſuperpoſitis ſacroſanctis evangeliis, apud Ponticonem, venit domnus imperator Carolus] &c. Sanctus etiam Gregorius lib. 7. epiſt. 46. indict. 2. *mediis ſacroſanctis evangeliis* cauſam Bonifacii Regitanæ urbis epiſcopi variis de criminibus accuſati, à quinque epiſcopis diſcuti jubet. Vid. ejuſdem epiſt. 55. lib. 11. In ſexta ſynodo œcumenica quoque omnes ſeſſiones *propoſitis in medio ſacroſanctis Chriſti Dei noſtri evangeliis*, habitæ referuntur. In concilio autem octavo œcumenico una cum ſancto evangelio pretioſum ac vivificum Crucis ſignum in dextram partem catechumenorum collocatum fuiſſe teſtantur Acta ejuſdem concilii Act. I.

Reliquiæ ſanctorum ad concilia delatæ

X. Præter evangelii codicem deferebantur etiam ad concilia ex vicinis civitatibus ſanctorum corpora, ut eorum præſentia & vires acciperet zelus epiſcopalis, & malignorum conſilia retunderentur. Ita Glaber Rodulfus Hiſt. lib. 4. c. 5. teſtatur ineunte ſæculo XI. cœpiſſe [in Aquitaniæ partibus ab epiſcopis & abbatibus cæteriſque viris ſacræ religionis devotis ex univerſa plebe, coadunari conciliorum conventus: ad quos etiam multa delata ſunt corpora ſanctorum, atque innumerabiles ſanctarum apophoretæ reliquiarum. Ita etiam ſæculo X. ad Caroſenſe concilium S. Juniani reliquias delatas fuiſſe perhibet Letaldus monachus Miciacenſis in Hiſtoria ab eo ea de re ſcripta. Sæculo inſequenti ad concilium Aireyenſe plurima ſanctorum corpora in his S. Bercharii, ut diſcimus ex lib. Miraculorum ejus. Denique ad concilium apud Caſtrum Auſam Lugdunenſis diœceſis corpus S. Hugonis Æduenſis monachi deportatum fuiſſe tradit anonymus in ejus Vita ſæculo V. Benedictino. Taceo in concilio Remenſi ſub Leone papa IX. S. Remigii corpus ante

omnium conſpectum ſuper altari expoſitum fuiſſe. Ante hæc omnia Taſſilo dux Bajovariorum in concilio Compendienſi ſuper corpora ſanctorum martyrum Dionyſii Ruſtici & Eleutherii, ſanctorum Confeſſorum Martini & Germani integram fidem Pippino Regi juraſſe memoratur apud Adonem in Chronico ad annum 758.

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

XI. Præter ſanctorum reliquias etiam [ipſi pontifices imagines ad concilia deferebant, nec ullus ex Chriſti amantibus ac religioſis hominibus iter peragens abſque imaginibus peregrinationes obibat, utpote qui virtute præditi atque apud Deum probi eſſent,] inquit Gregorius papa II. epiſt. 2. ad Leonem Iſauricum quæ initio concilii Nicæni II. refertur.

Litteræ pontificiæ publice lectæ.

XII. His ita conſtitutis, fuſiſque ad Deum ſolitis precibus, priuſquam aliquid in concilio agitaretur, diaconus ex evangelio nonnihil pronunciabat, deinde ex ſacris canonibus aliquid legebatur: cujus rei praxim videre eſt in concilio Agathenſi, in Toletano II. atque etiam in Chronico Moiſacenſi ad annum 802. & in Vita S. Bernardi Hildesheimenſis epiſcopi cap. 20. & alibi. Poſtea ſi quæ erant litteræ apoſtolicæ, ea proferebantur in medium, ac jubente concilii præſide, cunctis audientibus, perlegebantur. Ubi obſervandum quod etſi concilium in oriente coactum erat, ubi maxima pars patrum græco utebatur idiomate, omniaque ejus acta græce enunciabantur, litteræ nihilominus ſummi Pontificis latine legebantur totæ, deinde latinam non callentibus linguam exponebantur: unde in concilio Epheſino Actione II. [Philippus preſbyter apoſtolicæ ſedis, & legatus dixit: conſuetudini ſatisfactum eſt, ut apoſtolicæ ſedis litteræ latine inprimis legantur: nunc vero itidem quoniam beatitudo veſtra efflagitat, ut græce etiam legantur; neceſſarium eſt, ut ſanctitatis veſtræ deſiderio ſatisfiat: id quod faciendum curavimus, ut Romana oratio in græcam converteretur. Jubete igitur ſuſcipi, & ſanctis veſtris auribus inſinuari.] In concilio etiam Calchedonenſi Actione 6. Marcianus imperator patres alloquutus eſſe dicitur *primum latine & poſtmodum græce.*

Diſputantium verba à notariis ſcripto excepta.

XIII. Poſtea ſi qua circa fidem aut diſciplinam agitanda erant, ea diſcutiebantur, ac diſputantium verba præſentes notarii ſcriptis excipiebant. Ita, teſte Socrate lib. 2. Hiſt. eccl. cap. 30. in Sirmienſi ſynodo [Baſilius Ancyranæ tum eccleſiæ præſul in certamen deſcendit cum Photino, notariis verba eorum excipientibus,] & ex cap. 39. in Seleucienſi [aderant etiam notarii, qui ſingulorum dicta notis exciperent.] Hinc S. Auguſtinus Proculeianum epiſcopum Donatiſtam ad diſputationem provocat epiſtola 33. [Dummodo, inquit, verba noſtra non inaniter ventilentur, ſed ſtilo excipiantur, ut & tranquillius & ordinatius diſſeramus, & ſi quid à nobis dictum de memoria lapſum fuerit, recitatione revocetur.] Et epiſt. 44. referens quæ acta fuerant de concordia cum Fortunio Tubirſico Donatiſtarum epiſcopo; [poſtulavimus, ait, ut à notariis verba noſtra exciperentur.]

Canones & decreta condita.

XIV. Terminatis diſceptationibus, condebantur canones de fide

Caput I. *De concil. celebratione.*

primum, poſtea de vitæ emendatione: & non prius, unde Pelagius papa II. ſcribens ad Eliam Aquileienſem: [Novimus, inquiebat, quod in ſynodo numquam canones niſi peractis definitionibus fidei, niſi perfectis ſynodalibus geſtis, habeantur, ut ſervato ordine cum prius ſynodus ad fidem corda ædificet, tunc per regulas canonum mores actuſque eccleſiæ componat.] In conciliis autem per totam Italiam celebratis ſolus Romanus pontifex ſtatuta condebat, quibus alii ſubſcribebant epiſcopi. Ita Synodica epiſtola concilii II. Romani ſub ad clericos & monachos orientales: Quoties [intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſas præcipue fieri colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum juxta ſollicitudinem ſibi eccleſiarum omnibus competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium.] Ultimo tandem loco ſi quæ inter epiſcopos verſabantur cauſæ diffiniebantur ut patet ex concilio Arvernenſi cap. 1.

XV. Poſtea fiebant ſollemnes acclamationes, tum ſubſcriptiones, non ſolum præſentium epiſcoporum ſed etiam abſentium. Nam conciciliorum acta ad abſentes pontifices ſubſcribenda deferebantur, ut conſtat ex epiſtola concilii Sardicenſis ad Julium papam, ex epiſtola altera ejuſdem concilii ad omnes epiſcopos, ex concilio Turonenſi 1. cujus ultima ſubſcriptio ita effertur [Talaſius peccator hanc definitionem Dominorum meorum epiſcoporum ab ipſis ad me tranſmiſſam in civitatula mea relegi, ſubſcripſi & conſenſi.] Et ex concilio Pariſienſi III. cujus hic canon X. [Et quia huic definitioni cuncti fratrum intereſſe minime potuerunt, hoc omnis congregatio ſacerdotum Chriſto propitiante decrevit, ut conſtitutio præſens, quantis oblata fuerit ſubſcriptionibus eorum debeat roborari, quatenus in hoc quod univerſis obſervandum eſt, univerſitas debeat conſentire.] Idem patet ex concilio Toletano XVI. can. 13. ad quod cum epiſcopi Narbonenſis provinciæ convenire minime potuiſſent, canone 13. decretum eſt, [ut omnes ad ejuſdem cathedræ diœceſim pertinentes epiſcopi, in eadem urbe Narbona cum ſuo metropolitano adunentur, & cunctis hujus concilii capitulis vigilaci ab eis indagatione perlectis, accedant ordinibus debitis ſubſcriptores.] Vide concilii Piſtenſis ſubſcriptiones in tomo 1. noſtræ novæ collectionis veterum Scriptorum. Ut autem decreta majorem auctoritatem obtinerent, confirmari ſolebant à Summo Pontifice, qui ut diximus œcumenicis conciliis in propria perſona numquam intererat, poſtulantibus id obnixe congregatis patribus. Quanti vero haberetur iſta Romani epiſcopi confirmatio diſce ex verbis S. Stephani Junioris ad pſeudoepiſcopos, quæ extant in ejus Vita Analectorum Græc. tom. 1. pag. 481. [Quanam igitur ratione veſtram ſynodum œcumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus pontifex, quamquam canone præſcribitur res eccleſiaſticas abſque papa Romæ conſtitui non debere.] His plura adjicere ſuperſedeo. Nam ſi ſunt alii ritus in celebrandis conciliis olim adhibiti, hi ex ſubjectis ordinibus ſatis innoteſcent.

Digitized by Google

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

ORDO I.

Ad celebrandum concilium.

Ex concilio Toletano IV. canone IV.

HOra itaque prima diei ante ſolis ortum ejiciantur omnes ab eccleſia; obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam, per quam ſacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtent: & convenientes omnes epiſcopi pariter introeant, & ſecundum ordinationis ſuæ tempora reſideant. Poſt ingreſſum omnium epiſcoporum atque conſeſſum, vocentur deinde preſbyteri, quos cauſa probaverit introire. Nullus ſe inter eos ingerat diaconorum. Poſt hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo popoſcit intereſſe: & corona facta de ſedibus epiſcoporum, preſbyteri à tergo eorum reſideant. Diacones in conſpectu epiſcoporum ſtent. Deinde ingrediantur laici, qui electione concilii intereſſe meruerunt. Ingrediantur quoque & notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit, & obſerentur januæ. Sedenteſque in diuturno ſilentio ſacerdotes, & cor totum ad Deum habentes dicat archidiaconus: Orate. *Statimque omnes in terra proſtrabuntur, & orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus, unus ex epiſcopis ſenioribus ſurgens, orationem palam fundat ad Dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione, & reſponſo ab omnibus* Amen, *rurſus dicat archidiaconus:* Erigite vos. *Et confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei & diſciplina tam epiſcopi quam preſbyteri ſedeant. Sicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, diaconus alba indutus codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronunciet. Finitiſque titulis, metropolitanus epiſcopus concilium alloquatur, dicens:* Ecce ſanctiſſimi ſacerdotes, recitatæ ſunt ex canonibus ſanctorum patrum ſententiæ de concilio celebrando: ſi qua igitur quempiam veſtrum actio commovet, coram ſuis fratribus proponat. *Tunc ſi aliquis quamcumque querelam quæ contra canonem agit, in audientia ſacerdotali protulerit, non prius ad aliud tranſeatur capitulum, niſi primum quæ propoſita eſt actio terminetur. Nam et ſi preſbyter aliquis, aut diaconus, clericus, ſive laicus de his qui foris ſteterint, concilium pro qualibet re crediderit appellandum, eccleſiæ metropolitanæ archidiacono cauſam ſuam intimet, & ille concilio denunciet. Tunc illi & introeundi & proponendi licentia concedatur. Nullus autem epiſcoporum à cœtu communi ſecedat, antequam hora generalis ſeſſionis adveniat. Concilium quoque nullus ſolvere audeat, niſi fuerint cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Tunc enim Deus ſuorum ſacerdotum concilio intereſſe credendus eſt, ſi tumultu omni abjecto, ſollicite atque tranquille eccleſiaſtica negotia terminentur.*

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

ORDO II.

Ex vetuſto mſ. codice Floriacenſi.

INCIPIT ORDO QUALITER DEBEAT FIERI CONCILIUM EX *TOLOSANA AUCTORITATE.

* *f.* Toletana.

Hora diei prima, ante ſolis ortum, ejiciuntur omnes ab eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam per quam ſacerdotes ingredi oportet oſtiarii ſtabunt. Et convenientes omnes epiſcopi pariter introibunt, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſidebunt.

Poſt ingreſſum omnium epiſcoporum, atque conſeſſum vocantur deinde preſbyteri, quos cauſſa probaverit introire. Nullus ſe inter eos ingerat diaconorum.

Poſt hos ingrediuntur diacones probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe, & corona facta de ſedibus epiſcoporum, preſbyteri à tergo eorum reſidebunt, quos tamen *ſeſſuros ſecum metropolitanus elegerit, qui utique etiam cum eo judicare aliquid, & definire poſſunt.*

al. tantum.

Diacones in conſpectu epiſcoporum ſtabunt.

Deinde ingrediuntur laici, qui electione conjugali intereſſe meruerunt.

Ingrediuntur quoque notarii, quos ad recipiendum, vel excipiendum ordo requirit, & obſervabunt januas, ſedenteſque in diuturno ſilentio ſacerdotes, & cor totum habentes ad Dominum, dicturus eſt archidiaconus. Orate. *Statimque omnes in terra proſternentur tam epiſcopi, quàm preſbyteri, & orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus, unus ex epiſcopis ſenioribus ſurgens orationem palam fundet ad Dominum, & cunctis adhuc in terra jacentibus dicet hanc orationem.*

In electione Prælati oratio. Oremus.

Adſumus Domine ſancte Spiritus: Adſumus peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati. Veni ad nos. Adeſto nobis, & dignare inlabi in cordibus noſtris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur oſtende, quid efficiamur operare. Eſto ſalus & ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio, nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, ut in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat; ſed junge nos tibi efficaciter ſolus tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, ut in nullo deviemus à verò, qualiter in nomine tuo collecti ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, qua in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna.

In qua, oratio Pater noſter *non dicitur, nec benedictio; ſed ipſa ſolummodo oratio confirmatur. Finita autem oratione & reſponſo ab omnibus* Amen, *rurſum dicit archidiaconus* Erigite vos. *Confeſtim omnes ſurgent, & cum*

omni timore Dei, & diſciplina tam epiſcopi, quam preſbyteri ſedent, ſicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, diaconus alba indutus codicem canonum in medio proferens capitula de conciliis agendis pronuntiet, id eſt de concilio Toletano IV. æra XX. Item ex concilio IV. æra III. Item ex capitulis orientalium patrum, quæ Martinus epiſcopus de græco in in latinum vertit æra XVIII. de ſynodo facienda. Item ex concilio Calcedonenſi æra XVIII. Item ex concilio Agathenſi æra XXXV. vel aliud de canonibus, quod metropolitano aptius viſum fuerit ut legatur. Finitiſque titulis, metropolitanus epiſcopus concilium adloquatur ita dicens:

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

Ecce ſanctiſſimi ſacerdotes, præmiſſis Deo precibus fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ à nobis de Deo, de ſacris ordinibus, vel ſanctis moribus à nobis fuerint dicta cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere intendatis. Quod ſi forſitan aliquis veſtrum aliter, quam dicta fuerint, ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo contentionis in noſtrorum omnium collationem ea ipſe, de quibus dubitatur, conferendo reducat, qualiter Deo miſerante aut doceri poſſit aut doceat. Deinde ſimili vos obteſtatione conjuro, ut nullus veſtrum in judicando perſonam accipiat, aut quolibet favore, vel munere pulſatus avertat & diſcedat; ſed cum tanta pietate quidquid cœtui noſtro ſe judicandum intulerit retractate, ut nec diſcordans contentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat, nec item in perquirenda æquitate vigor veſtri ordinis, vel ſollicitudo tepeſcat.

Poſt hanc exhortationem introibunt omnes quicumque fuerint preſbyteri, diacones, vel religioſi univerſi ad audiendam doctrinam.

Sic archidiaconus lecturus eſt canonem Toletani concilii xi. æra I. nec tumultu concilium agitetur. Quo canone perlecto, concilium Epheſinum ex ordine perlegatur. Deinde collatio pariter & inſtructio de myſterio SS. Trinitatis habeatur, ſimulque & de officiorum ordinibus ſi in omnibus ſedibus ejuſdem celebritatis unitas teneatur. Pro his quoque cauſſis prout ſpatium diei permiſerit, & epiſtola papæ Leonis ad Flavianum epiſcopum de erroribus Euticetis, & myſterio SS. Trinitatis legendæ ſunt. Canones quoque de unitate officiorum nec aliud aliquid ante tranſibitur quàm iſta omnia explicentur. Ita tamen ut in totos tres dies letaniorum nihil aliud agatur, nec retractetur, niſi ſola collatio de myſterio SS. Trinitatis, de ordinibus ſacris, vel officiorum inſtitutis. Ita ut hæc tota partiantur per totos illos tres dies nihil aliud ſicut dictum eſt, niſi ſola quæſtio de iis, quæ dicta ſunt, habeatur, ita ut lectio ſemper congruens cauſſa ordinis quæ quærenda eſt antecedat. Poſt hæc in quarto die reliqua per ordinem admittenda ſunt, ſicque omnes qui de religioſis in retroactis diebus pro ſpirituali inſtructione interfuerant, in concilio foris ingrediantur, reſidentibus aliquibus preſbyteris in concilio, quos metropolitanus probaverit honorandos, per ſingulos tamen illos tres dies letaniorum epiſcopi vel preſbyteri cum ammonitione primum orationibus proſtrabuntur, ſicque collecta à metropolitano oratione conſurgent, ut *de divinis tantum, ut dictum eſt, rebus collationem habebunt. In reliquis au-*

Et

CAPUT I. De concil. celebratione.

tem diebus cunctis aſtantibus oratio colligenda eſt, & ſic conſidentibus cauſarum negotia colligi.

Nullus tamen tumultus aut inter conſidentes, aut inter adſtantes habebitur. Eodem tamen modo, eodemque ordine ad concilium omnes per ſingulos dies ingredientur quo ſuperius jam præmiſſum eſt. Nam & ſi preſbyteri reliqui, aut diacones clerici, ſive laici de his qui foris ſteterunt concilium pro qualibet re crediderint appellandum eccleſia metropolitana archidiacono cauſam ſuam intiment, & ille concilio denuntiet. Tunc illis & introeundi & proponendi licentia concedetur.

Nullus autem epiſcoporum à cœtu communi ſecedat antequam hora generalis ſeceſſionis adveniat.

Concilium quoque nullus ſolvere audebit, niſi fuerint cuncta determinata, ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Ita tamen ut ante duos aut tres dies quam ſolvatur concilium omnes conſtitutiones à ſe editas diligenti conſideratione retractent, ne in aliquo offendiſſent. Item in die quo concilium abſolvendum eſt, canones qui in ſancta ſynodo inſtituti ſunt coram eccleſia in publico relegantur, quibus explicitis reſpondetur in choro. Amen. Deinde ad locum redeuntes, ubi in concilio reſederunt, canones ipſos ſubſcripturi ſunt. Adhuc admonendi quoque à metropolitano ſunt de paſcha venturo quo veniat.

Admonendi ſunt etiam quo tempore ſupervenienti anno ad faciendum concilium veniant. Eligendi etiam de epiſcopis, qui cum metropolitano dies feſtos Natalis Domini & ſanctum Paſcha debeant celebrare.

Poſt hæc dicente archidiacono. Orate. *Omnes ſimul in terra pariter proſtrabuntur, ubi diutiſſime orantes, hanc unus ex majoribus orationem dicturus eſt.*

Oratio.

Nulla eſt Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis judicia expedire, & ideo quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa quæſumus, quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus. Te in noſtris principiis occurſorem poſcimus. Te quoque in hoc fine judiciorum noſtrorum teſtem ſperamus, ſcilicet ut ignorantiæ parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis votis perfecti operis efficaciam largiaris. Et quia conſcientia remordente tabeſcimus ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſitan voluntas impulerit in injuſtitiam declinare ob hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac concilii celebritate attraximus, te condonante, remittatur, ut in eo quod ſoluturi ſumus aggregatum concilium à cunctis primo abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum qualiter & tranſgreſſores venia, & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna.

Huic orationi oratio Pater noſter *adjungitur, & cunctis adhuc jacentibus hæc benedictio explicatur.*

BENEDICTIO

BENEDICTIO.

CHriſtus Dei Filius qui eſt initium & finis, complementum nobis tribuat caritatis, & qui nos ad expletionem hujus fecit pervenire concilii abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti, ut ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus-Sancti felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi.

Quibus expletis, dum dictum fuerit ab archidiacono: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus in pace. *Omnes illico pariter exurgentes, reſidente metropolitano ab ipſo primum incipiente oſculum ſibi invicem omnes pariter dabunt, ſicque data ſibi invicem pace conventus concilii abſolvetur.*

ORDO III.

Ex ms. codice S. Martialis Lemovicenſis.

ORDO CELEBRANDI CONCILIUM APUD LEMOVICUM URBEM.

P*Rimitus incipiente aurora miſſam audient omnes epiſcopi, deinde clareſcente die induunt ſe ornati veſtimentis cum cappis Romanis, & unuſquiſque virgam paſtoralem in manu geſtat, & exeunt foras oſtium baſilicæ S. Stephani ad clauſtra, & nullus remanet in eccleſia præter oſtiarios & abbatem S. Martialis. Tunc abbas clamat dicens:* Procedant epiſcopi. *Tunc intrant omnes epiſcopi ordinate unus poſt unum honore ſe invicem prævenientes, & reſident ſicut primas Lemovicenſis diſponit; & archiepiſcopum Bituricenſem ſuperiorem omnibus ſedere jubet, quia archiepiſcopus Bituricenſis, ſicut antiquitus mos eſt, primatem Lemovicenſem conſecrat, & ipſe archiepiſcopus ipſum conſecrat, & nullus alius epiſcoporum niſi fortè primas Lemovicenſis juſſerit.*

Tunc ornati veſtimentis ſacris, abbas S. Martialis cum aliis abbatibus, & habent virgas paſtorales in manibus, & ſtant foris ad oſtium; tunc primas Lemovicenſis, vel unus de epiſcopis, cui ipſe juſſerit, pergit ad oſtia, & dicit: Accedant abbates. *Tunc intrant abbates unus poſt unum, honore ſe invicem prævenientes; & abbatem S. Martialis jubet primas Lemovicenſis juxta ſe in alia cathedra ſedere in ipſa corona epiſcoporum. Alios abbates facit ſedere primas Lemovicenſis, pro ut diſpoſuerit. Tunc jubet archidiaconum pergere ad oſtium, & dicere:* Procedant preſbyteri. *Tunc ſoli preſbyteri introeunt. Deinde jubente primate reſideant, prout diſpoſuerit primas, hoc eſt poſt epiſcopos, vel inter abbates. Deinde dicat archidiaconus:* Procedant diacones, & ceteri clerici. *Tunc diacones, & monachi, & ceteri clerici intrant; deinde electi laici, quos primas voluerit, nominatim ab archidiacono vocantur, & intrant, & clauditur janua. Tunc jubet primas archidiacono veſtibus ſacris indui cum dalmatica, & cum ſteterit ante altare, dicit excelſa voce archidiaconus antiphonam:* Exaudi Domine.

Digitized by Google

cum pſalmo Salvum me fac Deus. *Deinde innuit primas cui voluerit, aut de epiſcopis, aut de abbatibus, ut incipiat letaniam modulando; & dicatur letania in uno loco ab omnibus ſtantibus verſis vultibus ad altare, ſive ad Orientem. Et cum finita fuerit, innuit primas archiepiſcopo vel uni ex ſenioribus ut dicat* Oremus. *Tunc diaconus dicit:* Flectamus genua. *Tunc omnes poſitis genibus diutius profundis gemitibus & lacrymis orant, nec ante dicit diaconus* Levate, *quo uſque jubeatur à primate: & poſtquam ſecrete diutius oraverint, incipiat primas V. pſalmos:* Ad Dominum cum tribularer *pro pace & ſalute totius eccleſiæ; & finitis pſalmis, dicit diaconus* Levate. *Tunc omnes ſurgunt, & dicit archiepiſcopus capitula & preces pro pace, & tribulatione, & pro peccatis, & pro rege, & pro eccleſia, & pro ſemetipſis, & pro defunctis:* Da pacem Domine in diebus noſtris. Fiat pax in virtute tua. Da nobis Domine auxilium de tribulatione. Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur. Peccavimus cum patribus noſtris. Domine non ſecundum peccata noſtra. Domine ſalvum fac regem. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Mitte eis Domine. Salvum fac populum tuum Domine. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. Oremus pro fidelibus defunctis. Domine exaudi orationem meam.

Et mox incipit orationem modulando, ita dicens: Actiones noſtras, quæſumus Domine. *Et dicat* Per Dominum noſtrum. *Deinde diaconus legit evangelium* Cum eſſet ſero die illa, *uſque ad illum locum, ubi dicitur:* Et quorum retinueritis retenta ſunt.

Secunda die dicunt alios pſalmos V. Qui confidunt, *& ceteros, orationem* Deus qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum. *Evangelium* Convocatis Jeſus xii. diſcipulis.

Tertia die dicunt alios V. pſalmos De profundis, *& ceteros, orationem* S. Spiritus Domine corda noſtra mundet infuſio, *evangelium* Deſignavit Dominus & alios LXXII. *Poſt evangelium finitum ſedent omnes. Tunc lector in medio lectionem opportunam concilio legit, & dum, innuente primate, dicit* Tu autem; *dicit archiepiſcopus* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſpondent omnes:* Qui fecit cælum & terram. *Tunc unus, cui juſſum fuerit, levat ſe in edito loco, ubi ab omnibus audiatur, & facit ſermonem de evangelio, & de lectione. Secunda & tertia die omnem populum jubent epiſcopi intrare in eccleſiam ad audiendam doctrinam. Poſt ſermonem factum exeunt omnes ab eccleſia, niſi illi quos epiſcopi retinuerint ſecum, & incipiunt loqui, & conſilium inter ſe accipere de utilitate S. Eccleſiæ, & de his cauſis propter quas congregati ſunt, & conſtitutiones à ſe factas ſcribent in tomo; & uſque ad horam ix. in concilio ſedent. Tertio die denunciant populo, ut craſtina die congregentur omnes in baſilicam Salvatoris ad S. Martialem, & ibi conſtitutiones ſuas tam de pace, quàm de aliis cauſis populo demonſtrant, illos qui rebelles ſunt contra pacem, & juſtitiam, & ſanctam eccleſiam Dei omnes excommunicant epiſcopi. His autem qui obedientes ſunt ſacris canonibus dant benedictionem. Sed poſtquam ſinguli epiſcopi, dicentibus ſingulis diaconis* Humiliate vos ad be-

nedictionem, *benedictiones epiſcopales ſingulas dixerint ſuper populum; dant ſibi invicem pacis oſculum, & omnis populus invicem. Et ſic abſolvitur concilium, & omnes redeunt ad ſua, niſi illi quos primas Lemovicenſis verbo ſuo ligat, ut non abſcedant, ſine oris ſui propriæ, & ſpontanea abſolutione propter confirmandam juſtitiam & pacem.*

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

ORDO IV.

Ex ms. S. Martialis Lemovicenſis.

MODUS CELEBRANDI SYNODUM SEU CONCILIUM DIOECESIS APUD LEMOVICAS.

CAnones Apoſtolorum bis in anno ſtatuunt concilium celebrandum. Ita ad Lemovicam omnes ſacerdotes ipſius diœceſis conveniunt cum reliquis clericis. Triduo autem celebratur ipſa ſynodus, hoc eſt iv. v. vi. feria in hebdomada Pentecoſtes, & ſimiliter poſt feſtum omnium ſanctorum. Nullus laicorum intereſt ſynodo, ſed clauſis omnibus oſtiis eccleſiæ ſedent omnes ſacerdotes, & reliqui clerici induti dalmaticis, & omnes jejuni expectant adventum epiſcopi. Et circa horam tertiam procedit ad eos epiſcopus indutus veſtimentis ſacris, & cappa Romana, virgam paſtoralem habens in manu. Præcedit eum archidiaconus dalmatica indutus tenens textum evangelii, & acolythi cum candelabris hinc & inde, & alius eum thuribulo.

Cum ad locum pervenerit ubi parata eſt cathedra ad ſedendum, mittit epiſcopus thimiama in thuribulo, & incenſat diaconus textum evangelii, quod jam poſuerat in quadrato ornato, quod faſiſtorium dicimus, poſt defert incenſorium ad odorem epiſcopi, & qui epiſcopo circumadſtant. Deinde ſedet epiſcopus & omnes clerici poſt eum. Abbates, & archidiaconi, & archipreſbyteri, & doctiores clerici in circuitu epiſcopi ſedent. Abbatem S. Martialis jubet epiſcopus juxta ſe conſedere in alia cathedra. Omnes abbates ibi adſtantes virgas paſtorales tenent in manibus. Tunc jubente epiſcopo, dicit archidiaconus Jube domne benedicere: *Et dat ei epiſcopus benedictionem, & legit archidiaconus lectionem, quæ opportuna eſt in ſynodo ad ædificationem, ſicut juſſus fuerit ab epiſcopo, vel ab eo, qui jubente epiſcopo, facturus eſt homeliam, hoc eſt ſive de epiſtolis Petri, vel de homeliis Gregorii, & Auguſtini, & aliorum doctorum, qui de ædificatione ordinis paſtoralis diſſerunt. Poſt finem lectionis, quæ ab epiſcopo, prout voluntas vel hora diei fuerit, terminari jubetur; facit epiſcopus ſermonem, vel ipſe qui ab epiſcopo juſſus fuerit.*

Poſt finem ſermonis admonet epiſcopus de his quæ ad ſacramenta altaris, & ad clericorum ordinem, & ad paſtoralem curam pertinent, & de his quæ opus ſunt. Deinde interrogat omnes ſive hæreſes, ſive pravitates contra ordinem eccleſiaſticum ſi evenire ſciunt, vel ab aliis audierunt in publicum, profe-ant, & conſilium ſalubre accipiant contra lupos rapaces, & nuncios antichriſti. Deinde admonet, ut ſi quis per noxam gravem incidit

Digitized by Google

CAPUT I. De concil. celebratione.

de fragmentis Dominici corporis, pœnitentiam confeſſus accipiat priuſquam regrediatur ad ſua. Deinde interrogat de excommunicatione, ſi quis excommunicatus præſumſit celebrare miſſ.u, vel ſi excommunicatum ab epiſcopo clericum vel laicum ſuſc pit in communione. Deinde omnibus denunciat, ut nullus clericorum regredia ur ad ſua ante benedictionem, quam tertia die dat eis epiſcopus, & ut nullus ſubtrahat ſe à ſynodo. Interroget etiam ſi omnes generaliter ad ſynodum præſentes ſunt, qui convenire debuerunt, & ſi quis querelam habet contra alterum, ne ante pergat ad propria, quàm proximo ſuo ſatisfaciat, ut omnes ſacerdotes & clerici ſine diſcordia ſint. Interroget archidiaconus ſi quis ex ſacerdotibus de toto Lemovicino poſt alteram ſynodum, quæ peracta eſt obierit, & denunciet omnibus, ut ejus memoriam habeant omnes, & apud ipſam ſedem pro eo memoriam agant, quia hoc fraternum eſt.

Similiter archidiaconus denuntiet de canonicis ſanctæ ſedis, ſi defuncti fuerint poſt prædictam ſynodum, & de monachis ſacerdotibus S. Martialis, & aliorum monaſteriorum diœceſes Lemovicenſis, ut in commune ab omnibus memoria eorum fiat.

In ſecunda autem & tertia die, quando plenior ſynodus eſt, agatur maxime ſermo de fide SS. Trinitatis propter futuras hæreſes, item de ſanctis Ordinibus, de ſanctis veſtibus, de officio miſſæ, de varietate officiorum per ànnum, de vivifico ſacrificio altaris, & quæcumque utilia ſunt ordini eccleſiaſtico, pro ut Dominus dederit, de chriſmate, de baptiſmo. Per illos tres dies antequam epiſcopus in ſynodum procedat, duo majora ſigna ſonans, quod adjunctam ſonant *vocant propter clericos in unum congregandos. Primo & ſecundo die ſurgente primum epiſcopo ita omnes abſcedunt à ſynodo ad diverſoria ſua, ſive ad hoſpitia ſua. Tertio die per ſermonem & alia de ſacris canonibus, quæ propter ædificationem dicta ſunt, denuntiat edictum ſuum, ſi aliquid judicio prudentum noviter obſervandum conſtituit. Tunc ſi fuerint aliqui violatores eccleſiæ, ubi Corpus Domini fuerit, vel ubi non fuerit, excommunicat eos uſque ad ſatisfactionem pœnitentiæ, & poſt alia quæ opus eſt dici circa hora nonam ſurgit epiſcopus prior, & poſitis genibus cum omni clero orat pro regibus, & pro his, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, & pro pace, & ſalute totius eccleſiæ incipiens vii. pſalmos pœnitentiæ, & dicit orationes convenientes, & deinde orationes pro abſolutione peccatorum, & omnes poſitis genibus inclinati expectant. Tunc erectis omnibus, incipit epiſcopus dare pacem, & omnes oſculum pacis ſibi invicem præbeant ſicut ad miſſam, & in pace Chriſti, & concordia unanimi permaneant, & in pace redeant, & ſit pax ſuper omnes, & ſuper cunctum populum. Oſculo pacis inito, dicat archidiaconus excelſa voce* Humiliate vos ad benedictionem; *& reſpondeant omnes* Deo gratias; *& dat epiſcopus benedictionem, & abſoluta eſt ſynodus præter illos quos forte propter alias querelas prohibet epiſcopus regredi. In ipſo autem tertio die aliquoties legitur in ſynodo lectio Actuum apoſtolorum, in qua auctoritas ſynodi celebrandæ eſt cum uno epiſcopo & multis preſbyteris, ubi oratio poſitis genibus in ſynodo commendatur, ubi dignitas preſbyterorum manifeſtatur, quæ omnes*

generaliter vocantur epiſcopi, ubi pacis oſculum in abſolutione concilii intimatur.

ORDO V.

Ex collectione viri Clariſſimi & eruditiſſimi Domini Godefridi Hermant canonici Bellovacenſis.

INCIPIT ORDO QUALITER SYNODUS AB EPISCOPO AGATUR.

HOra diei prima ante ſolis ortum ejiciantur omnes de eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam, per quam ſacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtabunt, & convenientes cardinales ſacerdotes cum epiſcopo introibunt, & ſecundum ordinis ſui tempus reſidebunt. Poſt hos ingrediantur & diaconi, qui corona facta, in conſpectu epiſcopi ſtent. Deinde forenſes ingrediantur preſbyteri, in ordine ſuo procul ab aliis ſtantes, & ut juſſi fuerint reſidentes. Ingrediantur quoque ſubdiaconi, quos ad recitandum vel excipiendum congruus ordo requirit. Obſeratiſque januis, & ſedentes in diuturno ſilentio, epiſcopi videlicet & ſacerdotes, atque cor totum habentes ad Dominum, dicturus archidiaconus Orate. *Et tunc agatur litania, ſtatimque omnes incurventur, tam epiſcopi quam preſbyteri, orantes diu tacite cum fletibus ac gemitibus.*

Tunc ſurgens epiſcopus, cunctis adhuc incurvatis, hanc orationem palam fundat ad Dominum. Adſumus Domine, &c. *Qua oratione finita, ab omnibus reſpondetur* Amen.

Rurſumque archidiaconus dicit Erigite vos, *confeſtimque omnes ſurgant; & ab archidiacono legatur evangelium* Ego ſum paſtor bonus. *Quo perlecto, cum timore & diſciplina, tam epiſcopus quam preſbyteri ſedeant. Diaconus cum dalmatica indutus codicem canonum proferens, capitula Nicæni concilii perlegat, ubi de fide catholica plenius tractatur qualiter omnes chriſticolæ unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate fideliter venerari, corde credere, ore profiteri, & inceſſanter excolere debeant, ubi ſatis aperte depromitur, quomodo Pater & Filius & Spiritus-Sanctus veraciter unus ſit Dominus. Deinde legatur liber Officiorum, ut ſcire valeant quo ordine in eccleſia cuncta peragantur officia. Poſt hæc autem perquirantur preſbyteri qualiter energumenos exorcizare, qualiter ſcrutinia & aurium apertiones facere, vel eoſdem baptizare debeant. Quibus expletis, taliter cunctos clericos alloquatur epiſcopus.*

ADMONITIO.

PRecibus itaque Deo præmiſſis, fraternitatem veſtram, dilectiſſimi filii, cum pia exhortatione admoneo, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ à nobis de Domino & ſacris ordinibus vel ſanctis moribus dicta fuerint, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma re-

Digitized by Google

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

verentia perficere ſtudeatis, quatenus ſuperna auxiliante gratia, ea quæ ad ſalutem noſtram & chriſtiani populi vobis commiſſi pertinere videntur diligenter ac provide tractemus. Ne oves Domini noſtri Jeſu Chriſti nobis commiſſæ licet indigne ob noſtram pereant negligentiam, pro quibus in die judicii rationem reddituri ſumus. Deinde ſimili vos obteſtatione conjuro vel obſecro, ut nullus veſtrum in judicio fratrem ſuum aut perſonam accipiat, aut quolibet favore vel munere pulſatus à juſto judicio ſcienter avertatur aut diſcedat; ſed cum tota pietate fraternæ dilectionis, & cum Dei timore lubenter nobiſcum adhibeatis ſtudium, quatenus per noſtram doctrinam & ſacram admonitionem peccata, errores, & pravitates filiorum noſtrorum, quæ ante nos vel tempore noſtro inſtigante diabolo in civitate iſta vel parrochiis noſtris perpetrata fuerint, Dei auxiliante miſericordia ad correctionis emendationem & bonam executionem perducere valeamus, & in extremo judicii die, non de negligentia & culpis à Domino ſicut pigri & mali ſervi judicemur, ſed de benefactis ac rectè diſpoſitis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur. Per.

Quibus taliter narratis, perſcrutandi & inquirendi ſunt cardinales ſacerdotes & levitæ, nec non & reliqui videlicet de credulitate Trinitatis & unitatis. 1. *De dilectione Dei & proximi.* 2. *De humilitate & caſtitate.* 3. *De jejunio & oratione.* 4. *De eleemoſynarum largitate, ſimul & de omnibus cavendis vitiis & virtutibus adipiſcendis.*

His itaque prima die ſynodali judicio deliberatis, ſurgens archidiaconus dicat: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus in pace. *Tunc epiſcopus dicat hanc benedictionem.*

Qui diſperſos Iſrael congregat, ipſe vos hic & ubique cuſtodiat. Amen.

Et non ſolùm vos cuſtodiat, ſed ovium ſuarum idoneos cuſtodes efficiat. Amen.

Ut cum ſummo paſtore Chriſto de gregum ſuorum paſtione gaudeatis in cælo. Amen.

Quod ipſe præſtare.

Secunda vero die iterum ingreſſi, ſimulque ut ſupra dictum eſt, omnibus incurvatis hæc ab epiſcopo dicenda ſunt.

Noſtrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæſumus, ut bonum quod nobis à te requiritur, exequamur. Scilicet ut promta tecum ſollicitudine gradientes, diſcretionis arduæ ſubtile judicium faciamus, ac miſericordiam diligentes, clareamus ſtudiis tibi placitæ actionis.

Tunc cunctis Amen *reſpondentibus, & à terra ſurgentibus, legatur evangelium* Vos eſtis ſal terræ, *vel* Eſtote miſericordes.

Poſt hæc per ordinem ſicut prius in ſuis reſideant ſedibus. Quos deinde epiſcopus alloquatur. Quibus verbis die ſecunda perquirantur, quæ in ſynodo neceſſaria ſunt, ac diligenti cura pertractentur. Hora autem ſexta vel nona expleta, iterum pronunciet archidiaconus. In nomine Domini, *ut ſupra. Et dicat epiſcopus benedictionem.* Dominus mentis & linguæ corporalis

& ſpiritualis det vobis incrementa gratiæ ſacerdotalis. Amen.

Atque vobis ad dextram conſtitutis participium cæleſtis tribuat regni. Amen. CAPUT I. *De concil. celebratione.*

Quod ipſe præſtare dignetur, qui nos ante conſtitutionem mundi prædeſtinatos, & ante finem ſæculi juſtificatos præſcivit per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Tertia denique die omnibus pro ut ſupra taxatum eſt expletis, eccleſiam ingreſſis, hanc item orationem ipſis incurvatis dicat epiſcopus.

Ad te, Domine, interim clamoſis vocibus conclamantes unanimiter poſtulamus, ut reſpectu gratiæ tuæ ſolidati præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum fiducia loqui.

Et reſpondent omnes Amen. *Et ſurgentibus illis, iterum legatur evangelium* Deſignavit Jeſus. *Poſt hæc per ordinem, ut ſupra reſideant, & perquirantur quæ in ſynodo neceſſaria ſunt, & diligenti cura pertractentur. Tunc epiſcopus dicit hanc orationem ſuper clericos.*

Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, &c.

Huic orationi oratio paterna adjungatur, & cunctis adhuc jacentibus, hæc benedictio ab epiſcopo dicatur.

Chriſtus Dei Filius, qui eſt initium & finis complementum vobis tribuat caritatis. Amen.

Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire concilii, abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Et ab omni reatu liberiores effecti abſoluti etiam per donum Spiritus-Sancti felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Poſtea archidiaconus dicat alta voce. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus in pace. *Et ſic redeant unuſquiſque ad propria cum pace.*

ORDO VI.

Ex ms. Pontificali Biſuntino.

PRÆTITULATIO PRÆLIBANDÆ SYNODI QUORUMDAM SANCTORUM PATRUM.

HOra diei prima ejiciantur omnes ab eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam per quam ſacerdotes ingredi oportet oſtiarii ſint. Primumque intrante cum ſuis primatibus epiſcopo atque præſidente, ceteri tantum advocentur preſbyteri: poſt hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe. Et corona facta circa epiſcopum de ſedibus probabilium vel idoneorum ſacerdotum, ceteri à tergo reſideant, illi videlicet quos epiſcopus ſedere & quæcumque ſecum definire probaverit. Diaconi vero in conſpectu epiſcopi ſtent. Deinde ingrediantur & laici probatiſſimi, qui electione conjugula intereſſe meruerint: & obſerventur janua, ſedentibuſque in diuturno ſilentio ſacerdotibus, & cor totum ad Dominum ha-

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

bentibus, dicturus eſt archidiaconus Orate. *Statimque cunctis tam epiſcopo quam ceteris intra ſe proſternentibus, & diutius cum fletibus atque gemitibus tacite orantibus, epiſcopus ſurgat, hancque orationem, cunctis adhuc in terram jacentibus ad Deum fundat.*

Adſumus Domine Sancte Spiritus &c. *ut in Pontificali Rom.*

Alia in ſecunda die: Noſtrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, *&c. ut in Pontificali Rom.*

Alia in die tertia: Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, *&c. ut in Pont. Rom.*

Finita autem oratione & reſponſo ab omnibus Amen, *rurſum dicat archidiaconus* Erigite vos. *Confeſtim omnes ſurgant, & cum timore Dei & diſciplina tam epiſcopus quam preſbyteri ſedeant, ſicque omnibus in ſuo loco interim reſidentibus in ſilentio, diaconus alba, vel etiam ad pronunciandum evangelium dalmatica indutus,* Ego ſum paſtor bonus, *vel* Deſignavit Jeſus, *in apertum proferat. Hocque prolato, capitula de agendis conciliis pronunciet. Hiſque finitis, epiſcopus concilium alloquatur ita incipiens.*

Ecce ſanctiſſimi ſacerdotes, præmiſſis Deo precibus, fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ à nobis de Deo, de ſacris ordinibus, vel noſtris moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia intentis auribus auſcultetis. Quod ſi forſitan aliquis veſtrum aliter quam dicta fuerint ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo contentionis in noſtrum omnium copulationem ea ipſa de quibus dubitaverit conferenda reducat, qualiter Deo, mediante aut doceri valeat aut doceat. Denique ſimili vos obteſtatione conjuro, ut nullus veſtrum in judicando aut perſonam accipiat, aut quolibet favore vel munere pulſatus à veritate diſcedat: ſed cum tanta pietate quidquid cætu noſtro judicandum inlatum fuerit, retractare, ut nec diſcordans contentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat; nec idem in perquirenda æquitate vigor veſtri ordinis vel ſolutio tepeſcat.

Poſt hanc exhortationem introeant etiam plures tantum legitimi viri ad audiendam doctrinam: ſicque archidiaconus lecturus eſt canonem, ne tumultu concilium agitetur. Deinde collatio pariter & inſtructio de myſterio Sanctæ Trinitatis habeatur, ſimulque & de ordinibus officiorum, ſi in omnium eccleſiis, ejuſdem celebritatis unitas teneatur. Pro his quoque cauſis, prout ſpatium diei permiſerit, & epiſtola Leonis papæ ad Flavianum epiſcopum de erroribus Eutycetis, canones quoque de unitate officiorum recitandi ſunt; nec ad aliud aliquid tranſeatur; quam hæc omnia explicentur; ita ut in tribus diebus letaniarum nihil prius agatur aut retractetur, quam ſola collatio de myſterio ſanctæ Trinitatis, aut de ordinibus ſacris, vel officiorum inſtitutis habeatur: ita videlicet ut per tres letaniarum dies ita partiantur, quatenus ex his quæ prælibavimus incipiendæ ſynodi initium inchoetur lectione ſemper congrua, cauſa ordinis quæ quærenda eſt ante cedente. Poſt hæc in quarta die reliqua quæ requirenda per ordinem admittenda ſunt. Per ſingulos tamen illos letaniarum dies epiſcopus & ceteri cum admonitione pri-

mum

mum orationibus proſternantur; ſicque prolata ab epiſcopo oratione, conſurgant; & ſedentes de divinis, ut dictum eſt, rebus primitus collationem habeant. Nullus tamen tumultus aut inter conſedentes aut inter ſtantes habeatur. Eodem etiam modo, eodemque ordine ad concilium per ſingulos dies ingrediantur, quo ſuperius præmiſſum eſt. Si autem preſbyter de his quæ retro ſteterint vel reſiderint, aut diaconus ſive laicus concilium pro qualibet re crediderint appellandum, ipſius eccleſiæ archidiacono cauſam ſuam intiment, & ille concilio denuntiet. Tunc illis introeundi & proponendi licentia concedatur. Nullus autem preſbyterorum à cœtu communi ſecedat, antequam hora ſeceſſionis adveniat, ut quæcumque deliberatione communi decernuntur, ſingulorum judicio finiantur: ita videlicet ut priuſquam concilium ſolvatur, cauſas quas decreverant diligenti conſideratione retractent, ne in aliquo offendiſſent. Admonendi ſunt etiam receſſionis die quo Paſcha venturum ſit, quo tempore ſupervenienti anno ad faciendum concilium veniant. Poſt hæc dicente archidiacono, omnes ſimul in terra corruant; ibique diutiſſime orantes, hanc epiſcopus dicturus eſt orationem.

CAPUT I. De concil. celebratione.

Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, *&c. ut in Pontif. Rom.*

Huic orationi oratio paterna adjungatur, & cunctis tacentibus hæc benedictio explicetur.

Benedictio.

Chriſtus Dei Filius qui eſt initium & finis, complementum vobis tribuat caritatis. Amen.

Et qui vos ad expletionem hujus fecit venire concilii, abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Ut ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus-ſancti, felici reditu ad loca divinitus conceſſa repedetis. Amen.

Quod ipſe.

Alia benedictio.

Qui diſperſos Iſrael congregat, ipſe vos hic & ubique cuſtodiat. Amen.

Et non ſolum vos cuſtodiat, ſed & ovium ſuarum idoneos cuſtodes efficiat. Amen.

Et cum ſummo paſtore Chriſto de gregum ſuorum paſtione gaudeatis in cœlo. Amen. Quod ipſe.

Quibus expletis, dum dictum fuerit ab archidiacono: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus cum pace; *omnes ilico pariter reſurgentes, reſidente ab ipſo primum incipientes, oſculum ſibi invicem dent. Sicque data ſibi invicem pace, conventus concilii abſolvatur.*

Precibus itaque Deo præmiſſis, fraternitatem veſtram, dilectiſſimi filii, cum pia exhortatione ammoneo, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ à nobis de Deo, & ſacris ordinibus, vel ſanctis moribus, dicta fuerint, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere ſtudeatis, quatenus ſuperna axiliante gratia, ea quæ ad ſalutem noſtram, & chriſtiani populi nobis commiſſi pertinere videntur, dili-

Fff.

Digitized by Google

genter & provide tractemus, ne oves Domini noſtri Jeſu Chriſti nobis commiſſæ, licet indigne, ob noſtram pereant negligentiam, pro quibus in die judicii rationem redditurι ſumus. Deinde ſimili vos obteſtatione conjuro vel obſecro, ut nullus veſtrum in judicando fratrem ſuum aut perſonam accipiat, aut quolibet favore vel munere pulſatus à juſto judicio ſcienter avertatur aut diſcedat; ſed cum tota pietate fraternæ dilectionis, & cum Dei timore libenter nobiſcum adhibeatis ſtudium, quatenus per noſtram doctrinam & ſacram ammonitionem peccata, errores, & pravitates filiorum noſtrorum, quæ in anno vel tempore noſtro, inſtigante diabolo, in civitate iſta vel parrochis noſtris perpetrata fuerint, Deo auxiliante, miſericordia ad correptionis emendationem & bonorum exſecutionem perducere valeamus, ut in extremo judicii die non de negligentiis & culpis à Domino ſicut pigri & mali ſervi judicemur, ſed de benefactis ac recte diſpoſitis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur. Per Dominum.

Heſterno die, fratres cariſſimi, in ſynodo noſtra quædam nobis neceſſaria, Deo auctore, diſcuſſimus, ac ſalubriter pertractavimus. Hodie vero neceſſarium duximus veſtram ammonere chriſtianitatem, ut ante omnia & ſuper omnia Deum diligentes, abſque initio & fine fine manentem credatis. Credatis etiam unigenitum Dei Filium in nullo à Patre ſanctique Spiritus potentia diſcretum, de Virgine natum, paſſum, mortuum, die tertia reſurrexiſſe, & quadrageſimo die in cœlos aſcendiſſe: unde venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Quocirca expedit nobis, cariſſimi fratres, quatenus in hac præſenti vita taliter vivere ſtudeamus, qualiter exſecutione bonorum operum ante tribunal illius ſecuri veniamus, atque à dextris poſiti deſiderabilem vocem illius audire mereamur: Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt, quod regnum nobis concedat, qui vivit.

Eſtote filii pacifici, eſtote humiles, eſtote prudentes ac ſimplices, eſtote miſericordes, & pauperum recreatores; eſtote Deum & proximum diligentes ejuſque mandata jugiter cuſtodientes, quatenus deletis ſceleribus ac vitiis omnibus poſt hujus vitæ decurſum, ad æternæ felicitatis beatitudinem pervenire valeatis.

Canonica inſtituta & ſanctorum Patrum exempla ſequentes, eccleſiarum Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores, & homicidas ill. in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti; nec non auctoritate epiſcopis per Petrum apoſtolorum principem divinitus collata, à ſanctæ matris eccleſiæ gremio ſegregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus: ſintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum, & maledictus fructus ventris eorum & fructus terræ eorum. Maledicti ſint ingredientes & egredientes, ſintque maledicti in domo & extra domum & profugi, veniantque ſuper illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moïſen in populum divinæ legis prævaricatorem ſe eſſe miſſu-

rum intentavit. Sintque anathema maranatha, & pereant in ſecundo adventu Domini. Nullus Chriſtianus eis ave dicat, nullus preſbyter miſſas celebrare præſumat vel ſanctam communionem eis dare. In ſepultura aſinorum ſepeliantur, & in ſterquilinio ſint ſuper faciem terræ. Et ſicut hæ lucernæ de manibus noſtris projectæ hodie extinguuntur, niſi forte reſipuerint, & eccleſiæ quam læſerunt per emendationem & condignam pœnitentiam ſatisfecerint.

ORDO VII.

Ex Chartulario S. Romani de Blavia.

DE MODO CELEBRANDÆ SYNODI IN ABBATIA S. SALVATORIS DE BLAVIA.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, viſuris, & etiam audituris archidiaconus Blavienſis ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis nos vidiſſe, legiſſe, palpaſſe, & diligenter inſpexiſſe quamdam notabilem ordinationem factam & ordinatam cum maxima diſcretione in eccleſia S. Romani Blaviæ cum multis Prælatis, Doctoribus, Licentiatis, Baccalareis, & Religioſis ſuper modum & formam, & ordinationem tenendi ſynodum in eccleſia ſupradicta S. Romani, quæ ſecunda ſedes eſt in diœceſi Burdegalenſi, pro ut ſequitur. *Notum & notandum eſt quod ſemper & perpetuo celebratur ſynodus ſancta, tam hiemalis, quàm paſchalis, in monaſterio S. Romani de Blavia Burdegalenſis diœceſis, per Dominum archiepiſcopum, vel ejus locum tenentem, in quibus ſynodis debent intereſſe per ordinem hi prælati qui ſequuntur.*

Primus Reverendus archiepiſcopus Burdigalæ, & per ordinem abbas eccleſiæ S. Romani.

Abbas S. Salvatoris de Blavia.

Abbas S. Emiliani.

Abbas B. Mariæ de Aquiſtris.

Abbas S. Vincentii de Burgo.

Abbas B. Mariæ Magdalenæ de plana ſylva.

Omnes induti cappis cum baculis paſtoralibus ſive croſſalibus & archidiaconus Blavienſis, & archipreſbyteri ſcilicet Blaviæ, Burgi, & Fronciaci cum ſuperpelliceis, & etiam omnes priores, & rectores cum ſuperpelliceis honeſtis & raſi, & debent habere conſtitutiones, & ſynodales, & provinciales; & ſancta ſynodus debet ita per ordinem incipere per hunc modum.

Primo celebratur miſſa major conventualis. Miſſa celebrata, archidiaconus incipit litaniam, cantando iiſque ad finem de ſingulis ſanctis quatuor vel quinque. Qua finita ſine intervallo ab * *epiſcopos, vel preſbytero Blaviæ, vel ab uno alio preſbytero, incipitur* Veni Creator Spiritus; *& dicitur totum hymnum. Quo finito, dicitur alte cantando verſus* Emitte Spiritum ſanctum tuum, & creabuntur; *& oratio* Deus qui corda fidelium,

* f. ipſo.

Digitized by Google

CAPUT I. De concil. celebratione.

&c. *Poſtea præſentat ſe unus archipreſbyter indutus tunicis ad benedictionem coram Domino archiepiſcopo, ſi intereſt. Et ſi non intereſt ad abbatem S. Romani, tamquam principalem poſt ipſum, quia ſecunda ſedes eſt. Accepta benedictione legitur evangelium alte & honeſte. Et debent eſſe duo cerei accenſi hinc & inde cum thuribulo fumigante, & lectore ipſum incenſando. Quo finito &c. fit ſermo latinis verbis, excluſis laicis, ad omnes qui ſunt in dicta ſynodo. Quo finito ſermone, leguntur conſtitutiones generales, & alia mandata Domini dicti archiepiſcopi & ceter. Et omnes abſentes ſunt contumaces, & puniendi, niſi habeant juſtam, vel juſtas excuſationes, & tunc mittere debent nuncium ſufficientem, qui habeat ipſos excuſare, & hoc tam in ſynodo paſchali, quam hyemali. Qua ſynodus duplicatur quando eſt biſſextus. Si vero ſint aliqui preſbyteri, vel laici ligati caſibus Domini archiepiſcopi, debent ſe ante dictam ſynodum dicto Domino archiepiſcopo, aut ejus locum tenenti præſentare ad dictum locum de Blavia &c. Et omnes intereſſentes in dicta ſynodo habent xl. dies indulgentia pœnitentes vere & confeſſi. Et nota quod in ſynodo paſchali legitur evangelium* Ego ſum Paſtor bonus, *& in hyemale ſynodo* Deſignavit Dominus, lxxii. *Synodus hyemalis celebratur & colitur die Martis ante feſtum apoſtolorum Simonis & Judæ, niſi mutetur. Et ſynodus paſchalis die Martis poſt Dominicam in qua cantatur* Jubilate. *Et hæc facta fuerunt in dicto loco, & præſentibus ſupradictis, & multis aliis, anno Domini* 1003. *in ſynodo paſchali.*

ORDO VIII.

Ex ms. pontificali eccleſiæ Pariſienſis, annorum 300.

INCIPIT ORDO QUALITER SYNODUS AGATUR AB EPISCOPO.

H*Ora diei prima ante ſolis ortum, ejiciantur omnes ab eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam per quam janitores ingredi oportet, Oſtiarii ſtabunt, & convenientes cardinales ſacerdotes cum epiſcopo, introibunt & ſecundum ordinis ſui tempus reſidebunt. Poſt hos ingrediantur & diaconi, qui corona facta in conſpectu epiſcopi & ſacerdotum ſtent. Deinde forenſes ingrediantur preſbyteri in ordine ſuo procul ab aliis ſtantes, & ut juſſi fuerint reſidentes. Ingrediantur quoque ſubdiaconi, quos ad recitandum vel excipiendum congruus ordo requirit; obſeratis januis, & reſidentes in diuturno ſilentio, epiſcopus videlicet & ſacerdotes atque cor totum habentes ad Dominum, dicturus eſt archidiaconus,* Orate. *Et tunc agatur litania, ſtatimque omnes incurventur tam epiſcopus quam preſbyteri orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus. Tunc ſurgens epiſcopus, cunctis adhuc incurvatis, hanc orationem palam fundat ad Dominum.* Adſumus Domine, &c. *Hymnus* Veni Creator Spiritus, &c. *preces* Pater noſter. Ave Maria. *Rurſumque dicat archidiaconus.* Erigite vos. *Confeſtim omnes ſurgant, & ab archidiacono legatur iſtud evangelium ſecundum Joannem.* In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis, ego ſum paſtor bonus.

Bonus paſtor, animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, &c. *Quo perlecto cum timore & diſciplina, tam epiſcopus quam preſbyteri ſedeant; diaconus dalmaticâ indutus codicem canonum proferens; capitula invicem concilii perlegat, & de fide plenum tractatum, qualiter epiſtola* Unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate fideliter venerari, corde credere, ore profiteri & inceſſanter extollere debeant. Ubi ſatis apertè depromitur quomodo Pater & Filius & Spiritus-Sanctus veraciter unus ſit Deus. *Deinde legatur liber officiorum, ut ſcire valeant quo ordine in eccleſia cuncta peragantur officia. Poſt hæc autem perquirantur preſbyteri qualiter energumenos exorciſare, qualiter ſcrutinia & aurium apertiores facere vel eoſdem baptiſare debeant. Quibus expletis taliter cunctos clericos alloquatur epiſcopus.*

Admonitio.

Precibus itaque Deo præmiſſis, fraternitatem veſtram, dilectiſſimi filii, cum pia exhortatione admoneo, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ à nobis de Deo & ſacris ordinibus vel ſanctis moribus diſtincta fuerint, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere ſtudeatis: quatenus, ſuperna auxiliante gratia, ea quæ ad ſalutem noſtram & chriſtiani populi nobis commiſſi pertinere videntur diligenter & provide tractemus, ne oves Domini noſtri Jeſu Chriſti nobis commiſſæ, licet indigne, ob noſtram pereant negligentiam; pro quibus in die judicii rationem reddituri ſumus. Deinde ſimili vos obteſtatione conjuro vel obſecro, ut nemo veſtrum in judicio fratrem ſuum aut perſonam accipiat aut quolibet favore vel munere pulſarus à juſto judicio ſcienter avertatur aut diſcedat; ſed cum tota pietate fraternæ dilectionis & cum Dei timore, libenter vobiſcum adhibeatis ſtudium, quatenus per noſtram doctrinam & ſacram admonitionem, peccata, errores & pravitates filiorum noſtrorum, qui ante nos vel tempore noſtro, inſtigante diabolo, in civitate iſta vel in parrochiis veſtris perpetrata fuerint, Dei auxiliante gratia, ad correctionis emendationem & bonorum executionem perducere valeamus, & in extremo judicii die non de negligentiis & culpis à Domino, ſicut pigri & mali ſervi judicemur, ſed de benefactis & rectè diſpoſitis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur. Per.

Quibus taliter narratis, perſcrutandi & inquirendi ſunt cardinales, ſacerdotes & levitæ, nec non & reliqui; videlicet de credulitate Trinitatis, de dilectione Dei & proximi, de humilitate & caſtitate, de jejunio & oratione, de eleemoſynarum largitate, de officiis eccleſiaſticis, ſimul & omnibus cavendis vitiis & virtutibus adipiſcendis.

His itaque prima die ſynodali judicio deliberatis, ſurgens archidiaconus alta voce dicat: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus in pace. *Tunc dicat epiſcopus benedictionem.*

Benedictio.

Qui diſperſos congregat, ipſe vos hic & ubique cuſtodiat, Amen.

Et non ſolum vos cuſtodiat, ſed ovium ſuarum idoneos cuſtodes efficiat. Amen.

Digitized by Google

Caput I. *De concil. celebratione.*

Et cum ſummo paſtore Chriſto de gregum ſuorum paſtione gaudeatis in cœlo. Amen. Quo ipſe, &c.

Pro synodi secunda die.

Secunda vero die iterum ſimul ingreſſi, ut ſupra dictum eſt, omnibus incurvatis, hæc ab epiſcopo dicenda ſunt.

Noſtrorum tibi Domine curvantes genua cordium, quæſumus, &c. *Tunc ab omnibus reſpondeatur*, Amen. *Surgenteſque, omnibus illis, legatur evangelium ſecundum Matthæum:* In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ, quod, &c. *Vel iſtud ſecundum Lucam.* In illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Eſtote miſericordes, &c.

Poſt hæc per ordinem ſicut prius in ſuis reſideant ſedibus, quos deinde alloquatur epiſcopus. Quibus verbis die ſecunda peractis, perquirantur in ſynodo neceſſaria; & diligenti cura pertractentur: hora autem ſexta vel nona expleta, iterum pronuntiet archidiaconus In nomine, &c. *Tunc dicat epiſcopus benedictionem.*

Benedictio.

Dominus mentis, & linguæ corporalis & ſpiritualis det vobis incrementa gratiæ ſacerdotalis. Amen.

Atque nobis ad dexteram conſtitutis, participium cæleſtis tribuat regni. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui nos ante conſtitutionem mundi prædeſtinatos & ante finem ſæculi juſtificatos, præſcivit, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Die tertia.

Tertia denique die omnibus, prout ſupra dictum eſt expletis, eccleſiamque omnibus ingreſſis, hanc item orationem ipſis incurvatis dicat epiſcopus. Oratio. At te Domine, &c. *Et ſurgentibus illis iterum legatur evangelium ſecundum Lucam.* In illo tempore deſignavit Dominus Deus, &c. *Poſt hæc per ordinem reſideant in ſedibus ſuis, quos iterum alloquatur epiſcopus. His taliter prælibatis, cætera quæ in ſynodo ſunt neceſſaria pertractentur; quibus omnibus expletis, hanc orationem quæ ſequitur ſuper cunctos clericos dicat epiſcopus. Oratio.* Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, &c. *Huic orationi, oratio paterna adjungatur, & cunctis adhuc incurvatis, hæc benedictio ſequens explicetur.*

Benedictio.

Omnipotens Dei Filius, qui eſt initium & finis, complementum vobis tribuat caritatis. Amen.

Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire ſynodi, ab omni abſolutos vos efficiat contagione delicti. Amen.

Et ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus-Sancti, felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi. Amen.

Quod ipſe præſtet, &c.

Hic ſubjungatur Te Deum laudamus. *Quibus expletis, archidiaconus dicat:* In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus in pace. Amen. *Tunc omnes ſurgant & ad propria cum pace redeant.*

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

ORDO IX.

INCIPIT ORDO PROVINCIALIS CONCILII SENONENSIS.

PRimo D. archiepiſcopus debet ſcribere epiſcopo Carnotenſi qui decanus eſt ſuffraganeorum: GUILLELMUS *&c. quare in finem libri. Debet etiam ſcribere archidiacono Senonenſi per hunc modum. Item decanis chriſtianitatis hoc modo. Item die præcedenti diem aſſignatam in litteris prædictis debent ſe præſentare convocati in loco nominato in litteris prædictis coram deputatis per D. archiepiſcopum in propria, vel ſi habeant impedimentum canonicum, per procuratores: ita quod quicumque conſtituentes procuratores cujuſcumque conditionis exiſtant, ſcribant in ſuis procuratoriis ſubjectionem & obedientiam tam debitam quam devotam cum omni reverentia & honore, exceptis epiſcopis, qui dicta die præcedenti diem aſſignatam debent viſitare D. archiepiſcopum. Verum ſi quis epiſcoporum mittat procuratorem, debet ſcribere ſicut alii prædicti, & procurator debet ſe præſentare eiſdem loco & die coram deputatis, ſicut alii prædicti non epiſcopi. In procuratorio omnium ſe excuſantium propter impedimentum canonicum debet contineri quod procurator habeat mandatum & poteſtatem faciendi fidem per juramentum de impedimento canonico quod prætendit. Item die & loco debet D. archiepiſcopus cum ſuffraganeis hora primæ intrare locum concilii cum cappis magnis clauſis & ſutis cum caputiis; & debet locus eſſe ornatus & paratus, & ſupra caput & humeros Domini archiepiſcopi debet eſſe pannus aureus & ad humeros epiſcoporum debent eſſe panni ſericei: in quo loco debent ſic ſedere: D. archiepiſcopus Senonenſis in medio altius. In dextris ſe debunt juxta D. archiepiſcopum Carnotenſis, Aurelianenſis & Nivernenſis. In ſiniſtris Pariſienſis, Autiſſiodorenſis, Meldenſis, Trecenſis epiſcopi. Procuratores vero ſedebunt in ſcabello ſedis Dominorum ſuorum, ſi perſonaliter intereſſent. Decanus autem Senonenſis debet in ſede præcedere omnes alios exiſtentes in concilio, ſi ſit præſens. In ordine vero ſedis procuratores capitulorum præcedant procuratores capituli Senonenſis.*

Sequitur ſermo ex præcepto D. archiepiſcopi faciendus: quo facto, debent omnes exire, niſi vocati vel procuratores ipſorum, exceptis illis qui per D. archiepiſcopum retinebuntur, prout ſibi viſum fuerit expediens & etiam opportunum: & ſuper hoc fiet monitio pro exeundo: & quantum ad remanentes fiet monitio quod agenda & tractanda teneant in ſecreto: forma vero monitionis talis erit: Nos GUILLELMUS Senonenſis archiepiſcopus præſidentes huic ſacro concilio & monemus *&c. quare in fine libri. Quo*

Caput I. De concil. celebratione.

facto, legantur excuſationes, & procuratoria de quibus erit dubium, & poſt abſentes legitime non excuſati, reputabuntur per D. archiepiſcopum contumaces.

Poſtea tractabuntur agenda, & fiet continuatio per D. archiepiſcopum de die in diem uſque ad diem definitionis, ſuper qua continuatione petatur publicum inſtrumentum, ac etiam de omnibus aliis de quibus videbitur D. archiepiſcopo expedire. Et die præcedenti immediate diem definitionis debet D. archiepiſcopus in concilio ſuffraganeorum ſuorum in ipſo præſentium concilium in ſcriptis requirere per hunc modum. Cùm ſemel dioceſes noſtræ provinciæ viſitaverimus, conſilium veſtrum requirimus in his ſcriptis ſuper viſitatione provinciæ noſtræ per nos facienda. *Et ſuper requiſitione hujuſmodi petat publicum inſtrumentum: qua requiſitione facta, ſive ſuffraganei concordem ſive diſcordem, D. archiepiſcopus die diffinitionis procedit ad diffinitionem ſuper hoc faciendam, prout inferius annotatur.*

Die vero diffinitionis omnes in loco concilii hora prima debebunt convenire & de illo loco accedere ad eccleſiam; & in ea debet D. archiepiſcopus cantare primo miſſam: quæ eccleſia debet eſſe parata & ornata pro ut fit in prima receptione ſui proprii prælati. Et erit D. archiepiſcopus cum mitra & pallio; ſuffraganei vero erunt in cappis ſericeis & in mitris melioribus quas habebunt: Abbates autem exempti, ſi qui ſint, habebunt mitras auriphrygiatas, & non habentes laminas, aut gemmas aureas vel argenteas: & non exempti habebunt mitras ſimplices, albas & planas cum baculo paſtorali: abbates vero non mitrati erunt in cappis ſericeis cum baculo paſtorali.

Qua miſſa cantata in ſtatu quo fuit in miſſa accedet ad cathedram ſibi paratam pannis aureis in loco eminenti eccleſiæ & altiori quàm ſit locus epiſcoporum. Qui D. archiepiſcopus ſedebit in cathedra; & tunc debet archidiaconus Senonenſis venire, ſi ſit præſens, vel alius loco ejus cum ſubdiacono, cruce, cereis, libro, thuribulo, & incenſo; & debet petere benedictionem ab archiepiſcopo: qua obtenta, incipiat evangelium: quo incepto, ſurgat D. archiepiſcopus; & eodem evangelio perlecto, ſubdiaconus accipiat librum evangelii, & deferat ad epiſcopum Carnotenſem, ſi ſit præſens, ſeu ad majorem epiſcoporum poſt eum: & tunc diaconus recipiat à manibus ſubdiaconi dictum librum, quem tradat dicto epiſcopo, qui eum D. archiepiſcopo præſentabit ad oſculandum, & tradendo mitram ſuam faciat removeri, & nulli alii tradetur liber hujuſmodi oſculandus.

Quo peracto, ſedebit D. archiepiſcopus, & tunc epiſcopus Carnotenſis, ſi ſit præſens, ſeu major epiſcoporum poſt eum debet incipere iſtam antiphonam: Exaudi nos Domine. *Quære in fine libri. Et incipere pſalmum iſtum:* Salvum me fac, *cum* Gloria Patri, & Sicut erat &c. *tantummodo: deinde reincipere*, Exaudi nos Domine. *Poſtea dicat letaniam. Quære in fine libri. Et poſtquam dixerit*, ut Pontificem noſtrum. *Surgat D. archiepiſcopus & dicat ter cum nota:* Ut huic ſacro præſenti concilio adeſſe digneris: Te rogamus audi nos. *Poſt modum debet D. archiepiſcopus ſedere donec letania fuerit finita per eum qui incœpit. Qua finita, ſurgat D. archiepiſcopus, & ſe proſternat incipiendo:* Veni creator Spiritus. *Quære in conſecratione*

tione altaris. Quo hymno cantato, ille qui incœpit dictam antiphonam Exaudi nos &c. *Debet dicere alta voce* Orate. *Tunc D. archiepiſcopus ſurgat & dicat alte hanc orationem* : Aſſumus Domine, Sancte Spiritus, aſſumus, &c.

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

Deinde ſedeat, & publicentur ſacra ſtatuta provincialia, quæ ſigillis Domini archiepiſcopi & ſuffraganeorum præſentium erunt ſigillata. Qua publicatione facta, D. archiepiſcopus debet ad definitionem procedere ſub hac forma : Diffinivimus in his ſcriptis procedendum eſſe per nos ad viſitationem noſtræ provinciæ faciendam. *Super hoc petat inſtrumentum, & fiat oratio pro vivis, & archiepiſcopus incipiat pſal.* Miſerere mei Deus. *Et totus dicatur* Pater noſter. *Pontifex.* Et ne nos inducas in tentationem. *Circumſtantes.* Sed libera nos à malo. *Pontifex.* Salvos fac ſervos tuos. *Circunſtantes.* Deus meus ſperantes in te. *Pontifex.* Mitte eis auxilium de Sancto. *Circumſtantes.* Et de Sion tuere eum. *Pontifex.* Eſto eis Domine turris fortitudinis. *Circumſtantes.* A facie inimici. *Pontifex.* Domine exaudi orationem meam. *Circumſtantes.* Et clamor meus ad te veniat. *Pontifex.* Dominus vobiſcum. *Circumſtantes.* Et cum ſpiritu tuo. *Pontifex.* Oremus. Deus cui proprium eſt miſereri, &c.

Et poſtea fiat commemoratio pro defunctis archiepiſcopis, & ſuffraganeis, ac abbatibus provinciæ, qui poſt immediate præcedens concilium deceſſerunt, per D. archiepiſcopum, ſuffraganeos, & abbates præſentes, ſeu procuratores eorum, primitus nominandis & etiam pro cunctis perſonis eccleſiaſticis defunctis totius provinciæ Senonenſis, nec non pro omnibus aliis defunctis. Et incipiat D. archiepiſcopus pſalmum De profundis, *&c. uſque in finem* Pater noſter. *Pontifex.* Et ne nos inducas in tentationem. *Clerus.* Sed libera nos à malo. *Pontifex.* A porta inferi. *Clerus.* Erue animas eorum. *Pont.* Oremus pro fidelibus defunctis. *Clerus.* Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. *Pont.* Requieſcant in pace. *Clerus.* Amen. *Pont.* Domine exaudi orationem meam. *Clerus.* Et clamor meus ad te veniat. *Pont.* Dominus vobiſcum. *Clerus.* Et cum ſpiritu tuo. *Pontifex.* Oremus. Deus qui inter apoſtolicos, &c. Fidelium Deus omnium, &c.

Deinde epiſcopus Carnotenſis ſeu major epiſcopus poſt eum dicat ſic : Humiliate vos ad benedictionem. *Tunc dicat D. archiepiſcopus benedictionem quæ ſic incipit* Qui diſperſos Iſraël congregat &c. *Qua finita, dicat epiſcopus Carnotenſis, ſi ſit præſens, ſeu major epiſcopus poſt eum.* Ite in pace. *Tunc D. archiepiſcopus incipiat* Te Deum laudamus. *Deſcendendo de cathedra & eundo ad majus altare, & cantabitur totus* Te Deum. *Perſonis eccleſiaſticis, prioribus, abbatibus, & ſuffraganeis D. archiepiſcopum præcedentibus. Et finito* Te Deum, *ante majus altare dicat D. archiepiſcopus verſiculos* A Domino factum eſt iſtud. *Clerus.* Et eſt mirabile in oculis noſtris. *Pontifex.* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. *Clerus.* A templo tuo quod eſt in Jeruſalem tibi offerent reges munera. *Pontifex.* Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. Actiones noſtras, &c.
Et poſtea omnes recedant, & ubi voluerint tunc accedant.

Digitized by Google

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

INCIPIT ORDO SYNODI.

PRimo debent in media navi eccleſia Senonenſis parari ſedilia cum pannis ſericeis pro præſidentibus in ſynodo, & ſedes D. Pontificis in medio poſita in eminentiori & altiori gradu aliis pannis ſericeis parata; & miſſa primitus celebrata per eum, veniat idem pontifex pontificalibus indumentis cum pallio ut in miſſa indutus ad cathedram. Quo D. archiepiſcopus ſedente in cathedra ſua, præcentore & archidiacono cappis cericeis indutis ſibi ad dextram & ad ſiniſtram partem aſſiſtentibus, & abbatibus in cappis & baculis paſtoralibus, & decanis ruralibus in ſedibus altioribus circumquaque, ceteris vero curatis in inferioribus reſidentibus per plateam, præſentibus, debet archidiaconus Senonenſis venire, ſi ſit præſens, vel alius loco ſui cum ſubdiacono, cruce, cereis, & libro, thuribulo & incenſo, & debet petere benedictionem ab archiepiſcopo: qua obtenta, legit evangelium, Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos &c. *Quo incœpto, ſurgat D. archiepiſcopus, & eodem evangelio perlecto, ſubdiaconus deferat librum ad archiepiſcopum, & tradat archidiacono, & archidiaconus D. archiepiſcopo ad oſculandum; & oſculando mitram ſuam faciat per capellanum ſibi ſervientem removeri, & nulli alii tradatur liber oſculandus.*

Quo peracto, ſedebit archiepiſcopus; & tunc ex præcepto ſuo fiet ſermo; quo facto, debent omnes exire, niſi vocati, vel illi qui per dictum archiepiſcopum retinebuntur, pro ut ſibi viſum fuerit oportunum, & fiet monitio ſuper hoc quod exeant, & quantum ad remanentes fiat monitio quod agenda teneant pro ſecreto. Forma vero monitionum talis erit: GUILLELMUS *&c. quære in fine libri. Quo facto, legantur excuſationes & procurationes de quibus erit dubium, & poſtmodum abſentes non legitime excuſati contumaces reputabuntur.*

Poſtea præcentor incipiat Exaudi. *Et aſſiſtentes decantent pſal.* Salvum me fac *per præcentorem, finiendo per aſſiſtentes. Reincipiat.* Exaudi nos. *Aſſiſtentibus finientibus. Quo facto, præcentor incipiat verſum* Gloria Patri, *cum* Sicut erat. *Et finiant aſſiſtentes, & præcentor reincipiat* Exaudi, *& finiatur per aſſiſtentes. Reſpondeant pari cantu, & poſtquam dixerint ut pontificem, ſurgat D. archiepiſcopus, & dicat ter* Ut huic præſenti ſynodo adeſſe digneris. Te rogamus audi nos. *Et ſic reſpondeant aſſiſtentes. Quo dicto, ſedeat D. archiepiſcopus uſque ad finem. Qua finita, incipiat D. archiepiſcopus* Veni Creator. *Et dicat flexis genibus, mitra depoſita. Quo incœpto, ſtatim reponatur mitra, & reſiduum hymni per aſſiſtentes decantetur. Quo finito, dicat archidiaconus alta voce ſic* Orate. *Et proſtratis omnibus, excepto D. archiepiſcopo & ſervientibus ei, qui dicat hanc orationem:* Aſſumus, *ut ſupra.*

Hoc facto, præcepta publicentur, quibus publicatis, ſurgant omnes, & fiat oratio pro vivis, & archiepiſcopus incipiat pſal. Miſerere, *ut ſupra. Et poſtea fiat commemoratio pro defunctis archiepiſcopis, abbatibus, & curatis diœceſis Senonenſis, qui poſt præcedentem ſynodum deceſſerunt, per D. archiepiſcopum archiepiſcopis, abbatibus per abbates ſeu procuratores, cura-*

Digitized by Google

tis per decanos rurales primitus nominandis, & etiam pro cunctis perſonis eccleſiaſticis defunctis totius diœceſis, necnon & pro aliis omnibus defunctis. Et incipiat D. archiepiſcopus pſal. De profundis, *&c. ut ſupra. Deinde archidiaconus dicat:* Humiliate vos ad benedictionem. *Tunc D. archiepiſcopus faciat benedictionem, ut ſupra. Qua finita, dicat archidiaconus:* Ite in pace.

CAPUT I. *De concil. celebratione.*

Tunc D. archiepiſcopus incipiat Te Deum, *deſcendendo de cathedra, & eundo ad majus altare, & cantabitur totus* Te Deum. *Perſonis eccleſiaſticis, decano, præcentore, archidiaconis, abbatibus, & decanis ruralibus, Dominum archiepiſcopum in ſuo ordine præcedentibus: & finito* Te Deum, *ante majus altare dicat D. archiepiſcopus verſiculos & orationem ut ſupra. Et poſtea omnes recedant; & ubi voluerint tunc accedant.*

CAPUT II.

De depoſitione ſeu degradatione & reſtitutione clericorum.

CAPUT II. *De depoſit. & reſtit. cler.*

I. EA fuit olim eccleſiæ in clericalem ordinem reverentia, ut illi aliquando addictos criminis alicujus reos pœnitentia publica non plecteret; ſed in peccati pœnam depoſitione ſeu ab omni officio clericali ſuſpenſione, degradationem hodierni canoniſtæ appellant, multaret. Hanc autem depoſitionem ſub certis ritibus verbiſque peractam fuiſſe, nullus, ut opinor, dubitat. Sed cum vix ea de re aliquid in vetuſtioribus Ritualibus exſtet: hic ea quæ hoc de argumento inter legendum in antiquioribus ſcriptoribus deprehendere potui, ſubjicere non gravabor.

Depoſitio epiſcoporum per ablationem inſignium ſacerdotalium.

II. Igitur depoſitiones clericorum maxime epiſcoporum ac preſbyterorum per ablationem inſignium ſacerdotalium, quæ præſertim in ordinatione acceperant peractas fuiſſe probat in primis Liberati breviarium cap. 23. ubi Paulum Alexandrinæ urbis antiſtitem per ablationem pallii depoſitum narrat: [Et auferentes, inquit, Paulo pallium, depoſuerunt eum, & ordinaverunt pro illo zoilum.] Et ſynodus ſexta œcumenica Actione 8. Macharium Antiochenum archiepiſcopum Monothelitam de ſede deturbare volens [exclamavit: Hæreticum ſeipſum manifeſte demonſtravit, novo Dioſcoro anathema. Hujuſmodi deponatur, novum Dioſcorum foras mitte, novo Apollinario malos annos, merito ab epiſcopatu alienetur, nudetur circumpoſito ei pallio.] Et Actione 12. de eodem Machario. Juſte ac regulariter à Pontificali habitu denudatum, nullatenus divina regula de cetero ſuſcipit in doctoris ſede reſidere.] De quo etiam liber Pontificalis in Agathone: [Ea hora ſancta

Caput II. De depoſit. & reſtit. cler.

Synodus una cum principe ejus orarium auferri juſſerunt à collo ejus; & exſiliens Baſilius epiſcopus Cretenſis eccleſiæ ejus orarium abſtulit & anathematizantes projecerunt eum foris ſynodum, ſimulque & thronum ejus.] Similiter Acta Stephani papæ III. de depoſitione Conſtantini pſeudopontificis : [Sabbato vero die diluculo ante unam diem ordinationis præfati beatiſſimi papæ Stephani aggregati aliquanti epiſcoporum ſeu presbyterorum & cleri in baſilica Salvatoris, iterum præfatus Conſtantinus ad medium allatus eſt; accedens enim Maurianus ſubdiaconus orarium de ejus collo abſtulit & ante pedes ejus projecit, & compages ejus abſcidit, ſicque alio die Dominico antedictus beatiſſimus Stephanus conſecrationem ſuſcepit pontificatus.] Et Acta concilii Romani ſub Johanne papa XII. Actione 1. de ordinatis à Leone ſchiſmatico pontifice : [Tunc idem benigniſſimus papa præcepit ingredi eos in concilium cum veſtimentis, planetis, atque ſtolis, & unumquemque eorum in chartula ſcribere fecit hujuſmodi verba : Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit, & ſic eos exutos privavit honore, quem dederat eis ipſe invaſor.] Hinc Luitprandus Ticinenſis in Hiſtoriæ ſui temporis libro 6. c. 11. exauctorationem Benedicti papæ quinti factam à pſeudopontifice Leone octavo, cui ille favebat, ſic deſcribit : [Ad Domni Leonis papæ pedes, ipſiuſque imperatoris idem Benedictus concite procidens, ſe peccaſſe, ſeque ſanctæ Romanæ Sedis invaſorem eſſe acclamavit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum pontificali ferula quam manu geſtabat, Domno papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem papa fregit, & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit, cui caſulam quam planetam vocant cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus epiſcopis dixit : Benedictum ſanctæ & apoſtolicæ Sedis Romanæ invaſorem omni pontificatus & presbyteratus honore privamus. Ob eleemoſynam vero domni imperatoris Othonis, cujus ſumus opera in ſedem debitam reſtituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.] In Actis quoque concilii Remenſis ſub Leone papa IX. ubi Nannetenſis epiſcopus ob Symoniæ crimen depoſitus eſt, hæc lego : [Quapropter judicio Synodi, ſublato annulo & paſtorali pedo, privatus eſt pontificali miniſterio, condonato ei, intervenientibus epiſcopis, tantummodo preſbyteratus officio.] Hinc etiam Auguſtodunenſis epiſcopus ob Simoniam ab Hugone Dienſi epiſcopo & ſedis apoſtolicæ legato deponendus [rogabatur ſtolam reddere & annulum,] teſte Hugone Flaviniacenſi in Chronico pag. 258. Et Innocentius ſecundus ordinatos à Girardo Engoliſmenſi in ordinem redigens in Chronico Mauriniacenſi. [Quicumque, inquit, per Girardum Engoliſmenſem ad altaris officium acceſſerunt, apoſtolica auctoritate interdicimus, ne ipſum impleant, & in illo ordinis gradu perenniter demorantes, ad ſuperiorem non aſcendant. His dictis, ſingulos quos reos cognoverat propriis nominibus exprimens, eiſque cum indignatione & jurgio exprobrans, paſtorales baculos de manibus violenter arripuit, & pontificalia pallia, in quibus ſum-

ma dignitas conſiſtit, de humeris verecundoſe abſtraxit. Ipſos quoque annulos in quibus ad ipſos pertinens eccleſiæ deſponſatio exprimitur, ſine reſpectu miſericordiæ abſtulit.] Baculum paſtoralem non ſolum violenter auferebat pſeudopapa Leo VIII. ſed etiam frangebat. Depoſitionem etiam Radulfi abbatis VVeſtmonaſterienſis *fracto ejus ſigillo in capitulo* ſcribit Matthæus *Paris.* Non poſſum hic prætetire id quod Silvæ Tarraconenſis epiſcopi atque Ermemiri ab eo ordinati depoſitione produnt Acta S. Theodardi Narbonenſis archiepiſcopi apud Bollandum die 1. Maii : Deinde factum eſt ut judicio qui aderant epiſcoporum, tam prædictus Silva, quam qui ordinatus eſt ab eo Ermemirus, truncatis in conſpectu omnium ac penitus ſciſſis epiſcopalibus indumentis, baculiſque eorum ſuper eorum capita confractis, necnon annulis ſingulorum ab eorum digitis dedecore cum magno evulſis, ab omni ordine clericatus dejecti ſunt penituſque depoſiti.

CAPUT II. *De depoſit. & reſtit. cler.*

III. Ex hoc loco patet non ſolum detracta fuiſſe olim depoſitorum epiſcoporum ſacerdotalis dignitatis inſignia, veſtem præſertim & baculum, ſed etiam confracta penitus & diſciſſa : id quod amplius patet ex Vita S. Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi, in qua Ebroinus actus ab antiquo ſerpente egiſſe dicitur [ut epiſcoporum conſilio ejus diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc eſſet ei interdictum, ut ultra non præſumeret offerre ſacrificium.] Huc referri debet id quod ſcribit Gregorius Turonenſis Hiſt. Francorum lib. 5. cap. 19. ubi agit de concilio in cauſa Prætextati Rothomagenſis antiſtitis, cujus depoſitionem urgens rex Chilpericus petiit, [ut aut tunica ejus ſcinderetur, aut centeſimus octavus pſalmus qui maledictiones Scarioticas continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut certe judicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret.]

Inſignia ſacerdotalia fracta.

IV. Donatiſtæ quos deponebant epiſcopos, preſbyteros, diaconos decalvabant, abraſa penitus capitis corona : id quod illis exprobrans Optatus Milevitanus, [docete, inquit lib. 2. ubi vobis mandatum eſt radere capita ſacerdotum, cum e-contrario ſint tot exempla propoſita fieri non debere. Hoc Donatiſtarum facinus pluribus urget Optatus ; & tamen eumdem epiſcopos ad ordinem redigendi modum reperimus in ſupracitata S. Leodegarii vita, in qua legimus Didonem [condemnatum ab ipſa ſynodo, calvaria accepta in capite, expulſum.] Sed & S. Fructuoſus Bracarenſis epiſcopus in Regula cap. 16: præcepit [ut Monachus parvulorum aut adoleſcentium conſectator coronam quam geſtat capitis amittat, decalvatuſque turpiter opprobrio pateat.]

Depoſiti à Donatiſtis decalvati.

V. Hæc autem omnia ſub certa verborum forma peracta fuiſſe ex dictis hactenus ſatis colligitur. Scribit Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 24. ſolitos fuiſſe epiſcopos [in omnibus id facere quos deponunt, ut eos quidem probris onerent, & impios eſſe pronuncient, cauſas vero impietatis non exponunt.] Atque ita Ariani in Synodo Tyri ex ejuſdem libri cap. 32. depoſitionis ſententiam adverſus ſanctum Athanaſium tulerunt, [multis eum probris onerantes in depoſitionis libello.]

Depoſitio facta cum aliqua verborum formula.

Digitized by Google

CAPUT II. *De depoſit. & reſtit. cler.*

VI. Quæ hactenus diximus de veſtium ſacerdotalium ablatione confirmantur ex decreto concilii Lemovicenſis II. anno 1031. celebrati, quod eſt hujuſmodi: Quando autem epiſcopus preſbyterum depoſuerit, ſic agat: Jubeat eum prius indui omnibus ſacerdotalibus indumentis, deinde manu ſua auferat ei manipulum, deinde caſulam, deinde mediam ſtolam de collo reflectat ei inter ſcapulas ſub latere dextro: & depoſitus eſt à preſbyteratu in diaconatum.]

Reſtitutio facta per redditionem inſignium ſacerdotalium.

VII. Hæc ſunt præcipua quæ olim in depoſitione ſeu degradatione clericorum obſervabantur. Quæ vero in reſtitutione, paucis tradit concilium Toletanum IV. can. 28. [Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, ſi à gradu ſuo injuſte dejectus in ſecunda ſynodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario, de manu epiſcopi orarium, annulum, & baculum: ſi preſbyter, orarium & planetam; ſi diaconus, orarium & albam; ſi ſubdiaconus patenam & calicem: Sic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.] Quæ totidem verbis extant in Judiciis ſeu Pœnitentiali Gregorii papæ III. cap. 33. conciliorum tom. 6. pag. 1485. Et ſane in octava ſynodo œcumenica epiſcopis qui Photio adhæſerant pœnitentibus S. Ignatius reſtituit ſuper humerale, preſbyteris & diaconis oraria, ſubdiaconis ordinis ſui inſignia. Ut autem ipſa reſtitutio ſolemnior eſſet, publico & patenti in loco peragi ſolebat atque ita Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi reſtitutio facta eſt in Ambone à Nicolao papa I. ipſo die Natalis Domini, ex Vita prædicti Nicolai. Ut autem quæ diximus amplius eluceant, ea quæ hac de re in noſtris mſ. Ritualibus offendimus accipe.

ORDO I.

Ad deponendum ſeu degradandum preſbyterum.

Ex mſ. Pontificali eccleſiæ Rotomagenſis.

HÆC SUNT QUÆ DEBET FACERE ARCHIEPISCOPUS IN DEGRADATIONE PRESBYTERI.

Primo debet eſſe indutus veſtibus pontificalibus, & degradandus eodem modo preſbyteralibus, diaconalibus & ſubdiaconalibus; & debet dicere epiſcopus & proferre iſta verba:

Depono te, & degrado te ab omnibus ordinibus quos habes & ſuſcepiſti.

Idem preſbytero reveſtito ac ſi celebrare deberet epiſcopus utetur iſtis verbis:

Auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali privamus.

Idem de calice quem debet degradandus tenere in manu:

Auferimus tibi calicem iſtum in quo Corpus & Sanguinem Chriſti conſecrabas.

Idem de veſtibus diaconalibus & de libro evangelii:

Auferimus tibi veſtem diaconalem & librum evangeliorum, & te honore diaconali privamus.

Idem de veſtibus ſubdiaconalibus & de libro epiſtolarum:

Auferimus tibi veſtem ſubdiaconalem & librum epiſtolarum, & te honore ſubdiaconali privamus.

Idem de his quæ pertinent ad acolythum, exorciſtam, lectorem & oſtiarium:

Auferimus tibi veſtes & inſignia acolythatus, exorciſtatus, lectoratus, oſtiariatus, & te honore dictorum ordinum privamus.

Ultimo cum devenitur ad clericatum, radetur corona, & dicet epiſcopus:

Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ac noſtra auferimus tibi habitum clericalem, & deponimus & degradamus, ſpoliamus & exuimus te omnium ordinum beneficio & privilegio clericali, ac te dimittimus curiæ ſæculari, erga quam preces noſtras effundimus, & intercedimus efficaciter & inſtanter, ut tibi circa mortis periculum cum omni humanæ pietatis moderamine ſe ſtudeat miſericorditer exhibere.

Auferimus habitum ſeu veſtem religionis & te omni honore & privilegio religionis privamus.

ORDO II.

Ex mſ. Pontificali inſignis eccleſiæ Moguntinæ.

DEGRADATIO ACTUALIS SEU SOLEMNIS PRESBYTERI SEU ALTERIUS CLERICI IN SACRIS ORDINIBUS CONSTITUTI PROPTER HÆRESIM AUT PROPTER ALIUD CRIMEN SÆCULARI CURIÆ RELINQUENDI.

*Convocatis abbatibus aliiſque prælatis & religioſis perſonis ac litteratis, qui ad hoc expedire videbuntur, etiam à ſolo ſuo epiſcopo fiat hoc modo. Clericus indutus veſtibus ſacris ad ſuum ordinem ſpectantibus, ac ſi deberet in ſuo officio ſolemniter celebrare, adducatur ad præſentiam epiſcopi; & tunc calix aut liber ſeu quævis alia, quæ juxta morem officii pontificalis traduntur ab epiſcopo in ordinatione clericorum ſingulariter auferantur. Ita quod ab illo indumento ſeu ornamento quod traditum fuit, ultimo in ordinatione ſua degradatio inchoetur & uſque ad illud indumentum ſeu ornamentum quod in ordinatione ſua primo ſibi tradebatur deſcendendo degradatio continuetur: Sic quod ultimo * tradatur caput degradandi, ne tonſura vel clericatus veſtigium remaneat aliquatenus in eodem. Si preſbyter fuerit, veniat indutus plenis indumentis preſbyteralibus, & portet calicem vacuum in manu ſua. Ad quem epiſcopus primo dicat:* * l. radatur.

O Juda, qui dereliquiſti conſilium pacis, & cum Judæis conſiliatus es, triginta argenteis vendidiſti ſanguinem juſtum, & pacis oſculum

CAPUT II. De depoſit. & reſtit. cler.

gerebas, quod in pectore non habebas, os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnavit dolos.

Poſt hæc auferat calicem à manibus degradandi, & dicat:

Auferimus à te calicem iſtum, & poteſtatem celebrandi deinde miſſam in eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, quod hactenus facere potuiſti.

Poſt exuat eum caſula, & dicat:

Auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali demeritis tuis exigentibus rationabiliter privamus.

Poſtea auferat ſibi ſtolam, & dicat:

Stolam candidam de manu Domini acceptam à te auferimus, ut omnibus vita malæ tuæ converſationis præbeat exemplum, plebſque dicata Chriſti nomine tuam deteſtando malitiam, imitationem poſſit acquirere juſtam. Jugum enim Domini ſuave & onus ejus leve infeliciter neglexiſti.

Poſtea exuatur alba, & depoſito amicto, induatur ſuperpelliceo; & accepta forvice epiſcopus tondeat eum, & dicat:

Hic accipiet maledictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo nullatenus conſequeris.

Poſtea removet ſuperpelliceum ab ipſo, & dicat:

Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ac noſtra tibi auferimus habitum clericalem, & te deponimus, degradamus, ſpoliamus, ac exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio clericali.

Hæc omnia habentur libro ſexto, titulo de pœnis, *capitulo* degradatio. *Si alter clericus non preſbyter degradandus fuerit, idem modus ſervetur, videlicet quod præſentetur in ornamentis pro officio ſuo aptis, & quod ultimum fuerit in collatione ſui ordinis, ſit primum in ablatione degradationis, uſque ad ultimum de officio clericatus ſuperpoſitum incluſive.*

ORDO I.

Reſtitutionis clericorum in eccleſia Sagienſis.

Ex ms. codice bibliothecæ regiæ num. 3866.

AD GRADUS ECCLESIASTICOS REDDENDOS.

Sancta Salarienſis eccleſia atque epiſcopalis auctoritas tibi concedunt fieri in ordine oſtiariorum, lectorum, exorciſtarum, acolythorum; vel reddunt licentiam apoſtolicum legendi evangelium, vel licentiam peragendi ſacerdotale officium. Recipe iſtud orarium ut habeas licentiam legendi evangelium. Recipe hanc planetam ut poſſis legaliter celebrare miſſam.

ORDO

ORDO II.

Ad reconciliandos ſacros ordines.

Ex mſ. Pontificali Arelatenſi.

INCIPIT ORDO AD RECONCILIANDOS SACROS ORDINES PER IMPOSITIONEM MANUS ARCHIEPISCOPI.

R*Econciliatio à jejunis debet accipi, & à jejuno epiſcopo fieri: & fiat in eccleſia ubi ordinationes graduum diſtribuuntur, & non ſolum poteſt fieri in quatuor temporibus, ſed & in aliis temporibus anni, & non ſolum in ſede, ſed & in aliis locis ubi epiſcopus elegerit.*

In primis illis clericis genuflexis ante archiepiſcopum qui digni fuerint ſuſcipere ejus manus impoſitionem, ter dicetur ab archiepiſcopo ſ. Deus in adjutorium, Gloria Patri, Kyrie eleiſon. *Ter deinde dicatur:* Pater noſter. Salvos fac ſervos. Mitte eis. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Deus qui in ſancto habitas & pia corda non deſeris, ſuſcipe propitius orationem noſtram, & hunc electum tuum famulum tuum quem delictorum cathena conſtringit miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per.

Tunc in reſtitutione minorum ordinum, manu ſuper impoſita, archiepiſcopus dicat:

In nomine Domini ego N. licet peccator tamen archiepiſcopus auctoritate archiepiſcopali à Deo mihi commiſſa, quamvis immeritò, per hanc noſtram manus impoſitionem reſtituo te, cariſſime frater, in ordinem gradus Oſtiarii, vel Lectoris, vel Exorciſtæ atque Acolythi, ut amodo digne poſſis cuſtodire oſtia dômus Domini cum omnibus quæ infra retinentur, & diſtincte legere de codice, audiente populo Dei, & âb hinc habeas poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos vel cathecumenos ſive baptizatos, & ut ab hac hora & deinceps digne poſſis accendere luminaria eccleſiæ, & ante evangelium deportare, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat.

Et benedicat eum dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper.

In reconciliatione pontificis melius debet conjungi ſubdiaconatus gradui diaconi vel preſbyteri, cum quibus una tenetur regula, quam cum illis quatuor ſupradictis minoribus. Nam licet impoſitio manus pontificalis non fiat in diſtributionibus quinque graduum ſuperiorum, tamen in reconciliatione debet fieri, ſine qua rite non fit reconciliatio.

Reconciliatio ſubdiaconi fiat, ſicut ſuperius ſcriptum eſt de quatuor minoribus gradibus, ſcilicet ut prius dicatur ab epiſcopo: Deus in adjutorium,

Gloria, Kyrie. *Oratio.* Deus qui in ſanctis habitas. *Poſtea impoſita manu, dicat archiepiſcopus.*

Caput II. *De depoſit. & reſtit. cler.*

In nomine Domini ego N. licet peccator, tamen archiepiſcopus reſtituo te in gradum ſubdiaconatus, ut amodo poſſis legere prophetiam digne, & epiſtolas ad miſſas, & digne poſſis miniſtrare diacono ac preſbytero vel epiſcopo, atque offerre eis immaculatam hoſtiam ad altare Dei, caſte vivendo, quia ſcriptum eſt: *Mundamini qui fertis vaſa Domini. Et benedicat ut ſuperius.*

Reconciliatio diaconi fiat, ſicut de ſubdiacono, ſcilicet ut ter dicatur: Deus in adjutorium, *cum* Gloria, Kyrie. *Oratio.* Deus qui in ſanctis. *Poſtea ſubjungatur.*

In nomine Domini ego N. licet peccator, tamen archiepiſcopus per hanc noſtram manus impoſitionem reſtituo te in gradum diaconatus, ut caſte vivendo ab hinc poſſis digne evangelicam lectionem legere, & miniſtrare preſbytero vel epiſcopo, & effundere aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti. *Et benedicat ut ſuperius.*

Reconciliatio preſbyteri fiat ſicut de diacono, ſcilicet ut ter dicatur: Deus in adjutorium *&c. ut ſupra. Oratio.* Deus qui in ſanctis. *Poſtea ſubjungat.*

In nomine Domini ego N. quamvis peccator, tamen archiepiſcopus per hanc noſtræ manus impoſitionem reſtituo te in gradum preſbyteratus, ut caſte vivendo amodo poſſis canere miſſas pro vivis ac defunctis & acceptabiles hoſtias offerre Deo & miniſterium preſbyterale devote perficere, præſtante Domino. *Et benedicat ſicut ſuperius.*

CAPUT III.

De clamore pro tribulatione.

Caput III. *De clamore pro tribulat.*

I. QUÆ graviora in clericis crimina depoſitione multavit pia mater eccleſia, adverſus perſecutores ſuos clamorem pro tribulatione cenſuraſque adhibuit. Hæc nimirum arma fuere, quibus illatam ſibi plerumque à ſæculi poteſtatibus vim repreſſit, non vim vi repellens, ſed lacrymas luctum furori opponens.

Clamor pro tribulatione quid.

II. Clamorem autem pro tribulatione vocabant nonnullas preces aut imprecationes quas ſacerdos inter ſacroſancta miſſarum ſolemnia poſt Dominicam orationem ſanctam in manibus tenens euchariſtiam publice proferebat. Has preces comitabatur univerſalis eccleſiæ luctus, quem in extinctione luminarium in templis accendi ſolitorum, denudatione altarium, aut cilicio lugubrive quo obvolvebatur tegumento, ſacrarum reliquiarum aut ſanctarum imaginum in terram depoſitione,

Digitized by Google

De clamore pro tribulat.

officio ac cantu ſubmiſſo aliiſque hujuſmodi triſtitiæ argumentis palam faciebat. Quæ quidem omnia hodiernis ritibus aſſuetis videri poterunt inſolita. Sed tamen à ſanctioribus viris olim ſumma cum religione frequentata. Hinc cum Baſiliſcus tyrannus ſynodum Calchedonenſem ab omnibus rejici imperaſſet; [Acacius ſemetipſum & cathedram atque altare nigris veſtibus obtexit,] teſte Theodoro Lectore lib. 1. Hiſt. Simili modo cum Comatharius comes Agathenſis eccleſiæ agrum pervaſiſſet, Leo illius ſedis epiſcopus, referente Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 78. proſtratus in oratione vigilias celebravit, ac noctem totam in lacrymis, precibus impendit: [Mane autem facto, inquit Gregorius, accedit ad lichnos, qui de camera ad eccleſiam dependebant, extendenſque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens: Non hic accendetur lumen, donec ulciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res domus ſuæ.] Quæ res Leoni pro voto ceſſit. Eadem arte uſum fuiſſe epiſcopum Aquenſem adverſus injuſtam eccleſiæ ſuæ vexationem prodit idem ſcriptor in libro de Gloria Confeſſorum cap. 71. Nam [proſtratus in oratorio coram ſepulcro ſancti (Metriæ,) dicto pſalmi capitello, ait: Non hic accendatur lumen, neque pſalmorum modulatio canetur, glorioſiſſime ſancte, niſi prius ulciſcaris ſervos tuos de inimicis ſuis, reſque violenter ablatas eccleſiæ ſanctæ reſtituas. Hæc cum lacrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum projecit, egreſſuſque clauſis oſtiis, ſimiliter in egreſſu alias collocavit. [Tradunt Annales Fuldenſes ad annum 878. quod propter vim à Lantberto & Alberto Johanni papæ illatam, [idem pontifex domum S. Petri ingreſſus, omnes theſauros quos ibi reperit ad Lateranis tranſtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, cuncta oſtia ejuſdem eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt.] His haud abſimile eſt illud quod narrat Ordericus Vitalis lib. 8. hiſt. ad annum 1090. quod ſcilicet cum Hoëllus Cenomanenſis antiſtes ab Helia de Flechia comprehenſus, & in carcerem conjectus eſſet, [Eccleſia dicti pontificis ſuæ afflictioni condoluit, Dominique ſanctas imagines cum crucibus & ſanctarum ſcrinia reliquiarum ad terram depoſuit, & portas baſilicarum ſpinis obturavit, à clangore ſignorum celebrique cantus ſolitiſque ſolemniis ut vidua mœrens ceſſavit, lacrymiſque vacavit.]

III. Atque hujuſmodi ritus non ſolis primis eccleſiæ ſæculis aut proxime ſecutis obtinuerunt, ſed etiam poſterioribus. Sane ſæculo XIII. mediante aut circiter adhuc vigebant, ut patet ex Mauricii Rothomagenſis archiepiſcopi epiſtola ad univerſos decanos, edita Spicilegii tomo 2. quam hic integram referre non abs re erit:] Cum bona, inquit, Rothomagenſis eccleſiæ, quibus nos pro voluntate ſua minus juſte excellentia regia ſpoliavit, & ob reverentiam B. Mariæ in cujus honore eadem eccleſia dignoſcitur eſſe fundata, eidem fuerint ab antiquo collata, noſque regiam majeſtatem de novo duxerimus requirendam, ut eadem bona nobis reſtituere dignaretur, qui nec ſolum monitioni no-

CAPUT III. *De clamore pro tribulat.*

ſtræ ſatisfacere non curavit, ſed nec ſuper hoc certum voluit dare reſponſum: Vobis in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus; quatenus cum prædicta violentia in injuriam B. Mariæ Virginis ſpecialiter redundare noſcatur, & ut offenſa, quæ eidem in hac parte irrogatur, in cælis circa imagines ipſius repræſentetur in terris, vos univerſas imagines Beatæ Virginis in eccleſiis veſtrorum decanatuum collocatas, ſingulas juxta aliquod altare in navi eccleſiæ conſtitutum, non ad terram nudam, ſed ſuper cathedram aliquam, ſedem aut ſellam, aut ſi forte eccleſia in navi altare non habuerit, in aliquo loco competenti ipſius navis per earumdem eccleſiarum preſbyteros faciatis infra inſtans feſtum N. collocari. Eaſdem item imagines ſpinis immediate circumdari, & aliquibus repagulis aut obſtaculis ne ab aliquo contingi aut ſordidari contingat, eaſdem circumvallari cum debita diligentia faciatis. Hoc autem tam in regularibus quam ſæcularibus eccleſiis præcipiatis inviolabiliter obſervari. Hoc idem etiam de imaginibus Salvatoris à quindena ejuſdem N. Dominicæ faciatis, niſi infra eamdem quindenam à nobis aliud receperitis in mandatis.] Ex hac apparet epiſtola antiquum quo de agimus hic uſum ad uſque Mauritii tempora perſeveraſſe in diœceſi Rotomagenſi quamvis aliquo modo temperatum. Nam antiqui non ſuper cathedram, ſed ad nudam humum imaginem B. Mariæ depoſuiſſent. Integer tamen adhuc poſt Mauritium vigebat in Metenſi, ut diſcimus ex Chronico Senonienſi libro 5. cap. 7. ubi propter illatas monaſterio injurias à Domino de Salmis, memorantur monachi [cum magno fletu & altis ſuſpiriis ſacratiſſimas imagines Redemtoris noſtri, & etiam Beatiſſimi Simeonis confeſſoris, ſeptimi à B. Clemente Metenſis epiſcopi, multis miraculis decorati, de locis ſuis ad terram ſuper ſpinas] depoſuiſſe, præfatum Dominum de Salmis excommunicatum denunciaſſe ac demum ad majorem miſſam ante *Agnus Dei* genuflectentibus omnibus à diacono quotidie ante altare proclamationem illam *In ſpiritu humilitatis* recitaſſe.

Clamorem hujuſmodi ſequi ſolebat ultio divina.

IV. Cæterum hæc omnia non fruſtra fiebant; ſed niſi acceſſiſſet in perſecutoribus ſtatim aliqua emendatio, eccleſiæ miniſtrorumque ejus vota ultio divina plerumque ſubſequebatur. Audi quid in ſimili facto Imperatori Teutonico contigiſſe ſcribit Sugerius in Vita Ludovici Groſſi; nimirum [de die in diem declinans, infra anni circulum extremum agens diem, antiquorum verificavit ſententiam, neminem nobilem aut innobilem regni aut eccleſiæ turbatorem, cujus cauſa aut controverſia ſanctorum corpora ſubleventur, anno fore ſuperſtitem, ſed vel intra deperire.] Plura his addere ſuperſedeo quoniam hoc argumentum alias à me tractatum eſt in libro 5. de antiquis monachorum ritibus cap. 16. Ut tamen ea quæ diximus amplius eluceſcant ea quæ hac de re reperi in antiquo codice eccleſiæ Turonenſis & in Rituali eccleſiæ S. Martini lubens ſubjiciam.

ORDO I.

Ex antiquo libro Sacramentorum inſignis eccleſiæ Turonenſis S. Gatiani ante annos 800. ſcripto.

CLAMOR PRO TRIBULATIONE.

ANtequam Agnus Dei *dicatur, ſacerdote ante altare in terram proſtrato, diaconus ſtans ante altare dicat:*

In ſpiritu humilitatis & in animo contrito, ante ſanctum altare tuum, & ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem tuum, Domine Jeſu Redemtor mundi, accedimus; & de peccatis noſtris pro quibus juſte affligimur, culpabiles contra te nos reddimus. Ad te, Domine Jeſu, venimus; ad te proſtrati clamamus; quia viri iniqui & ſuperbi ſuiſque viribus confiſi undique ſuper nos inſurgunt, terras hujus ſancti atrii tui ceterarumque tibi ſubjectarum eccleſiarum invadunt, deprædantur, vaſtant; pauperes tuos cultores earum in dolore & fame atque nuditate vivere faciunt, tormentis etiam & gladiis occidunt; noſtras etiam res, unde vivere debemus in tuo ſervitio, & quas beatæ animæ huic loco pro ſalute ſua reliquerunt, diripiunt, nobis etiam violenter auferunt. Eccleſia tua hæc, Domine, quam priſcis temporibus fundaſti & ſublimaſti in honore & nomine ſanctæ tuæ genitricis, & ſancti Mauritii omniumque ſanctorum, ſedet in triſtitia: non eſt qui conſoletur eam & liberet, niſi tu Deus noſter. Exurge igitur, Domine Jeſu, in adjutorium conforta nos, & auxiliare nobis. Expugna impugnantes nos N. Frange etiam ſuperbiam illorum qui tuum locum & nos affligunt. Tu ſcis, Domine, qui ſunt illi; & nomina eorum & corda antequam naſcerentur tibi ſunt cognita. Quapropter eos, Domine, ſicut ſcis juſtifica in virtute tua, fac eos recognoſcere, pro ut tibi placet, ſua malefacta; & libera nos in in miſericordia tua. Ne deſpicias nos, Domine, clamantes ad te in afflictione, ſed propter gloriam nominis tui & miſericordiam qua locum iſtum fundaſti, & in honore ſanctæ tuæ genitricis Mariæ, & ſancti Mauritii, omniumque ſanctorum ſublimaſti, viſita nos in pace, & erue nos à præſenti anguſtia. Amen.

ORDO II.

Ex ms. Rituali S. Martini Turonenſis cap. 179.

DE UTROQUE CLAMORE ET OFFICIO BASSO.

QUando de aliquo malefactore non poteſt eccleſia habere emendam, ad miſſam poſt Pater noſter, *antequam dicatur* Pax Domini, *dicit diaconus clamorem parvum, ſcilicet:* Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſolus

CAPUT III. De clamore pro tribulat.

reſpicis affectiones hominum & peccata. *Et quando dicitur, ſtant omnes ad terram; & etiam preſbyter genuflexo ante altare tenens in manibus Corpus Domini. Qua dicta, dicunt pſalmum* Ad te levavi; *& ſonant clericuli campanas chori, & poſt dum preſbyter capitula & collectam ſcilicet* Hoſtium noſtrorum; *qua dicta, dicunt omnes alta voce* Amen.

DE MAGNO CLAMORE ET RELIQUIIS AD TERRAM POSITIS.

AD aggravandum manum eccleſia, quandoque deſeritur officium altum, & fit ſubmiſſa voce officium: quod debet fieri in hunc modum. Omnes clerici deſcendunt de ſtallis ſuis ad terram, & in ordine dicitur totum ſubmiſſa voce, nec finiuntur antiphona cum neuma, nec incenſatur: Septimanarii accendunt duplum tantummodo & extingunt, & ſonant in cappa chori, nec offerunt duplum clerico, nec acce[n]duntur cerei in raſtro, & hebdomadarius dicit, Benedicamus *& verſiculos, & fit miſſa ſine ordine: & debent eſſe clerici in preſbyterio, & juvenes circa altare, & clericuli in choro ſedere; ſed diaconus & ſubdiaconus dicunt epiſtolam & evangelium in ſuppelliceis, & alia omnia cantantur inſimul; & ſic fit in omnibus miſſis privatis, & ſonatur tantummodo ad horas omnes campana chori, qua vocatur* IRATA. *Et ſi oporteat quod corpora ſanctorum ſint humi repoſita, fit in hunc modum: Poſt primam claſſico ſonante campanarum, veniunt omnes in chorum, & incipiunt vii. pſalmos cum letania; & tunc vadunt majores perſona cum miniſtris eccleſia, & ponunt ad terram ante formam ſubdecani crucifixum argenteum & omnes capſas ubi ſancti requieſcunt, & ſpinas deſuper capſa B. Martini in loco ſuo cooperta, & ſpinis circumdata; & in medio navis eccleſia ponunt crucifixum ligneum ſpinis undique coopertum, omnibus portis eccleſia ſpinis fortiter obſeratis, parvo oſtio ibi relicto. Luceſcente die debent ſonari matutina, & poſt dicuntur inſimul Prima, Tertia, miſſa & Sexta; & ad miſſam poſt* Pater noſter *antequam dicatur* Pax Domini, *dicit diaconus* Clamorum magnorum, *ſcilicet* In ſpiritu humilitatis, *& ſunt omnes ad terreiam in choro, & preſbyter ante altare tenens manibus Corpus Domini. Qua dicta dicunt pſalmum* Quid gloriaris, *& ſonant clericuli campanas; & juvenes omnia magna ſigna: poſt dicuntur capitula cum collectis, & ad omnia reſpondet chorus alte. Sero dicuntur hora inſimul ſimiliter.*

Googl

CAPUT IV.

De formula & ritu promulgandæ excommunicationis.

CAPUT IV. *De formula excommunicat.*

I. NON ſolo pro tribulatione clamore illatam ſibi à ſæculi poteſtatibus vim repreſſit eccleſia, ſed ubi illos humilitate & orationibus flecti non poſſe animadvertit, ſuarum etiam in eos vibravit cenſurarum jacula, maxime excommunicationis, poſtulante id æquitatis ratione; ut qui prece & exhortationibus ad meliorem frugem reduci nequeunt, ſeveriorem diſciplinæ caſtigationem experiantur; & qui levioribus remediis non curantur, aſperiora tandem aliquando ſentiant. Solebant autem epiſcopi in frequenti populo infra miſſarum ſolemnia perſecutores eccleſiæ excommunicatos denunciare, idque poſt pronunciatum à diacono evangelium. Hincmarus tamen Remenſis archiepiſcopus epiſt. 7. tom. 2. preſbyteris ſuis mandat, ut excommunicationem adverſus quoſdam deprædatores, non poſt evangelium, ſicuti mos erat, populo denunciarent; ſed ſtatim poſt epiſtolam; quia nonnulli ejus criminis rei lecto evangelio protinus ab eccleſia recedebant. Communis tamen eccleſiæ conſuetudo habebat, ut excommunicati poſt evangelium denunciarentur, cujus rei praxim videre eſt in Chronico Hugonis Flaviniacenſis p. 201. ubi Hugo Dienſis epiſcopus Stephanum Podienſem antiſtitem poſt evangelium excommunicaſſe legitur.

Excommunicationis poſt evangelium promulgatæ.

II. Ut autem faciliori negotio cunctis innoteſcerent excommunicati, in ambone alta & diſtincta voce audientibus cunctis pronunciabantur. Ita Johannes papa VIII. Photium C. P. patriarcham à fidelium communione præſcindere cupiens [cum accepiſſet evangelium, & ambonem conſcendiſſet, omnibus audientibus, ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium divina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus & Hadrianus prædeceſſores mei, anathema ſit.] Sicuti videre eſt apud Baronium ad annum 880. n. 11 In concilio Lemovicenſi II. anno 1031. celebrato decernitur, ut cum epiſcopus [quemlibet excommunicaverit, eat publicè ad oſtium eccleſiæ, & oſtium * pro eo claudat. Dum abſolverit, ambulet cum eo uſque ad portas eccleſiæ, & aperiat ei ut ingrediatur.] De excommunicatione plura dicere ſuperſedeo cum plura hoc de argumento apud canoniſtas legi queant, quæ ab eis accuratius tractata reperiuntur, unum hic dumtaxat addo, non ſolum in homines, ſed in dæmonem ipſum aliquando fuiſſe vibrata excommunicationis fulgura, id quod ſemel feciſſe S. Bernardus narratur in ejus vita ab Alano ſcripta cap. 21. Quanam ſanctus ille uſus fuerit formula reſcire optaremus. Interim nonnullas quas in antiquioribus mss. deprehendimus accipe.

Idque in ambone.

* *f.* poſt eum.

Caput IV. *De formula excommunicat.*

FORMULA I. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis, ante annos 900. *exarato.*

Sic maledicendi sunt omnes resistentes Dei omnipotentis voluntati, et sanctæ Dei ecclesiæ ab ore beati Petri apostoli, principis Apostolorum, et omnium aliorum episcoporum sui subsequentium.

DIvinitatis ſuffragio Lanaletenſis monaſterii epiſcopus omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus notum ſit, quia quidam homines raptores perverſa cupiditate incitati, poſtpoſito Dei timore, pene res omnium eccleſiarum invadere non timuerunt; quibus interdiximus multis vicibus cum illorum fautoribus, & intercedendo comminantes, ne ulterius quicquam de rebus præfatarum uſurparent eccleſiarum, ſed à tam perverſa præſumptione reſipiſcerent: quibus parere contemnentes, præfatas res more lupi crudeliter lacerare non deſiſtunt: quos patienter ſuſtinere diſponentes, eos ſæpius ut ad emendationem veniſſent vocavimus, & ut reſipiſcerent juſſimus. Quia ergo vocati bis terque Deum inhonorare non timuerunt, canonica ſtatuta contempſerunt, & adhuc in ſua contumacia perſeverant, omneſque de hac ſcelerata iniquitate fautores, ex autoritate in nobis à Deo collata, de Deo Patre, & de Filio ejus & de Spiritu Sancto & de virtute ſanctæ Mariæ & angelorum ſuffragiis & apoſtolorum & prophetarum adjutoriis, & de martyrum & confeſſorum atque virginum meritis, & omnibus epiſcopis & canonum ſtatutis excommunicamus, & à liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ ſegregamus, & à cœtu Chriſtianorum efficimus; & niſi cito reſipuerint, & noſtræ mediocritati quam læſerunt ſatisfecerint, æterna maledictione eos confundimus, & perpetuo anathemate condemnamus. Iram ſuperni judicis incurrant, ab hæreditate Dei & electorum ejus alieni exiſtant, & neque in præſenti tempore communionem cum chriſtianis habeant, neque in futuro cum Deo & ſanctis ejus partem obtineant; ſed cum diabolo & miniſtris ejus ſocientur, & pœnas ultricis flammæ cum ſempiterno luctu poſſideant. Cælum & terram exoſi habeantur, & gehenni ſupplicio crucientur in ſæculo. Maledicti ſint in domo. Maledicti in agro. Maledicta eſca ventris eorum & fructus. Maledicta ſint omnia quæ poſſident à cane qui illis latrat uſque ad gallum qui illis cantat. Sitque pars eorum cum Dathan & Abiron quos infernus deglutivit viventes, & cum Annania & Saphira qui apoſtolis Domini mentiti fuerunt, ſtatimque mortui ſunt, & cum Pilato & Juda traditore Domini: nec habeant alteram quam aſinorum ſepulturam, & ſic extinguetur lucerna eorum in mediis tenebris. Amen.

FORMULA

FORMULA II. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex mſ. codice Gemmeticenſi cujus caracter ſæculum XI. ſapit.

Maledictio.

MUltæ malignitatis factores, ac per hoc multiplicis nequitiæ participes pro ſuo malitioſo facto hic denotamus in publico, qui juxta patris ſui diaboli peſſimam voluntatem, Deum omnipotentem non credentes, ſed deridentes, nihil contra ſe potentem neque propter ſanctorum honorem vel animarum ſalutem à malitia ſua recedentes, hujus ſanctæ Dei eccleſiæ quietudinem perturbare non timuerunt, ſuamque in nos pro libitu feritatem crudeliter exercuerunt: Qui ſicut digni ſunt, & quia nobis niſi à Deo adjutorium non eſt, maledictionis iſtius vinculi adſtringuntur, & verba divinæ ultionis in eos inferuntur. Maledicat & deſtruat eos Michael cum omnibus angelis, & cum diabolo & ſociis ejus projiciat eos de regno cœlorum. Maledicat & deſtruat eos ſanctus Petrus cum omnibus apoſtolis & ſecundum poteſtatem quam accepit à Domino alliget eos in hoc ſæculo, & diſperdat in futuro. Maledicat & deſtruat eos ſanctus Stephanus cum omnibus martyribus, & ſuperbiam eorum convertat in humilitatem irrecuperabilem. Maledicat & deſtruat eos ſanctus Martinus cum omnibus confeſſoribus ac ſacerdotibus, & eos faciant ſocios in inferno ſanctæ eccleſiæ hæreticis perverſoribus. Maledicat & deſtruat eos ſancta Dei genitrix Maria cum omnibus virginibus, & in gehennam perdat eos cum eccleſiæ perturbatoribus. Maledicant & deſtruant eos omnes ſancti Dei & in tormentis faciant cruciari cum omnibus bonorum hominum detractoribus & perſecutoribus. Veniat illis ultio quam Dathan & Abiron ſuſtinuerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Aperta eſt terra & deglutivit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron.* Ita iſti ſint per ſæcula maledicti, & oratio eorum fiat in peccatum. Cum judicantur exeant condemnati, fiant dies eorum pauci, & diabolus ſtet à dextris eorum, & diſperdat de terra memoria eorum.

Nunc ergo auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti ſanctorum canonum ſint maledicti, & ſine vituperantia damnati, & à conſortio ſanctorum omnium & chriſtianorum hominum ſeparati. Non ſit qui miſerentur illis: ſi infirmantur, non viſitentur, non eorum confeſſio recipiatur, non Deus pro illis oretur, non communicentur, non ſepeliantur; ſed quia voluerunt, Dei poteſtatem non intelligentes, inſenſibiles fieri, ut canes caninas habeant ſepulturas, & cum diabolo & ſociis ejus pereant in inferni tormentis. Ita igitur ſint damnati, & in præſenti & in futuro, niſi venerint ad pœnitentiam & emendationem, ſic extinguatur lucerna eorum in perpetuum. Amen. Fiat. Fiat.

CAPUT IV. *De formula excommunicat.*

FORMULA III. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex eodem ms. codice.

IN *primis dicatur pſ.* Domine quid multiplicati ſunt. Uſquequo Domine. Ad te Domine levavi. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Capitulum.* Domine non ſecundum. Et veniat ſuper nos. Eſto nobis Domine. Dominus vobiſcum.

In ſpiritu humilitatis & in animo contrito ante ſanctum altare tuum & ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem tuum, Domine Jeſu Chriſte Redemptor mundi, accedimus; & de peccatis noſtris, pro quibus juſte affligimur, culpabiles contra te nos reddimus. Ad te rex cælorum & terræ, judex vivorum & mortuorum, nos ſervi tui preces humiliter dirigimus. Ad te, Deus pietatis immenſæ, animas oculoſque noſtros in tribulatione levamus, ſummum qui es refugium pauperum & invicta defenſio ſemper in te ſperanrium: tu enim Deus eccleſiæ tuæ miniſtros ea auctoritate diſpoſuiſti, quatinus ſub alis miſericordiæ tuæ ſemper eos protegas, & clipeo virtutis tuæ jugiter defendas, atque res ipſorum diripientium vindictam tibi reſervari jubeas, prophetico ore unicuique fidelium loquens: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te & honorificabis me*, ſuccurre nobis, Domine, per interceſſionem tuæ matris ſanctiſſimæ & intemeratæ Virginis Mariæ omniumque ſanctorum quorum corpora vel reliquiæ in hac continentur eccleſia. Ecce Deus omnipotens in præſentia Corporis & Sanguinis tui clamorem fundimus nos ſervi tui, ad te toto corde confugientes, & in nullo alio niſi in te ſolo Deo vivo & vero ſpem habentes. Facti enim ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & inluſio his qui volunt nos perdere & hereditatem tuam delere. Exurge igitur Domine Jeſu in adjutorium noſtrum, conforta nos & auxiliare nobis, expugna in miſericordia & pietate impugnantes nos. Converte in humilitatem & emendationem ſuperbiam illorum qui tuum locum & nos affligunt. Tu ſcis, Domine, qui ſunt illi, & nomina eorum, corpora quoque eorum, & corda antequam naſcentur tibi ſunt cognita: quapropter eos, Domine, ſicut ſcis & vis juſtifica in virtute tua, fac eos recognoſcere prout tibi placet ſua malefacta & libera nos in miſericordia tua. Ne deſpicias nos, Domine, clamantes ad te in afflictione, ſed propter gloriam nominis tui, & miſericordiam qua locum iſtum fundaſti in honore ſancti Petri apoſtolorum principis & ſancti Philiberti ſublimaſti, viſita nos in pace & erue nos à præſenti anguſtia. Converte ergo luctum noſtrum in gaudium, ut de omni tribulatione & anguſtia liberati laudemus nomen tuum quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. *Reſpondeant omnes.* Amen.

Deus qui culpas noſtras piis verberibus percutis, ut nos à noſtris iniquitatibus emundes, da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius conſolatione gaudere. Per.

Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus-Sancti & ſanctorum apoſtolorum & ſanctorum canonum & noſtri miniſterii Excommunicamus, & anathematizamus, & à liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ ſequeſtramus N. ill. ut non habeant partem cum Deo, neque cum angelis ejus, neque cum ſanctis ejus, quorum contemtores eſſe probantur, & niſi reſipuerint, & ad ſatisfactionis & emendationis remedium confugerint; ſic extinguatur lucerna eorum in ſecula ſæculorum. Amen.

CAPUT IV. *De formula excommunicat.*

FORMULA IV. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex tribus mss. codicibus Noviomenſi, Regio, & Vindocinenſi annorum 600.

EXCOMMUNICATIO LEONIS PAPÆ.

LEO epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis fratribus & filiis, archiepiſcopis, atque ſuffraganeis eorum, abbatibus & monachorum congregationibus in Francia commanentibus ſalutem perpetuam. Indicatum eſt nobis, filii cariſſimi, quod in veſtris regionibus malignorum hominum perverſitas crevetit; ita ut tes veſtras in ſuis pravis uſibus redigere cupiant. Quapropter auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus-Sancti Paracliti, atque ex vice B. Petri apoſtoli, nec non & B. Mariæ matris Domini, & per B. Apoſtolos, martyres & confeſſores ac virgines excommunicamus eos & maledicimus, qui poſſeſſiones ſervorum S. Petri & quidquid ad vos pertinet tollunt, cum Juda proditore qui Dominum pretio vendidit. ℟. Amen.

Fiant filii eorum orphani & uxores eorum viduæ, nutantes transferantur filii eorum & mendicent, ejiciantur de habitationibus ſuis, ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eorum, & diripiant alieni labores eorum. Et iterum omnes qui dixerint hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam; & ſicut ſtipulam ante faciem venti. ℟. Amen.

Sicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes; ita perſequeris eos in tempeſtate tua, & impleas facies eorum ignominia: ita ut erubeſcant, & confundantur, & pereant. ℟. Amen.

Sintque maledictiones illæ quas Dominus ſuper filios Iſraël per Moyſen promulgavit ſuper illos qui bona & villas S. Petri deprædantur, ſintque maledicti in civitate, maledicti in agro & in omni loco. ℟. Amen.

Maledicta cellaria eorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ eorum. ℟. Amen.

Maledicta omnia quæ illorum ſunt, & maledicti egredientes & regredientes. ℟. Amen.

Diſperdat eos Dominus de terra ſua velociter. ℟. Amen.

Percutiat eos Dominus fame & ſiti, egeſtate, frigore, febri, donec deficiant. ℟. Amen.

Tradat illos Dominus corruentes ante oculos eorum. ℟. Amen.

Caput IV. De formula excommunicat.

Sintque cadavera eorum in eſcam volatilibus cæli & beſtiis terræ. ℟. Amen.

Percutiat eos Dominus ulcere peſſimo, ſcabie quoque, prurigine, amentia & cæcitate. ℟. Amen.

Palpentque in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. ℟. Amen.

Et ſicut Dominus B. Petro ejuſque ſucceſſoribus cujus vicem tenemus quamvis indigni, poteſtatem dedit, ut quodcumque ligarent ſuper terram ſolutum eſſet & in cælis: ita illis, ſi emendare noluerint, cælum claudimus, & terram ad ſepeliendum negamus, & demergantur in inferno inferiori, ſolvantque quod geſſerunt ſine fine. ℟. Amen.

Si autem ad pœnitentiam & emendationem venerint; & ſecundum modum culpæ fructus dignos pœnitentiæ fecerint, omnia mala iſta avertat Deus ab illis, & nos parati ſumus ad recipiendum & orandum pro illis. Si autem ad emendationem noluerint venire; perpetuo anathemate feriantur, ita ut eccleſiam Dei non intrent, pacem cum chriſtianis non habeant, nec ullam participationem faciant, Corpus & Sanguinem Domini nec in die mortis percipiant, ſed æternæ oblivioni traditi tamquam pulvis ante faciem venti fiant, & cum diabolo & angelis ejus perpetuis ignibus tradantur, & ſicut lucerna iſta extinguitur, ſic extinguantur animæ eorum in fœtore inferni. ℟. Amen.

FORMULA V. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex tribus prædictis mss. & editione Baluziana.

QUALITER EPISCOPUS EXCOMMUNICARE INFIDELES CHRISTIANOS DEBEAT.

Epiſcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem infidelem pro certis & manifeſtis ſceleribus diſpoſitum habet, poſt lectionem evangelii clerum & plebem ita debet alloqui.

Noverit caritas veſtra, fratres cariſſimi, quod quidam vir nomine ill. diabolo ſuadente, poſtponens chriſtianam promiſſionem, quam in baptiſmo profeſſus eſt, per apoſtaſiam converſus poſt Satanam cui abrenunciavit, & omnibus operibus ejus, vineam Chriſti, ideſt eccleſiam ejus devaſtare & deprædari non pertimeſcit, pauperes Chriſti, quos pretioſo Sanguine ſuo redemit opprimens & interficiens, & bona eorum diripiens. Unde quia filius hujus noſtræ eccleſiæ, cui Deo auctore, præſidemus, debuerat eſſe', quia in ea per aquam & Spiritum-Sanctum renatus eſt, & inter filios adoptivos Dei adnumeratus, quamvis modo filius diaboli ſit imitando diabolum, ſolliciti ne per negligentiam paſtoralem aliqua de ovibus nobis perditis deperiret, pro qua in tremendo judicio ante principem paſtorum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipſe terribiliter nobis comminatur, dicens ſi non adnunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſangui-

nem ejus de manu tua requiram, miſimus ad eum presbyterum noſtrum & litteras commonitorias ſemel & iterum atque tertio invitantes eum canonice ad emendationem & ſatisfactionem & pœnitentiam; corripientes eum paterno affectu, ſed ipſe, proh dolor! diabolo cor ejus indurante, monita ſalutaria ſprevit, & in cæpta malitia perſeverans eccleſiæ Dei quam læſit ſuperbiæ ſpiritu inflatus ſatisfacere dedignatur. De talibus itaque tranſgreſſoribus & ſanctæ religionis paciſque, quam Chriſtus ſuis diſcipulis dedit atque dereliquit, violatoribus, præcepta Dominica & apoſtolica habemus, quibus informamur, quid de hujuſmodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in evangelio, ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum frater. Si in unoquoque noſtrum peccat, in ſanctam eccleſiam peccat. Si enim ſancta eccleſia unum corpus eſt, cujus corporis caput Chriſtus eſt; ſinguli autem ſumus alter alterius membra: & ſi compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; procul dubio in nos peccat, qui membra noſtra lædit. Jubet ergo Dominus, ut frater idem chriſtianus in nos peccans primo ſecrete corripiatur, deinde cum teſtibus redarguatur, noviſſime in conventu eccleſiæ publice conveniatur: quod ſi has tres admonitiones & pias correptiones contemnit, & ſatisfacere deſpicit; poſt hæc ſit tibi ſicut Ethnicus ideſt gentilis atque paganus, ut non jam pro chriſtiano, ſed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum quod à ſua compage reſolvitur, & à junctura caritatis diſſociatur, & omne corpus ſcandalizat, Dominus abſcidi & projici jubet dicens: Si oculus, manus, vel pes tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te. Et apoſtolus, auferte, inquit, malum de medio veſtri. Et iterum: Infidelis, ſi diſcedit, diſcedat. Et in alio loco: rapaces à regno Dei excludit dicens: neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et alibi: Si quis frater nominatur & eſt fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere licet. Et Johannes dilectus præ cæteris Chriſti diſcipulis talem nefarium hominem ſalutare prohibet dicens: Ne ave dixeris ei, neque eum in domum receperis. Qui enim ei ave dixerit, communicat operibus ejus malignis. Dominica atque apoſtolica præcepta adimplentes, membrum putridum & inſanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis à corpore eccleſiæ abſcindamus, ne tam peſtifero morbo reliqua membra corporis veluti veneno inficiantur.

Caput IV. De formula excommunicat.

Excommunicatio.

IGitur quia monita noſtra & crebras exhortationes contemnit; quia tertio ſecundum Dominicum præceptum vocatus ad emendationem & pœnitentiam venire deſpexit; quia culpam ſuam necdum cognovit, nec confeſſus eſt, nec miſſa à nobis legatione, qui cauſam ipſius exſequimur, quia noſter parrochianus eſt, veniam poſtulavit, quia in incœpta malitia, diabolo cor ejus indurante, perſeverat, & juxta quod apoſtolus dicit: ſecundum duritiam ſuam& cor impœnitens theſaurizat ſibi

Caput IV. *De formula excommunicat.*

iram in die judicii. Idcirco nos eum cum univerſis complicibus & communicatoribus fautoribuſque ſuis judicio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, & B. Petri apoſtolorum principis, & omnium ſanctorum, necnon & noſtræ mediocritatis auctoritate, & poteſtate nobis divinitus collata ligandi & ſolvendi in cælo & in terra, & pretioſi Corporis & Sanguinis Domini perceptione & à ſocietate omnium chriſtianorum ſeparamus, & à liminibus ſanctæ matris eccleſiæ in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum eſſe decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus & omnibus reprobis in igne æterno judicamus, niſi forte à diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & eccleſiæ Dei, quam læſit ſatisfaciat. *Et reſpondeant omnes tertio* Amen. *Aut* Fiat, fiat, *aut* anathema ſit.

Debent autem duodecim ſacerdotes epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terra, & pedibus conculcare. Poſt hæc epiſcopus plebi ipſam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant quam terribiliter damnatus ſit, & ut noverint quod ab illa hora in reliquum non pro chriſtiano, ſed pro pagano habendus ſit; & qui illi quaſi chriſtiano communicaverit, vel cum eo manducaverit, aut biberit, aut eum oſculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, niſi ad ſatisfactionem & pœnitentiam eum provocare ſtuduerit, aut in domo ſua eum receperit, aut ſimul cum eo oraverit, procul dubio ſimiliter ſit excommunicatus. Oportet etiam & aliis epiſcopis ipſa excommunicatio manifeſtetur. Seniori etiam ejus ipſa excommunicatio debet nota fieri.

In codice Regio & Vindocinenſi poſt hæc verba: *Similiter ſit excommunicatus*, hæc adduntur. *Deinde epiſtola preſbyteris per parrochias mittantur, continentes modum excommunicationis, in quibus jubeatur, ut Dominicis diebus poſt lectionem evangelii plebibus ſibi commiſſis publice annuncient ipſam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam aliis epiſcopis ipſa excommunicatio manifeſtetur. Præcepit enim Toletanum concilium, ut invicem mox ſcripta percurrant omnis provinciæ epiſcopi, quoſcumque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur, ſeniori ejus ipſa excommunicatio debet nota fieri.*

Sequuntur in eodem codice regio & in Vindocinenſi tres aliæ excommunicationis formulæ quæ cum extent in tomo 2. Capitularium editionis Baluzianæ à nobis ultro prætermittuntur.

FORMULA VI. EXCOMMUNICATIONIS.

Ex mſ. codice S. Audoeni Rotomagenſis ante annos 600. exarato.

EX auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, & ſanctorum canonum, & noſtri miniſterii, excommunicamus, & anathematizamus, & à ſancta eccleſia ſequeſtramus illos N. ut non

habeant partem cum Deo, nec cum fidelibus ſuis, niſi aliquo modo reddiderint, & ſi in nequitia ſua perſiſtere voluerint. Maledicat illos Deus omnipotens & omnes ſancti ejus maledictione perpetua, qua maledictus eſt diabolus & angeli ejus. Damnentur cum Juda traditore & Juliano apoſtata. Pereant cum Datiano & Nerone. Judicet illos Dominus, ſicut judicavit Dathan & Abiron, quos terra vivos abſorbuit. Deleantur de terra viventium, nec ultra fiat memoria eorum. Veniat mors turpiſſima ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes. Deleatur ſemen eorum de terra: pauci & mali fiant dies eorum. Fame & ſiti & nuditate & omni anguſtia pereant. Omnem miſeriam & peſtilentiam & cruciatus habeant. Omnes poſſeſſiones illorum ſint maledictæ, nulla eis benedictio nec oratio proficiat, ſed in maledictionem convertantur. Maledicti ſint ſemper & ubique: maledicti ſint nocte & die & omni hora: maledicti ſint dormientes & vigilantes, maledicti jejunantes & manducantes & bibentes: maledicti ſint loquentes & tacentes: maledicti intus & foris, maledicti in agro & in aqua: maledicti à vertice capitis uſque ad plantas pedum. Oculi eorum cæci fiant, aures eorum ſurdeſcant, os eorum obmuteſcat, lingua faucibus adhæreat, manus non palpent, nec pedes illorum ambulent. Maledicta ſint omnia membra corporis illorum: Maledicti ſtando, jacendo, ſedendo, maledicti hic in perpetuum: & ſic extinguatur lucernæ illorum in conſpectu Domini in die judicii. Fiat illorum ſepultura cum canibus & aſinis: Cadavera illorum lupi rapaces devorent, diabolus cum angelis ſemper comitetur.

CAPUT IV. *De formula excommunicat.*

CAPUT V.

De reconciliatione excommunicatorum.

CIRCA reconciliationem excommunicatorum præter ea, quæ in referendis mox Ritualibus continentur, amplius nihil obſervabo, niſi quod non modo proſtrati abſolutionem poſtulabant & recipiebant, ſed inſuper nudis pedibus, cujus rei plurima referri poſſent exempla. Unico hic ero contentus, quod Henricum IV. imperatorem à Gregorio VII. excommunicatum, qui ſatisfactionis illius modum in quadam epiſtola ita enarrat apud Hugonem Flaviniacenſem in Chronico: [Tandem per ſemetipſum nihil hoſtile aut temerarium oſtentans, ad oppidum Canuſii, in quo morati ſumus, advenit, ibique per triduum ante portam caſtri, depoſito omni regio cultu, miſerabiliter, utpote *diſcalceatus*, & laneis veſtibus indutus perſiſtens, non prius cum multo fletu apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit, quam omnes qui aderant & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam movit] &c.

CAPUT V. *De reconcil. excommunicat.*

ORDO I.

Ad reconciliandos excommunicatos.

Ex duobus mſſ. regio & Vindocinenſi annorum 600.

QUALITER EPISCOPUS RECONCILIET EXCOMMUNICATOS.

CUm aliquis excommunicatus vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam poſtulat, & emendationem promittit; epiſcopus qui eum excommunicavit ante januas eccleſiæ venire debet, & duodecim preſbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumſtare debent: ubi & adeſſe debent illi quibus injuria vel damnum illatum eſt; & ibi ſecundum leges divinas & humanas oportet damnum commiſſum emendari, aut ſi jam emendatum eſt, eorum teſtimonio comprobari. Deinde interroget epiſcopus ſi pœnitentiam juxta quod canones præcipiunt pro perpetratis ſceleribus ſuſcipere velit: & ſi ille in terram proſtratus veniam poſtulat, confitetur culpam, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam ſpondet. Tunc epiſcopus apprehenſa manu ejus dextra, eum in eccleſiam introducat, & ſocietatem chriſtianam reddat. Poſt hoc ſecundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat & litteras per parrochiam dirigat, ut omnes noverint eum in ſocietate chriſtiana receptum. Aliis etiam epiſcopis hoc notum faciat. Nullus autem epiſcopus alterius parrochianum excommunicare, vel reconciliare præſumat ſine conſcientia vel conſenſu proprii epiſcopi.

ABSOLUTIO EXCOMMUNICATORUM.

P*Rimitus dicat epiſcopus hos pſalmos*, Domine ne in furore ij. *totum*, Miſerere mei, Deus, *uſque* Et omnes iniquitates meas. Deus in nomine tuo. Benedic anima mea. j. *uſque* Renovabitur ut aquilæ. *Sequitur* Pater noſter. Ego dixi, Domine, miſerere mei, Sana & *preces*. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia. Salvum fac ſervum tuum Domine. Deus meus. Convertere, Domine, uſquequo. Et deprecabilis. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto. Tribuat tibi Dominus ſecundum cor tuum. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum. Domine exaudi orationem meam. Et clamor. Ad te levavi oculos meos, qui habitas.

Oratio.

Deus immenſæ clementiæ & inæſtimabilis indulgentiæ, qui humanæ fragilitatis lapſum diabolicæ fraudis invidia ingeſtum, unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti precioſiſſimo Sanguine dignatus es reparare. Inclina, quæſumus, aurem tuæ pietatis ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum, qui ſuadente mortis auctore, à te qui vera

vita

vita es peccando deviare, ſeque ſub vinculo anathematis non eſt veritus ſtatuere; pœnitendo redeuntem ſereno vultu reſpicere, ac pulſanti januam miſericordiæ tuæ aperire dignare; quatenus Sancti Spiritus præveniente virtute, cujus munere omnium peccatorum tribuitur remiſſio, ſanctorumque omnium apoſtolorum ſuffragio, quorum vice in ligandis ſolvendiſque criminibus, licet indigni ſacerdotali fungimur officio, corpori ſanctæ eccleſiæ tuæ purificatum atque abſolutum redintegres, & quem juxta veraciſſimam promiſſionem tuam nullatenus mori deſideras, conceſſa peccatorum venia, ad ſemper virentia æternæ vitæ paſcua gregi tuo ſociatum perducas, cunctoſque ejuſdem ſceleris pravitate ſive cooperando, ſeu conſentiendo, necnon etiam colloquendo aut converſcendo atque cohabitando coinquinatos, medelam gratiæ tuæ ſaluti reſtitue caſtigatos ac abſolutos. Per.

Alia.

Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviaverat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innocuus. Per.

Deus qui peccantium animas non vis perire, ſed culpas; contine quam meremur iram, & quam precamur ſuper nos effunde clementiam, ut de mœrore gaudium tuæ miſericordiæ conſequi mereamur. Per.

Deus qui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus miſericordiam tuam his famulis tuis oſtende ſupplicibus, ut qui demeritorum qualitate diffidunt, non judicium tuum ſed miſericordiam ſentiant. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici Filii tui Sanguine redemiſti, vivifica quos tibi nullatenus mori deſideras, & qui non derelinquis devios, aſſume correctos; moveant pietatem tuam, quæſumus Domine, horum famulorum tuorum lacrymoſa ſuſpiria: tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem. Cunctis etiam, quæſumus, Domine, quos aliquando admixtos ſimilis reatus pœna conſtringit veniam donare digneris propitius; & intra ovium tuarum ſola pietatis tuæ clementia aggregentur numerum, ne eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne de familiæ tuæ damno inimicus exſultet, ne renatos lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat, &. nequaquam ultra novis vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis atque perfectum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eumdem.

ABSOLUTIO PLURALIS.

FRatres ill. abſolutionem & remiſſionem peccatorum veſtrorum ſacrati nominis Dei, & per miniſterium noſtrum accipere mereamini hic & in æternum. ℟. Amen.

Benedictio.

CAPUT V. *De reconcil. excommunicat.* Benedic, Domine, hos pœnitentes tua jam pietate reconciliatos, & humilitatem eorum videns, paterna pietate jube conſolari. ℟. Amen.

Proſtratos alleva, diſperſos congrega, adunatoſque conſerva, ſimulque cæleſtibus donis * diriga. ℟. Amen.

* *f.* irriga.

Dele ab eis peccati maculam, ut ſine ulla offenſa majeſtatis tuæ præcepta adimpleant, & ad vitam æternam te auxiliante perveniant.

Quod ipſe præſtare digneris cujus regnum.

Hic aſpergat eos aqua benedicta, addens odorem incenſi, & poſtea dicat: Exſurge qui dormis, & ſurge à mortuis & illuminat te Chriſtus.

IN *ms. codice eccleſiæ Noviomenſis annorum minimum* 600. *Idem ordo reconciliationis continetur, ſed preces diverſæ. Nam excommunicato in terram proſtrato jubetur epiſcopus cum circumſtantibus decantare ſeptem pſalmos pœnitentiales deinde* Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei. Nihil proficiat. Eſto ei, Domine. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innocuus. Per. *Alia.* Deus miſericors, Deus clemens, &c. *habetur in reconciliatione pœnitentium.*

ORDO II.

Ex ms. codice S. Remigii Remenſis annorum 400.

EXCOMMUNICATIO.

AUctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti cooperantibus omnium ſanctorum meritis excommunicamus illos, ut ſint ſequeſtrati à conſortiis chriſtianorum, niſi fecerint juſtitiam Patrono noſtro S. Remigio, & ad emendationem congruam venerint. Fiat. Fiat. Fiat.

ABSOLUTIO VIRI EXCOMMUNICATI.

PRoſtrato eo dicitur antiphona. Cor mundum crea in me Deus, Spiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſ.* Miſerere mei Deus. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Nihil proficiat inimicus in eo.

Oremus.

Dominus Jeſus Chriſtus qui dixit diſcipulis ſuis quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quodcumque ſolveritis ſuper terram erit ſolutum & in cælo; de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit; ipſe te abſolvat per ſuam miſericordiam & per

miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quæcumque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egiſti, atque à nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui vivis.

Alia.

Dominus Jeſus Chriſtus qui B. Petro Apoſtolo principi Apoſtolorum & ceteris diſcipulis dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum meæ fragilitati permittitur, ſis abſolutus ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam. Qui vivis.

Alia.

Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtoli principis Apoſtolorum, cujus vice collata eſt nobis poteſtas ligandi atque ſolvendi, ſed quantum tua expetit accuſatio, quod nobis eſt licitum, & ad nos pertinet remiſſio, ſit omnipotens tibi Redemptor tuus & omnibus peccatis indultor. Qui vivis, &c.

Item.

Abſolutionem tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, & remiſſionem de peccatis tuis. Amen.

ORDO III.

Ex ms. miſſali Ebroicenſi.

ABſolutio excommunicatorum fiat cum debita ſolemnitate, quæ talis eſt. Abſolvendus debet eſſe ante januas eccleſiæ flexis genibus, & ſacerdos debet dicere iſtum pſalmum*, Miſerere mei Deus, *uſque in finem. Quo finito, ſacerdos tunc dicat :* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem in te. Mitte ei auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eum. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo. Per.

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali Sagienſi bibliothecæ Bigotianæ.

FORMA ABSOLUTIONIS AB EXCOMMUNICATIONE SECUNDUM RAIMUNDUM ET HOSTIENSEM.

E*Xcommunicatus ſpoliatus ponat ſe ante januas eccleſiæ proſtratus vel flexis genibus coram illo qui ipſum abſolvere debet : qui tenebit virgas in manibus, & dicendo* Miſerere mei Deus, *verberabit eum, percutiendo*

Caput V. De reconcil. excommunicat.

ſcilicet in quolibet verſu vel magis vel minus, levius vel acrius, ſecundum quod cauſa contumaciæ major vel minor requirit. Et poſt pſalmum dicet Gloria Patri, &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos. ℣. Salvum fac ſervum tuum, *vel* ancillam tuam, Domine. Nihil proficiat inimicus in eo, *vel* in ea. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Præſta, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviaverat peccando, admiſſorum ueniam conſequendo reddatur innoxius. Per Dominum.

Vel orationem. Deus cui proprium. *Poſt dicat:*

Auctoritate Dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra abſolvimus te à tali ſententia, & reſtituimus te communioni Eccleſiæ & eccleſiaſticis Sacramentis.

Abſolutio hæretici & excommunicati.

Dicatur pſalmus Miſerere mei Deus, *ita quod judices vel judex dicat unum verſum, & totus clerus reſpondeat. Alterum uſque ad finem cum* Gloria Patri. *Deinde dicatur* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem in te. Dominus vobiſcum.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut quem vinculum excommunicationis conſtringit miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Dominum noſtrum. *Poſtea dicatur.*

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam miſericordiam te abſolvat & nos ejus auctoritate & ſanctæ matris eccleſiæ nobis conceſſâ te abſolvimus à ſententia majoris excommunicationis, quam incurriſti temere incidendo in hæreſim & apoſtaſiam à fide, & reſtituimus te Sacramentis Eccleſiæ, communioni & participationi fidelium, etiam abſolvimus te ab omnibus peccatis & negligentiis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti,

CAPUT VI.

De reconciliatione hæreticorum.

Caput VI. De reconcil. hæreticorum.

Antiqua diſciplina in reconciliandis hæreticis.

I. ANTIQUAM eccleſiæ diſciplinam in reconciliandis hæreticis nobis egregie repræſentavit S. Gregorius lib. 9. epiſt. 61. ad Quirinum ceteroſque Hiberniæ epiſcopos ſcribens in hæc verba: [Ab antiqua patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitio-

Rem manus occidens, per unctionem vero ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ eccleſiæ catholicæ oriens reformat. Monophyſitas vero & alios ex ſola vera confeſſione recipit: quia ſanctum baptiſma quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum-ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei ſanctæ & univerſalis eccleſiæ viſceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti Sanctum Spiritum perverſo ſenſu eſſe quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum ſimiles multi ſunt, & alii tales cum ad S. Eccleſiam veniunt, baptizantur. Quia baptiſma non fuit, quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.]

II. Ex prolixo hoc S. Gregorii teſtimonio diſcimus hæreticos duplicis fuiſſe generis: alii legitimo ſive intra ſive extra eccleſiam tincti fuerant regenerationis lavacro: alii vero ſive materiæ, ſive formæ defectu verum minime perceperant baptiſmum. Et iſti quidem haud alio prorſus modo in gremium eccleſiæ, quam quo gentiles ipſi & infideles, qui Chriſtum numquam noverant, admittebantur, ſcilicet baptiſmi cum ſolitis cæremoniis receptione. Aliorum vero admittendorum triplex erat ritus. Primus impoſitio manuum in pœnitentiam ſive in Spiritum-ſanctum; ſecundus ſacri chriſmatis unctio, tertius priſtinorum errorum abjuratio ac veræ fidei profeſſio. Tres hoſce modos clariſſimis certiſſimiſque teſtimoniis ac exemplis breviter demonſtremus.

III. Primus atque, ut mihi videtur, antiquiſſimus modus fuit manuum impoſitio, prioribus jam in eccleſiæ ſæculis uſitata, quippe, ut ait Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ cap. 2. agens de controverſia tempore Stephani papæ circa baptiſmum hæreticorum, [antiqua conſuetudo invaluerat, ut in ejuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur. Huic conſuetudini, quæ tempore Stephani jam *antiqua* erat, ac proinde ab apoſtolis aut eorum proxime ſucceſſoribus accepta, ſuffragium accedit S. Cypriani, nam teſtante S. Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 11. [Hoc ipſe Cyprianus etiam cum ceteris ſtatuit, ut ſi ab hæreſibus redirent ad eccleſiam quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per baptiſimum; ſed per pœnitentiam reciperentur,] ſive ut loquitur Creſcens à Cirta, qui cum Cypriano concilio Carthaginenſi interfuerat, apud eumdem Auguſtinum lib. 6. contra Donatiſtas cap. 15. [ut per manus impoſitionem in pœnitentiam eccleſiæ reconcilientur.] Id quod diſertis verbis aſſerit ipſe Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum ſic ſcribens: [Quod & nos quoque hodie obſervamus, ut quos conſtat hic baptizatos eſſe & à nobis ad hæreticos tranſiiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito & errore digeſto, ad veritatem & matricem redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere.] Atqui non ſolum in eccleſia ſed etiam in hæreſi ipſa baptizati revertentur in eccleſiæ gremium per manus impoſitionem recipiebantur, ut docet nos auctor ve-

Reconciliatio per impoſitionem manuum.

Caput VI. De reconcil. hæreticorum.

tuſtiſſimus, qui de non baptizandis hæreticis tractatum ſcripſit adverſus Cyprianum conciliorum tomo 1. pag. 780 idque ſibi à Patribus traditum ſcribit Stephanus papa apud Cyprianum epiſt. 74. [Si quis ergo, inquiens, à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.] Eadem eſt doctrina concilii Nicæni can. 8. Arelatenſis I. can. 8. Siricii papæ epiſt. 1. cap. 1. & epiſt. 4. cap. 8. Innocentii papæ I. epiſt. 2. ad Victricium cap. 8. S. Leonis papæ, Vigilii papæ epiſt. 2. ad Eutherium, codicis canonum eccleſiæ Africanæ, Breviarii fidei adverſus Arianos editi à Jacobo Sirmondo aliorumque permultorum. Sanctus etiam Otto Babebergenſis epiſcopus apoſtatas à fide per manuum impoſitionem eccleſiæ gremio reformabat, uti legimus in ejus vita libro 3. cap. 19. & 25. Qui autem ad hæreſim grave aliquod crimen addiderant, hi revertentes graviori etiam pœnitentiæ ſubjiciebantur, unde & degradatos apud Donatiſtas ad catholicam eccleſiam tranſire volentes, niſi *in humiliatione pœnitentiæ* haudquaquam recipiebat S. Auguſtinus, uti diſcimus ex epiſt. 35. novæ editionis n. 3. qui & epiſtola 93. ad Vincentium n. 53. docet ſimplices hæreticos longe facilius reconciliatos fuiſſe quam apoſtatas.

Per chriſmatis inunctionem.

IV. Verum poſt exortam Arianam hæreſim qui errores abjurare cupiebant cum ſacri chriſmatis unctione plerumque recipiebantur, ſive illa ſacramenti confirmationis, quod forte hæretici prætermittebant, vicem habuerit, ſive ſimplex cerimonia fuerit, id quod theologis diſcutiendum relinquo. Atque ita concilium Arelatenſe II. can. 17. de Bonoſianis loquens, [dum, inquit, interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in eccleſia recipi ſufficit.] Eodem modo admittendos eſſe Novatianos, Photinianos & Teſſaradecatites decernit concilium Laodicenum can. 7. Concinit concilium Epaonenſe edito hoc canone 16. [Preſbyteros propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubvenire, quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab epiſcopo noverint expetendum.] Quod vero S. Gregorius ait Arianos in oriente cum unctione, in occidente cum impoſitione manuum conſtanter reconciliatos fuiſſe, locum non habuiſſe in Hiſpaniis paſſim, nec in Galliis, plurima nos perſuadent veterum teſtimonia, maxime Gregorii Turonenſis. Lib. 2. Hiſt. Franc. cap. 31. agens de ſorore Clodovei regis [Converſa eſt enim, inquit, & alia ſoror ejus, Lanthildis nomine, quæ in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum-ſanctum, chriſmata eſt.] Capite 34. ejuſdem libri Gondobaldus Burgundionum rex [cum cognoviſſet aſſertiones hæreticorum nihil eſſe, à S. Avito epiſcopo Viennenſi Chriſtum Filium Dei & Spiritum-ſanctum æqualem Patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit.] Libro 4. cap. 27. Brunechildis regina [quia Arrianæ legi ſubjecta erat, per prædicationem ſacerdotum atque ipſius regis commonitionem converſa, beatam in unitate confeſſa Trinitatem, credidit, atque chriſmata eſt, quæ

in nomine Chriſti catholica perſeveravit.] Denique lib. 9. cap. 15. [Intelligens veritatem Recharedus, poſtpoſita altercatione ſe catholicæ fidei ſubdidit, & accepto ſignaculo beatæ crucis cum chriſmatis unctione credidit Jeſum Chriſtum Filium Dei æqualem cum Spiritu ſancto regnantem in ſæcula ſæculorum.] Nolebat tamen Avitus Viennenſis epiſcopus revertentes ab hæreſi chriſmate inungi. Nam epiſt. 24. quæ eſt ad Stephanum Lugdunenſem, inter alia hæc habet: [Manus impoſitionem perſonæ de qua ſcribitis adhibete, quam conſtat ſi ſupradicti ſchiſmatis profeſſione verſata eſt, cum miniſterio baptiſmatis etiam chriſmate conſignatam.] *De reconcil. hæreticorum.*

V. Quonam vero ritu fieret illa converſorum hæreticorum inunctio docet concilium Conſtantinopolitanum I. can. 7. [Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis ſervantur, recipimus ſecundum ſubjectam hic conſequentiam & conſuetudinem. Arrianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos & Novatianos, qui dicunt ſeipſos catharos & Ariſteros, hoc eſt mundos vel ſiniſtros, & Teſſara decatitas, ſive Tetraditas, & Apollinatiſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ut ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia, & ſignatos ſive unctos primum ſancto chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus: *Signaculum doni Spiritus-ſancti.*] Qui canon renovatus eſt in concilio Quini ſexto can. 95. Et concilii Nicæni canon Arabicus 31. [Si quis ad fidem orthodoxam convertatur, recipiendus eſt in eccleſiam per manus epiſcopi vel preſbyteri, qui præcipere ei debet, ut anathematizet cunctos qui contra fidem orthodoxam faciunt, & qui apoſtolicæ eccleſiæ contradicunt. Debetque anathematizare Arium & hæreſim ejus, & aperte fidem profiteri, quam in hac perfecta confeſſione definivimus, ac ſincere fidelis eſſe. Oportet etiam anathematizare eos qui huic fidei non credunt, & eam non recipiunt. Et poſtquam hæc fecerit, accipiat eum epiſcopus vel ſacerdos ad cujus poteſtatem pertinet; & ungat eum unctione chriſmatis, & ſignet ter ungendo, & orando ſuper eum orationem Dionyſii Areopagitæ, & fiat oratio ad Deum pro eo devote, ut recipiat eum. Et poſtea erit particeps divinorum ſacramentorum, & communionis, per quam fit remiſſio peccatorum.] Chriſmatis inunctio quo ritu fieret.

VI. Venio ad tertium reconciliationis modum qui in ſola errorum ejuratione & fidei catholicæ publica profeſſione ſitus erat, locumque præſertim habuit poſt Neſtorii & Eutychetis hæreſim exortam. Eo recepti fuere omnes epiſcopi, qui in Epheſino concilio ſecundo Eutycheti & Dioſcoro adhæſerant. Ita Paulum Emiſſenum qui favebat Neſtorio non prius ad ſynaxim admiſit Cyrillus Alexandrinus, quam dato libello Neſtorii dogmata ſuo ſcripto anathematizaſſet, uti teſtatur ipſe Cyrillus in epiſtola ad Donatum Nicopolis veteris Epiri epiſcopum. Nec aliud petit S. Leo ab hæreticis ad eccleſiam redeuntibus epiſtolis 1. 6. 8. 14. & 27. novæ editionis. Sed & longe antea concilium Alexandrinum anno Reconciliatio per fidei profeſſionem.

Caput VI. De reconcil. hæreticorum.

362. celebratum nihil aliud ab Arrianis ipſis exegit. Ita enim in epiſtola Synodica: [Nihilque amplius ab illis exigatis, quam ut execrentur Arrianorum hæreſim, confiteanturque SS. Patrum in Nicæa fidem, execrenturque eos qui dicunt Spiritum ſanctum eſſe creaturam & diviſum ex ſubſtantia Chriſti. In concilio Hiſpalenſi II. can. 12. quidam ex hæreſi Acephalorum epiſcopus [converſus atque receptus, ſuſceptæ fidei confeſſionem cum ſtipulatione jurejurando protulit, atque ab omnibus purgatus apparuit.] Felix epiſcopus Urgellitanus epiſcopus non ſolum ſcripta orthodoxæ fidei formula hæreſim ſuam ejuravit. Sed etiam [ipſum otthodoxum ſuum libellum ſuper ſacroſancta Dei myſteria in noſtto patriarchio, inquit Leo papa III. juravit ſic tenere & confiteri; & iterum in confeſſione ſuper corpus B. Petri apoſtoli ipſum ponens orthodoxum ſuum libellum, ſimiliter & illic juravit nequaquam ſe dicere audere adoptivum, ſed proprium & dilectum filium Dei teneo & confiteor.] Ita in concilio Romano anno 799. celebrato, Actione 2. Reſtat ut etiam preces olim ab eccleſia in reconciliatione hæreticorum adhiberi ſolitas ſic repræſentemus, quas ex codice ms. S. Remigii Remenſis annorum 900. & Gellonenſi ejuſdem ætatis accipe.

RECONCILIATIO REBAPTIZATI AB HÆRETICIS.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater miſericordiarum & Deus conſolationis, qui per unigenitum tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ita regenerationis humanæ conſecraſti myſterium, ut nec in eis fraude diabolicæ malignitatis à baptiſmi unitate diſcedunt, ulla poſſit iteratione reſcindi: quia cum geminatur à ſacrilegis, non virtus inditæ conſecrationis excluditur; ſed injuria fidei manentibus ſacramentis irrogatur. Ideo cum ad veram matrem eccleſiam catholicam tui muneris aſpiratione reſipiſcentes à poteſtate redeunt, non quod amiſerunt baptiſmum recipiunt, ſed quod in ſe permanente fecerint contumelia veracis pœnitentiæ ſatisfactione reparantur. Hinc tuam miſericordiam, Pater ſancte, ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum ad ſancta quæ reliquerat, arria revertentem immenſa benignitate recipias, & piiſſima propitiatione ſalvifices, ut quia ruinæ ſuæ lapſu anathemando nunc Arium jugi lamentatione caſtigat, dignæ pœnitentiæ fructus, te miſerante, perficiat. Tuo quippe reſpectu ſatisfactionis ſumſit initium, tuo munere de perditionis ſe jam ſentiat * longitate regreſſum. Longius enim à te tam collatæ fidei negatione, quam operum pravitate diſceditur: unde quæſumus ut ſecundum multitudinem miſerationum tuarum immaniſſima ſupplicis tui remittatur impietas, & aberrantem longius ab itinere ſalutis æternæ tua dignetur revocare majeſtas. Nos autem ſicut in exſequendis myſteriis tuis probamus indigni, ita de tua ſumus miſeratione certiſſimi, & ob hoc non audemus revertenti atque pulſanti januam claudere, cui ad revertendum cordis oculos te confidimus revelaſſe. Et licet actioni pœnitentiæ ætatem temporum præfigamus:

* *al.* longiquitate.

mus * : tamen quia non ſolum diem mortis, ſed & qualitatem pectoris ignoramus, ſic eum ad ſpem reconciliationis admittimus, ut affectum jugis pœnitudinis non omittat; ſed perenni tempore continua lamentatione redivivus, & ſacramentorum cæleſtium communione mereatur eſſe perpetuus.

CAPUT VI. *De reconcil. hæreticorum*

* *al.* proficiamus.

ALIA MINORE ÆTATE.

DEus qui hominem ad imaginem tuam conditum in id reparas quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, ut quicquid ignorantiæ ipſius hæretica pravitas irrepſit, indulgentia tuæ pietatis ignoſce, ut quod in eo diaboli fraude commiſſum eſt, & nequitia Arianæ perfidiæ nocuit, non ei reputetur ad culpam, ſed membrum eccleſiæ catholicæ remiſſionis tuæ clementia reformetur, ut altaribus ſacris recepta veritatis tuæ communione reddatur. Per Dominum.

ITEM ALIA MINORI ÆTATE.

DEus humani generis conditor & redemtor, qui facturam ſimilitudinis & imaginis tuæ ſecundum divitias bonitatis in id reparas quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum & quidquid ignorantiæ ipſius neceſſitas hoſtilitatis influxit, indulgentia tuæ pietatis ignoſce, ut in eo cui adhuc intelligentia tua integra non ſuppetit, nihil reputetur ad culpam; ſed eccleſiæ membrum remiſſionis tuæ benignitate reputetur. Per.

Ex eodem codice Gellonenſi.

BENEDICTIO SUPER EOS QUI DE DIVERSIS HÆRESIBUS VENIUNT.

SAncte Pater omnipotens qui famulum tuum ab errore hæreſeos dignatus es eruere, & ad ſanctam eccleſiam revocare: quæſumus te, Domine, immite in eum Paraclitum Spiritum tuum, Spiritum ſeptiformem, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum concilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, adimple famulum tuum Spiritum timoris Dei. Per.

RECONCILIATIO REDEUNTIBUS A PAGANIS.

DOmine Deus, omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dignatus es hunc famulum tuum ab errore & mendatio hæreticæ pravitatis eruere, & ad eccleſiam tuam catholicam perducere, tu, Domine, Spiritum tuum Sanctum Paraclitum in eum mittere digneris Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & virtutis, Spiritum

Digitized by Google

CAPUT VI. *De reconcil. hæreticorum.*

ſcientiæ & pietatis. Adimple eum, Domine, Spiritum timoris tui, ut in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſigno crucis ſignetur in vitam æternam. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus ſemper una cum.

ORDO L.

Ad reconciliandos hæreticos.

Ex ms. Pontificali Romano bibliotheca Colbertina ante annos 300. exarato.

ORDO AD RECONCILIANDUM APOSTATAM A JUDAÏSMO HÆRESI VEL GENTILITATE.

PRimum aſpergatur aqua benedicta ab epiſcopo, & inſuflet tertio in faciem ejus ad oſtium eccleſiæ dicens:

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Deum Patrem omnipotentem, & per Jeſum Chriſtum Filium ejus, & Spiritum-ſanctum, ut recedas ab hoc famulo Dei N. quem Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ab erroribus & deceptionibus tuis liberare & ad ſanctam matrem eccleſiam catholicam atque apoſtolicam revocare dignatur. Ipſe tibi imperat, maledicte damnate, qui pro ſalute hominum paſſus, mortuus, & ſepultus, te & omnes vires tuas ſuperavit, atque reſurgens cælos aſcendit, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Tunc introducat eum in eccleſiam.

Ingredere in templum Dei vivi, quod male deſeruiſti; & exutus ab errore tenebrarum evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce. Tu autem omnipotens & miſericors Deus hanc ovem tuam de fauce lupi ſubtractam clementer ſuſcipe, & gregi tuo benignus reforma, ne de familiæ tuæ damno inimicus exſultet; ſed de converſione ejus & liberatione eccleſia tua & mater de filio perdito & recepto gratuletur.

Tunc proſtrato eo in pavimento dicant pſalmos Miſerere. Benedixiſti. De profundis, & Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac. Mitte ei. Nihil. Eſto ei. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Deus qui hominem ad imaginem tuam conditum invidia callidi ſerpentis deceptum per unigenitum Filium tuum reparaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. qui ab errore ad lumen veritatis quod male deſerverat redire feſtinat, ut quicquid ejus neceſſitate hoſtili, & diabolica fraude ſubreptum eſt, indulgentia tuæ pietatis indulgeat & abſolvat, ut alta. *Reliqua deſunt.*

ORDO II.

Ex Græcorum Euchologiis apud Morinum lib. 9. de Pœnit. cap. 9. n. 13.

Quomodo recipiendi ſunt in ſancta catholica et apoſtolica eccleſia qui ab hæreſibus revertuntur.

ARianos quidem & Macedonianos, ſive Spiritus-ſancti hoſtes & Sabbatianos & Novatianos, qui ſeipſos puros dicunt, & Quartodecimanos ſive Tetraditas & Apollinariſtas recipimus dantes libellos, & anathematizantes ſuam, omnemque aliam hæreſim, non ſentientem ea quæ ſentit ſancta catholica & apoſtolica Dei eccleſia, qui poſtea ſignantur ſive unguntur ſancto unguento. Antea tamen quam ad rectam fidem adducantur, eum profeſſionis tempus inſtat, jejunare eos oportet dies decem aut quindecim, & mane & veſpere orationibus incumbere catechumenorum inſtar, & tunc hac orthodoxa fide cenſentur digni, & imbuuntur. Collocat autem unumquemque eorum ſacerdos coram divino baptiſterio, ipſique hæc dicit:

Dic anathema huic N. & dogmatis ejus, & iis qui conſentiunt ei, & ſapientibus quæ ſunt ipſius. Abrenuntio enim illi & omni hæretico dogmati, & credo in ſanctam homoouſiam Trinitatem, ſecundum expoſitionem SS. Patrum, qui verbum veritatis recte explicaverunt.

Et ad ſingula reſpondet ei qui convertitur. Cetera proſequitur ſacerdos, eique ter dicit : Credis in ſanctam & homoouſiam Trinitatem. *Et reſpondet ei qui convertitur :* Credo. *Si loqui neſcit, ipſius ſuſceptor reſpondet. Poſtea ſacerdos manum habens ſuper caput converſi inclinati hanc fundit orationem.*

Deus Servator noſter, qui vis omnes homines ſervari, & ad cognitionem veritatis venire, ſuſcipe hunc ſervum tuum N. qui ab erroris fraude vix reſipuit, & deſideravit ad cognitionem veritatis tuæ pervenire. Tu enim, Domine, dixiſti, alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas quoque me oportet reducere, & vocem meam audient, & fient unum ovile & unus paſtor. Paſce eum ſententia veræ tuæ cognitionis ſecundum expoſitionem ſanctorum & glorioſorum apoſtolorum tuorum, & dignare eum ſigillo divini unguenti; & adventu Spiritus-ſancti participatione venerandi Corporis & Sanguinis Chriſti, & redde illum perfectum ſervum tuum, ut ovili tuo adnumeretur in laudem & gloriam magnitudinis tuæ: quia tuum eſt regnum & potentia & gloria Patris & Filii & Spiritus-ſancti, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Poſt hæc ungit eum unguento ſicut neophytos; eamdem ſuper ipſum formulam pronuncians, atque iterum deprecatur ſacerdos dicens : Dominum deprecemur.

Domine Deus noſter, qui dignatus es perfectum reddere ſervum tuum per orthodoxam in te fidem, & ſigillum ſancti myſterii tui: Tu, Domine omnium, conſerva in eum veram in te fidem, adangens in

CAPUT VI. *De reconcil. hæreticorum.*

eo juſtitiam, & donis, gratiiſque quæ à te manant, adornans: quia benedicitur & glorificatur magnificum & omni honore colendum nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Deinde communicat, & mandata recipit, ſeptem dies illas non manducaturum carnem, faciem non lavaturum; ſed ut baptizati ſolent, ita perſeveraturum ſeptem diebus, octava vero ablutus dimittitur.

ORDO III.

Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n. 1818. apud Cotelerium in notis ad lib. 5. Conſtitutionum apoſtolorum.

RENUNTIATIO HÆRETICORUM ARMENIORUM. QUOMODO DEBEANT ANATHEMATIZARE CUM AD FIDEM ORTHODOXORUM ROMANORUM REDEUNT. NON BAPTIZANTUR AUTEM, SED UNGUNTUR.

EGo ille *vel* nos ille & ille, accedo ad orthodoxam, apoſtolicam & catholicam eccleſiam, atque relinquo, & anathemate percutio hæreſim Armeniorum, Chatzitzariorum & Jacobitarum, eorumque errores, feſta, preces, jejunia, conventus, cibos & potus ſeu matalia; & abſolute renuntio hæreſi eorum: toto autem animi propoſito venio ad Eccleſiam catholicam recte ſentientium. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ. *Dicatque ad finem uſque* Unam vero naturam in ſancta Trinitate confiteor: at in Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione duas naturas profiteor, divinitatis & humanitatis, eumque aïo ſalutarem paſſionem carne pertuliſſe, non divinitate: nam divinitas nihil pati poteſt. Suſcipio quoque ſanctas & œcumenicas ſeptem ſynodos: primam Nicænam ſanctorum divinorumque Patrum CCCXVIII. adverſus Arium congregatam: ſecundam Conſtantinopolitanam ſanctorum Patrum CL. in Macedonium Pneumatomachum, hoc eſt ſancti Spiritus impugnatorem: tertiam Epheſinam contra impium Neſtorium: quartam Chalcedonenſem ſanctorum Patrum DCXXX. adverſus impios Dioſcorum, Eutychen & Petrum: quintam rurſus Conſtantinopolitanam actam in ſcripta dementis Origenis, Evagrii, & Didymi, item Severi Acephali, adhucque Theodori epiſcopi Mopſueſtiæ, quæque cum eis anathemati ſubjecit Anthimum, Petrum, ac Zooram: ſextam deinde iterum Conſtantinopolitanam, habitam adverſus Theodorum epiſcocopum Pharanitanum, Honorium Romanum, Cyrum Alexandrinum, Paulum, Petrum, Sergium, & Pyrrhum Conſtantinopolitanos antiſtites, necnon Macharium qui fuit Antiochiæ præſul, ipſiuſque diſcipulum Stephanum, & eos qui partes illorum ſibi defendendas putaverunt: Septimam denique pro ſanctis venerandiſque imaginibus congregatam. Et recipio quos receperunt, anathematizo quos anathematizarunt, Sed & anathema pronuntio in Simonem primum hæreticum,

Manichæum ſive Manem; cumque illo in Marcionem & Atium ac Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Paulum Samoſatenſem, Sabellium, Theodorum, Neſtorium, Eutychem, Dioſcorum, Theodoſium, Timotheum, Julianum, Petrum Mongum, & Petrum Grapheum, qui paſſiones divinitati adaptabat, Severum Acephalum, & Philoxenum, ejuſque diſcipulum Jacobum Tzantzalem, à quo Jacobitæ nomen ſumſerunt, Cyrum, Macharium, Sergium, Pyrrum, & ſenem pueriliter deſipientem Polychronium. Hos omnes anathemate proſcripſerunt ſanctæ & œcumenicæ ſeptem ſynodi, cunctoſque qui cum illis ſentiunt. Quos diebus ſingulis ſancta & catholica eccleſia anathematizat, ego quoque anathematizo, atque ita dico: Si quis non confitetur ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, anathema ſit. Si quis non aſſerit Patrem eſſe ſine principio, itemque Filium eſſe etiam initii expertem, ac Spiritum-ſanctum, anathema ſit. Si quis dixerit in Chriſto duas eſſe hypoſtaſes, anathema ſit. Si quis ad illud *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, addit hoc *qui crucifixus es pro nobis*, anathema ſit. Si quis non veneratur ſacras imagines, ſed eas idola vocat, anathema ſit. Si quis dicit peccare eum qui jejunaverit hebdomadem prophoneſimi, ſeu Artziburtzem, comedit autem carnem hebdomade lacticiniorum, anathema ſit. Si quis dicit miſſam & communionem ſingulis diebus quadrageſimæ peccatum eſſe, ſabbatho autem & Dominica veſcitur lacte & ovis, anathma ſit. Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in ſanctum calicem, anathema ſit. Si quis non celebrat Annunciationem XXV. Martii & XXV. menſis Decembris Chriſti natale, anathema ſit. Qnod ſi cum hypocryſi hæc pronuncio, non vero fideliter, totoque animo & corde; atque nunc quidem ſimulo fieri orthodoxus, poſtea vero voluero abnegare ac reverti ad priorem meam hæreſim, inventuſque fuero una cum Armenis feſta celebrans, aut cibum ſumens, vel conſueſcens cum Jacobitis, ſive clam, ſive publice, non autem potius redarguero illos illorumque hæreſim, in hac quidem vita veniant ſuper me omnes diræ, tremor Caïni, & lepræ Giezis, præter pænas legum civilium, quibus ſubjiciar, nec poſſim aſſequi impunitatem; in futuro autem ſæculo ſit mihi anathema & catathema, meaque anima collocetur cum ſatana & dæmonibus. Cunctis hæreticis anathema.

CAPUT VI. *De reconcil. hæreticorum.*

Et caput inclinante eo qui convertitur, archiepiſcopus orationem facit his verbis:

Deus Salvator noſter, qui cunctos homines ſalvari vis, & ad agnitionem veritatis venire; ſuſcipe ſervum tuum hunc, qui vix tandem ex errore reſipiſcit, quique deſiderat ad agnitionem veritatis accedere. Tu enim dixiſti, Domine, *& alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, unus paſtor.* Paſce itaque illum in doctrina tua, in agnitionem veritatis tuæ, juxta ſanctorum glorioſorumque tuorum apoſtolorum expoſitionem, & largire illi ſignaculum divini unguenti, ac ſumtionem pretioſi Corporis

Caput VI. *De reconcil. hæreticorum.*

& Sanguinis : & fac illum perfectum ſervum tuum ; ut & ipſe ovili tuo connumeretur , in gloriam & laudem majeſtatis tuæ. *Exclamando.* Quia tuum eſt regnum & virtus.

Et ungit eum chriſmate ſeu unguento , ſicut & recens illuminatos , eamdem cærimoniam faciens. Ac iterum precatur ſic :

Domine Deus noſter , qui perfectum renunciare ſervum tuum hunc ce per orthodoxam in te fidem & ſancti tui unguenti ſignaculum dignatus es : Domine omnium ; veram erga te fidem in illo cuſtodi , promovens eum in juſtitia , & omnibus quæ à te oriuntur chariſmatibus doniſque exorna.

Sic poſtea communicat ; & qui ſancto unguento conſignatus fuit , accipit mandatum , ut ſeptem illis diebus carnes non comedat , neque vultum lavet , ſed ſicut baptizati , ita permaneat , atque octavo die abluitur.

CAPUT VII.

De variis judiciis ſeu probationibus ad detegenda occulta ſeu dubia crimina.

Caput VII. *De variis judiciis , &c.*

I. QUÆ hactenus de clericorum degradatione , de clamore pro tribulatione , excommunicatione , hæreticorumque reconciliatione diximus , ea certa & indubitata atque à reis ipſis confeſſa crimina , aut aliunde ſufficienter probata ſupponunt : nunc de variis judiciis ad detegenda occulta aut dubia agendum , quave ratione falſo aliquo accuſati crimine ſeſe purgare poſſent inveſtigandum.

Probatio occultorum criminum per juramentum.

II. Antiquiſſimus à crimine ſe purgandi modus fuit ſacramentum ſuper ſanctorum tumulis reliquiiſque præſtitum ; non tamen quorumlibet , ſed ſignis & virtutibus illuſtrium , quorum potentiam debita ultione plerumque perjuri experiebantur , quæ cauſa fuit ut S. Auguſtinus Bonifacium preſbyterum crimine peſſimo accuſatum , ſed minime convictum , non in Africam quæ *ſanctorum martyrum corporibus plena* erat , ſed ad S. Felicis Nolenſis tumulum ſeſe purgandum tranſmiſerit , ubi & innocentes abſolutionis & rei damnationis ſententiam facto divinitus ſigno ſentire ſolebant , uti ipſe ſcribit epiſt. 78. novæ editionis , ſimiliaque *Mediolani apud ſanctorum memoriam* peragi tradit. In Galliis etiam ad S. Martini , ſanctique Germani , ac Beatorum martyrum Dionyſii & ſociorum ejus tumulum divinam perjuri vindictam non ſemel experti ſunt.

Per trium miſſarum celebrationem aut communionem

III. Aliter Gregorius Turonenſis civitatis antiſtes criminis , quod in reginam commiſiſſe inſimulabatur , ſuſpitionem à ſe amolitus eſt , ſcilicet dictis in tribus altaribus apud Brenua cum tribus miſſis , id quod

ipſe narrat in Hiſtoriæ Francorum libro 5. cap. 49. Huicce purgationis generi affine eſt illud quod repræſentat concilium VVormatienſe anno 868. celebratum cap. 15. his verbis : [Sæpe contingit ut in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt ignorentur : idcirco ſtatuimus ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus : & ſic in ultima miſſæ celebratione pro expurgatione ſua Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita innocentes ſe eſſe oſtendant.

Caput VII. De variis judiciis, &c.

IV. Egbertus vero Eboracenſis epiſcopus in dialogo de inſtitutione eccleſiaſtica decernit, ut is [cui crimen impingitur, ponat ſuper caput ſuum crucem Domini, & teſtetur per viventem in ſæcula, cujus patibulum eſt crux, ſeſe immunem eſſe à peccato hujuſmodi, & ſic omnia dimittenda ſunt judicio Dei.] Atque ita Pelagius papa I. cum in Vigilii deceſſoris ſui mortem conſpiraſſe veniſſet in ſuſpicionem, ipſe & Narſes ut habet liber Pontificalis, [conſilio inito, data litania, à S. Pancratio cum hymnis & canticis ſpiritalibus venerunt ad ſanctum Petrum apoſtolum. Qui Pelagius tenens evangelia & crucem Domini ſuper caput ſuum in ambonem aſcendit. Et ſic ſatisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium. [Ita etiam Leo papa III. ut ab objectis ſibi criminibus ſeſe purgaret ambonem aſcendit, & ut loquitur monachus Sangallenſis in libro 1. de Eccleſiaſtica cura Caroli magni cap. 28. [aſſumens evangelium poſuit ſuper caput ſuum, & in conſpectu Caroli, ejuſque militum, aſſiſtentibus etiam perſecutoribus ſuis in hæc verba juravit : Sic in die magni judicii ſim particeps evangelii, ſicut immunis ſum criminis falſo mihi ab iſtis objecti.]

Per crucis & evangelii in caput impoſitionem.

V. Præter hæc ſeſe à crimine purgandi genera, uſitatiſſima fuere & alia judicia ignis, ferri candentis, aquæ calidæ vel frigidæ, vomerum aliorumque hujuſmodi quæ quamvis ab aliquibus aliquando improbata legantur præſertim ab Agobardo Lugdunenſi archiepiſcopo, qui libellum adverſus ea ex profeſſo conſcripſit ; graviſſimis tamen ac ſanctiſſimis viris fuerunt accepta, frequentibuſque miraculis à Deo confirmata. Horum uſus longe antiquior quam videtur quibuſdam, qui illorum originem ad Hincmari tempora referunt. Nam Briccius Turonicæ civitatis pontifex, ut luxuriæ ſcelus à ſe propulſaret, [prunas ardentes in byrrum ſuum poſuit : & ad ſe ſtringens, uſque ad ſepulcrum beati Martini, una cum populorum turbis accedit, projectiſque ante ſepulcrum prunis, veſtimentum ejus inuſtum apparuit, illo quoque ſic proſequente : Sicut iſtud veſtimentum ab ignibus videtis illæſum ; ita & corpus meum à mulieris coïtu eſt impollutum,] teſtante id Gregorio Turonenſi in Hiſt. lib. 2. cap. 1. qui & in lib. de Gloria Confeſſ. cap. 14. tradit catholicum quemdam in probationem veræ fidei coram hæretico ignitum anulum manibus diu tractaſſe ita orantem : [Immenſa Trinitas Deus, ſi aliquid indignum te credo oſtende. Certe ſi recta eſt fides mea, nihil mihi prævaleant hæc incendia ſæva.] Simile exemplum videre eſt apud Theodorum Lectorem lib. 2. Hiſt.

Per judicium ignis.

Digitized by Google

Aut aquæ.

VI. Idem Gregorius in lib. 1. de Gloria Martyrum capp. 68. & 69. affert duo judicii in aqua frigida exempla. Poſtremum hic tantum deſcribam: [Mulier, inquit, à viro ſuo adulterii crimen accepit; quod coram judice diutiſſime enegans, cum propria confeſſione ſuperari non poſſet, dijudicatur immergi. Dehinc concurrente ad ſpectaculum populo, ad pontem ducitur amnis Ararici, connexo cum fune lapide molato collo ejus, præcipitaverunt eam in flumen, increpante deſuper viro atque dicente: Ablue nunc aqueis abundantibus fornicationes atque immunditiàs tuas, quibus ſæpe maculaſti ſtratum meum. Sed Domini pietas, quæ inſontes perire non patitur providit ſtilum ſub aquis, quem videre homo non poterat, qui ſuſcipiens funem ſuſtinuit mulierem ne ad fundum fluminis perveniret.]

Aut vomeris candentis quod erat ſervorum judicium.

VII. Hoc in exemplo non mulier adulterii ſuſpecta ſibi judicium aquæ elegit, ſed à judice ipſo accepit; cum tamen hoc in accuſati arbitrio, relictum eſſe ſoleret, ut ipſe ſibi genus judicii eligeret: id quod contigit ſanctiſſimæ imperatrici Cunegundi Henrici Auguſti conjugi, quæ crimine peſſimo accuſata, expurgationis gratia ad vomeres candentes illud ſibi judicium delegit, quod propter duritiam hominum inſtitutum eſſe cognoſcitur,] uti legimus in Vita S. Henrici cap. 21. apud Surium 14. Julii. Quiſnam vero fuerit illius judicii eventus, ita ſubjicit. [Cumque dilecta Deo ad illud judicium velut ovis ad occiſionem duceretur, ingemuit, & ait: Domine Deus creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, judica judicium meum & eripe me. Te enim teſtem & judicem hodie invoco, quia nec hunc præſentem Henricum, nec alterum quemquam virum carnali commixtione umquam cognovi. Hoc dicto ſtupentibus ac flentibus univerſis qui aderant, vomeres candentes nudo veſtigio calcavit, & ſine aduſtionis moleſtia ſecura pertranſiit.] Hic mirari ſubit ſanctiſſimæ imperatricis humilitatem quæ judicium per vomeres elegit quod ſervorum erat proprium ut diſcimus ex hoc concili Moguntini 1. anni 847. canone 24. [Qui preſbyterum occidit 12. annorum ei pœnitentia ſecundum ſtatuta priorum imponatur: aut ſi negaverit, ſi liber eſt cum 12. juret; ſi autem ſervus eſt, per duodecim vomeres ſe purget.] In canone etiam 2. Iſaici Lingonenſis epiſcopi titulo 2. ſervi in ſuſpicione homicidii *judicio aquæ ferventis* examinari debent.

Illa judicia ſubibant aliquando ipſi accuſatores.

VIII. Aliquando ipſi accuſatores, cum fidem aliunde teſtimoniis ſuis facere ſufficientem non poſſent, judicium ſubire petebant & optinebant, uti fecerunt Vallis Umbroſæ monachi, ut Petri Piſani Florentini epiſcopi Simoniam omnibus comprobarent. Rem narrat fuſius Blaſius Melaneſius in Vita S. Johannis Galberti, ubi & integer probationis ritus deſcribitur hoc modo: [Modus probationis fuit ejuſmodi, ut in loco publico duæ lignorum ſtrues juxta ſe fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in ſublime quatuor & dimidium, inter utraſque autem ſtrues ſemita intereſſet longitudine brachii, prunis ardentibus conſtrata, per quam unus ex monachis tranſiret. Ubi advenit

ſtatutus

CAPUT VII. *De variis judiciis, &c.*

ſtatutus dies & hora..... fiunt litaniæ & aliæ preces à monachis, ſacrificium ſolemniter celebratur ab abbate illius inſtituti, clericis & monachis adjuvantibus. Ubi ventum eſt ad *Agnus Dei*, unus ex monachis fert aquam ſacratam ad aſpergendum, alius thuribulum thuris incendendi cauſa, tertius faculas ad ligna inflammanda, quartus imaginem crucifixi. Invocatur à cunctis Dominus Jeſus Chriſtus & ſanctiſſima mater ejus ore pleno, ut rei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit caſulam, crucemque manu geſtat abbas qui ſacrificaverat. Petrus is quoque dicebatur. Litaniis abſolutis, unus ex abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis & ſponſionis conditionem. Deinde abbas Petrus cum cruce quam manu geſtabat, S. Johanne interim coram aſtante & orante, ingreditur per medios ignium globos flamma in ſublime aſcendente, calcat ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incenſas ſtrues. Sed priuſquam ingrederetur, cunctis audientibus, ita precatus eſt: Domine Jeſu Chriſte, lux vera omnium in te credentium, peto miſericordiam tuam, oro clementiam tuam, ut ſi Petrus Ticinenſis, qui dicitur Florentinus epiſcopus, pecunia Florentinam eccleſiam occupavit, tu æterni Patris Filius, tu mea ſalus, in hoc tremendo judicio ad me adjuvandum feſtines, & me illæſum ſine ullis aduſtionis veſtigiis conſerves, ſicut olim tres pueros in fornace Babilonica ſervaſti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque veſtimentis ullo aduſtionis veſtigio inhærente. Cumque vellet vertere ſeſe & eadem via per flammas reverti à populo retinetur, quippe jam perſpicue rei propoſitæ veritatem edocto.] Plura hujuſmodi exempla referre ſuperſedeo de quibus videri poſſunt Cangius in Gloſſario ad verbum JUDICIUM, & Ludovicus Cellotius in Appendice Miſcellanea ad Hiſtoriam Gotteſchalci, ſed neque de monomachia ſeu duellis, qui fuit alter inveſtigandi criminis occulti modus more Francorum uſitatus, uti videre eſt apud Gregorium Turonenſem Hiſt. lib. 10. cap. 10. Fredegarium in Chronico cap. 51. & in vita Ludovici Pii apud Cheſnium tom. 2. pag. 308. Quid vero his de probationibus habeant libri noſtri Rituales aliaque antiqua monumenta jam accipe. Ante omnia præmittenda eſſent ea quæ præſcribit vetuſtiſſimum Pontificale Anglicanum monaſterii Gemmeticenſis: verum quoniam à Cl. Viro Stephano Baluzio ex Ordine S. Dunſtani Dorobernenſis archiepiſcopi edita reperiuntur in Appendice ad Regum Francorum Capitularia, ſatius ea prætermittenda exiſtimavimus.

Digitized by Google

ORDO I.

Ad faciendum judicium.

Ex concilio Grateleiano anno 928. celebrato cap. 5.

Qui ſe ordalii quæſtione examinandum obtulerit, triduo quam id ſit aggreſſurus, ſacerdotem, ut is de more ſacra peragat, adito; atque interim pane, ſale, aqua & oleribus tantummodo veſcitor; miſſis præterea illis ipſis diebus intereſto, munuſque ſuum offerto. Sub ipſo autem quo eſt ordalium ingreſſurus die, panem euchariſticum ſumito, ac jurejurando ſe illius de quo appellatur ſceleris purum minimeque conſcium jurato. Tum ſi aqua gelida faciunda eſt quæſtio, ad ſeſquiulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti, per continuum triduum obſignanda non reſignetur manus. Accuſator autem, quemadmodum de accuſato antea à nobis dictum eſt, jurejurando interpoſito criminationem proſequitor: uterque etiam juſſu Dei ac ſacerdotis jejunato: nec pluribus quam duodecim alteruter ſtipatus advenito: quin ſi accuſatus pluribus eo comitatus acceſſerit, perinde ſit (ni illi diſcedant) atque is in judicio cecidiſſet.

ORDO II.

Ex legibus eccleſiaſticis Æthelſtani regis Angliæ cap. 7.

Si quis judicium ferri vel aquæ vadiaverit, accedat ante tribus noctibus ad preſbyterum qui ſanctificare debet eum, & paſcat ſe pane, & ſale, & aqua, & herbis, & audiat miſſas ipſorum ſingulorum trium dierum, & offerat, & eat ad ſacroſanctam communionem ipſa die qua ordalium examinari debebit: & juret quod jure publico ſit innocens illius accuſationis antequam ad ordalium veniat. Et ſi judicium aquæ frigidæ ſit, tunc mergatur una ulna & dimidia in fune. Si ferrum calidum ſit, tres noctes tranſeant antequam inquiratur & videatur manus ejus, & proſequatur omnis homo compellationem ſuam præ juramento, ſicut ſupra dictum eſt, & ſint uterque jejuni ex præcepto Dei & archiepiſcopi; & non ſint in alterutra parte amplius quam in alia: & hoc ſit utrobique duodecim homines. Si autem accuſatus homo majorem defenſionem habeat, quam duodecim hominum, ſit ipſum ordalium fractum in eo, niſi recedere velint ab illo.

Caput VIII

De ordalio præcipimus in nomine Dei, & præcepto archiepiſcopi, & omnium epiſcoporum meorum, ne aliquis intret eccleſiam, poſtquam ignis infertur unde judicium calefacere debet, præter preſbyterum, & cum

Digitized by Google

qui ad judicium iturus eſt. Et ſint menſurati novem pedes à ſtaca uſque ad marcam, ad menſuram pedum ejus qui ad judicium ire debet. Et ſi aqua judicium ſit, calefaciat donec excitetur ad bullitum, & ſit alfetum ferreum, vel æreum vel plombeum, vel de argilla, & ſi anfealt tyhla ſit, immergatur manus poſt lapidem, vel examen uſque ad vvyrſte; *& ſi triplex accuſatio ſit, uſque ad cubitum. Et quando judicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, & certi ſint ut ita calidum ſit, ſicut prædiximus, & introeant totidem ex amba parte; & conſiſtant ex utraque parte judicii de longo eccleſiæ & ſint omnes jejuni, & ab uxoribus ſe continuerint ipſa nocte, & aſpergat preſbyter aquam benedictam ſuper eos omnes, & humilient ſe ſinguli ad aquam benedictam, & det eis omnibus oſculari textum ſancti evangelii, & ſignum ſanctæ crucis. Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, ſed jaceat ferrum ſuper carbones uſque ad ultimam collectam: poſtea mittatur ſuper ſtaplas, & non ſit illic alia locutio, quam ut precentur ſedulo Deum Patrem omnipotentem, ut veritatem ſuam in eo manifeſtare dignetur: & bibat accuſatus aquam benedictam, & inde conſpergatur manus ejus, qua judicium portare debet; & ſic adeat. Novem pedes menſurati diſtinguantur inter ternos. In primo ſigno ſecus ſtacam teneat pedem ſuum dextrum. In ſecundo transferat dextrum pedem, in tertium ſignum, quando ferrum projiciet, & ad ſanctum altare feſtinet, & inſigilletur manus ejus, & inquiratur die tertia ſi munda vel immunda ſit intra ſigillationem, & qui leges iſtas fregerit, ſit ordalium, ideſt judicium vel examen fractum in eo, & reddat regi centum viginti ſolidos VVitæ.*

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Cadurcenſi ante annos 800. *exarato.*

AD FACIENDUM JUDICIUM.

Quicumque judicium aquæ frigidæ vult facere. Judicium accipiant homines qui ſuſpectionem habent de ipſo latrocinio, aut de ipſa falſitate eorum. Advocati autem illorum infantes qui mittendi ſunt in aquam cum diligentia cuſtodiant. Item non ſit in eis ulla phantaſia diaboli, illorumque corpus diligenter lavent, non ſolum caput, ſed etiam & pedes. Poſtea jejunent illi qui mittendi ſunt in aqua 40. *diebus. Ad eccleſiam autem cum venerint, induat ſe ſacerdos, ſicut mos eſt, ſacris veſtimentis ad miſſam canendum: & dicat letaniam & capitula his verbis:* Exurge Domine, adjuva nos. Eſto nobis Domine. Non nobis Domine. Et clamaverunt ad Dominum. Oſtende nobis Domine. Tu, Domine, ſervabis nos. Memento noſtri Domine. *Deinde pſalmum,* Domine quid multiplicati ſunt. Dominus regit me. Miſerere mei Deus ſecundum magnam. Deus miſereatur. Inclina Domine. Domine exaudi orationem, auribus.

Caput VII. *De variis judiciis, &c.*

Oratio.

Exaudi Domine gemitum populi ſupplicantis, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicum ſed miſericordiam conſequi mereamur. Per.

Poſtea dicat ſacerdos ad illos homines ad quos habet ſuſpectum de ipſa cauſa adjurationem iſtam.

Adjuro te, homo, per Spiritum-ſanctum & individuam Trinitatem, & per tremendam judicii diem, & per prophetas ſanctos, ſeu & per omnes ſanctos apoſtolos, & per viginti quatuor ſeniores, qui quotidie Dominum laudant, & per centum quadraginta quatuor millia innocentes qui pro Chriſti nomine paſſi ſunt, & per omnes ſanctos martyres, ſeu per omnes ſanctos confeſſores atque omnes ſanctos virgines, & per illum baptiſmum ex quo fuiſtis regenerati, & per iſtas reliquias quæ in iſta eccleſia ſunt, & per ſanctam Mariam matrem Domini, ſeu & per omnia agmina cæleſtium virtutum. In omnibus te exorcizo atque conjuro ſi de hac cauſa qua appellatus es (*& nominet ſacerdos illam cauſam*) quod non præſumas hodie in eccleſia iſta miſſam audire, nec tu nec advocatus tuus, qui pro te exire debet ad judicium. Et non præſumas hodie in iſta eccleſia ſanctum evangelium oſculari, nec Corpus Domini præſumas nec tu, nec ille, qui per te in aqua miſſus fuerit accipere, nec aqua benedicta ſuper vos non expectetis aſpergere, ſi de hac cauſa confeſſus non fueris.

Tunc incipiat ſacerdos antiphonam, Salus populi.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus tribue, quæſumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, ſed propitiationis tuæ dona capiamus ſubjecti. Per, &c.

Epiſtola, Gratia Domini noſtri. *Reſponſ.* Protector noſter. *Verſus.* Domine Deus virtutum. *Evangelium ſecundum Matthæum.*

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, *&c. uſque* triticum autem congregate in horreum meum.

Deinde oſculentur ipſi homines evangelium & offerant. Oblata juſtitiæ Domini.

Ab omni reatu nos Domine ſancta quæ tractamus abſolvant, & eadem muniant à totius pravitatis incurſu. Per.

Præfatio.

Salva nos ex ore leonis qui circuit quærens de unitate eccleſiæ tuæ quem devoret. Sed tu Leo de tribu Juda contere contraria tua virtute nequitiam, & corda purifica. Per Chriſtum, &c.

Communio. Illumina faciem.

Ad complendum.

Præſta quæſumus omnipotens ſempiterne Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur & factis. Per Chriſtum.

Poſtea conveniunt homines in quos habent ſuſpectum de ipſa cauſa, & dicat ſacerdos.

Adjuro vos omnes qui ad hoc veniſtis, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per illum baptiſmum quem vos accepiſtis, & per unigenitum Dei Filium, & per ſanctam & individuam Trinitatem, & per illam crucem, ubi Dominus crucifixus eſt, & per quatuor evangeliſtas, & per relliquias ſanctorum quæ ſunt in hac eccleſia, ut non præſumatis ullo modo communicare, neque accedere ad ſanctum altare, ſi de hac ratione quod vobis interrogamus aliquid ſcitis, aut conſentientes eſtis; aut exinde ullo modo mali meriti eſtis.

Poſtea vero communicet ſacerdos, & dicat: Corpus & Sanguis Domini & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ad probationem hodie.

Tunc donet illi libere aquam benedictam, & dicat: Accipe hauſtum aquæ benedictæ, ut fiat tibi ad probationem hodie.

Tunc procedunt cum ipſo homines, & conſacret eos, & oſculentur ſanctum evangelium & crucem Chriſti, & deſcendunt ad aquam frigidam ubi judicium debent facere una cum letania, & de aqua benedicta aſpergat ſuper ipſos, & ſuper illa aqua ubi eos mittere cupit, accipiatque thuribulum & incenſentur deſuper ipſa aqua. Non ſit currens, nec fœtens, nec tenebroſa, ſed ſuavis & clariſſima. Cum autem venerint, ad aquam, levent manus & oculos ad cœlum, & dicant: Domine Jeſu Chriſte, fac ſignum tale, ut cognoſcant omnes quia tu es benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ADJURATIO AQUÆ.

ADjuro te aqua frigida per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per omnes angelos & archangelos, & per thronos & dominationes, & per principatus & poteſtates, & per omnes virtutes cœlorum, & per cherubim & Seraphim, & per ſanctam Mariam matrem Domini, & per quatuor evangeliſtas Matthæum & Marcum Lucam & Johannem, & per duodecim apoſtolos & per duodecim prophetas, & per omnes ſanctos martyres, & per omnes ſanctos confeſſores atque virgines Dei, & per illum baptiſmum quem in te conſtituit facere. Si culpabiles ſunt homines iſti cui nomina interpretaverunt de hoc ſanctuario aut de hereditate hominum, vel de homicidio, ſive de furto vel adulterio ſive de quacumque cauſa huic contra pellati fuerint, aut illorum advocati non eos ſuſcipias, ſed eos Dominus deſuper natare faciat. Oro, Domine Jeſu Chriſte, ut non ſit ulla fantaſia, nec ulla ars diabolica, qui eos liberare poſſit, ſed tua miſericordia eos in tradat.

Domine Jeſu Chriſte, appareat virtus & magna miſericordia tua ſuper aquam iſtam ſi culpabiles ſunt homines illi per quos homines illi miſſi fuerint, non eos recipiat aqua iſta, & ſi culpabiles non ſunt, Domine Jeſu Chriſte fac eos ſubtus aquæ iſtæ intrare.

Alia.

Deus qui famulo tuo Moïſi in monte Sanaï apparuiſti, & filios Iſraël de

Caput VII *De variis judiciis, &c.*

terra Ægypti eduxiſti, & eos ſiccis pedibus mare tranſire feciſti: & qui tres pueros de camino ignis liberaſti, & Suſannam de falſo crimine, Danielem de lacu leonum, & ſocrum Petri febricitantem, libera homines innocentes iſtos, ſi digni ſunt; & trade malefactores in pala. Amen.

Adjuratio.

Adjuro te, aqua frigida, in nomine Patris omnipotentis qui in principio omnia creavit, & te juſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui te juſſit ſegregare ab aquis ſuperioribus. Adjuro te etiam per immortalem nomen Chriſti Filii Dei omnipotentis, ſub cujus omnipotentis pedibus mare elementum aquarum ſe calcabilem præbuerat etiam baptizari in aquarum elementum voluit. Adjuro te etiam per Spiritum ſanctum, qui ſuper Dominum, Johanne baptizante in Jordanis alveo, deſcendit. Adjuro te per individuam ſanctam Trinitatem, cujus voluntate aquarum elementum diviſum eſt, & populus Iſraël ſicco veſtigio pertranſivit. Adjuro te etiam per invocationem qua Elias ferrum quod de manubrio exierat, eo adjurante, ſuper aquam natare fecit adjuro te, ut nullo modo ſuſcipias, hominem iſtum, ſi culpabilis eſt, aut ille per cujus miſſus fuerit quod illi ob rem ſcilicet aut per opera aut per ſenſum, aut per ſcientiam, aut per ullum ingenium, ſed fac eum natare ſuper aqua, ut nulla eorum maleficia atque præſtigium contra te prævalere poſſit, ut hodie manifeſtare valeat. Adjuro te per nomen Chriſti, & & præcipio tibi ut nobis per nomen ejus obedias, cui omnis creatura ſervit, quem cherubim & ſeraphim collaudant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbahot, Deus exercituum, qui regnat & dominatur per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Adjuro te, homo per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, inviſibilem, in Trinitate manentem; & per omnes angelos & archangelos, & per omnes ſanctos Dei & per diem judicii tremendi, & per viginti quatuor ſeniores, qui quotidie Dominum collaudant, & per quatuor evangeliſtas, & per omnes martyres & confeſſores, & per omnia ſecreta cæleſtia. Adjuro te per tres pueros, Sydrac, Miſac, & Abdenago, & per centum quadraginta quatuor millia qui empti ſunt de terra, & per cunctum populum ſanctum Dei, & per illum baptiſmum quod ſacer ſuper te regeneravit. Te adjuro, homo, aut tu, aut ille, qui per te in aqua miſſus fuerit, ſi de hac cauſa qua contrapellatus es, ſi ſciens fuiſti, aut videns, aut bajulans, aut in domo tua recipiens, aut conſentiens, aut ſi habes cor incraſſatum, aut induratum, vel ſi culpabilis es, evaneſcat cor tuum, & non te recipiat aqua iſta, nec ullum hominem per te, nec ullum maleficium tuum contra hoc prævaleat. Te deprecamur, Domine Jeſu Chriſte, fac ad laudem & gloriam & invocationem nominis tui, ut omnes cognoſcant quia tu es Deus noſter benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

ORDO IV.

Ex veteri codice Uticenſis monaſterii ante annos 600. exarato.

INCIPIT ORDO AD JUDICIUM FACIENDUM.

SI aliquis de furto reprehenſus fuerit, ipſeque hoc feciſſe ſe negaverit: die martis ad veſperas cauſa purgandi ſeſe perducat ad eccleſiam laneis indutus veſtibus, & nudis incedens pedibus, ibique in eccleſia videlicet uſque ad diem ſabbati cum legalibus cuſtodibus commoretur. Triduanum faciens jejunium in pane videlicet azymo puri ordei & aqua & ſale & creſſone aquatico. Menſura autem ordei ſit quotidie talis qualem apprehendere potuerint duæ manus inſimul junctæ; & quantum pugillus capere poterit de creſſone, & quantum ſalis ad hoc ſufficiet. In his autem tribus diebus matutinas & miſſam cum horis ad dies pertinentibus audiat, & exquiratur ne aliquod maleficium ſuper ſe habeat. Die vero ſabbati miſſam ſic ſacerdos incipiat.

MISSA.

JUſtus es, Domine, & rectum judicium tuum: fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam. *Pſ.* Beati immaculati. Gloria.

Oremus.

Abſolve, quæſumus Domine, delicta famuli tui, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur, & in hoc judicio prout meruit, tua juſtitia preveniente, adverſitatis cenſura invenire mereatur. Per.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Ego ſum Dominus Deus veſter. Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiat unuſquiſque proximum ſuum, non perjures in nomine meo, nec polluas nomen Domini Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo; nec vi opprimas eum. Non morietur opus mercenarii tui apud te uſque mane, non maledicas ſurdo, nec coram cæco ponas offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.

Graduale.

Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes: ubi eſt Deus eorum? *Verſ.* Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui, Domine libera nos.

Alleluia. *Verſ.* Deus judex, juſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

In illo tempore, cum egreſſus eſſet Dominus Jeſus in via procurrens quidam genuflexo ante eum dixit ei: Magiſter bone, quid faciam ut

Digitized by Google

vitam æternam percipiam? Jeſus autem dixit ei: quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus. Præcepta noſti? Ille dixit: quæ? Dixit ei Jeſus, non occidas, non fureris, non adulteres, non falſum teſtimonium dicas, non fraudem facias, honora patrem tuum & matrem tuam. At ille reſpondens ait: Magiſter hæc omnia cuſtodivi à juventute mea. Jeſus autem intuitus eum, dilexit illum & dixit ei unum tibi deeſt, vade vende omnia quæcumque habes & da pauperibus, & habebis theſaurum indeficientem in cælo, & veni ſequere me.

Offertorium.

Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos: guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.

Secreta.

Interceſſio ſanctorum tuorum, Domine, miſericordiæ tuæ munera noſtra commendet, ut quam merita noſtra non valent, eorum deprecationibus indulgentiam valeat obtinere. Per, &c.

Præfatio.

Omnipotens æterne Deus, qui non ſolum peccata dimittis, ſed ipſos etiam juſtificas peccatores, & reis non tantum pœnas relaxas, ſed dona largiris & præmia: cujus nos pietatem ſupplices exoramus, ut famulum N. tuum non de præteritis judices reatibus, ſed hujus culpæ veritatem ſpectantibus inſinues: quatenus in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præſentis & perpetuæ authorem agnoſcat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt orationem Dominicam antequam dicatur Pax Domini, *dicat ſacerdos hanc orationem ſuper eum qui aqua judicio probandus eſt.*

Deus, de quo ſcriptum eſt, quia & juſtus es & rectum judicium tuum; fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam, ut non de priſtinis judicetur reatibus, ſed in hoc prout meruit, tua benedictione præveniente, veritatis ſubſequatur judicium. Amen.

Et qui juſtus es & amator juſtitiæ, & à cujus vultu videtur æquitas, fac in conſpectu populi tui, ut nullis malorum præſtigiis veritatis tuæ fuſcentur examina. Amen.

Petitiones noſtras, Domine, placatus intende, & culparum omnium præteritarum huic veniam clementer tribue, & ſi culpabilis de hoc furto tua larga benedictio non ei ad ſuffragium, ſed hujus culpæ nobis ad inſinuandam veritatem proficiat. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur qui cum Patre & Spiritus-ſancto vivit & regnat Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Adjuratio ante perceptionem Corporis Domini.

Adjuro te N. per Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum, & per chriſtianitatem quam in baptiſmo ſuſcepiſti, & per ſanctam Trinitatem, & per ſanctum evangelium, & per ſanctas reliquias quæ in hac eccleſia vel in toto mundo continentur, & per illum ſanctum baptiſmum quo ſacerdos te regeneravit, ut nullo modo præſumas hoc ſacroſanctum Corpus Domini accipere, neque auſus ſis ad hoc ſanctum altare accedere, ſi hoc

furtum

furtum feciſti, aut conſenſiſti, aut ſcis qui hoc egerit.

CAPUT VII. De variis judiciis, &c.

Si autem tacuerit & nulli hoc dixerit, vertat ſe ſacerdos ad altare & ſumat ſacrificium in ſemetipſo. Poſtea vero communicet eum qui aqua judicio probandus eſt ita dicens: Corpus Domini noſtri hoc & Sanguis Chriſti ſit tibi ad probationem hodie.

Communio.

Juſtus Dominus & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Poſtcommunio.

Perceptis, Domine Deus noſter, muneribus ſacris, te ſuppliciter deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti, & à propriis reatibus nos indeſinenter expediat, & in hoc famulo tuo veritatis ſententiam declaret. Per Dominum.

Ita miſſa expleta, homo prædictus in eccleſia exuatur non ſolum laneis veſtibus, verum etiam femoralibus, & accingatur circa renes novo panno lineo, ne pudenda ejus videantur, cooperiaturque ad horam ſive tempus pallio, vel cappa propter frigus, & ſic ad lacum aquæ cum proceſſione & letania ducatur donec dicatur Agnus Dei, *uſque* miſerere nobis.

Lacus autem aquæ duodecim pedes menſuratos habeat in profunditate, viginti vero circumquaque in latitudine & uſque ad ſummum aqua impleatur. In tertia vero parte foveæ fuſtes fortiſſimi cum cleta fortiſſima ponantur deſuper, ad ſuſtinendum videlicet ſacerdotem aquam benedicentem, & judices deſuper aſſiſtentes, & hominem intraturum in aquam cum duobus vel tribus hominibus eum ibidem demittentibus.

INCIPIT BENEDICTIO AQUÆ.

DEus judex juſtus, fortis, auctor & amator pacis, patiens, & multum miſericors, qui judicas quod juſtum eſt, & rectum judicium tuum: qui reſpicis terram & facis eam tremere: Tu Dominus omnipotens qui per adventum filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum ſalvaſti, per ejus paſſionem genus humanum redemiſti, hanc aquam benedicere & ſanctificare dignare, & præſta clementiſſime Pater, Dominator omnipotens, ut ſi quis innocens de hoc furto in hanc aquam corpus ſuum applicare voluerit, confeſtim ab iſta aqua in tuo nomine atque virtute ſanctificata ſuſcipiatur, & ſalvus, te præſtante Domino noſtro, permaneat, & ſicut filios Iſraël eductos de Ægypto in tranſitu rubri maris ſalvaſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, ſic corpus innocentis omnipotens Deus ab omni læſione inſaniæ ſalvare dignare, & ſi aliquis culpabilis vel noxius de hoc furto corde tumido induratoque pectore vel ſuperba mente reus de hoc furto in hanc aquam corpus ſuum apponere voluerit, tu Dominus omnipotens tua pietate & rectiſſimo judicio tuo declarare & manifeſtare digneris, & jube ut ab hac aqua non excipiatur, ſed videntibus famulis tuis rejiciatur ut anima ejus per pœnitentiam ſalvetur, & ſi ille nocens vel reus per aliquod maleficium, vel per herbas, ſeu per cauſas diabolicas cor ſuum

Nnn

CAPUT VII. De variis judiciis, &c.

induraverit, & peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quæſumus Domine, declarare dignetur. Per.

Alia oratio.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, qui auctor pacis es, & judicas æquitatem humilibus te rogamus precibus, ut hanc aquam ordinatam ad juſtitiam & examinationem cujuſcumque dubietatis benedicere, & ſanctificare atque ſuperna virtute tua perluſtrare digneris, ita ut ſi innocens de hoc furto unde purgatio quærenda eſt in hanc aquam tua benedictione ſanctificatam corpus ſuum immittere voluerit, tua benignifſima miſeratione confeſtim ab iſta excipiatur aqua, & poſtmodum illæſus appareat. Si autem culpabilis aut reus contempſerit, & quaſi temptator judicium tuum adierit, aut per herbas vel per quæcumque temperamenta ſeu molimina maleficioſa peccata ſua confiteri noluerit, ſed deffendere inflatus per afflictorem malitiæ contra examen veritatis tuæ juſtiſſime & miſericordiſſime Domine Deus, ad hoc virtus tua quæ omnia ſuperat cum veritate quæ permanet in ſæculum ſæculi declaretur, ut reus de hoc furto ab iſta aqua virtute tua rejiciatur, quatenus juſtitiæ tuæ non dominetur iniquitas, ſed veritati ſubdatur falſitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate ſua, te miſerante, liberentur. Per Dominum noſtrum.

Poſtea jurent ſacramenta, & accuſans & deffenſor quaſi duellum ingreſſuri, jurent & connectantur inſimul manus repreſſi ſub flexis poplitibus admodum hominis in campum artum intrantis. Deinde vero corda quadam quæ eum tenere queat circa lumbos alligetur, atque in corda ad longitudinem longioris capilli fiat nodus, & ſic in aquam ſuaviter ne aquam commoveat demittatur. Si vero uſque ad nodum demerſus fuerit, extrahatur ſeu ſalvus, ſin autem quaſi reus à videntibus æſtimetur.

ORDO V.

Ex ms. codice S. Victoris Pariſienſis n. B r. 11.

JUDICIUM PROBATIONIS IN FRIGIDA AQUA.

ROmani propter theſaurum S. Petri & invidiam ſimul, tulerunt Leoni papæ oculos & linguam: at ille vix evaſit de manibus eorum, & venit ad imperatorem Karolum, ut adjuvaret eum, & eriperet de ſuis inimicis. Tunc imperator reduxit eum in locum ſuum; & theſaurum ſupradictum aliter non potuerunt acquirere, niſi per iſtud judicium. Hoc conſtituerunt B. Eugenius, & Leo, & Karolus, ut epiſcopi & abbates, & comites firmiter teneant & credant; quia illud probatum habuerunt illi ſancti viri.

Cum homines vis mittere in aquam ad probationem, accipe illos quos in voluntate habes mittere in aquam, & duc eos in eccleſiam, & coram omnibus cantet preſbyter miſſam.

Juſtus es Domine. *Pſalm.* Beati immaculati. *Oratio.*

Da quæſumus omnipotens Deus, ſic nos tuam gratiam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus: ſic fatentibus relaxate delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos. Per.

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita & dictis exequamur & factis. Per.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

In diebus illis. Locutus eſt Eſaias propheta dicens: Quærite Dominum dum inveniri poteſt, *&c. uſque* Et proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Dicit Dominus omnipotens.

Grad. Cuſtodi me Domine. *Verſ.* De vultu tuo. Alleluia.

Verſ. Deus judex juſtus.

Sequentia S. Evang. ſecundum Johannem.

In illo tempore: Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos dixit eis: Habete fidem Dei, *&c. uſque* Dimittet vobis peccata veſtra.

Offert. De profundis.

Secreta.

Ab omni reatu nos, Domine, ſancta quæ tractamus abſolvant & eadem nos muniant à totius pravitatis & diabolicæ illuſionis incurſu. Per.

Communio.

Amen dico vobis quicquid.

Poſtcommunio.

Conſpirantes contra tuæ plenitudinis firmamentum, Domine, dextræ tuæ virtute proſterne, ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Per.

Cum autem ad communionem venerit, antequam communicet, interroget eos ſacerdos de re inquirenda, & conjurationem iſtam dicat:

Adjuro te, homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, & per tuam chriſtianitatem, quam ſuſcepiſti, & per ſanctum evangelium, & per reliquias quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumas ullo modo communicare, neque accedere ad altare, ſi hoc feciſti, aut conſenſiſti, aut ſciſti quid hoc egerit.

Si autem omnes tacuerint, & nullus illorum confiteri vult, accedat ſacerdos & communicet: Poſtea vero communicet illos quos vult in aquam mittere dicendo:

Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ad probationem veri judicii Dei.

Expleta miſſa, benedicat ſacerdos aquam, & vadat ad illum locum ubi probandi ſunt homines. Cùm autem venerit ad locum aſpergat illum cum aqua benedicta, & det eis bibere de ipſa aqua, & dicat ad unumquemque illorum.

Hæc aqua fiat tibi hodie ad probationem veri judicii Dei.

Poſtea vero conjuret aquam ubi illos vult immittere dicens:

Caput VII. *De variis judiciis, &c.*

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te, aqua, in nomine Domini Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & juſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui te etiam juſſit ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Chriſti Jeſu Filii Dei omnipotentis, ſub cujus pedibus mare elementum ſe calcabile præbuit. Qui etiam baptizari in aquarum elemento voluit. Adjuro te etiam per Spiritum ſanctum, & per individuam Trinitatem, cujus voluntate aquarum elementum diviſum eſt, ad cujus etiam voluntatem veſtigii invocationem Helias ferrum quod de manubrio exierat, ſuper aquam natare fecit, ut nullo modo ſuſcipias hunc hominem N. Si in aliquo ex hoc eſt culpabilis, quod illi objicitur, ſcilicet aut per opera, aut per conſilium, aut per conſenſum, aut per ſcientiam aut per ullum ingenium: ſed fac eum natare ſuper te, & nulla poſſit contra te cauſa aliqua facta, aut nulla præſtigatio, quæ illud manifeſtare non poſſit. Adjurata autem præcipimus tibi, ut per nomen ejus obedias, cui omnis creatura ſervit, quem Cherubim & Seraphim laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta, &c. *Require in quotidiana benedictione.*

Tunc conjuret hominem qui immittendus eſt in aquam.

Adjuro te homo per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem & per Filium, & per Spiritum-ſanctum, & Trinitatem inſeparabilem, & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per omnes angelos & archangelos, & per omnes ſanctos & electos Dei, & per diem tremendum judicii, & per viginti quatuor ſeniores, qui quotidie Deum laudant, & per quatuor evangeliſtas Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, & per duodecim apoſtolos, & duodecim prophetas, & per martyres, & per confeſſores, atque virgines, per principatus & poteſtates, per Dominationes & Virtutes, per Thronos, Cherubim & Seraphim, & per omnia ſecreta cæleſtia, & per tres pueros Sidrac, Miſac, & Abdenago, & centum quadraginta quatuor millia, qui pro Chriſti nomine paſſi ſunt, & per ſanctam Mariam matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per cunctum populum Dei, & per illud baptiſmum quo te ſacerdos regeneravit, ut ſi tu in hoc furto ſciſti, aut vidiſti, aut bajulaſti, aut in domum tuam recepiſti, aut conſentiens, vel conſentaneus exinde fuiſti, aut ſi habes cor incraſſatum, vel induratum vel ſi culpabilis inde es, evaneſcat cor tuum, & non ſuſcipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat. Proinde obnixe rogo te, Domine Jeſu Chriſte, fac ſignum tale, ut ſi culpabilis eſt hic homo nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem Domine Jeſu Chriſte fac ad laudem, & gloriam, & ad invocationem no-

minis tui, ut omnes cognoſcant, quia tu es Deus benedictus qui venturus.

Item conjuratio hominis.

Adjuro te, homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, & per ſanctam Mariam matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per angelos, & archangelos, Thronos, & Dominationes, Principatus & Poteſtates, Cherubin & Seraphin & per omnes Virtutes cœleſtes, & per viginti quatuor ſeniores, & per duodecim apoſtolos, & per quatuor evangeliſtas, & per omnes patriarchas, & prophetas, & martyres, & confeſſores, & Virgines, & per omnes ſanctos Dei, & per baptiſmum quo regeneratus es: Si hujus criminis vel furti, quod tibi intenditur, reus ſis; ut Deo nobiſque confiteari, nec tentes Deum; nec contemnas cui omnia patent occulta. Si autem inde culpabilis ſis, aut in actu, aut in conſcientia, aut in ulla re, & indurato corde hoc judicium volueris ſubire; interdico tibi per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per merita omnium ſanctorum ſuorum, ut hæc aqua te non ſuſcipiat, neque ullum maleficium ad impediendam veri cognitionem in hoc judicio prævaleat. Per.

Alia.

Deus qui maxima ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura myſterii tui tibi ſerviens, ad diabolicas & humanas fallacias detegendas, & ad eorum multiplicia figmenta & argumenta diſſolvenda, atque multiformes eorum artes deſtruendas divinæ gratiæ ſumat effectum. Diſcedant hinc omnes inſidiæ latentis inimici, quatenus veritas quæ de his à nobis requiritur, divini ſenſus & alterius cor ignari tuo judicio expetita, per invocationem tui ſancti nominis patefacta clareſcat, & ne innocens unde requirimus damnetur, nec nocens à te qui lux vera es, cuique non ſunt obſcuræ tenebræ, & illuminas tenebras quærentibus veritatem impunè poſſit deludere, te quem occulta non tranſeunt oſtendente; & tua virtute qui ſecretorum es cognitor declarante, fiat hinc nobis in te credentibus veri judicio cognitio manifeſta. Per.

Tunc roget ſacerdos pro manifeſtatione veritatis Chriſti implorare clementiam dicens:

Rogamus te, Domine Jeſu Chriſte, per tuam magnam clementiam tale in hoc judicio ſignum oſtendere vel efficere, ut ſi hujus rei hic homo culpabilis eſt, nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem Domine fac ad laudem & gloriam nominis tui, ut cognoſcant omnes gentes, quia viæ tuæ ſunt miſericordia & veritas, & tu omnipotens dominaris in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc exuant illos veſtimentis eorum: & faciat illos ſingulos oſculari ſanctum evangelium & crucem Chriſti, & poſt hæc de aqua ipſa benedicta aſpergat ſuper unum quemque eorum, & projiciantur ſtatim in aquam. Hæc autem omnia facere debent jejuni; neque illi antea comedant cibum qui ipſos mittunt in aquam.

Caput VII *De variis judiciis, &c.*

BENEDICTIO AQUÆ FLUENTIS AD JUDICIUM QUOD UT SUPRADICTUM EST, IN CELEBRATIONE MISSÆ FIERI DEBET.

CUm autem ad locum pervenerint, ubi probandi ſunt quibus intenditur, aſpergat ſacerdos locum aqua benedicta, & conſignet undique ſigno crucis, & cantet vii. pœnitentiæ pſalmos, & letaniam cum verſibus iſtis.

Pro hujuſmodi negotii qualitate. Te rogamus audi nos.

Ut rectum judicium in iſta aqua diſcernere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Te rogamus audi nos.

Fili Dei. Te rogamus audi nos.

Qua finita, dicat preſbyter: Pater noſter, & Credo in Deum, *cum precibus iſtis.*

Peccavimus cum patribus noſtris. Injuſte egimus. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. Neque ſecundum. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Cito anticipent Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Et propter gloriam. Non nobis Domine, non nobis. Sed nomini tuo. Exurge Domine adjuva nos. Et libera. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Domine Deus virtutum converte nos. Et oſtende.

Exorciſmus aquæ ad furtum & ad alias res inveſtigandas.

Adjuro te, creatura aquæ, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, unius Dei omnipotentis, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt; qui te creavit, & te verbo ſeparavit ab arida, qui per te contagia primi ſæculi diluit, & juſtum Noë liberare dignatus eſt, qui per te iter populo ſuo præbuit, ac ſitienti poſtea potum de petra produxit, qui ſine delicto ſuo per te delicta noſtra delevit, qui te in vinum ſua potentia convertit. Et te cum ſanguine noſtræ redemtionis de latere ſuo produxit, & credentibus in ſe poculum vitæ miſcuit, ut nullius hominis nomen in aliqua ſcriptum materia ſuſcipias immerſum, qui præfati ſceleris culpabilis exiſtit, donec inde quod verum eſt publica voce declaret, & eum in te ſuſcipiendo depromas, qui prædicti facinoris inveniur immunis, & fiat omnis fraus vel ludificatio inimici divinitatis ſupernæ ſuperata virtute, ut qui per te gaudent eſſe renatos, cognoſcant ſe juſto examinationis judicio fieri comprobatos. Per. Qui venturus.

Alia.

Deus omnipotens, Pater noſtri Jeſu Chriſti, cui omnia patent, & nihil latet abſconditum, viſibilium quoque & inviſibilium cognitor, qui ſolus arcana rimaris & ſcrutaris renes & corda, quem omnes creaturæ pariter contremiſcunt & laudant; qui furta, & dolos, & fallacia humano generi ab initio ſæculi fieri prohibuiſti; præſta per invocationem nominis tui huic creaturæ aquæ tantam tuæ benedictionis virtutem, ut ſicuti eam in baptiſmatis ſacramento ad diluendas ſordes crimi-

Digitized by Google

num in te credentium conſecraſti; ita ad detegenda hujusfacti crimina per te ſumat potentiam, tribuaſque per tuæ majeſtatis clementiam, ut quiſquis hic illatæ ſibi reatum culpæ per aliquam fretus machinationem diabolicam, aut fraudis calliditatem, ſuperbiam ſive erubeſcendo ſive timendo celare voluerit ac profiteri contemſerit, ut ejus improbitas hoc modo detegatur: Scilicet ne nomen ejus in qualicumque materia conſcriptum in hanc aquam S. Trinitatis nomine ſanctificatam valeat emergi, donec vera confeſſione purgatus, tu Deus omnipotens magnificeris ab omnibus. Per eumdem.

Alia.

Deus judex juſtus, fortis, & patiens, qui culpas delinquentium per veræ confeſſionis fructum pœnitenti dimittis: tu hanc aquam in nomine S. Trinitatis ſancti † ficare digneris, ut fiat hæc unda tua virtute detegens crimina furti, & figmenta mendacii, quæ hic in præſenti recitantur. N. & quicumque hujus criminis fraudem commiſit, nomenque ejus in hanc aquam in qualicumque materia ſcriptum fuerit, quamdiu de commiſſo ſcelere denegat verum confiteri S. Trinitatis nomine ſentiat ſibi interdictum, ne poſſit immergi ut cognoſcatur ab omnibus, quia tu Deus verax es, & judicia tua vera permanent in æternum, & glorioſum nomen tuum eſt omnibus invocantibus te. At qui ſecurus illatæ culpæ conſiſtit, ſine dilatione nomen ejus ab aqua iſta conſecrata juſſione divina recipiatur immerſum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui venturus.

Tunc adjuretur & inquiratur homo, ſicut ſupradictum eſt, & dicatur hac oratio.

Domine Deus omnipotens, qui baptiſmum in aqua fieri juſſiſti, & per lavacrum regenerationis humano generi remiſſionem peccatorum donare dignatus es; ſanctifica, Domine, hanc aquam fluentem, & juſtum in ea diſcerne judicium, qui ſolus es juſtus judex, & fortis; ita ut ſi reus eſt homo iſte, propter nomen tuum, Domine, aqua quæ in baptiſmo eum ſuſcepit, nunc non recipiat. Si autem inculpabilis aut innocens ſit, aqua quæ in baptiſmo eum ſuſcepit, nunc eum recipiat, & mundus & innocens ex profundo hujus aquæ abſtrahatur.

Tunc oretur pro eo ab omnibus, & ſic in aquam projiciatur.

ORDO VI.

Ex eodem codice ms. Victorino.

JUDICIUM PROBATIONIS QUOD IN CALIDA AQUA FIERI SOLET.

INquiſitus autem aliquis de furto, aut adulterio, vel de qualicumque re alia, & nolens confiteri Domino ſuo, vel miſſo Domini ſui hoc modo purgetur. Pergens ad eccleſiam ſacerdos induat ſe veſtimentis ſuis ſacris, excepta caſula, ferens ſanctum evangelium cum criſmario & patrociniis ſan-

Digitized by Google

ctorum calicemque & patinam, expectante plebe cum fure, vel cujuſcumque criminis implicato in atrio eccleſia, & dicat coram aſtante plebe:

Videte, Fratres cariſſimi, chriſtianæ religionis officium. Ecce lex in qua eſt ſpes & remiſſio omnium peccatorum. Hic chriſmatis unctio. Hic Corporis & Sanguinis Domini conſecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate & conſortio privemini, implicantes vos ſceleri alieno, quia ſcriptum eſt, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus damnabuntur.

Deinde vertens ſe ad ſceleratum, dicat tam ei quam plebi:

Interdico tam tibi, quam & omnibus aſtantibus, ô homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, per tremendum diem judicii, & per myſterium baptiſmatis, per venerationem omnium ſanctorum, ut ſi culpabilis es, aut feciſti, aut ſciſti aut bajulaſti, aut conſenſiſti, aut poſt actam culpam denominatam ſciens factores juviſti, ut in eccleſiam non introeas, chriſtianæ ſocietati non miſcearis, ſi reatum nolueris confiteri admiſſum, antequam examineris publico judicio.

Deinde ſignet locum in atrio eccleſia, ubi ignis fieri poſſit, ad caldariam ſuſpendendam, in qua aqua bullient efficiatur, aut ignitum ferrum, ita tamen ut prius locus ille aqua benedicta aſpergatur, necnon & aqua, quæ in caldaria eſt, propter illuſiones diabolicas. Et his dictis regredientes ad altare, imponat introitum.

Juſtus es, Domine, & rectum. *Pſal.* Beati immaculati. *Oratio.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare unitatem; quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per.

Lectionem, & evangelium, ſecretam, & poſtcommunionem quære in judicio frigida aqua. Communicet autem ſacerdos accuſatum ſub teſtificatione miſſa, ita ut ſeptem pœnitentiales pſalmos primum decantet cum letania & poſtea ſubinferat.

Deus judex juſtus, fortis, & patiens, qui es auctor pacis, & judicas æquitatem, reſpice ad deprecationem noſtram, & dirige judicium noſtrum, quia juſtus es, & rectum judicium tuum; qui reſpicis terram, & facis eam tremere, & qui per adventum unigeniti tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu paſſionem mundum ſalvaſti, genuſque humanum redemiſti; tu hanc ferventem aquam ſancti ✝ fica, & ſicut tres pueros Sidrac, Miſac & Abdenago juſſu Regis Babilonici in fornacem ſuccenſam miſſos ſalvaſti, angelum tuum immittens, illæſos exinde eduxiſti, & Suſannam de falſo teſtimonio eripuiſti; ita elementiſſime Dominator, oramus & petimus, ut quiſquis innocens de hoc crimine prænominato in hanc aquam manum miſerit, ſanam & illæſam eam educat, per te Salvatorem & Redemtorem totius orbis. Qui venturus es.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es ſcrutator occultorum cordium, te ſupplices exoramus, ut ſi homo hic culpabilis eſt de rebus præfatis, & diabolo

& diabolo ingravante corpus ejus, præſumpſerit in hanc aquam igne ferventem manum ſuam mittere, tua juſtiſſima veritas declaret; & in hoc opere, quæſumus ita tuam veritatem declara, ut per manifeſtam aduſtionem corporis, pœnitentiam ſui ſumat erroris; & dum erubuerit corpore, anima ejus ſalvetur in extrema examinatione. Quod ſi per chriſma bibitum, aut per unctionem, aut per herbas, aut per aliqua maleficia hoc peccatum tegere celarique voluerit, tua dextera ſancta evacuare dignetur, per unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturu s

Deus, qui maxima quæque ſacramenta. *Require in judicio frigidæ aquæ. Poſt hæc oretur pro eo ab omnibus circumſtantibus, & adjuratus ne obduretur, ſtatim mittat manum in aquam.*

ORDO VII.

Ex eodem ms. codice Victorino.

JUDICIUM PROBATIONIS IN FERRO IGNITO, QUOD SECUNDUM PRÆDICTUM ORDINEM FERVENTIS AQUÆ FIERI DEBET, ET IN CELEBRATIONE MISSARUM, ET IN COMMUNIONE, SEPTEM PSALMORUM *, ET CONJURATIONE ACCUSATI.

* *Deeſt recitatione.*

Conſecratio ferri novi.

DEus judex juſtus, qui auctor es pacis, & judicas æquitatem; te ſuppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad juſtam examinationem cujuſlibet dubietatis faciendam, bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare digneris, ita ut ſi innocens de prænominata cauſa unde purgatio quærenda eſt, in manum illud acceperit, illæſus appareat; & ſi culpabilis atque reus ſit, juſtiſſima ſit ad hoc virtus tua, in eo cum veritate declarandum, quatenus juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Per.

Alia.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus omnium bene viventium, Deus origo & manifeſtatio omnis juſtitiæ, qui ſolus es juſtus judex, fortis, & patiens; dignare exaudire nos famulos tuos orantes ad te pro benedictione hujus ferri; unde rogamus te, Domine, judicem univerſorum, ut mittere digneris ſanctam & veram benedictionem tuam ſuper hoc ferrum, ut ſit refrigerium illud portantibus, & habentibus juſtitiam, & credentibus in tuam juſtitiam, & fortitudinem; & ſit ignis ardens iniquis, & facientibus iniqua, & credentibus in injuſtitiam ſuam & injuſtam pompam diabolicam. Converte, Domine, incredulitatem injuſtorum per virtutem & benedictionem tuam, & per invocationem S. Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti; & mitte in hoc ferrum vim virtutis ac veritatis tuæ, ut in eo ſemper per miſericordiam & veritatem tuam veraciſſima juſtitia, quæ

tibi ſoli cognita eſt, fidelibus tuis ad emendationem iniquorum manifeſtiſſime declaretur, de quacumque quæſtione ratio fuerit agitata, & nullam poteſtatem habeat diabolica virtus veritatem tuam aut occultare, aut depravare; ſed ſit ſervis tuis in munimentum fidei ad credulitatem divinæ majeſtatis tuæ, & ad certificationem manifeſtiſſimæ miſericordiæ ac veriſſimæ veritatis tuæ. Per.

Item benedictio ferri.

Omnipotens ſempiterne Deus, clementiſſime Dominator, occultorumque omnium veriſſimus ſcrutator, qui per adventum unigeniti tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum ſalvaſti & per paſſionem crucis genus humanum redemiſti, qui es judex juſtus, & fortis, auctor pacis, & amator caritatis; qui tres pueros Sydrac, Miſac & Abdenago juſſu Regis Nabucodonoſor in fornacem Babylonis accenſam miſſos ſalvaſti, eoſque per angelum tuum ſanctum ex ea illæſos eduxiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, reſpicere dignare ad orationem & deprecationem ſervorum tuorum, & dirige judicium noſtrum quoniam tu ſolus juſtus judex es, & verax, & omnia judicia tua recta, & omnes viæ tuæ miſericordiæ & veritas, ferrumque hoc ignitum ad detegenda furta prænominata ſancti † fica, & præſta ut quiſquis innocens de crimine præfato hoc ignitum ferrum manu portaverit, ſanam & illæſam & ſine macula eam educat. Si vero culpabilis eſt, & incraſſante diabolo cor ejus, reatum ſuum per chriſma bibitum, aut in aliqua parte corporis ſeu veſtimentorum appoſitum, ſive per herbas & incantationes, aut per aliquod maleficium tegere voluerit, & hoc ferrum ſanctificatum portare præſumſerit, tua hoc, Domine Deus omnipotens, juſtiſſima veritas in ejus manu vel corpore declarare dignetur, ut per manifeſtam aduſtionem corporis, pœnitentiam ſui ſumat erroris; ejuſque anima ſalvetur remedio tuæ pietatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum Redemtorem & Salvatorem noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos.

Item alia.

Benedic, Domine, per potentiæ tuæ virtutem hoc genus metalli, ut propter nomen ſanctum tuum, omni factione & fallacia infidelium ſublata, veriſſimi judicii tui fidelibus tuis veritas pateſcat; quatenus laudabile eſt & glorioſum nomen tuum in ſancta eccleſia tua ſemper glorificetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus.

ORDO VIII.

Ex eodem ms. codice.

BENEDICTIO VOMERUM AD DETEGENDUM HOMICIDIUM VEL ADULTERIUM, QUÆ SECUNDUM SUPRADICTUM MODUM AGENDA EST.

Require in conjuratione ferri. Deinde hæc oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, clementiſſime Dominator, *&c. ut ſupra uſque* omnes viæ tuæ miſericordia & veritas. *Deinde.* Et hos vomeres ignitos ad detegendum homicidium vel adulterium prænominatum ſancti † fica, & præſta, ut quiſquis innocens de crimine præfato hos vomeres ignitos calcaverit, ſanus & illæſus & ſine macula diſcedat, *&c. ut ſupra mutato* ferrum ſanctificatum tangere, *in* vomeres benedictos calcare.

℟. *Ante.* Benedic, Domine, per potentiæ.

Tunc ut ſupra dictum eſt accuſatus adjuretur; & dum oratum fuerit pro eo, ſi præſumſerit expurget ſe.

ORDO IX.

Ex eodem codice.

JUDICIUM PROBATIONIS IN PANE ET CASEO, QUOD IN CELEBRATIONE MISSARUM, ET DECANTATIONE PSALMORUM, ET COMMUNIONE CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI, ET ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ ET ADJURATIONE HOMINIS SECUNDUM PRÆDICTUM MODUM FIERI DEBET.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es panis vivus de cœlo deſcendens, qui ex quinque panibus quinque millia hominum ſatiaſti; tu hanc creaturam panis & caſei benedi † cere digneris ad inveſtigandas fraudes & verſutias inimici, ut quæ ipſe per furta ſeducendo celaverat, veritas tua manifeſtare dignetur; ita ut perceptum panem & caſeum deglutire non valeat, conſtricto gutture & gula tuâ juſſione; ſed ſtatim cum vomitu redeant, ut juſto judicio divinæ tuæ majeſtatis ſuperatus, ſuæ temeritatis obſtinatiam confuſam & ad-nihilum ſentiat eſſe redactam. Qui venturus.

Alia.

Domine Jeſu Chriſte, ayos, ayos, ayos, qui regnas in cœlis & dominaris in omnibus locis, judicans regna, & diſponens ſecundum voluntatem tuam omnia; tuum nomen ſuppliciter invocamus. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus omnium prophetarum & patriar-

Ooo ij

Caput VII. *De variis judiciis, &c.*

charum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus juſtorum omnium, & Dominus dominantium, quia tu es Deus ſolus, & non eſt alius præter te Domine, ut facias nobiſcum ſecundum miſericordiam tuam magnam, & ſepares ab iſto homine, in quo ſuſpicio furti in præſenti recitata habetur, diabolicum ſpiritum, & doloſitatem fraudulentam; bene ✝ dicas hunc panem & caſeum tua benedictione divina, ita ut per omnes apoſtolos tuos, & per omnes archangelos tuos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem fauces illius & guttur conſtringantur, & quicquid ex prædicto pane & caſeo ore perceperit, antequam ventris hoſpitia tangat cum ſanguineo vomitu illud rejiciat, ſicque tuo ſancto judicio convictus ac ſuperatus tremat & tremiſcat, requiemque non habeat, donec confiteatur admiſſum, hoc te jubente, qui venturus.

Alia.

Obſecro te, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui cælum terramque fundaſti, mare luminibus formaſti, & magna luminaria ſolem & lunam ſuper juſtos & injuſtos lucere feciſti; fac, Domine, ſignum tale, ut omnis mundus, omnis terra intelligat quia tu es Deus qui facis mirabilia magna ſolus; ut qui res jam dictas furati ſunt, & qui his conſentientes eſſe videntur, gulæ & linguæ & fauces eorum ita fiant conſtrictæ & obligatæ, ut panem & caſeum iſtum non poſſint manducare. Per.

Item alia.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domine Deus omnipotens, qui liberaſti Abraham de Ur Caldæorum, & tres pueros de camino ignis regis Babiloniorum, Sydrac, Myſac, & Abdenago, & qui in crucis patibulum pro redemtione humani generis aſcendiſti, & electos tuos tecum eduxiſti, impios vero in clauſtris tartareis dimiſiſti, judica cauſam iſtam ſecundùm judicium juſtitiæ tuæ, manifeſtando nobis hoc crimen, qui tuum ſecundum noſtram fidem quærimus munimen & examen qui venturus.

Conjuratio hominis.

Conjuro te, homo, per Patrem & Filium, & Spiritum-ſanctum, & per omnes ſanctos Dei qui illi placuerunt ab initio mundi uſque in hodiernum diem, & per tremendi diem judicii; ſi de hoc furto, aut crimine, quod tibi intenditur culpabilis ſis in actu, vel in conſilio, aut in conſcientia, ut panem & caſeum iſtum non poſſis manducare; niſi inflato ore, cum ſpuma, & gemitu, & dolore, & lacrymis, & faucibus tuis conſtrictis & obligatis, hunc cibum emittas, imperante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui venturus. Sancte Nicolae jam noſtra vota ſuſcipe, & apud Deum ſis nobis in adjutorium.

ORDO X.

Ex ms. pontificali Cameracenſi.

MISSA AD OMNIA JUDICIA FACIENDA PANIS ET CASEI, FERRI, AQUÆ CALIDÆ, AQUÆ FRIGIDÆ.

AD *miſſam introitus.* Juſtus es, &c. *Pſ.* Beati immaculati. *Collecta.* Adeſto, Domine quæſumus, plebi tuæ, &c. *Al.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſuperbis reſiſtis &c. *Al.* Rege noſtras, &c. *Alia.* Præſta quæſumus &c. Lectio Iſaiæ Prophetæ. Locutus eſt Iſaias propheta dicens: quærite Dominum, *&c. uſque ad* ad ignoſcendum. ℟. Cuſtodi me. ℣. De vultu tuo. Alleluia. Deus judex. Secundum Matthæum. Reſpiciens diſcipulos ſuos ait illis habete fidem, &c. *uſque ad* & fient vobis. *Offert.* De profundis. *Secreta.* Adeſto nobis, &c. *Al.* In conſpectu tuo Domine, &c. *Al.* Ab omni reatu, &c. *Communio.* Amen dico vobis. *Poſtcommunio.* Comprime Domine, &c. *Al.* Adſit nobis Domine, &c. *Al.* Quos refeciſti, &c.

Finita miſſa, veniat ſacerdos ad comprobandum Dei judicium qualecumque fuerit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Et faciat ignem accendi, benedicatque aquam, & aſpergat eam ſuper ignem, & ſuper aſtantes & circa domum ſive locum ubi Dei judicium agitur, & benedicat ignem hoc modo.

Domine Deus Pater omnipotens lumen indeficiens, &c. *Letania.* Kyrie eleiſon, &c.

Exorciſmus aquæ calidæ, vel frigidæ, vel ferri.

Exorcizo te creatura aquæ vel ferri, &c. & contremiſcat nomen ſanctum gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit. Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui es judex juſtus fortis & patiens &c. comprobet & manifeſtet. *Alia.*

Te, Domine, ſupplices deprecamur, qui in Cana Galileæ, &c. in omnibus gentibus per te redemtorem mundi. Qui vivis.

Tunc accedat ſacerdos ad ignem, & benedicat ferrum, ſive aquam ſive vomeres ita dicens: Deus judex juſtus, qui auctor es pacis & judicas æquitatem, &c. ſubdatur falſitas veritati. Per te Chriſte Jeſu.

Oratio.

Benedic, Domine, ſancte Pater, per invocationem ſanctiſſimi, &c. fiat manifeſtata. Per.

Alia.

Omnipotens Deus, ſuppliciter rogamus, &c. evacuare digneris. Per.

Benedictio.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper hoc ferrum, ſuper hos vomeres, ſive ſuper hanc aquam ad diſcernendum verum judicium. Amen.

Caput VII *De variis judiciis, &c.*

Tunc dicitur pſal. Domine exaudi. ij. Pater noſter. Salvum fac. Mitte ei. Nihil proficiat. Eſto ei Domine. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, &c. benignus & pacem. Per.

Tunc ille qui diſcutiendus eſt exorcizetur bis verbis.

Adjuro te, ô homo, *ſive* femina, per Deum Patrem, &c. in hanc aquam manum tuam. *Oratio.*

Liberet te Deus judex juſtus, ſicut tres pueros, &c. Hodie in te declaretur. Qui vivit.

Sacramentum.

Quod ergo ego pro illa diſcuſſione & ſeveritate, quam hodie ad judicium verum facere debeo, magis credo in Deum Patrem omnipotentem, quod ipſe potens eſt in hac re pro qua criminatus ſum modo juſtitiam & veritatem in me oſtendere, quam in diabolum & maleficiis ejus credere, aut juſtitiam & veritatem Dei irritare.

ORDO XI.

Ex vetuſtis codicibus monaſterii S. Sergii Andegavenſis.

Exactum super panem hordeaceum de aliqua re perdita.

Miſſa de Inventione S. Crucis.

Deus qui eccleſiam tuam & nova ſemper prole renaſcentium fœcundas, & reſipiſcentium à peccatis, atque ad te revertentium reparatione reſtauras: auge ſuper nos famulos tuos Spiritus-ſancti tui dona propitius, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ virtutis eſt operare. Per. in unitate ejuſdem. *Alia.*

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione merita, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum, da mihi fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ pietatis eſt operare. Per.

Exorciſmus panis vel caſei.

Domine Jeſu Chriſte appareat hic magna virtus tua & magna miſericordia tua ſuper hunc panem quem confirmaſti dextera tua, ut quoties de illo acceperit homo iſte, ſi veritas eſt quod culpabilis ſit de hac re unde reus putatur, aut facto aut conſenſu, tornet ſe panis iſte in giro & ſi veritas non eſt, non ſe tornet panis. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Suſannam de falſo crimine liberaſti, Loth de Sodomis, tres pueros de camino ignis ardentis. Agios. Agios. Exaudi Chriſte famulum tuum.

Alia.

Domine Deus omnipotens Agios. Agios. Agios. Domine ſancte Pater,

qui es inviſibilis, æterne Deus rerum omnium Creator. Deus Sanctus, mortalium & immortalium ordinator, qui cunctas res & arcana perſpicis, & cuncta noſcis ſcrutans corda & renes: Deus, deprecor te, exaudi verba deprecationis meæ, ut qui hoc furtum admiſit, panis vel caſeus iſte nec fauces ejus nec guttur tranſire poſſit. Domine, qui liberaſti Moyſen & Aaron de terra Ægypti; David de manu Saülis regis: Jonam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Theclam de tormentis, Suſannam de falſo crimine, tres pueros de camino ignis ardentis, Danielem de lacu leonum, Paraliticum de grabato, Lazarum de monumento, oſtende, Domine, tuam miſericordiam, ut qui hoc furtum admiſit, panis vel caſeus iſte fauces nec guttur ejus tranſire non poſſit.

Alia.

Exorcizo te, maledicte & immundiſſime draco, baſiliſce, ſerpens noxie, per Verbum veritatis, per Deum omnipotentem, per Agnum immaculatum de altiſſimis procreatum, de Spiritu-ſancto conceptum, de Maria virgine natum, quem Gabriel annuntiavit venturum, quem cum vidiſſet Johannes voce magna clamavit dicens: Hic eſt Filius Dei vivi: ut nullam habeat poteſtatem in pane vel caſeo iſto, ſed qui hoc furtum ad miſit, tremens manducans & tremebundus evomat quod accepit te jubente Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui cælum plaſmaſti, terram fundaſti, mare fluminibus firmaſti, & omnes cœlos fabricaſti, & magna luminaria ſolem & lunam ſplendere & lucere juxta diſciplinam ordinaſti: fac, Domine, ſignum tale, ut omnis mundus & omnis terra intelligat quia tu es Deus qui facis mirabilia magna ſolus. Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui res tales furatus eſt, aut qui in hoc conſcius eſſe videtur, ut gula & lingua, & faucibus ſuis conſtrictis & obligatis panem vel caſeum iſtum non poſſit manducare, per Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum, per tremendum diem judicii, per quatuor evangelia, per duodecim apoſtolos, per duodecim prophetas, per viginti quatuor ſeniores qui quotidie te laudant & adorant, per illum Redemptorem qui propter noſtra peccata manus ſuas in ſanctam crucem expandere dignatus eſt, qui iſtud furtum furatus eſt, nec panem, nec caſeum iſtum poſſit manducare niſi inflato ore cum ſpuma & lacrymis fiat conſtrictus, præſtante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Alia.

Domine Deus omnipotens, Agios, Agios, Agios, aſtans in cœlis & in terris, ſanctum & admirabile nomen tuum invocamus. Domine dominantium, Deus cælorum, Deus juſtorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus omnium juſtorum, invocamus te, ut quicunque furtum iſtud admiſit, apponatur ei creatura panis vel formatici, ut antea revomat quam pertranſeat: quia tu es Deus, & non eſt alius præter te, faciens mirabilia ſecundum magnam miſericordiam tuam. Separetur ab eo ſpiritus diaboli qui conſcius eſt: qui innocens eſt manducet; qui culpabilis eſt tremat, tremeſcat tanquam arbor tremulus, & requiem non habeat uſque dum

CAPUT VII. *De variis judiciis, &c.*

confiteatur te jubente ſancte Pater qui liberaſti Noë de undis diluvii; Danielem de lacu leonum, Petrum de fluctibus, Paulum de carcere, Jonam de ventre ceti, ſicut feciſti Pharaonem regem Ægypti mergi, ſicut ille mare ſiccum non pertranſivit, ſic nec pertranſeat gulam ejus donec confiteatur. Deus omnipotens judica cauſam iſtam. (a) *Et dabis ei inter panem & formaticum penſanante denarios ix. Panis debet eſſe ordeaceus abſque fermentio, & formaticus vervicinus Maienſis.*

Hoc debet ſcribi in circuitu formatici antequam incipiatur miſſa, & antequam cultro incidatur, & debet integer eſſe.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.

Et dabis ei tunc panem & formaticum pondus ix. denariorum panis ſit ordeaceus abſque fermento: formaticus maienſis de ovibus. ... quamdiu cantatur miſſa ſint ante altare qui de furto accuſantur, & unus homo juxta illos aut plures, qui eos prævideant ne aliquem dolum invicem loquantur. Cum vero ventum fuerit ad communionem, primus communicet ſe ſacerdos Corpore Chriſti, & poſtea benedicat panem & caſeum, juſte penſata ut ſupra diximus, & ſtatim communicet eos, ipſeque ſacerdos & cuſtos ipſos bene videat, qualiter unuſquiſque tranſglutiat. Poſtquam autem omnes tranſglutierint, arcentur omnes anguli gulæ eorum, ne quid remanſerit: Et ſic poſt hæc, dicat poſtcommunionem miſſæ.

(a) In alio codice.

ORDO XII.

Ex ms. pontificali Beccenſis monaſterii annorum 500.

BENEDICTIO AQUÆ AD FACIENDUM JUDICIUM.

Deus judex juſtus, fortis, auctor & amator pacis, patiens & multum miſericors, qui judicas quod juſtum eſt, & rectum judicium tuum; qui reſpicis terram & facis eam tremere; tu Deus omnipotens, qui per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum ſalvaſti, per ejus paſſionem genus humanum redemiſti, hanc aquam benedicere & ſanctificare dignare, & præſta, clementiſſime Pater, Dominator omnipotens, ut ſi quis innocens de hoc furto applicare voluerit, confeſtim ab iſta aqua in tuo nomine atque virtute ſanctificata ſuſcipiatur, & ſalvus, te præſtante Domino noſtro, permaneat; & ſicut filios Iſrael eductos de Ægypto in tranſitu rubri maris ſalvaſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti; ſic corpus innocentis, omnipotens Deus, ab omni læſione inſaniæ ſalvare dignare. Et ſi aliquis culpabilis vel noxius de hoc forte corde tumido, induratoque pectore, vel ſuperba mente reus de hoc furto in hanc aquam corpus ſuum apponere voluerit; tu Deus omnipotens tua pietate & rectiſſimo judicio tuo declarare & manifeſtare digneris, & jube

jube ut ab hac aqua non ſuſcipiatur, ſed videntibus famulis tuis rejiciatur, ut anima ejus per pœnitentiam ſalvetur. Et ſi ille nocens vel reus per aliquod maleficium vel per herbas, ſeu cauſas diabolicas cor ſuum induraverit, & peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quæſumus Domine, declarare dignetur. Per eumdem.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, qui auctor pacis es, & judicas æquitatem; humilibus te rogamus precibus, ut hanc aquam ordinatam ad juſtitiam & examinationem cujuſcumque dubietatis benedicere & ſanctificare atque ſuperna virtute tua perluſtrare digneris, ita ut ſi innocens de hoc furto unde purgatio quærenda eſt, in hanc aquam tua benedictione ſanctificatam corpus ſuum immittere voluerit, tua benigniſſima miſeratione confeſtim ab iſta recipiatur aqua, & poſtmodum illæſus appareat. Si autem culpabilis aut reus contempſerit, & quaſi tentator judicium tuum audierit, aut per herbas vel quæcumque tentamenta, ſeu molimina maleficioſa peccata ſua confiteri noluerit, ſed deffendere, inflatus per afflictorem malitiæ contra examen veritatis tuæ, juſtiſſime & miſericordiſſime Deus; ab hoc virtus tua quæ omnia ſuperat cum veritate quæ permanet in ſæculum ſæculi declaretur, ut reus de hoc furto ab iſta aqua tua virtute rejiciatur, quatinus juſtitiæ tuæ non .... iniquitas, ſed veritati ſubdetur falſitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate ſua te miſerante liberentur. Qui vivis, &c.

Explicit exorciſmus.

Poſtea jurent ſacramenta & accuſans & defenſor: quaſi duellum ingreſſuri jurent, & connectantur inſimul manus reprehenſi ſubſlexis poplitibus admodum hominis in campum artum intrantis. Deinde vero corda quadam quæ eum tenere circa lumbos queat alligetur, atque in corda ad longitudinem longioris capilli fiat nodus, & ſic in aquam ſuaviter, ne aqua commoveat ſe demittatur. Si vero uſque ad nodum demerſus fuerit, extrahatur ceu ſalvus: Sin autem, reus adjudicetur.

Romani propter theſaurum ſancti Petri & invidiam ſimul tulerunt Leoni papæ oculos & linguam olim: At ille evaſit vix è manibus eorum, & venerunt ad imperatorem Carolum ut eum adjuvaret de ſuis inimicis. Tunc imperator reduxit eum Romam, & reſtituit eum in locum ſuum; & theſaurum ſupradictum non potuit invenire aliter niſi per illud judicium. Quod judicium fecerunt beatus Eugenius & Leo & imperator ſupradictus Carolus, ut epiſcopi & abbates, & comites firmiter teneant & credant quia probatum habuerunt illi ſanti viri qui invenerunt.

Inquiſitus igitur ſi fuerit aliquis de furto, luxuria, adulterio, vel quacumque alia re, & noluit confiteri magiſtro, ſeniori, vel miſſo ſenioris: Iſta ratio erit. Pergens ſacerdos ad eccleſiam induat ſe veſtimentis ſacris, excepta caſula, ferens in læva ſanctum evangelium, cum chriſmario, & patrociniis ſanctorum, caliceque & patena, expectante eum plebe cum fure vel quocumque crimine implicito in atrio eccleſiæ, & dicat coram aſtante plebe in oſtio eccleſiæ.

Videte, fratres, chriſtianæ religionis officium. Ecce lex in qua eſt ſpes,

Digitized by Google

charitas, & remiſſio omnium peccatorum. Hæc chriſmatis unctio. Hic Corporis & Sanguinis Domini conſecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate & conſortio privemini, implicantes vos ſceleri alieno: quia ſcriptum eſt non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus damnabuntur.

Deinde vertens ſe ad criminoſum, dicat tam ei quam plebi.

Interdico tam tibi, quam & omnibus aſtantibus, ô homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per tremendum diem judicii, per miniſterium baptiſmatis, per venerationem omnium ſanctorum, ut ſi de hac re culpabilis es aut feciſti, aut bajulaſti, aut conſenſiſti, aut propter actam culpam denominatam ſciens factores juviſti, ut eccleſiam non introeas, chriſtianæ ſocietati non miſcearis, ſi reatum nolueris confiteri admiſſum.

Deinde ſignetur locus in atrio eccleſiæ, ut ignis fieri poſſit ad caldariam ſuſpendendam, in qua aqua bulliens efficiatur: ita tamen ut prius locus ille aqua benedicta aſpergatur, necnon & aqua quæ in caldaria eſt propter illuſiones diabolicas, & his peractis imponat introitum.

Juſtus eſt, &c. Beati immaculati in via, &c.

Abſolve, quæſumus Domine, delicta famuli tui, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxit tua benignitate liberetur, & in hoc judicio pro ut meruit, tua juſtitia præveniente, adverſitatis cenſuram invenire mereatur. Per Dominum, &c.

Lectio Iſaiæ prophetæ.

In diebus illis locutus Iſaias propheta dicens: Quærite Dominum, *&c. uſque* quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

℞. Cuſtodi me Domine. ℣. De vultu tuo. Alleluia. Domine exaudi.

Secundum Marcum.

In illo tempore, reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos, ait illis: Habete fidem Dei, *&c. uſque* Et evenient vobis.

Offertorium. De profundis. *Secreta.*

Interceſſio, quæſumus Domine, ſanctorum miſericordiæ tuæ munera noſtra commendet, ut quam merita noſtra non valent, eorum deprecationibus indulgentiam valeant obtinere. Per.

Communio. Amen dico vobis.

Poſtcommunio.

Perceptis, Domine Deus noſter, ſacris muneribus, te ſuppliciter deprecamur, ut hujus participatio ſacramenti & à propriis reatibus indeſinenter expediat, & in hoc famulo tuo veritatis ſententiam declaret. Per.

Deus, judex juſtus, fortis & patiens, qui es auctor pacis & amator juſtitiæ, & judicas æquitatem, reſpice ad deprecationem noſtram, & dirige judicium noſtrum, quia juſtus es & recta judicia tua ſunt, qui reſpicis terram & facis eam tremere, & tu Deus omnipotens qui per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum ſalvaſti, & per ejus ſanctiſſimam Paſſionem genus humanum redemiſti, tu hanc aquam igne ferventem ſanctifica, & ſicut tres pueros Sidrac, Miſac, & Abdenago,

Digitized by Google

juſſione regis Babylonis miſſos in caminum ignis accenſa fornace ſalvaſti, & illæſos per angelum tuum eduxiſti & Suſannam de falſo crimine liberaſti, tu clementiſſime Dominator præſta, ut ſi quis innocens de hoc crimine in hanc aquam ferventem manum ſuam mittat, ſanam & illæſam reducat, per te Salvatorem totius orbis, qui venturus es, &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es Salvator occultorum cordium, te ſupplices exoramus, ut ſi homo iſte culpabilis eſt, de rebus præfatis, vel incraſſante diabolo cor induratum habens præſumſerit in hanc aquam igne ferventem manum mittere, tua juſtiſſima veritas hoc declarare dignetur, & in ejus corpore virtus tua manifeſtetur, ut anima illius per pœnitentiam & confeſſionem ſalvetur; & ſi per aliqua maleficia, aut per herbas diabolica arte infectas peccata ſua contueri voluerit, tua dextra hoc evacuare dignetur. Per.

Item benedictio aquæ ferventis.

Benedico te, creatura aquæ, &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, te ſuppliciter rogamus, pro hujus negotii examinatione, &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tua judicia, &c.

Poſtea vero fumo myrrhæ odoretur & fumetur caldaria ſive urceolus, tam ſubtus quam & in circuitu, & dicatur iſta oratio.

Deus qui maxima quæque ſacramenta, &c.

Tunc lavetur manus examinandi de Sapone, & fiat adjuratio urceoli ſive caldariæ ante miſſionem manus.

Adjuro te, urceole, per Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum, &c.

ORDO XIII.

Ex ms. Rituali eccleſiæ Sueſſionenſis, tempore Nivelonis epiſcopi exarato.

INCIPIT OFFICIUM AD JUDICIUM AQUÆ.

JUſtus es, Domine, & rectum judicium tuum: fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam. *Pſ.* Beati immaculati.

Collecta.

Abſolve, quæſumus Domine, tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, & in hoc judicio, prout meruerunt, tua juſtitia preveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereantur. Per.

Lectio ad Epheſios.

Fratres: Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, *&c. uſque* neceſſitate patienti.

Reſp. Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes: ubi eſt Deus eorum? *Verſ.* Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui, Domine libera nos.

CAPUT VII. *De variis judiciis, &c.*

Alleluia. Deus judex, juſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcetur per ſingulos dies?

Secundum Marcum.

In illo tempore, cum egreſſus eſſet Jeſus in via procurrens quidam genuflexo, *&c. uſque* veni & ſequere me.

Offert. Immittit angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.

Secreta. Hoſtiam tibi, Domine, &c.

Preſbytero communicato, adjuretur homo ſic.

Adjuro te homo per ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, & per tuam chriſtianitatem quam ſuſcepiſti, & per ſanctum evangelium, & per ſanctas reliquias quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumas ullo modo communicare, neque accedere ad altare, ſi hoc feciſti, aut conſenſiſti, aut ſciſti quis hoc fecerit.

Tunc communicet homo.

Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi hodie ad probationem.

Communio. Juſtus Dominus & juſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Poſtcommunio. Per hoc ſacrum corpus, &c.

Deinde aſpergatur homo aqua benedicta.

Hæc aqua benedicta ſit tibi hodie ad comprobationem.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri. In te Domine ſperavi, *uſque* redemiſti me Domine Deus veritatis, *& ibi finitur cum* Gloria. Deus judicium tuum regi da. Inclina, Domine, aurem tuam & exaudi me. *Letania à Cardinalibus dicenda* Kyrie eleiſon, &c.

Conjuratio aquæ.

Conjuro te aqua, *&c. deſinit in hæc verba.* Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, qui etiam regnat & dominatur, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Conjuratio hominis.

Adjuro te ô homo, &c. *Deſinit in hæc verba* ut cognoſcant quia tu es Deus noſter benedictus qui vivis & regnas.

ORDO XIV.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Noviomenſis, annorum 400.

JUDICIUM AQUÆ FRIGIDÆ.

Cum vis hominem in aquam mittere ad comprobationem, iſta debes facere: Accipe illos homines, quos in voluntate habes mittere in aquam, & duc eos in eccleſiam, & coram omnibus cantet preſbyter miſſam. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicet, interroget eos ſacerdos, & adjurationem iſtam dicat.

Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per ſanctam Trinitatem, & per invocationem unigeniti Filii, & per veram chriſtianitatem quam ſuſcepiſtis, & ſanctum evangelium, & per iſtas reliquias quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumatis ullo modo communicare, neque accedere, ſi vos hoc feciſtis, aut conſenſiſtis, aut ſcitis quis hoc fecerit.

Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dixerit, accedat ſacerdos ad altare, & communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicabit, dicat per ſingulos, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſit tibi hodie ad comprobationem.

Hac eſt celebratio miſſæ ad judicium aquæ vel ferri: Juſtus es Domine.

Collecta.

Da quæſumus omnipotens Deus, nos tuam gratiam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus. Sic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos. Per Dominum.

Lectio Iſaiæ.

In diebus illis loquutus eſt Iſaias propheta dicens: quærite Dominum dum inveniri poteſt, & invocate eum dum prope eſt, derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas; & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Dominum noſtrum quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

℟. Cuſtodi me. ℣. De vultu tuo. Alleluia. ℣. De profundis.

Secundum Johannem.

In illo tempore, reſpiciens Jeſus diſcipulos ſuos ait illis: habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet, & ei: propterea dico vobis omnia quæcumque orantes petitis credite quia accipietis & venient vobis; & cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter qui in cælis eſt dimittat vobis peccata veſtra. Amen.

Off. De profundis. *Secreta.*

Ab omni reatu, Domine, nos ſancta quæ tractamus abſolvant, & eadem nos muniant à totius pravitatis & diabolicæ illuſionis incurſu. Per Dominum.

Communio. Amen dico vobis. *Poſtcommunio.*

Conſpirantes, Domine, contra tuæ plenitudinis firmamentum dextræ tuæ virtute proſterne, ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per eumdem Chriſtum.

Alia.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam ad examinandum rectum judicium: ut per adventum Spiritus-ſancti omnis falſitas diabolicæ artis procul remota exiſtat. Per.

Expleta miſſa, faciat ſacerdos aquam benedictam, & vadat ad illum locum, ubi homines probandi ſunt. Cum autem pervenerint illuc, det omnibus bibere de aqua benedicta. Cum autem dederit, dicat ad unum quemque eorum:

CAPUT VII *De variis judiciis, &c.*

Hæc aqua fiat tibi hodie ad comprobationem. *Poſtea vero convertat ſe ſacerdos aquam ubi illum mittit, & conjurat his verbis ſequentibus. In primis vero dicendum eſt:* Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina, *cum* Gloria. Kyrie eleiſon, *ter.* Chriſte eleiſon, *ter, & letaniam & nominibus ſanctorum recitatis, dicat hos verſus:* Pro hujus negocii qualitate te rogamus *ter*, & juſtitiæ non dominetur iniquitas ſed ſubdatur falſitas veritati. Te rogamus audi nos, *ter. Qua finita, cantet preſbyter* Pater noſter, Credo in Deum, *& dicat* Dominus vobiſcum.

Adjuro te aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & te juſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui etiam te juſſit ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Chriſti, Jeſu Filii Dei omnipotentis, ſub cujus pedibus mare elementum aquarum calcabile ſe prebuit, qui etiam baptizari in elemento aquarum voluit, & per individuam Trinitatem, cujus voluntate aquarum elementum diviſum eſt, & populus Iſraeliticus ſuper illud ſiccis veſtigiis tranſivit: ad cujus etiam invocationem Helyas ferrum, quod de manubrio ceciderat, ſuper aquam natare fecit ut nullo modo ſuſcipias hunc hominem, ſi in aliquo hoc eſt culpabilis quod illi obicitur, ſcilicet aut per opera, aut per conſenſum, aut per conſcientiam, aut per ullum ingenium ſed fac eum natare ſuper te, & nulla poſſit eſſe contra te aliqua facta cauſa, aut ulla proſtigatio, quæ illud non poſſit manifeſtare: adjurata autem per nomen ejus obedias cui omnis creatura ſervit quem Cherubin & Seraphin laudent, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercitum, qui etiam regnat & dominatur per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia oratio.

Deus qui maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde; ut creatura myſteriis tuis ſerviens, ad diabolicas & humanas fallacias detegendas, ad eorum figmenta & argumenta diſſolvenda, atque multiformes eorum artes deſtruendas, divinæ gratiæ ſumat effectum. Diſcedant huic omnes inſidiæ latentis inimici, quatenus veritas de his qui à nobis divini ſenſus & alieni cordis ignatis requiruntur, tuo judicio expetita per invocationem tui ſancti nominis patefacta clareſcat; & ne unde requirimus innocens injuſte damnetur, neque nocens à te qui lux vera es, cuique non ſunt obſcuræ tenebræ, & qui illuminas tenebras noſtras querentibus veritatem, impune poſſit deludere. Te quem occulta non tranſeunt oſtendente, & virtute tua, qui ocultor es & cognitor, declarante, fiant hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifeſta. Per, &c.

Alia oratio.

Omnipotens Deus qui baptiſmum fieri juſſiſti, & hominibus remiſſionem peccatorum in eo conceſſiſti: tu judex juſte juſtum judicium in aqua iſta diſcerne; ita ut ſi culpabilis ſit iſte homo de prænominata cauſa, aqua quæ eum in baptiſmo ſuſcepit nunc non ſuſcipiat: ſi autem innocens

ſit, aqua quæ eum in baptiſmo ſuſcepit nunc recipiat, nullumque maleficium tui examinis veritatem in iſto judicio prævaleat immutare, ſed contra cunctas dæmoniacas illuſiones obſtantibus ſancti Joannis Baptiſtæ meritis ad dignos fructus pœnitentiæ qui culpabilis eſt compellatur: Per te Salvator.

Alia.

Domine Deus omnipotens, qui aquarum ſubſtantiam arcanis tuis ſubter eſſe juſſiſti, nobiſque, Spiritu ſancto cooperante, per eam omnium peccatorum remiſſionem dediſti: Tu præſta per opera juſtitiæ tuæ, ut hæc aqua per virtutem ſanctæ Trinitatis quamvis fluens, tamen ſit ſanctificata & omnium phantaſmatum adinventiones expellat, detque juſtis & innocentibus de prænotata cauſa, pro qua diſcutiendi ſunt, ſecuritatem; reis quidem culparum manifeſtationem, ut uterque in ea probatione qua inventus eſtis, & probitatem juſtitiæ iſte per correptionem obdurationis laudent nomen ſanctum tuum in ea claritate qua permanes in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugant qui oderunt eum à facie ejus: ſicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cerea à facie ignis; ſic pereant peccatores à facie Dei, *ter cum* Gloria.

Poſt conjurationem autem & benedictionem aquæ, exuat illos veſtimentis eorum, & faciat illos per ſingulos oſculari ſanctum evangelium & crucem Chriſti: & poſt hæc de ipſa aqua benedicta aſpergat unumquemque conjurans his verbis.

Adjuro te N. per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per inſeparabilem Trinitatem, & per omnes angelos & archangelos, & per omnes ſanctos Dei, & per diem tremendi judicii Dei, & per omnia ſecreta cæli. Te adjuro per tres pueros Sidrac, Midrac, Abdenago, & per ſanctam Mariam matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per cunctum populum ſanctum Dei, & per illud baptiſmum quod ſacerdos ſuper te regeneravit, te adjuro ut ſi tu de hoc furto ſcis, aut vidiſti, aut bajulaſti, aut in domum tuam recepiſti, aut conſentiens vel conſentaneus exinde fuiſti, aut ſi habes cor induratum, aut ſi culpabilis inde es, evaneſcat cor tuum, & non ſuſcipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat. Hoc autem fac, Domine Jeſu Chriſte, ad laudem & gloriam & ad invocationem nominis tui, ut omnes cognoſcant quia tu es Deus benedictus qui vivis.

Tunc ſtatim projicies eos in aquam. Hæc omnia debent jejuni facere, neque illi antea comedent cibum qui ipſos mittunt in aquam.

Digitized by Google

Caput VII.
De variis judiciis, &c.

ORDO XV.

Ex eodem Noviomenſi codice.

Judicium ferventis aquæ, sive ferri, vel vomerum.

Inquiſitus aliquis de furto, vel adulterio, vel qualicumque re alia, & volens confiteri, magiſtro ſeniori vel miſſo ſenioris, iſta erit ratio. Exiens ſacerdos ad eccleſiam induat ſe veſtimentis ſacris, excepta caſula, ferens in lava ſanctum evangelium cum criſmario & patrociniis ſanctorum, calicemque cum patena, expectante eum plebe, cum fure, vel cuicumque crimini implicito in atrio eccleſiæ, & dicat coram aſtanti plebe in hoſtio eccleſiæ.

Videte, fratres, chriſtianæ religionis officium: ecce lex in qua eſt ſpes & remiſſio peccatorum, hic chriſmatis unctio, hic Corporis & Sanguinis Domini conſecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate & conſortio privemini, implicentes vos ſceleri alieno, quia ſcriptum eſt: Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte.

Deinde vertens ſe ad ſceleratum dic tam ei quam plebi: Interdico tam tibi quam omnibus aſtantibus, ô homo, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per tremendum diem judicii, per myſterium baptiſmatis, & per venerationem omnium ſanctorum: Aut ſciſti, aut bajulaſti, aut conſenſiſti, aut perpetratam culpam prænominatam ſciens juſſiſti, aut in eccleſiam non introeas, chriſtianæ ſocietati non miſcearis, ſi reatum volueris confiteri admiſſum antequam judicio examineris publico.

Deinde ſignet locum in atrio eccleſiæ ubi ignis fieri poſſit ad caldarium ſuſpendendum in quo bulliens efficiatur aut ferrum ignitum: ita tamen ut prius locus ille aqua benedicta aſpergatur, nec non & aqua quæ in caldario ſunt propter illuſiones diabolicas. Et his dictis, accedat ad altare, & imponit miſſæ officium quæ retro requirenda in frigidæ aquæ judicio. Poſt ejus celebrationem miſſæ, pergat ſacerdos cum plebe ad locum examinis aquæ calidæ ſive ferri: & in primis ignem ad aquam ſeu ad ferrum benedic ſic:

Domine Deus noſter Pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos quia tu es conditor omnium luminum: Benedic, Domine, hoc lumen quod à te ſignificatum & benedictum eſt, qui illuminaſti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur igne claritatis tuæ & ſicut igne luminaſti Moyſen; ita illumina corda noſtra & ſenſus noſtros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Tunc mittat ferrum in ignem, deinde incipiat letaniam, & in ea dicat: Pro hujus negotii qualitate, te rogamus audi nos. Ut rectum judicium oſtendere digneris, te rogamus audi nos. *Qua finita, cantet* Pater noſter *& preces iſtas*, Exurge, Domine, adjuva nos. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos. Non intres in judicio cum ſervis tuis, Domine. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Propitius eſto peccatis noſtris, Domine. Domine Deus virtutum converte nos. Oſtende nobis, Domine,

Domine, miſericordiam tuam. Salvum fac ſervum tuum. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquatum. Domine exaudi orationem meam.

CAPUT VII. *De variis judiciis, &c.*

Oratio.

Benedic, Domine, ſancte Pater, per invocationem ſanctiſſimi nominis tui, & per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque per donum Spiritus-ſancti paracliti, ad manifeſtandum verum judicium tuum, hoc genus metalli, ſive hanc creaturam aquæ, ut ſanctificatum & conſecratum ad manifeſtandum verum judicium tuum, ut omni dæmonum falſitate remota, veritas veri judicii tui fidelibus tuis manifeſta fiat. Per eumdem.

Alia.

Deus judex, juſtus, fortis & patiens, qui auctor es pacis, & judicas æquitatem: reſpice ad deprecationem noſtram, & dirige judicium noſtrum, qui juſtus es, & rectum judicium tuum, qui reſpicis terram & facis eam tremere; & qui per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeu paſſionem mundum ſalvaſti, genuſque humanum liberaſti; tu hoc ferrum fervens, *vel* hanc aquam igne ferventem ſanctifica; & ſicut tres pueros, Sidrac, Midrac, Abdenago juſſu regis Babilonii in fornacem ſuccenſam miſſos illæſos ſalvaſti, angelumque tuum mittens exinde eduxiſti; & Suſannam de falſo teſtimonio eripuiſti: ita clementiſſime Dominator oramus & petimus, ut quiſquis innocens de crimine prænominato hoc ferrum in manu portaverit, *ſive* in hanc aquam manum miſerit, ſanam & illæſam ſe habere ſentiat. Per eumdem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es ſcrutator occultor cordium te ſupplices exoramus, ut ſi homo culpabilis eſt de præfatis rebus, & diabolo ingravante cor ejus præſumpſerit hoc ferrum portare, *ſive* hanc aquam tangere, tua juſtiſſima veritas det pœnitentiam in corpore ut anima ejus ſalvetur in extremo examine. Si vero in aliqua diabolicæ deceptionis verſutia confidens reatum ſuum celare voluerit, tua ſancta dextera omnem illam calliditatem dæmonis evacuare dignetur. Per eumdem.

Poſtea deſignatum loci ſpatium ſive ad vomeres ponendos, ſive ad ferrum portandum aqua benedicta aſpergatur, & ferro de igne ſumpto, & juxta conſuetudinis modum, ligno ſuperpoſito, dicatur hæc oratio.

Deus judex juſtus, qui auctor pacis es, & judicas æquitatem; te ſuppliciter rogamus, ut hoc ferrum, ſive hanc aquam ordinatam ad juſtam examinationem cujuſlibet dubietatis faciendam benedicere & ſanctificare digneris: ita ut ſi hic homo innocens de prænominata & ſibi imputata cauſa, unde purgatio vel examinatio quærenda eſt; hoc ignitum ferrum in manum acceperit, & ſi culpabilis ſit atque reus, juſtiſſima ſit ad hoc virtus tua in eo veritatem declarandam, quatinus juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Per Dominum.

Tunc qui diſcutiendus eſt exorcizetur ita.

Adjuro te N. per Dominum omnipotentem, qui fecit cælum & terram,

mare, & omnia quæ in eis ſunt, & per Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui pro nobis natus eſt & paſſus, & per Spiritum-ſanctum, & per ſanctam Mariam Dei genitricem, & per omnes ſanctos angelos & apoſtolos, martyres, confeſſores, virgines; & ſi te culpabilem & reum de prænominato & tibi imputato crimine ſcias, aut ſuadente diabolo hoc ferrum accipe in manum ſive in hanc aquam mittere non præſumas. Si vero tam temerarius ſis, ut eodem crimine pollutus accipere preſumas, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti victus & confuſus abſcedas. Si autem in temetipſo ſecurus & innocens de hoc crimine ſis, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per ſignum hujus ſanctæ crucis licentiam, & fiduciam habeas accedere & ita ad ſecuritatem hoc ferrum in manus accipe ſive in hanc aquam manum mittere, & liberet te Deus judex juſtus ſicut tres pueros de incendia eripuit & Suzannam de falſo crimine liberavit: quatinus ſalus & virtus Domini noſtri Jeſu Chriſti in te declaretur, qui vivit.

Tunc dicat ipſe criminoſus hæc verba:

Quid ego pro illa diſcuſſione & ſecuritate quam hodie ad callidum ferrum ſive ad aquam calidam facere debeo, magis credo in Deum omnipotentem, quod ipſe potens eſt pro hac re pro qua criminatus ſum juſtitiam & veritatem in me oſtendere, quam in diabolum & ejus magicas artes credam illam juſtitiam, & veritatem irritare.

His dictis, ipſe criminoſus divinum ſuper ſe publice imprecetur teſtimonium; & ſtatim peragatur judicium. Quo peracto, membra quæ igni aplicata fuerint ſigillentur de cera benedicta. Tunc poſt judicium refectionem de aqua benedicta ſumant. Et poſtea uſque ad comprobationem judicii in omni cibo & potu ſuo ſalem & aquam benedictam admiſcere bonum eſt.

ORDO XVI.

Ex ms. codice monaſterii S. Nicolai Andegavenſis.

Benedictio ignis ad judicium aquæ callidæ.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quæſumus ut hunc ignem quem in nomine tuo & Filii tui Dei ac Domini noſtri Jeheſu Chriſti & Spiritus-ſancti benedicimus, & ſanctificamus, benedicere & ſanctificare digneris. Qui vivis & regnas.

Benedictio vel exorciſmus aquæ callidæ in quam manus ad judicium mittitur.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeheſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus-ſancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & omne phantaſma diaboli, ut ſi hic homo manum ſuam in te

miſſurus innocens eſt unde culpatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum, & ſi, quod abſit, culpabilis eſt, & præſumptuoſus in te manum mittere auſus fuerit, ejuſdem Dei omnipotentis virtus ſuper eum hoc declarare dignetur, ut omnis homo timeat & contremiſcat nomen ſanctum gloriæ Domini Dei noſtri, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat unus Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Domine Jeſu Chriſte, qui es judex juſtus, fortis, & patiens, & multum miſericors, per quem facta ſunt omnia, Deus Deorum & Dominus dominantium, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem de ſinu Patris deſcendiſti, & ex Virgine Maria carnem aſſumere dignatus es, & paſſione tua mundum in cruce redemiſti, & ad inferos deſcendiſti, & diabolum in tenebris exterioribus colligaſti, & omnes juſtos qui originali peccato ibidem detinebantur magna potentia exinde liberaſti, tu Domine quæſumus mittere digneris ſanctam virtutem tuam cæleſtem ſuper hanc creaturam aquæ, quæ ab igne ferveſcere atque caleſcere videtur, quæ rectum per eam judicium ſuper hunc hominem nobis comprobet ac manifeſtet. Te Domine Deus ſupplices deprecamur, qui tres pueros Sydrac, Miſach, & Abdenago de camino ignis ardentis illæſos eduxiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, & in Chana Gallileæ ſigno ammirabili tuæ virtutis ex aqua vinum feciſti, cœco nato oculos aperuiſti, Lazarum quatriduanum à monumento ſuſcitaſti, & Petro mergenti manum porrexiſti, ne reſpicias peccata noſtra in hac oratione, ſed tuum verum & ſanctum judicium coram omnibus hominibus in hoc manifeſtare digneris, ut ſi hic homo pro hac reputationis cauſa modo ad præſens manum ſuam in hanc aquam igne ferventem miſerit, & culpabilis ex hac cauſa non eſt, hoc ei præſtare digneris, ut nulla læſio vel moleſtia in eadem manu appareat, per quam ſine culpa calumniam incurrat. Qui vivis & regnas cum Deo in unitate, &c.

Sequitur oratio.

Te, Domine Deus, omnipotens Pater, nos indigni & peccatores famuli tui ſupplices exoramus, ut ſanctum, verum, & rectum judicium tuum nobis in hoc manifeſtare digneris: quatenus hic homo ex hac reputatus cauſa ſi per aliquod maleficium diabolo inſtigante aut cupiditate aut ſuperbia culpabilis eſt in facto vel conſenſu, & hoc comprobationis judicium ſubvertere aut violare volens, malo confiſus ingenio, manum ſuam in hanc aquam præſumptioſe mittere auſus fuerit, tua pietas hoc declarare dignetur, ut in ejus dignoſci manu queat quod injuſte egit, ut & ipſe deinceps per veram confeſſionem pœnitentiam agens ad emendationem perveniat, & judicium tuum ſanctum & verum in omnibus declaretur gentibus, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Per.

Alia.

Deprecor te, illuminator Domine omnium rerum, ſcrutator cor-

CAPUT VII *De variis judiciis, &c.*

dium & renum, & intellector cogitationum, qui corda & occulta abſconditaque, & ſecreta cogitationum & renes omnium noſti & vides, ut oſtendere digneris in palam omnia dubia & incertas res de quibus dubitamus, ut veritatem & juſtitiam poſſimus advertere, & inter mendacium & veritatem diſcernere, tua providentia donante, ſicut audivimus Heliam dicentem: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus omnium ſanctorum qui occulta cordis abſconditaque, cogitationis ſecreta, & renes omnium vides & noſti, quia tu es Deus Iſrael. Et Daniele confirmante, ſit nomen Domini benedictum à ſæculo & uſque in ſæculum, quia ſapientia & fortitudine ejus ſunt omnia, & ipſe mutat tempora & ætates, & transfert regna atque conſtituit, & dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam atque diſciplinam intelligentibus: ipſe revelat profunda & abſcondita, & lux cum eo eſt. Tibi, Domine, Deus patrum noſtrorum confitemur, teque laudamus atque benedicimus, precamurque ut veritatem iſtius rei manifeſtes nobis, ſicut feciſti inter mulieres apud Salomonem, & inter falſos judices, & Suſannam apud Danielem, & apud apoſtolos in eligendo apoſtolum: ita manifeſtare nobis digneris verum per tuam potentiam & fortiſſimum nomen tuum ſanctum, quia tu es benedictus in ſæcula ſæculorum.

Sequitur oratio.

Deus judex juſtus, fortis & patiens, qui es auxiliator verax, & judicas æquitatem, tu judica quod juſtum eſt, juſtus enim es Domine, & rectum judicium tuum: qui reſpicis ſuper terram, & facis eam tremere: Tu Deus omnipotens, clemens adeſto, qui per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum ſalvaſti, & per paſſionem ejus, & & lignum ſanctæ Crucis genus humanum redemiſti, tu hanc aquam ferventem ſanctifica, & qui tres pueros, ideſt Sidrach, Miſach, & Abdenago, juſſu regis Babylonici Nabuchodonoſor in caminum ignis miſſos per angelos tuos ſanctos eduxiſti, tu ſanctiſſime Pater omnipotens Dominator omnium regum judica quod juſtum eſt, & nobis indignis ſervis tuis per bonitatem tu m manifeſta. Per eumdem.

Pſ. Deus judicium tuum regi da. *Pſ.* Si vere utique.
Pſ. Deus ultionum. *Pſ.* Beati immaculati in via.
Et letania quandiu jurat homo.

BENEDICTIO FERRI CALIDISSIMI AD JUDICIUM.

DEus cujus notitiam nulla unquam ſecreta effugiunt, fidei noſtræ tua bonitate reſponde; & præſta ut quiſquis purgandi ſe gratia hoc ignitum tulerit ferrum, potentiæ tuæ indicio vel abſolvatur innocens, vel obnoxius detegatur. Per.

Item ut ſupra.

Deprecor te illuminator Domine. *totam.*
Deus judex juſtus. *totam. Et pſalmos & letania, ſicut ſupra.*

CAPUT VIII.

De probatione ſanctarum reliquiarum.

CAPUT VIII. *De probatione ſanctarum rel.*

Falſæ pro veris reliquiis aliquando venditatæ.

I. CUM nulla ſit res tam ſancta, qua tandem non abutatur humana cupiditas, non raro reperti fuerunt, qui ſive turpis lucri gratia, ſive ſuperſtitione cæca, quævis mortuorum oſſa pro veris ſanctorum reliquiis venditarent. Id de quibuſdam Græcis monachis teſtatur S. Gregorius lib. 3. epiſtola 30. quod ſcilicet, [nocturno ſilentio juxta eccleſiam S. Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum oſſa recondebant ſervantes ſibi, dum recederent. Qui cum deprehenſi fuiſſent, & cur hoc facerent diligenter fuiſſent diſcuſſi; confeſſi ſunt quod illa oſſa ad Græciam eſſent tamquam ſanctorum reliquias portaturi.] Sed & S. Iſidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 15. gyrovagos deſcribens manachos, docet quod ex his [alii membra martyrum, ſi tamen martyrum, venditant.] Id quod etiam de circumcellionibus aſſerit S. Auguſtinus in libro de Opere monachorum cap. 28.

Veræ igne probatæ.

II. Igitur ad vitandam omnem in re tanti momenti deceptionem, ubi de veritate ſanctarum reliquiarum dubium aliquod ſubiiſſet, viri ſancti eas igne probare ſolebant. Extat ea de re concilii Cæſarauguſtani anno 592. celebrati canon 2. [ut reliquiæ in quibuſcumque locis de Ariana hæreſi inventæ fuerint, prolatæ à ſacerdotibus in quorum eccleſiis reperiuntur, pontificibus præſentatæ igne probentur.] Narrat quoque Leo Marſicanus in Chronici Caſſinenſis libro 2. cap. 33. quod cum monachi quidam ab Jeroſolymis venientes, lintei particulam, cum quo pedes diſcipulorum Salvator exterſit, monaſterio ſuo obtuliſſent; & [cum à pluribus ſuper hoc nulla fides adhiberetur, illi fide fidentes protinus prædictam particulam in accenſi thuribuli igne deſuper poſuerunt, quæ mox quidem in ignis colorem converſa, poſt paululum vero amotis carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reverſa.] Aliud hujuſmodi probationis exemplum habemus in Vita B. Meinvverci epiſcopi Paderbornenſis cap. 109. apud Surium S. Junii, qui cum ad dedicationem monaſterii, quod conſtruxerat, ſeſe accingeret, [Miſſo autem à VVolffgango patriarcha Aquileienſi corpore S. Felicis cum duobus palliis,...... & experiri volens ſalutis ipſius auxilio ſi ſibi, ſuoque ſuccurrere poſſet populo, rogum maximum in medio clauſtri ſub divo fieri præcepit, in quem cum tertio corpus miſiſſet, totienſque in favillam redactus ignis fuiſſet, cum maxima omnium exultatione & laudum jubilatione corpus manibus propriis excipiens, ſuper principale altare detulit, & omnium venerationi ſolemnem ſanctum illum deinceps ha-

Digitized by Google

Caput VIII
De probatione ſanctarum rel.

beri inſtituit.] Quonam vero ritu probatio illa perageretur ex duobus mss. monaſterii S. Remigii Remenſis annorum 500. accipe.

Oratio ad probandas reliquias.

DOmine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. iij. *Pſal.* Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me feſtina, *cum* Gloria Patri, *& cum* alleluia *tribus vicibus. Pſal.* Exurgat Deus, *&c. uſque* Cantate Deo, pſalmum dicite, *tribus vicibus cum* Gloria Patri. *Hymnus.* Veni Creator Spiritus, &c. *Oratio.* Deus qui corda fidelium. *Antiphona.* Juſtus Dominus. *Pſal.* In Domino confido. *Antiphona.* Sanctis qui in terra ſunt. *Pſ.* Conſerva me, Domine. *Antiphona.* Igne me examinaſti. *Pſ.* Exaudi Deus. *Antiphona.* Hæc eſt generatio. *Pſal.* Domini eſt terra. *Antiphona.* Deus exaudi orationem. *Pſal.* Deus in nomine tuo. *Antiphona.* Beati quos elegiſti, Domine. *Pſal.* Te decet. *Antiphona.* Veritas de terra. *Pſal.* Benedixiſti Domine. *Antiphona.* Credidi propter. *Pſal.* Idipſum. *Antiphona.* Laudate Dominum de cælis. *Pſal.* Laudate Dominum in ſanctis ejus. *Antiphona.* Trium puerorum. *Pſal.* Benedicite. *Antiphona.* Te glorioſus. *Pſal.* Quicumque vult ſalvus. Dominus vobiſcum. Initium S. Evangelii ſecundum Johannem. In principio erat verbum. *Tunc letania uſque* Omnes ſancti, orate pro nobis. Kyrie eleiſon. iij. Chriſte eleiſon. iij. Kyrie eleiſon. iij. Pater noſter. Et ne nos. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. Et ſalutare tuum da nobis.

Oratio.

Domine Deus Jeſu Chriſte, qui es rex regum, & Dominus dominantium, & amator omnium in te credentium, qui es juſtus judex, fortis, & potens, qui ſacerdotibus tuis tua ſancta myſteria revelaſti, & qui tribus pueris flammas ignium mitigaſti: concede nobis indignis famulis tuis, & exaudi preces noſtras, ut pannus iſte, *vel* filum iſtud, quibus involuta ſunt iſta corpora ſanctorum, ſi vera non ſint, crementur ab hoc igne; & ſi vera ſint, evadere valeant, ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati, quatenus veritas tua tibi declaretur, & nobis omnium in te credentibus manifeſtetur, ut cognoſcamus, quia tu es Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pater noſter. *Tunc antiphona:* Igne me examinaſti. *Et dum incipitur in ignem reliquiæ ponantur tandiu donec ter finiatur ipſa antiphona cum pſalmo* Probaſti, Domine, cor meum, *& cum* Gloria Patri. *Sicque faciens reliquias utrum vera ſint an falſa reperies.*

Digitized by Google

CAPUT IX.

De arreptitiorum ſeu energumenorum adjurationibus.

I. EA eſt dæmonum in genus humanum malitia, ut non animas ſolum hominum occidere atque æternis ſuppliciis obnoxias reddere pertentent: verum ipſa etiam eorum corpora miris ſed diris modis exagitare aggrediantur: hancque ſævitiam in eos non modo exerceant, qui infidelitatis tenebris obvoluti aut lætalis peccati macula infecti, ſub ipſorum ditione miſere jacent; ſed in juſtos plerumque viros ac virtutis non vulgaris ſtudio commendandos, qualis ſanctus, ille præpotens, ſignis ac virtutibus toto oriente vulgatus, ad cujus limina populi ante confluxerant, ad cujus fores ſummæ iſtius ſæculi ſeſe proſtraverant poteſtates; à quo epiſcopi ſanctiſſimi, ſacerdotali auctoritate depoſita, contingi ſe ac benedici poſtulaverant, qui ab omni potu in perpetuum abſtinens, pro cibo ſeptem dumtaxat caricis ſuſtentari ferebatur, qui tandem, permittente Domino, per quinque menſes correptus à dæmone, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni ſolent ferre, perpeſſus eſt, uti refert Severus Sulpitius Dialogorum lib. I. cap. 14. Qualis etiam inſignis abbas Moyſes vir, teſte Caſſiano collatione VII. cap. 27. *ſingularis & incomparabilis*, qui tamen [tam diro confeſtim traditus eſt dæmoni, ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret.]

Caput IX. De arrept. ſeu energ &c. Dæmonum in homines malitia ſanctos aliquando viros exagitat.

II. Verum qui infirma hujus mundi elegit Deus ut fortia confundat, tantam rugientis Leonis rabiem non aliis ſuperari voluit armis quam omnino ſimplicibus ac ſpiritualibus, nam plerumque humili ad Deum prece arreptitios à dæmone liberatos fuiſſe, narrant paſſim hiſtoriæ ſanctorum. His præſertim armis adverſus eum dimicabat ſanctus Martinus, nam referente Sulpitio Dialogorum lib. 3. cap. 6. [Si quando exorcizandorum dæmonum operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat, neminem ſermonibus increpabat, ſicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum; ſed admotis energumenis, ceteros jubebat abſcedere, ac foribus obſeratis in medio eccleſiæ cilicio circumtectus cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat.] Tum vero cerneres miſeros diverſo exitu perurgeri.

Quibus armis eos impuget eccleſia.

Humili prece.

III. Aliquando etiam ad preces manus impoſitionem adjiciebat idem Sanctus. Ita Tetradii proconſularis viri ſervum à dæmonio liberavit. Nam [impoſita manu puero, immundum ab eo ſpiritum ejecit,] inquit iterum Sulpitius lib. de Vita S. Martini cap. 16.

Impoſitione manuum.

IV. Plerique crucis ſignum adverſus dæmones adhibebant, aquam benedictam alii, nonnulli orationem & jejunium, Chriſti edocti oraculo

Crucis ſigno, &c.

CAPUT IX. De arrept. ſeu energ. &c.

dicentis: Hoc genus dæmoniorum non ejici niſi in oratione & jejunio [Interdum cilicii ſui fimbriis aut epiſtolis miſſis corpora obſeſſa curabat] ſanctus ille monachus de quo Sulpicius libro 1. Dialogorum cap. 14. Communione etiam Corporis & Sanguinis Chriſti poſſe fugari dæmones exiſtimavere antiqui Patres nonnulli: unde & apud Caſſianum collatione VII. cap. 30. abbas Serenus, [communionem, inquit, eis (arreptitiis) ſacroſanctam à ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam: quin immo, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie impartiri eam debere cenſebant...... quæ ab homine percepta, eum qui in membris ejus inſidet Spiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur, velut quoddam exurens fugat incendium.] Atque hoc modo curatum abbatem Andromam alioſque plures aſſerit.

Exorciſmis.

V. Sæpius tamen adverſus arreptitios exorciſmis uſa eſt eccleſia, hinc Exorciſtarum officium, quod, utpote humile exercere non recuſavit S. Martinus, ſed diaconatui aliiſque ſublimioribus ordinibus longe prætulit. Eo munere fungebantur initio omnes chriſtiani, non clerici tantum, ſed etiam laici; ut conſtat ex Tertulliano in libro de Idololatria cap. 11. [Quo ore, inquit, chriſtianus turarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat? Ille quidem ſi excluſerit dæmonium, non ſibi placeat de fide. Neque enim inimicum excluſit. Facile debuit de eo impetrare quem quotidie paſcit.] Clarius Origenes libro 7. contra Celſum: Dæmones [chriſtianorum non pauci à patientibus abigunt, nulla re magica vel veneficiis, ſed precibus & ſimplici quadam adjuratione, quantum his niti poteſt ſimplicior aliquis: ita ut *rudes penitus* quidam id factitent, ſiquidem eorum verbis Chriſti inſidens gratia dæmonum cum vilitatem tum impotentiam arguit.] Poſtea vero exorciſtarum munus ad ſolos tranſiit clericos, ac ſpecialem conſtituit eccleſiaſticum ordinem, præſertim apud latinos, nam græci eo carent cujus officia omnia deſcribunt Hieronymus Mengus in ſingulari libello quem Bononiæ anno 1582. editum inſcripſit *Flagellum dæmonum*, cui Lugduni recuſo anno 1604. alterum libellum addidit cui nomen *Fuſtis dæmonum*; Valerius Polidorus in *Practica exorciſtarum* Patavinis typis anno 1582. mandata, & Petrus Antonius Stampa in libello de *Fuga Satanæ* Lugduni anno 1610. vulgata, quibus in quatuor Opuſculis varia congeruntur exorciſmorum genera, quæ cum facili negotio à quibuſvis conſuli queant, hic ultro à nobis prætermiſſa ſunt, contentis ea referre quæ in antiquioribus codicibus manuſcriptis reperimus.

ORDO

ORDO I.

Ad energumenos adjurandos.

Ex mſ. Pontificali Anglicano monaſterii Gemmeticenſis.

INCIPIT EXORCISMUS CONTRA DÆMONIUM.

Primitus faciat epiſcopus triduanum jejunium cum elemoſinis, & orationibus, & ſic inchoet exorciſmum, atque prius faciens latanias.

Adjuro te creatura aquæ in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, Filii Dei vivi regis & judicis noſtri, ut ſis purgata in ſanctificationem omnibus, & ne communiceris ullo ſpiritui immundo, ſed dabis honorem viventi atque regnanti Patri ac Filio & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum.

Item alia.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, ut fias aqua exorcizata ad effuganda, *&c. ut in miſſali Romano.*

Item alia.

Dominus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta, *&c. ut in miſſali Romano.*

Incipit exorciſmus ſalis in duabus collectionibus.

Exorcizo te creatura ſalis, *&c. ut in miſſali Romano.*

Alia.

Immenſam clementiam tuam, *&c. ut in miſſali Romano.*

Hic mittatur ſal in aquam & ſimul benedicant.

Deus invictæ virtutis auctor, *&c. ut in miſſali Romano.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, inſtaurator & conditor omnium elementorum, te deprecamur non noſtris adornati meritis, ſed de tuis præſumentes miſerationibus; ut hanc creaturam ſalis & aquæ benedicere digneris: ut ubicumque irrigaverit vel deguſtata fuerit, omnis ſpiritus immundus ab eo loco confuſus & increpatus effugiat, & tui nominis invocatione perterritus, plaſma tuum quod in te adire dignatus es relinquens abſcedat, nec ulterius in eo locum vel poteſtatem habeat commorandi. Per Dominum.

Alia.

Exorcizo te auctor diabolicæ poteſtatis, inventor malitiæ cum omnibus ſatellitibus tuis, præcipiens in nomine Patris, & Filii & Spiritusſancti: in nomine glorioſæ deitatis cui novem ordines angelorum & chori patriarcharum & apoſtolorum diebus ac noctibus proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt omnipotens, ut exeatis à creatura ſalis & aquæ iſtius cum omnibus inluſionibus omnibuſque malitiæ tuæ artibus: ita ut ubicumque creatura iſta

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

ſignaculo crucis Chriſti ingreſſa aut ſparſa fuerit, omnes ibi adinventiones malitiæ tuæ effugentur, & nullus eis ultra ibi locus relinquatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum viſibilium omnium creatorem cum æterno Patre, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

His peractis legat paſſionem Domini ſuper illam.

Scitis quia poſt biduum paſcha fiet *uſque* ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Erat autem paſcha & azyma poſt biduum *uſque* Maria Magdalene & Maria Joſeph aſpiciebant ubi poneretur.

Alia.

Egreſſus Jeſus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, *uſque* ibi ergo propter paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum poſuerunt Jeſum.

Ex hac aqua præparetur ei omnis uſus in cibo & in potu; ſed & balneum, ut interius exteriuſque illa invigetur. Et hanc facias ſuper eum adjurationem.

Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputaſti, qui unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti. Illum refugam leonem contemtum velociter adtende, & adcelera ut eripias hominem tuis formatum manibus à rapina & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum ſuper beſtiam quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam ſervis contra iniquiſſimum draconem fortiter ſtare, ne contemnat ſperantes in te, & dicat ſicut in Pharaone jam dixit: Deum non novi, nec Iſraël dimitto. Urgeat illum, Domine, dextera tua potens diſcedere à famulo tuo N. ne diutius præſumat captivum tenere hominem quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Adjuro ergo te, ſerpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet poteſtatem mittendi in gehennam, ut ab hoc famulo Dei qui in eccleſiæ præſepia concurrit, cum exercitu tuo feſtine diſcedas: Conjuro te non mea infirmitate, ſed virtute Spiritus-ſancti, ut diſcedas ab his quos omnipotens Deus ad imaginem ſuam fecit. Cede non mihi ſed myſteriis Chriſti. Illius enim te perurgeat poteſtas, qui te affigens cruci, ſuo ſubjugavit imperio. Illius brachium contremiſce, qui devicto gemitu inferi animas ad lucem produxit. Sit tibi terror corpus hominis. Sit tibi formido imago Dei. Non reſiſtas nec moreris diſcedere ab homine iſto: quoniam complacuit Chriſto ut in homine habitaret. Nec me infirmiſſimum contempnendum putes, quia imperat tibi majeſtas Chriſti. Imperat tibi apoſtolorum fides, imperat tibi patriarcharum chorus, imperat tibi prophetarum numerus, imperat tibi exercitus angelorum & archangelorum, throni, dominationes, & virtutes, poteſtates cherubim & ſeraphim, cum ſuis agminibus. Imperat tibi martyrum ſanguis. Imperat tibi ſacramentum crucis, imperat tibi myſte-rium virtutis. Exi tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocentium perſecutor. Da locum duriſſime, da locum impie, da locum Chriſto, in quo nihil inveniſti de operibus tuis, qui te ſpoliavit & regnum tuum deſtruxit. Qui te projecit in tenebras exteriores. Sed quid nunc turbulente recogitas? Quid temerarie

Digitized by Google

retractas reus omnipotenti Deo, cujus ſtatuam tranſgreſſor crucifigere præſumpſiſti, reus humano generi, cui mors tuis perſuaſionibus venit: Adjuro ergo te draco nequiſſime, in nomine Agni immaculati, qui ambulabat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem & draconem, ut diſcedas ab homine iſto, diſcedas ab eccleſia Dei. Contremiſce & effuge, invocato nomine illius, quem inferi tremunt, cui virtutes cælorum & poteſtates & dominationes ſubjectæ ſunt, quem cherubim & Seraphim indefeſſis vocibus laudant. Imperat tibi Verbum quod caro factum eſt. Imperat tibi natus ex Virgine, imperat tibi Jeſus Chriſtus Nazarenus, qui te cum ejus diſcipulum temptares, eliſum & proſtratum exire juſſit ab homine: quo præſente, cum te ab homine ſeparaſſet, nec porcorum greges præſumebas contingere. Recede ergo, recede, nunc adjuratus in nomine ipſius, qui iſtum plaſmavit, durum tibi eſt contra ſtimulum Dei calcitrari, quicquid tardius ex his ſupplicium tibi creſcit, qui non hominem contemnis, ſed illum dominatorem vivorum & mortuorum cui univerſitas tacet. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te ſupplices deprecamur, impera diabolo, qui hunc famulum N. detinet, ut ab hoc recedat: & libera eum qui credit in verum liberatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut expurgatus ab omni labe iniquitatis, majeſtati tuæ pura mente deſerviat, conſecutus gratiam Spiritus-ſancti, qui cum Patre & Filio & Spiritu-ſancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Non ego impero tibi, neque peccata mea, immundiſſime Spiritus; ſed imperat tibi Agnus immaculatus Jeſus Chriſtus Dominus noſter Dei Filius. Urgent te angeli, urgent te archangeli, urgent te prophetæ, urgent te apoſtoli, urgent te martyres, urgent te confeſſores: deficiant ergo artes diaboli in die, in nocte, in menſe, in hora, in momento. Redde ergo membris fortitudinem, redde animæ ſanitatem; non temtabis eam, non morti tradas. Non in eſca, non in potu, non locis publicis reſideas, non ſupervenias vigilanti, non dormienti, non mentem moveas, nec ſeducas à via veritatis; nec impedias quærentem vitam æternam. Recede ergo à capite, à capillis, à ſcapulis, à lingua, & ſub lingua, à brachio, à naribus, pectore, ab oculis, à venis, ab inteſtino majore & minore. Separa te à famulo N. ſicut ſeparavit Deus Pater omnipotens cælum à terra, lucem à tenebris, veritatem à mendacio, bonum à malo, dulce ab amaro; quia vincit te Chriſti potentia, quem tu vincere non potes. Vincat te Dominus noſter Jeſus Chriſtus, teque damnare faciat in ſempiternum. Deſcendat ad nos Domine gratia tuæ pietatis. Signo caput tuum, ſicut ſignavit Dominus omnipotens omnes infirmos in Chana Galileæ. Signo oculos tuos, ut ex ipſis expellatur diabolus qui lædit omnem carnem. Benedico te ſicut benedixit Deus oculos cæcorum qui in evangelio leguntur. Signo omnia membra tua, ut

ex ipſis expellantur diaboli qui lædunt omnem carnem. Benedicat te Dominus ſicut benedixit domum Abraham, Iſaac, & Jacob. Fiat ſanitas Domini ſuper te, ſicut ſanavit Dominus mulierem a fluxu ſanguinis. Cuſtodiant te angeli & archangeli: protegat te Iſraël, & adjiciat ſanitatem & benedictionem tuam ✠ hic & in futuro ſæculo. Amen.

Item alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, quæſumus humili prece divinam clementiam tuam, ut famulum tuum N. quem conſpicimus ab antiquo hoſte graviter tentari, & ſenſus ſuos à livore ſatanæ perturbari atque vexari, ab ejus impetu clementer eripias: ut hi qui in eccleſia tua poſiti & per baptiſmatis tibi ſacramentum conjuncti nomen ſanctum tuum confitentur, nulla poſſint adverſitate diabolicæ tentationis ſubverti. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, a cujus facie cæli deſtillant, montes ſicut cera liqueſcunt, terra tremuit; cui patent abyſi, quem infernus paveſcit, quem omnis irarum motus aſpiciens fugit. Te ſupplex deprecor, Domine, ut ad invocationem nominis tui ab hujus famuli tui vexatione inimicus confuſus abſcedat, & ab ejus poſſeſſione anima liberata ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremque ſuum diabolico fœtore depulſo, & odore ſuaviſſimo Spiritus ſancti percepto ſequatur. Per.

ORDO II.

Ex ms. codice S. Gatiani Turonenſis ab annis 800. exarato.

INCIPIT EXORCISMUS SUPER HOMINEM QUANDO A DÆMONIO VEXATUR.

CONjuro & obteſtor te diabole per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & imperium ejus, & virtutem ſanctæ Trinitatis, & omnipotiam ejus, ut exeas, ſatanas & omnis diabolica poteſtas, de homine iſto. Abſque læſione animæ & corporis ſui exeas omnino, nec ſtare, nec diſcurrere, nec latere, nec ſævire in corpore iſtius & ſpiritu & anima aut veſtimento non præſumas, ſed profugus abſcedas, nullumque veſtigium tui doloris in anima iſtius vel carne ſeu oſſa derelinquas. Exi, immunde ſpiritus, quicumque es, aut unus aut plures, qualecumque vobis nomen eſt. Exite velociter de capite illius, & de capillis ejus, de toto iſto homine, de vertice, de fronte, de ſuperciliis, de oculis, de timporibus, de auribus, de naribus, de fiſtulis, de mittilagine, de maxillis, de lingua, de ſub-lingua, de dentibus, de ore, de gutture, de gula, de altera gula, de uva, de palato, de aere, de anhelitu ipſius, de pectore, de cogitatione, de labiis, de faucibus, de gengivis, de utroque collo, de jugulis, de humeris, de ſcapulis, de aſcellis, de inter ſcapulis, de dorſo, de ſpinata, de medullis omnibus. Evola, procede conſtrictus

per potentiam ſanctæ Trinitatis & nominis Dei omnipotentis. Effuge liquefactus, de ventre, de viſceribus, de femoribus, de genibus, de ſuffraginibus, vel ſuris, de cruribus, de quatuor talonibus, de pedibus, de plantis, de calcaneis, de articulis, de interarticulis, de ungulis omnibus, de venis univerſis, de oſſibus cunctis, de nervis, de arteriis, de omnibus cannis, de omni ſanguine ſuo, de omni humore illius, de totis quinque ſenſibus ejus, de genitalibus locis, de ſemine, de inguinibus, de pectine, de veſica, de foramine alvi, de urina, de ſudore, de omni egeſtione ipſius expelleris in nomine Jeſu Chriſti crucifixi qui reſurrexit. Exi de felle, de epate, de juncturis omnibus, de inteſtinis, de ſtomacho vel ventriculo, de ſpleno. Procede omnino numquam reverſurus ibi. Exi de adipe, de reticulo, de renunculis, de corde, de ſub corde, de pulmonibus, de omnibus cordis pulmonum & corporis & carnis. Exi de renibus, de lumbis, de lateribus, de coſtis, de iliis, de colis, de vertebris, de natibus, de internatibus, de teſticulis, de omnibus fibris vitalibus, de anima, de umbilico, de mamillis, de intervivio, de mula, de inteſtina groſſiore, de pilis, de omni cute ipſius, de toto corpore ejus, de cunctis cibariis & omni pane ſuo, de toto potu, de omni motu illius abſcedas, nec appropinquare, nec malos aeres, nec fœtidos horrores, vel inſidias ullas ei ingerere præſumas, ſed expulſus extra mundum iſtum per virtutem & ſignum ſanctæ crucis Redemtoris noſtri, quæ eſt arma chriſtianorum & triumphus Domini Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri per quem victus & ligatus es ut paſſer in ſolitudine vacuus extra mundum mox concitus & conſtrictus pectus per invocationem & virtutem nominis Dei omnipotentis. Exite in iſta hora & memento, Spiritus immundi, ſi plures eſtis qui invaſiſtis hunc hominem. Evolate & evaneſcite, & hunc hominem ſanum & integrum & ſincerum corpore & anima & ſpiritu in Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervitio in perpetuum derelinquite. Exi, *vel* exite anathemate, non remaneatis nec abſcondamini in ulla compagine membrorum iſtius aut flatum ejus in nullo domorum ſuarum angulo per ullum argumentum aut calliditatem vos recelare præſumatis, neque quæ ſunt ejus contingatis aut obſideatis, non veſtimenta illius, non viros, non fœminas, non pecora, non jumenta, neque omnia quæ ſua ſunt ullo modo invadere præſumatis, ſed catenati & frænati, per imperium & poteſtatem & regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti & creatoris mundi, exſules effugeatis, parteſque illas petatis ubi nullam creaturam Dei lædere præſumatis. Date locum valde & honorem mox Deo omnipotenti ſub cujus omnia dominantur imperio, cui inſenſibilia obediunt elementa, Virtus illius te expellit & exire cogit cum omni turba tua qui de Maria Magdalene ſeptem fugavit dæmonia, qui regna mortis per te inventa deſtruxit, & de poteſtate tua electos ſuos abſtulit. Ipſe eſt Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ, qui ex ore Patris prodiit ante luciferum. Teque deprecamur & invocamus te, Deus omnipotens, ſancta Trinitas, ut hominem ad pietatem tuam petentem jubeas emundare ab omni inſidia dæmonum, & dolores & immiſſiones

CAPUT IX *De arrept. ſeu energ. &c.*

eorum. In nomine Jeſu petimus te Deum Patrem & Spiritum-ſanctum ut virtus tua afferatur in hunc hominem ægrotum, & corrobare eum digneris ad vitam æternam. Legimus & credimus, Domine in evangelio ſancto tuo, quod cum omni imperio Dominus Jeſus filius tuus ſpiritus immundos ejiciebat, & paſſiones ab ipſis inlatas potenter curabat, ut impleretur quod dictum eſt à Domino per Iſaiam prophetam: Ipſe infirmitates noſtras & ægritudines portavit, & livore ſuo plagas noſtras curavit. Tu, Domine, Salvator mundi apoſtolis tuis ſanctis & omnibus intercedentibus poteſtatem dediſti Spiritus immundos de hominibus ejicere & curare omnes languentes & omnes infirmitates per invocationem ſancti nominis tui. Tu dixiſti, Domine: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini hic ſalvus erit*; & : *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Tu Domine dixiſti: *Si habueritis fidem, & dixeritis monti huic tranſi hinc & tranſiet.* Tu dixiſti, Domine: *Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe.* Nos credimus te Deum eſſe omnipotentem, & omnia apud te poſſibilia eſſe; teque ſancta Trinitas invocamus. Exaudi nos, Domine Jeſu Salvator noſter, & per ſanctum nomen tuum petimus ad Patrem & Spiritum-ſanctum, ut ſervum tuum hunc nomine ill. ab omni incurſu dæmonum jubeas emundare, & omnem infirmitatem quam ingeſſerunt aut in anima aut in corpore illius medicina tua jubeas ſanare. Tu, Domine, dixiſti: *Non eſt opus ſanis medicus ſed ægrotis*, & dignatus es dicere: *Non veni vocare juſtos ſed peccatores.* Tu es Deus verus, & tu ſolus bonus cum Patre & Spiritu-ſancto mediator Dei & hominum & propitiatio pro peccatis noſtris Jeſus Chriſtus Filius David ſecundum carnem in fine ſæculorum. Fili Dei vivi omnipotentis ab omnipotente genitus ante ſæcula ſemper es factor primi ſæculi cum Spiritu-ſancto. Mitte omnes ſanctos angelos atque archangelos. Mitte ſanctum archangelum Gabriel, ſanctum Michael, ſanctum Raphael, ut adſint & defendant, & tueantur hominem tuum hunc ill. quem tu plaſmaſti cui animam tu dediſti & Sanguinem tuum pro ipſo fundere dignatus fuiſti. Protegant illum, illuminent vigilantem, cuſtodiant dormientem, & ab omni infeſtatione diabolica ita reddant ſecurum; ut nullam deinceps poteſtatem habeat in corpore, in corpore ejus pars iniqua nec ingredi præſumat, nec animam illius, neque corpus ejus nequaquam lædere, fatigare, aut terrere, aut tentationibus titillare præſumat. Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui-ſancto & recede ab hoc famulo Dei ill. per hoc ſignum ſanctæ † crucis quod nos fronti ejus damus. Tu maledicte diabole numquam audeas violare, & in eo amplius non præſumas ſtare. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum & cum eodem Spiritu.

Alia.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiri-

Digitized by Google

tus-ſancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei ill. Ipſe enim tibi imperat maledicte damnate qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexerit. Ergo maledicte diabole, *ut ſupra.*

Item alia.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei ill. Ipſe enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæci nati oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte diabole, *ut ſupra.*

Item alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, oſanna in excelſis, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputaſti, *&c. ut ſupra.*

Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te ſupplices deprecamur, impera diabolo, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Non ergo impero tibi neque peccata mea, immundiſſime ſpiritus, ſed imperat tibi Agnus immaculatus, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, petimus humili prece divinam clementiam tuam, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, à cujus facie cæli diſtillant montes, *&c. ut ſupra.*

Alia.

Exorcizo te, auctor mortis diabole, inventor omnis malitiæ cum omnibus ſatellitibus tuis, præcipiens in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus- † ſancti, in nomine glorioſæ deitatis, cui novem ordines angelorum & archangelorum diebus ac noctibus proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ut exeas per hanc ſanctificationem creaturæ ſalis & aquæ iſtius, cum omnibus illuſionibus, cum omnibus infeſtationibus, omnibuſque malitiæ tuæ hoſtibus: ita ut ubicumque creatura iſta ſanctificata ſigno crucis Chriſti ingreſſa aut aſperſa fuerit, omnes inde adinventiones malitiæ tuæ effugiantur, & nullus tibi ultra locus tuæ malignæ habitationis inveniatur. Per.

Item orationes aliæ.

Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, invoco ſanctum nomen tuum ac præclaræ majeſtatis tuæ, ut mihi auxilium præſtare digneris adverſus hunc nequiſſimum ſpiritum, ut ubicumque latet, audito nomine tuo velociter exeat & recedat. Ipſe tibi imperat, qui te de ſuperna cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi

Caput IX *De arrept. ſeu energ. &c.*

imperat qui te retrorſum redire præcepit. Audi ergo, & time ſatana; victus & proſtratus abſcede in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tu ergo nequiſſime ſatanas, inimicus fidei & generis humani, mortis raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, initium diſcordiæ, excitator dolorum, dæmonum magiſter, quid ſtas & reſiſtis, cum ſcis eum tuas perdere vires? Illum metue qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in Agno occiſus, in Homine crucifixus, deinde triumphator reſurrexit. Recede in nomine Patris, & Filii, & da locum Spiritui-ſancto per hoc ſignum ſanctæ crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum eodem Patre vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus-ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Deus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam manibus tuis ſanctis & propriæ tuæ divinitatis ore formaſtis: reſpice ſuper hunc famulum tuum ill. qui dolis invidi ſerpentis appetitur, quem vetus adverſarius & hoſtis antiquus atræ formidinis horrore circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defregit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle, quæſumus Domine, virtute tua diaboli fallacis inſidias, procul impius tentator aufugiat; ſit nominis tui ſigno famulus tuus & animo* totus & corpore. Tu pectoris hujus interna cuſtodias, tu viſcera regas, tu corda confirmes: inania adverſariæ poteſtatis tentamenta vaneſcant. Da ad invocationem tui hanc gratiam, ut qui huc uſque terrebat, territus abeat, victus diſcedat, tibique poſſit hic ſervus tuus corde firmato & mente ſincera debitum præbere famulatum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum.

* *ideſt* totus.

ORDO III.

Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n. 3866. annorum circiter 600. & Vindocinenſi ejuſdem ætatis.

AD SUCCURRENDUM EI QUI A DÆMONIO VEXATUR.

IN primis quando infirmus, qui à dæmonio vexatur, venerit ad ſacerdotem; ducat eum ſacerdos in eccleſiam ante altare, & diligenter inquirat, ſive maſculus ſit ſive femina, quomodo aut qualiter illi eadem paſſio evenerit; & antequam egrediatur eum, ſacerdos proſternat ſe in crucem ante altare canendo vij. pſalmos pœnitentiales, adjiciens iſtam orationem.

Domine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulo tuo qui à dæmonio vexatus, ad miſericordiam tuam confugit. Per.

Poſtquam dextra ſurrexerit, confiteatur infirmus omnimodis Deo & ſacerdo-

cerdoti omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam. Deinde faciat ſacerdos letaniam, ſanctificet ſalem & aquam, cum iſtis orationibus.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis, per Deum creatorem & creaturarum omnium auctorem; & qui inter reliqua ſua opera adjungere dignatus eſt virtutem ſalis & ignis, ut armata per Spiritum ſanctum virtute cæleſti graviſſimum perſequaris inimicum. Unde & tu creatura ſalis in præſenti opere implicata, in virtute ſancta Domini noſtri Jeſu Chriſti perſequere diabolum & omnes inſidias ejus; & ab hominum, ubicumque perfuſa fuerit, viſceribus, abſque ulla moleſtia omnes infirmitates expelle, & omni accipienti animæ profutura ad ſalutem perpetuam fias, & perniciem perpetuæ ultionis excludas. Per eum qui venturus.

Benedictio ſalis.

Benedic, Domine, hanc creaturam ſalis, quam benedicimus in nomine tuo ſancto, & Filii tui Jeſu Chriſti, & Spiritus-ſancti, ut ſit ardens adverſus inſidias diaboli, & ſanitatem præſtet dolorem patienti. Per.

Præſta quæſumus, Domine, ſalutare remedium per hanc benedictionem qua benedicimus hanc creaturam ſalis ut ubicumque interceſſerit ad ſanitatem corporis, proficiat & animæ. Per.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hanc creaturam ſalis in tuo nomine. Deus omnipotens, Deus cælorum, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus patriarcharum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus omnium ſanctorum, in uſum humani generis ſanctificare digneris hanc creaturam ſalis; ſicut benedixiſti ſalem in manu Salomonis, & dixiſti ei: accipe ſalem ſapientiæ; & da populo venienti ad credulitatem, ut cæleſtis medicina maneat in viſceribus eorum; & ſicut benedixiſti ſalem quem dediſti in manu Elizæi prophetæ qui dixit: afferte mihi vas fictile, & mittam in illud ſal, & attulerunt ei; & venit ad exitus viarum, & projecit ibi ſal; & benedixit ſal, & ſanavit Deus aquas illas, & non erat moriens neque ſterilis ab eis, & ſanatæ ſunt aquæ uſque in hunc diem; ſic benedicere digneris hunc ſalem, ut quicumque guſtaverint ex eo, accipiant ſanitatem corporis, integritatemque mentis, & tutelam ſalutis, & corroborationem fidei, ſanet & cuſtodiat animas, & omnia membra eorum à languore peſſimo, & ab inſidiis diaboli, & proficiat ad ſalutem corporis & animæ. Per.

Gratias agimus tibi & nomini tuo, omnipotens Deus, qui mittere nobis dignatus es Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui dedit nobis hunc intellectum, & hanc ſcientiam, unde reſiſtere diabolo & inſidiis ejus poſſumus, benedicendo hanc creaturam ſalis, quam tu Spiritu-ſancto illuſtres, ut ſi quis acceperit ex hac creatura tua, accipiat virtutem Spiritus-ſancti adverſus omnia tela & jacula inimici. Per eum qui venturus.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum vivum creatorem tuum &

CAPUT IX. *De arrept ſeu energ. &c.*

omnium creaturarum auctorem, qui te ab initio Verbo ſeparavit ab arida, & tam ad potandum quam ad abluendum omne quod eſt ſordidum decrevit, ac retinens naturalem & inſitam tibi à Deo virtutem datam, ſicut palpabiles abluis ſordes, ita addita virtute ad invocationem divinam inviſibiles ſi quæ in eo ſunt ſordes aſpetſione tua Chriſto jubente in nomine ejus expurges. Per eum qui.

Salis aquæ.

Benedic, Domine, hanc creaturam aquæ, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ut ſit in ea per invocationem ſancti tui nominis corporis ſanitatem & tutelam animæ ac defenſionem mentis.

Alia oratio.

Benedic, Domine, hanc aquam adverſus generis humani inimicum, & mitte Spiritum-ſanctum tuum ſuper eam, ut armata cæleſtis defenſione virtutis, cunctis præcipientibus proficiat ad ſalutem. Per.

Benedic, omnipotens Deus, has aquas, quas adverſus* humani generis ad abluenda omnium peccatorum crimina præſtitiſti, ut invocato ſuper eos nomine ſancto tuo, ubicunque aſperſæ fuerint, vel vel à quolibet potatæ, ſalutaris tui munus inviolabile per has aquas tribuatur, & omne ſordidum effugetur, & tuæ pietatis beneficium in omnibus convaleſcat. Per.

* *adde* hoſtem.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, exaudi preces noſtras, ſicut exaudire dignatus es Moyſen famulum tuum in mari rubro, per hoc quod Pharao in populo tuo exacerbavit, ut ipſe marinus exercitus necaretur; & ſicut Elizeus propheta cum populus tuus aquam guſtare non poſſet ſalem accepit ac projecit ad exitus viarum & benedixit eas & dixit: *Sanabit Dominus aquas iſtas & non erit in eis mors, neque ſterilitas, neque infirmitas & ſanatæ ſunt aquæ*; ita tu, Domine, ſana aquas iſtas, & ubicunque aſperſæ fuerint per domos ſive angulos domorum, vel ubicumque inimicus celatus fuerit, ſtatim confuſus & increpatus effugiat, quatinus ſit nobis, Domine, hæc aqua aſperſionis aqua virtutis, aqua refrigerans diaboli vim vel interitum, ut liberatus hic famulus tuus agat tibi Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, laudes & gratias. Per.

Deus invictæ virtutis auctor, &c. Deus qui ad ſalutem humani generis, &c. *ut in Miſſali Romano.*

Hic mittatur ſal in aquam.

Fiat commixtio & conſecratio ſalis & aquæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.

Benedictio ſalis & aquæ pariter.

Deſcendat, omnipotens Deus, benedictio tua ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, & cunctam familiam tuam protege atque defende, corporis medicinam tribue, atque ignem diabolo inextinguibilem. Per.

Magnitudinem potentiæ tuæ interpellamus, omnipotens Deus, qui ex uno fonte paradiſi quatuor flumina produxiſti, & ex eo per angelum tuum

Digitized by Google

Agar fontem oſtendiſti, & eo Iſmael ſitientem potaſti, qui pueri Abrahæ in Meſopotamiam ad fontem preces exaudiſti, & omne ejus deſiderium adimpleſti, qui famulo tuo Moyſi petram percutere juſſiſti, & populum in deſerto potaſti, qui aquam amaram immiſſo ligno ad dulcedinem revocaſti, ſit ſimul hæc benedictio ſuper hanc creaturam aquæ & ſalis, ut ubicumque aſperſæ fuerint, vel portatæ in nomine majeſtatis tuæ, omnes ſævas jactationes inimici impingant atque repellant. Illud etiam rogamus ac petimus, ut ſicut angelum tuum Raphaelem ad domum Raguelis mitteredignatus es, ut Haſmodeum dæmonem ligaret, ſimile ſit beneficium huic domui, ut ubicumque aſperſæ fuerint, propitius habitatoribus illis eſſe digneris, ut numquam illis inimicus ſuggeſtionibus inanibus poſſit nocere, ſed te propitio fugatus abcedat. Per.

Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ exorcizare & benedicere pro tua pietate digneris, ut omnis immundus ſpiritus in ea ultra non habeat poteſtatem, ſed ubicumque fuerit aſperſa, angelorum tuorum ibi deſcendat auxilium. Per.

Tunc in primis ſacerdos aſpergat ſuper eum ſalem & aquam benedictam cum antiphona Aſperges me Domine, *& cum pſalmo* Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Deus qui es medicus ſalutaris, ad deferenda quæ tibi jugiter debemus obſequia, tribue nobis tam corporum quam mentium ſanitatem. Per.

Et ponat manum in ſummitate capitis hominis infirmi, & crucem faciat tribus vicibus dicendo : Exi ab eo, ſatana, & da locum Spiritui-ſancto paraclito, Amen. *Et ſic flectat genua ſua qui eſt languidus, & ſtat ad dextram ſacerdotis, & dicat ſacerdos hanc præfationem.*

Oremus, fratres chariſſimi, pro fratre noſtro N. qui ſecundum carnem vexatur, ut deſuper mittat illi Deus angelum pacis, angelum ſalutis, cum medela cæleſti, ut eum Dominus viſitare & corroborare dignetur. Per.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per impoſitionem manuum mearum refugiat diabolus ab univerſis compaginibus membrorum hominis iſtius in nomine Domini noſtri, qui nos ſancto ſuo ſanguine redemit, quique venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Domine Jeſu Chriſte, cui omnia ſubjecta ſunt, quem omnis creatura, & omnis natura paveſcit, recedens in ſemetipſam, cum te ad auxilium invocemus, cujus audito nomine ſerpens manſueſcit, & draco fugit, & ſilet vipera, & rubeta ſtatim torpeſcit, ſcorpio extinguitur, regulus vincitur, & ſpalangius nihil noxium operatur, & omnia venenata & adhuc ferociora repentia, & animalia noxia tenebrantur, & omnes adverſæ naturæ radices inaneſcunt. Tu extingue hunc venenoſum ſerpentem, virus ejus extingue, operationes ejus mortifica, quas in ſe habet vires evacua, & da in conſpectu tuo omnibus his quos tu creaſti oculos, ut videant, aures ut audiant, gratiam tuam cor, ut magnitudinem tuam intelligant Salvator.

Digitized by Google

Deinde aggrediatur eum ſacerdos cum ſequentibus tam orationibus quam exorciſmis.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti invoco nomen tuum ſanctum, ac præclaræ majeſtatis tuæ clementiæ ſupplex expoſco, ut mihi auxilium præſtare digneris adverſus hunc nequiſſimum draconem, & immundum ſpiritum, ut ubicumque, latet audito nomine tuo, velociter exeat & recedat. Ipſe tibi imperat, diabole, qui te de ſupernis cælorum ad inferiora terræ demergi præcepit: ipſe tibi imperat, qui te retrorſum redire juſſit.

Audi ergo, ſatana, & time victus atque proſtratus: abſcede in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tu ergo nequiſſime ſatana, inimice fidei, deceptor generis humani, mortis repertor, juſtitiæ declinator, iræ artifex, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator doloris, dæmonum magiſter. Quid ſtas & reſiſtis cum ſcias eum tuas perdere vires.

Illum metue qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venumdatus, in agno occiſus, in homine crucifixus; deinde triumphator mortis exurgens aſcendit in cælum. Recede in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti; & da locum eidem Spiritui ſancto per hoc ſignum ſanctæ crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, oſanna in excelſis, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputaſti, qui ipſum unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti, ut hunc leonem rugientem contereret; velociter attende & accelera ut eripias ad hominem imaginem & ſimilitudinem tuam creatum à ruina & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminavit vineam tuam: da fiduciam ſervis tuis contra nequiſſimum draconem fortiter ſtare, nec contemnat ſperantes in te, nec dicat ſicut in Pharaone jam dixit: *Deum non novi, & Iſraël non dimittam.* Urguat illum, Domine, dextera tua potens diſcedere à famulo tuo N. ne diutius præſumat captivum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es; & in fine ſæculi per Filii tui Sanguinem redemiſti.

Adjuro te ergo, ſerpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet poteſtatem mittere te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad eccleſiæ * præſepia concurrit cum comitatu & exercitu furoris tui diſcedas. Adjuro te non mea infirmitate, ſed in virtute Spiritus-ſancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem Deus omnipotens fecit ad imaginem ſuam. Cede, cede, non mihi, ſed myſteriis Chriſti; illius enim urget te poteſtas, qui te affigens cruci ſuæ ſubjugavit. Illius brachium contremiſce, qui devictis gemitibus inferni animas juſtorum ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, ſi tibi formido imago Dei, ſit tibi formido no-

[* f. præſidia.]

Digitized by Google

men chriſtianitatis, nec reſiſtas, nec moreris diſcedere ab hoc homine quoniam complacuit Chriſto ut in homine habitaret. Et ne me infirmum contemnendum putes, dum me peccatorem nimis eſſe cognoſcis. Imperat tibi Dominus, imperat tibi majeſtas Chriſti, imperat tibi Deus Pater, imperat tibi Filius, imperat tibi Spiritus ſanctus, imperat tibi apoſtolorum fides, Petri & Pauli & ceterorum apoſtolorum, imperat tibi martyrum ſanguis, imperat tibi ſacramentum crucis, imperat tibi virtus myſteriorum Dei, imperat tibi Verbum caro factum, imperat tibi Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.

Exi tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocentium perſequutor. Da locum, duriſſime; da locum Chriſto in quo nihil inveniſti, de operibus tuis, qui te expoliavit, qui regnum tuum deſtruxit, qui te victum ligavit, & vaſa tua diſrupit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum miniſtris tuis æternus erit interitus præparatus.

Sed quid nunc, truculente, recogitas? quid, temerarie, retractas? reus es omnipotenti Deo, cujus ſtatuta tranſgreſſus es; reus Filio ejus Jeſu Chriſto, quem tentare auſus es & crucifigere præſumpſiſti; reus humano generi, cui mors tuis perſuaſionibus venit.

Adjuro ergo te, draco nequiſſime, in nomine Agni immaculati, qui ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem & draconem, ut diſcedas ab homine iſto, diſcedas ab eccleſia Dei. Contremiſce & effuge, invocato nomine ejus, quem inferna tremunt, cui virtutes cælorum & poteſtates dominationes ſubjectæ ſunt, quem Cherubim & Seraphim indefeſſis vocibus laudant dicentes, Sanctus, Sanctus.

Imperat tibi Verbum Patris, imperat tibi & natus ex Virgine, imperat tibi & Jeſus Nazarenus, qui te, cum diſcipulos ejus contemneres, eliſum & proſtratum juſſit exire ab homine; quo præſente, cum te ab homine ſeparaſſet, nec porcorum gregem præſumebas contingere.

Recede ergo nunc adjuratus in nomine ejus ab homine quem ipſe plaſmavit. Durum eſt tibi Chriſto velle reſiſtere; durum tibi contra ſtimulum calcitrare; quia quanto tardus eris, tanto tibi majus ſupplicium creſcit, quoniam non hominem contemnis, ſed illum qui vivorum & mortuorum dominator eſt, qui venturus eſt.

Recede ergo, diabole, à capite, à capillis, à lingua, à ſub-linguio, à brachiis, à naribus, à pectore, ab oculis, à venis, ab inteſtino majore & minore, ſepara te à famulo Dei ſicut ſeparavit Deus omnipotens cælum à terra, & lucem à tenebris, veritatem à mendatio, bonum à malo, dulce ab amaro; ſic eris ſeparatus, immundiſſime ſpiritus, ab homine iſto, quia vicit te Chriſti potentia, quam tu vincere non potes; ſed vincat te Dominus noſter Jeſus Chriſtus, teque damnari faciat in ſempiternum, deſcendat ad nos gratia pietatis ſuæ, per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & te inimice per ignem. Amen.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te

CAPUT IX
De arrept. ſeu energ. &c

ſupplices deprecamur, impera diabolo qui hunc famulum tuum N. detinet ut ab eo recedat; & libera eum quia credidit in te verum liberatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut expurgatus ab omni labe iniquitatis majeſtati tuæ pura mente deſerviat, conſequutus gratiam Spiritus-ſancti. Qui vivit.

Repelle, Domine, ab hoc famulo tuo omnem infeſtationem inimici, ut redintegratus priſtinæ ſanitati ad gratiarum tuæ clementiæ redeat actionem. Per.

Conjuro te & conteſtor te, diabole, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & imperium ejus, & per virtutem ſanctæ Trinitatis & omnipotentiæ ejus, ut exeas ſatana & omnis diabolica poteſtas de homine iſto abſque læſione animæ & corporis ſui, ut exeas omnino, nec ſtare, nec diſcurrere, nec latere, nec ſævire in corpore iſtius & ſpiritu & anima aut veſtimento præſumas, ſed profugus abſcedas, nullumque veſtigii tui ſignum aut doloris in anima hujus, vel in carne, vel in oſſibus derelinquas. Exi, immunde ſpiritus, quicumque es, aut unus, aut plures, qualecumque tibi nomen, exi velociter de capite, de capillis, de vertice, de fronte, de omni compagine membrorum ejus adjuratus per nomen ſanctæ & individuæ Trinitatis. Exi, anathema, non remaneas, nec abſcondaris in ulla compagine membrorum hominis iſtius aut flatu ejus, nec in ullo angulo domus ejus, neque per ullum augmentum aut calliditatem te celare præſumas, neque quæ ſunt ejus continguas aut obſideas, non veſtimenta illius, non peccora, non jumenta, ſed catenatus & refrænatus per imperium & poteſtatem & regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti creatoris mundi, exul effugias, parteſque illas petas ubi nullam creaturam lædere præſumas. Da honorem Deo omnipotente, ſub cujus omnia donantur imperio, cui inſenſibilia obediunt eleementa.

Virtus illius te expellat, & exire cogat cum omni turba tua, qui de Maria Magdalena ſeptem dæmonia fugavit, qui regna mortis per te inventa deſtruxit, & de poteſtate tua electos ſuos abſtulit, ipſe eſt rex gloriæ qui ex ore Patris prodiit ante luciferum, qui venturus eſt.

Te deprecamur & invocamus, Deus omnipotens, ſancta Trinitas, ut hominem iſtum pietatem tuam petentem jubeas emundari ab omnibus inſidiis dæmonum & doloribus immiſſionum eorum. Petimus etiam ut ſancta virtus tua afferatur ad hunc hominem ægrotum, & corrobare eum digneris ad vitam æternam. Nam legimus in evangelio ſancto tuo, quod cum imperio ſuo Dominus Jeſus filius tuus ſpiritus immundos ejiciebat, & paſſiones ab illis illatas potenter curavit, ut impleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, *ipſe infirmitates noſtras & ægritudines portavit, & livore ſuo plagas noſtras ſanavit.* Tu es, Domine Salvator mundi, qui apoſtolis tuis ſanctis & omnibus in te credentibus poteſtatem dediſti ſpiritus immundos ejicere, & curare omnes languentes, & omnes infirmantes per invocationem nominis tui ſancti. Tu enim dixiſti: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit;*

&c: *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Tu etiam dixiſti: *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe.* Tu quoque dixiſti: *Si habueritis fidem, & dixeritis monti huic tranſi, tranſiet.* Nos credimus te Deum eſſe omnipotentem, & apud te omnia poſſibilia eſſe, teque ſancta Trinitas invocamus. Exaudi nos, Domine Salvator noſter, petimus te per nomen ſanctum tuum, ut hunc ſervum tuum ab omni incurſu dæmonum emundes, & omnem infirmitatem quam ei diabolus ingeſſit in anima aut corpore medicina ſancta tua ſanes. Tu enim dixiſti: *Non eſt opus ſanis medico, ſed ægrotis*; &: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Tu es Deus verus & ſingulatiter bonus cum Patre & Spiritu-ſancto, mediator Dei & hominum, & propitiatio pro peccatis, omnipotens ab omnipotente genitus ante ſæcula. Mitte ſanctos archangelos tuos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, ut aſſint & defendant hominem hunc, quem tu pius plaſmaſti, cui tu animam dediſti, & ſanguinem pro ipſo fundere dignatus es. Protegant illum, & illuminent vigilantem & dormientem, ab omni infeſtatione diabolica; ita reddant illum & tranquillum atque ſecurum, ut nullam in eo poteſtatem deinceps habeant partes iniquæ, neque in eum ingredi præſumant, neque animam, neque corpus ejus fatigare aut terrere, aut etiam tentationibus titillare præſumant præſtante Domino noſtro.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus omnium ſanctorum honorificet filium ſuum, ut hunc hominem ſanet per nomen ejus; quia per ipſum nobis ſanitas datur, & da huic integram ſanitatem. Qui vivis.

Deus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam formaſti, reſpice ſuper hunc famulum tuum N. qui dolis ſerpentis antiqui apetitur, quem vetus adverſarius & hoſtis antiquus atræ formidinis horrore circumvolat, & ſenſum humanæ mentis ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu tepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallaceſque inſidias amove, procul inimicus & tentator effugiat. Sit in ſancti nominis tui ſigno famulus tuus & animo tutus & corpore die ac nocte omnibus horis atque momentis. Tu pectoris hujus interna cuſtodias, tu viſcera regas, tu corda confirmes, ut inania adverſariæ poteſtatis tentamenta vaneſcant. Da, Domine, ad hanc invocationem ſancti nominis tui gratiam tuam, ut qui huc uſque terrebat, territus abeat, & victus abſcedat, tibique poſſit hic famulus tuus corde firmato & mente ſincera debitum præbere famulatum. Qui vivis & regnas.

Alia.

Adjuro te per Deum altiſſimum, maledicte ſatana, ne famulum Dei N. artibus tuis tentare nitaris, neque eum violenter teneas. Contremiſce, immunde ſpiritus, principium ſceleris, omniumque malorum radix, tranſgreſſor viæ & veritatis, juſtitiæ perſecutor, doctor fornicationis, patricidii magiſter, diſſipator pacis, ſemen diſcordiæ peſſimum,

Digitized by Google

Caput IX. *De arrept ſeu energ. &c.*

dux tenebrarum, mortis inventor, tartari janua, vorago gentium omniumque criminum cauſa, ſepara te à filio Dei ſicut ſeparavit Deus pater cælum & terram, mortem & vitam, ſeptemtrionem à meridiis, lucem à tenebris, veritatem à mendacio, juſtitiam ab iniquitate, amorem ab odio, caſtitatem ab impudicitia; ſic te ſepara, maledicte, ab homine iſto, dans honorem Deo. Exi, maledicte ſatana ab hoc homine, ut Spiritus-ſanctus perſeveret in eo per Jeſum Chriſtum Dominum qui vivit.

Alia.

Obſecro te, Domine Jeſu Chriſte, ut ejicias omnes languores ab omnibus membris hominis iſtius, à capite, à capillis, à cerebro, à fronte, ab oculis, ab auribus, à naribus, à genis, ab ore, à lingua, à dentibus, à faucibus, à gutture, à collo, ab humeris, à dorſo, à pectore, ab uberibus, à corde & ſtomacho, à ventre, à viſceribus, à lateribus & carne, à ſanguine, ab oſſibus, à femore, à pedibus, à medullis, à nervis, à cute, & ab omni compagine membrorum. Exaudi me, Domine. Tibi virtus & imperium. Amen.

Item orationes exorciſmi ſuper eum qui à dæmone vexatur.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit & Petro mergenti dextram porrexit, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero. Da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus & Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei, & hoc ſignum ſanctæ crucis, quod nos frontibus ejus damus, tu maledicte numquam audeas violare, & in eo amplius non præſumas ſtare. Per eum.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Moiſi & Aaron, Deus Tobiæ & Eliæ, tu hunc famulum tuum de tentationibus diabolicis eripere, & de immundis ſpiritibus liberare digneris; & quia ipſi immundi ſpiritus ab initio ſemper fuerunt fallaces & falſi; & numquam ſteterunt in veritate, ſed ſemper in omni malitia iniquitatis & ſuperbiæ & vanitatis atque cupiditatis: Jube, Domine, Deus clemens angelos tuos benignos adeſſe, qui deſtruant inimicos tuos malignos, & iſti ſerpentes crudeliſſimi antiqui devoratores langueſcant cum conſortibus omnibus & ſubjunctis ſociis eorum. Et ſicut percuſſiſti in ira & in furore tuo, Domine, Sodomam & Gomorram, ſic percutias inimicos tuos & adverſarios tuos, qui hunc famulum tuum cupiunt fatigare vel decipere. Non hic poſſint latere, nec in corpore quod non fecerunt, nec in anima quam non dederunt, nec in ullo indumento veſtium, nec in ulla compaginatione membrorum corporis. Et quoniam tu, Domine, hominem de limo terræ ædificaſti; oſſa & nervos formaſti, ſpiritum tradidiſti; præſta, quæſumus, nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ut exploratores ſæculi, ſeductores gentium, laquei mortis, filii tenebrarum damnati,

jubente

jubente te, Domine Deus noſter, poteſtatem non habeant huic famulo tuo N. nocere, nec eum fatigare, nec contriſtari, nec deſperatum facere, nec mortem ei tradere, ſed iſti deſtructores gentium, diſruptores membrorum, per gloriam nominis tui, Domine, & Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti crucem in qua pependit diſſipentur ſicut ſtipulæ ante faciem venti; & ſicut comburuntur ligna ab igne, ſicut ros & nix ante radium ſolis, ſic defluant, & pereant, & diſſipentur à corpore & anima famuli tui, & pergant per loca arida & deſerta, ubi ſancti & juſti non habitant; quia tu, Domine, non nos ex auro, neque argento, neque ex gemmis emiſti; ſed de ſancto Corpore & de Sanguine Filii tui, & per paſſionem crucis nos redemiſti. Ideo nunc non habeant poteſtatem inimici tui adverſarii tui famulo tuo nocere, neque eum injuriari, ſed recedant cum omni eorum nequitia: Et ſicut ſeparaſti Domine lucem à tenebris; juſtitiam ab iniquitate, mendacium a veritate; ſic eos jubeas exire & ſeparari à corpore & anima famuli tui, à capite uſque ad pedes, per omnem compaginem membrorum ejus. Per.

Conjuro vos, ſpiritus & angeli maligni, perſecutores chriſtianorum, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, per Annunciationem Gabrielis archangeli ad Mariam Virginem, per Nativitatem Domini, & per infantiam ejus, per perſecutionem ejus ab Herode rege, & per paſſionem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, per patibulum crucis ejus, per ſanguinem ejus, per ſepulcrum ejus, per reſurrectionem ejus, per aſcenſionem ejus in cælos, per adventum ejus ſuper apoſtolos, per regnum ejus, per adventum ejus ad diem judicii, per juſtum judicium ejus judicandum inter juſtos & peccatores, per omnes etiam cælorum virtutes, per choros angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum, atque omnium ſimul electorum Dei, vos dæmones, conjuro ut non habeatis poteſtatem tentare vel fatigare hunc famulum Dei. Per eumdem.

Deus Abraham, eſto nobis protector, ut exeant, & effugiant dæmones maligni à corpore & anima famuli tui N. Deus Iſaac, eſto nobis galea ſalutis. Deus Jacob, eſto nobis ſcutum fidei, pugnare contra dæmones, & dæmonum aſtutias & diabolorum conſortes, ut malitia eorum amplius non habeat poteſtatem in hunc famulum tuum, ſed effugiat & non revertatur. Ingrediatur in eum, Domine, benignitas, te jubente, & pax Domini noſtri Jeſu Chriſti per quem redemti ſumus, ab omni enim malo non timemus, quia Dominus nobiſcum eſt. Qui vivit.

Omnipotens ſempiterne Deus, petimus ſupplici prece divinam clementiam tuam, ut famulum tuum quem conſpicimus ab antiquo hoſte tentatum eſſe graviter, & ſenſum à livore ſatanæ turbari atque vexari, ab ejus impetu clementer eripias; hominem dico, tuis formatum manibus, ut hic qui in eccleſia tua poſitus, & baptiſmatis ſacramentum conjunctus nomen ſanctum tuum confitetur nulla poſſit adverſi-

Digitized by Google

tate diabolicæ tentationis ſubverti. Per.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Tribulationum noſtrarum optime mitigator, Deus famulum tuum N. de peſſimis dæmonibus tua permiſſione obſeſſum libera, ut adjutorio clementiæ tuæ munitus nullis impugnationibus adgravetur. Per.

Item diverſi exorciſmi ſuper dæmoniacum.

Exorcizo te maledicte, immunde ſpiritus, draco, baſiliſce, ſerpens noxie per Deum omnipotentem per verbum veritatis, & per ſignum crucis Chriſti Nazareni, & per Agnum immaculatum de altiſſimis progreſſum, de Spiritu-ſancto conceptum, ex Maria Virgine natum, quem Gabriel angelus nunciavit venturum, ut recedas ab hoc famulo Dei N. adjuro te etiam per eum quem Johannes videns exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi qui cum.

Exorcizo te, auctor diabolicæ poteſtatis, inventor malitiæ, cum ſatellibus tuis, præcipiens in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & in nomine glorioſæ deitatis cui nomen ordines angelorum & throni & dominationes & patriarchæ & apoſtoli diebus ac noctibus proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt omnipotens, ut exeas & recedas ab hac creatura Dei, & expellaris cum omnibus infeſtationibus; nec non & malitiæ tuæ artibus; ita ut ubicumque creatura iſta cum ſignaculo ſanctæ crucis ingreſſa fuerit omnes ibi adinventiones malitiæ tuæ effugentur, & nullus eis ultra ibi locus relinquatur. Per eum qui venturus.

Exorcizo te, ſpiritus immunde, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, proinde omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omniſque incurſus inimici, & omne phantaſma ſatanæ, eradicare & effugare ab hac forma Dei, quam Dominus noſter ad ſuam gloriam vocare dignatus eſt, ut fiat templum Dei, & Spiritus-ſanctus habitet in ea, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in gloria Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui judicaturus eſt vivos & mortuos & te inimice per ignem.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, exi ab hac creatura Dei per invocationem nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Non impero tibi ego peccator, ſed imperat tibi Agnus immaculatus Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Filius Dei vivi. Urgent te angeli, urgent te archangeli, urgent te patriarchæ, urgent te prophetæ, urgent te apoſtoli, urgent te martyres, urgent te confeſſores, urgent te virgines, deficiant tuæ artes, diabole, in die, in nocte, in momento, in omni hora. Redde fortitudinem membris, animæ ſanitatem, non tentes eam, non morti tradas, non in eſca, non in potu, non in locis publicis, non ſupervenias vigilanti, non dormienti, nec mentem moveas, nec impedias quærentem vitam æternam. Per eum qui venturus.

Exterminatio diaboli ut ſupra.

Nec te latet, ſatana, imminere tibi.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui peccatorum non vis animas perire, ſed culpas conteri; reſpice propitius ſuper hunc

famulum tuum N. qui peccatorum merito expulſus à facie tuæ poteſtatis eſt ſubditus ſatanæ, mundatum ad priſtinam ſanitatem reforma, pietatis tuæ ſit ille piſtrinum, templum ſanctum quod fuit in baptiſmo, & habitet in eo Spiritus-ſanctus. Per.

EXORCISMUS S. AMBROSII.

EXorcizo te hoſtis humani generis, in nomine Dei Patris omnipotentis, ut recedas ab hoc precioſo divini opificis plaſmate. In hoc enim figmento eſt vera Sion, quam elegit Dominus in habitationem ſibi. Diſcede ergò, nequiſſima ſatana, cum omnibus nequitiis & artibus tuis, cum omni infeſtatione & incurſibus tuis; nec ullas in hac Dei imagine inſidiarum tuarum ſuboccultes reliquias, ac ne id ſolum contemnendum putes, ecce ſignum crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, per quod tremebundus & ſtupefactus excluderis. Abſit à corde ejus omne infirmitatis lubricum, omne incompoſitæ converſationis * indignum. Abſint fœdi actus & fœdi ſenſus. Abſit à corde pariter atque anima omnis diabolicæ tentationis gravis & maculoſa contagio, ut qui in illo vivifico & immortali bono fonte plenæ atque perfectæ gratiæ puritatem ingreſſus capiebat, egreſſus poſtea non relinquat. Per eum qui venturus.

* *l.* indicium.

Alia.

Adjuro te per Deum vivum, per Deum omnipotentem, immundiſſime ſpiritus, qui es inveterator malitiæ, materies criminum, origo peccati, qui fraudibus delectaris, ſacrilegiis paſceris, & cædibus gaudes. Te, invocato Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine, increpamus, & adjuramus per ejuſdem majeſtatem atque virtutem, per paſſionem & reſurrectionem, per adventum ad judicium, ut in quacumque membrorum parte latites, propria te confuſione manifeſtes, exagitatuſque ſpiritualibus plagis & inviſibilibus tormentis, vas quod obtinuiſſe te credis effugias, & expiatum poſt habitationem tuam Domino derelinquas. Sufficiat quod prioribus ſæculis corda pæne per totum orbem dominatus es hominum. Jam in dies ſingulos deſtruitur regnum tuum, tuaque quotidie uſque in finem tela deficiant. Tu vaſtatus Ægyptiorum plagis, tu in Pharaone dimerſus, in Jerico deſtructus, in ſeptem Chananeis gentibus ſtratus. Tu per Samſon in allophils ſubjugatus, per David truncatus in Goliad, per Mardocheum in Aman expoliatus, per Danielem in Boel dejectus; in dracone punitus, per angelum in Herode percuſſus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum humanis imperiis ſubjugatus, per Paulum cæcatus in Mago, uſtus in vipera, per Petrum diſruptus in Simone; per omnes ſanctos deinceps fugaris, torqueris, illuderis, æternis ignibus & inferni tenebris deputatus. Unde hominem Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Adam ſecundo de mortis imperio dum te triumphat exemit. Abſcede, inimice laqueator, & poſt hæc, prohibentibus & comminantibus nobis, corpus Deo dicatum ne repetas, interdictum tibi

Caput IX *De arrept. ſeu energ. &c.*

ſit in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, in gloria Dominicæ paſſionis, cujus cruore ſalvatus adventum ejus expectat, judicium confitetur, qui vivit & regnat cum Spiritu-ſancto, in gloria Patris quique venturus eſt judicare vivos & mortuos, & te inimice per ignem.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti in tuo nomine & in tua virtute confidens, divinam potentiam invocans, deprecor, ut per ſignum Jeſu Chriſti Filii tui Domini noſtri, hic immundus ſpiritus a creatura Dei expellatur. Quicumque, vel undecumque ſis, immunde ſpiritus, interdicitur tibi per Deum cælorum, per Deum angelorum, per Deum archangelorum, per Deum patriarcharum, per Deum prophetarum, per Deum apoſtolorum, per Deum martyrum, per Deum confeſſorum, per Deum virginum, per moderatorem & rectorem totius creaturæ qui fecit cælum & terram mare & omnia quæ in eis ſunt, ut recedas ab hoc famulo Dei. Adjuraris, ſpiritus immunde, per Deum vivum, qui palmo menſus eſt cælum, & pugno comprehendit orbem terræ, quem tremiſcit cælum & & terra, quem angeli & archangeli *, quem horreſcit caligo, quem tremunt fundamenta montium & univerſa terra, de ſub cujus pede exeunt tonitrua, coruſcationes, fulgura, pluviæ, venti, qui ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, ut huic creaturæ Dei ultra non præſumas imminendo nocere. Ecce enim Deus omnipotens veniet in nubibus cæli cum exercitu angelorum, & ardebunt montes, & ſicut cera liqueſcunt & campi, ut ſulphur & ut bitumen ipſum mare exardeſcit, flumina exſiccabuntur, & pura libamina deficient ante conſpectum claritatis ſuæ. Tu ubi effugies; & tunc te celabis, immunde ſpiritus, ante iram Dei, & ante iram Agni, dum inſurrexerit ventilare terram. Per ipſius nomen & virtutem te conjuro, immundiſſime ſpiritus, qui paſſus es ſub Pontio Pilato, cujus gutta ſanguinis in terra cecidit & contremuit omnis terra, qui Lazarum ſuſcitavit à mortuis, qui paraliticum curavit, claudos currere fecit ſicut cervum, cæcos illuminavit & puerum centurionis ſanavit, leproſos mundavit, mulierem à profluvio ſanguinis liberavit, ut famulo ejus incolumi relicto concito curſu exeas, & poſt hæc tuis verſutiis laceſſere non apponas. Sit liber ab omni impugnatione vel tentatione diabolica, ut priſtina ſanitate recepta, mereatur laudare nomen ſanctum tuum. Qui viv.

* *Deeſt aliquod verbum v. g. adorant.*

Oramus te, Domine omnipotens, ut ſpiritus iniquitatis amplius non habeat poteſtatem in hoc famulo tuo, ſed ut fugiat & non revertatur ingredi in eum, te jubente, bonitas & pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem redemti ſumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiſcum eſt qui vivit.

Exorcismus S Martini super eos qui a dæmonio vexantur.

EX imperio Dei omnipotentis, & Jeſu Chriſti Domini noſtri paſſione ac reſurrectione ejus, tibi ſummi furoris & iniquitatis & omnis

Digitized by Google

invidiæ auctor, qui ſub ſigillo Salomonis paſſus fuiſti tormenta, Dei omnipotentis quicumque es, aut undecumque es ſpiritus immunde, ſive de inferno, ſive de aere, ſive de monumentis, ſive de ſpeluncis, ſive de paludibus, ſive de locis aquoſis, ſive de rivis, ſive de viis, ſive de ſilvis, ſive de imis, ſive de ſummis, ſive de ignis incenſo, ſive de cavernis petrarum, interdicitur hæc imago Dei, per Deum quoque cælorum omniumque virtutum, per Deum creatorem & moderatorem totius creaturæ, interdicitur tibi & omnibus ſodalibus tuis & omnibus angelis contrariis hoc plaſma Dei omnipotentis. Nunc ergo adjuro te, immunde ſpiritus, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut tollas te & exeas ab omnibus membris iſtius hominis, ſcilicet famuli Dei N. à capite, à capillis, ab humeris, à collo, à brachiis, a ſcapulis, à dorſo ab interioribus partibus, à ventre, à genibus, à cruribus, à plantis, a trecentis ſexaginta quinque membris quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſimilitudinem compaginare dignatus eſt. Adjuraris, immunde ſpiritus, per Deum vivum, adjuraris per Deum verum, adjuraris per Deum ſanctum, qui palmo menſuravit terram, quæ ejus pugillo comprehenſa contremuit: Ita & tu, invide ſerpens, contremiſce virtutem Dei omnipotentis, quem contremiſcit cælum & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt; quem contremiſcunt angeli & archangeli, quem contremiſcit omnis creatura, quem contremuit omnis Sodoma & Gomorra & omnia fundamenta terræ. Interdicitur tibi, immunde ſpiritus, hæc imago Dei, per eum qui ſedet in throno regni, ſub cujus pedibus exeunt corruſcationes, venti, tonitrua. Per ipſius nomen & virtutem adjuraris, atque conſtringeris, de quo pronuntiavit Johannes in apocalypſim: *Vidi illum ſedentem, ut ſeptem candelabra aurea, indutum podere atque cinctum zona aurea ſub mamillas ſuas. Capilli ejus albi velut nix, aſpectus velut flamma ignis. Vox ejus velut vox aquarum multarum. Pedes ejus ſimiles auricalco.* Ex ore ejus exibat gladius ex utraque parte acutus, unde te interficere habet. Proinde, vane & immunde ſpiritus, per eum adjuraris, qui dignatus eſt baptizari aquis Jordanicis, & Spiritus-ſanctus ſuper eum in ſpecie columbæ deſcendit. In ipſius nomine interdicitur tibi, immunde ſpiritus & erratice ſpiritus, ut nullo modo præſumas, nocere huic famulo Dei N. neque in dolore, neque in inſania, neque in vulneribus, neque in aliquo maleficio, neque ambulanti neque ſtanti, neque iter agentibus, neque vigilanti, neque dormienti, neque dum manducat & bibit, neque dum aliquod opus facit; quia creatura & plaſmatio Dei omnipotentis eſt. Ergo maledicte diabole, æterna combuſtione damnande, quid acturus es, quando ipſe Rex æternus veniet in nubibus cæli, in poteſtate magna & majeſtate, cum exercitu angelorum & archangelorum, & cum omnibus virtutibus cælorum? Tunc omnes montes ardebunt ſicut cera, & campi fulgurabunt, ut bitumen cælum plicabitur, & mare ſiccabitur, & omnes apparebunt in conſpectu claritatis ejus; & tunc fugies ante faciem ejus. Ubi te celabis? Ubi abſconderis, immunde ſpiritus? Ubi poteris

latitare ante iracumdiam Dei, cum venerit judicare vivos & mortuos, in cujus judicio damnandus pœna perpetua? Ideo interdicitur, immunde ſpiritus, honorabilis hæc imago Dei, interdicitur tibi nomen chriſtianitatis, interdicitur tibi plaſmatio Dei de eo qui conceptus eſt de Spiritu-ſancto, natus ex Maria Virgine, & in eadem carne paſſus, mortuus & ſepultus, & reſurrexit. Per ipſius nomen qui pedibus ſiccis ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dextram porrexit, ventis & fluctibus imperavit, interdicitur tibi immunde ſpiritus, ut nullo modo audeas nocere huic famulo Dei N. quem pretioſo ſanguine liberavit idem Jeſus Chriſtus Dominus noſter qui venturus eſt.

Poſtea ſignet eum dicens in manu dextera: Accipe ſignum crucis Chriſti in manu dextra tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax tecum. *Deinde in ſiniſtra manu dicens:* Signo crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti in manu ſiniſtra ſignare.

Ad linguam ita: Signo crucis Redemtoris Domini noſtri Jeſu Chriſti in lingua ſignare.

Ad frontem hoc modo: Signaculo crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti in fronte ſignare, ut confidas in eum.

Ad oculos: Benedico oculos tuos, ut videas claritatem ejus.

Ad aures: Benedico aures tuas, ut audias veritates ejus.

Ad nares: Benedico nares tuas ut percipias odorem ſuavitatis ejus.

Ad pectus: Benedico pectus tuum, ut credas in eum.

Ad os: Benedico os tuum & labia tua, ut confitearis illi.

Ad pedes: Benedico pedes tuos ut ambules in viis ejus.

Ad ambas manus: Benedico manus tuas, ut operentur opera Dei in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris. Qui vivit.

Item alia consignatio capitis, et oculorum, sive omnium membrorum.

Signo caput tuum ſicut ſignavit Deus omnipotens infirmos in Cana Galilææ.

Signo oculos ſicut illuminavit Dominus oculos cæcorum illorum qui in evangelio leguntur.

Signo omnia membra tua, ut ab illis expellatur diabolus, qui lædit omnem carnem. Benedicat te Dominus ſicut benedixit quinque millia virorum extra mulieres & infantes. Benedicat te Dominus ſicut benedixit domum Abrahæ, Iſaac, & Jacob. Fiat ſanitas Domini ſuper te, qui ſanavit mulierem de fluxu ſanguinis. Cuſtodiant te angeli & archangeli, & liberent te ab omnibus malis & artificiis diaboli. Protegat te Iſraël & adjiciat ſanitatem & benedictionem tibi hic & in futuro ſæculo. Amen.

De jejunio dæmoniacis imponendo.

Hoc jejunium providebit unuſquiſque, qui à dæmonio vexatur, xl. diebus & xl. noctibus. Primam hebdomadam jejunet quotidie uſque ad

veſperam, & tunc manducet ſubcinericium panem frigidum, cum ſale & aqua benedicta factum, & bibat aquam benedictam. Et tunc præterea alias hebdomadas quinque nihil aliud manducet niſi panem tertia die coctum, cum lardo ſuper unam noctem cocto, & cervisſam tres noctes habentem, vel ſi vinum habet, tantum ſtaupum plenum vino bibat, & numquam inebrietur. Et quando primum legatur ſuper infirmum hominem, det illi preſbyter aquam benedictam cum ſale ſancto bibere & cum abſynthio mixta donec evomet. Manus autem, neque faciem, neque pedes, neque ullum corporis membrorum in illis ſex hebdomadibus lavet niſi cum aqua benedicta. Non manducet in horto herbulas, neque ulla olera, neque occidat quidquam, neque aliquod videat occidere. Non veniat ubi nullum morticinium videat, nec ad mortuum hominem veniat, nec ulla cadavera videat quadraginta diebus ſive noctibus.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Tranſactis autem quadraginta diebus veniat ad ſacerdotem, & faciat puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, & audiat miſſam, & ſacrificium accipiat, & celebret orationem, & juxta apoſtolum oratio fidei ſalvabit infirmum. In extremo jubeatur illi ut duo genera piſcium, tincam ſcilicet & anguillam non guſtet, nec de ullo genere beſtiarum vel volatilium. Et ſi firmiter iſtud jejunium cum oratione & pura confeſſione ſervaverit; credimus de miſericordia Dei & vere confidimus quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente, liberabitur.

Oratio Dominic.

Deus qui per unigenitum tuum, excluſa dominatione diaboli, populum tibi aptaſti; expelle, quæſumus, famulo tuo N. cunctas diabolicæ illuſionis inſidias, & eum illibatum ab omni impugnatione ejus conſerva. Per.

Secreta.

Munus noſtræ humilitatis pro tuitione famuli tui oblatum, petimus Domine, dignanter aſſume, & ab ejus impreſſione omnem maligni ſpiritus poteſtatem exclude. Per.

Poſtcommunio.

Cæleſtis hic panis quem ſumſimus, Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulum tuum ab antiqui hoſtis irriſione defendat. Per.

ORATIO SUPER LIBERATUM A DÆMONIO.

QUæſumus omnipotens Deus, ut mittere digneris ſanctos angelos tuos, qui defendant & tueantur hominem iſtum, protegant illum, vigilantem illuminent, dormientem ab omni infeſtatione diabolica reddant quietum, ut nullam deinceps habeat poteſtatem in eo pars iniqua, non in eum ingredi, non in animam, vel corpus ejus nequaquam malignus ſpiritus lædere vel fatigare vel terrere, aut tentationibus titillare præſumat. Per.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Sinaï apparuiſti, & filios Iſraël de terra Ægypti eduxiſti,

CAPUT IX *De arrept. ſeu energ. &c.*

deputans ei angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte, te quæſumus ut mittere digneris ſanctum angelum tuum ſimiliter, & hunc famulum tuum cuſtodiat, & ab omni diabolicæ læſionis incurſu defendat. Per.

Sanet te Deus Pater omnipotens, qui te creavit, ſanet te Dei filius qui pro te paſſus eſt in cruce. Sanet te Spiritus-ſanctus qui in te effuſus eſt. Sanet te fides tua, quæ te liberavit in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui.

Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei vivi, corpus tuum in ſuo ſervitio ſancto conſervet, mentem tuam illuminet, ſenſum tuum dirigat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ augeat, & ab omni malo te liberet, qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvare & conſervare dignetur, qui in Trinitate.

ORDO IV.

Ex mſ. codice Uticenſis monaſterii.

SEQUITUR RITUS ET ORDO CONFICIENDI AQUAM BENEDICTAM TEMPORE MORTALITATIS, SEU ETIAM FURORIS HOMINUM, VEL RABIEI BESTIARUM, CELEBRANDAM; UT QUICUMQUE EX EA GUSTAVERIT, MENTIS ET CORPORIS RECIPIAT SANITATEM. SIC AUTEM EAM OPORTET BENEDICI.

Septem preſbyteri, confeſſione ſacramentali prius facta, albis, manipulo, & ſtola induantur; unus inſuper diaconus, cum alba, ſtola & manipulo, ac unus ſubdiaconus alba indutus cum manipulo, iis adjungetur; qui omnes ſuis ita paramentis ornati, procumbentes in genua, confeſſionem generalem dicant coram ſeniore, qui eis etiam abſolutionem tribuet, communem, qua percepta conſurgentes è reveſtiario ad locum ubi aqua præparata eſt, dicendo pſalmum, Miſerere mei Deus, &c. *hoc ordine procedent: Primò ſubdiaconus præibit deferens crucem, quem ſequetur diaconus vaſculum ſalis portans in manibus, ſuccedent bini & bini ſex ſacerdotes ſecundum ſuum ordinem, quos ultimus ſubſequetur ſenior ſeu ſuperior: ubi autem pervenerint ad locum, incipient mox, flexis genibus, hymnum,* Veni creator Spiritus, &c. *quo ad finem uſque perducto, interjectaque brevi morula, donec omnes ſurrexerint: ſtans cum reliquis ſenior, ſolus dicat:* Dominus vobiſcum. *Et reſponſo ab aliis:* Et cum ſpiritu tuo, *proſequentur ſimul preſbyteri omnes quæ ſequuntur.*

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Conjuratio

Conjuratio ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris † omnipotentis, qui te per Eliſæum prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, & in nomine unigeniti † Filii ejus, qui diſcipulis ſuis dixit: *Vos eſtis ſal terræ*; & in nomine Spiritus † ſancti, qui per apoſtolum fideles edocuit cor eorum debere ſale eſſe conditum; ut efficiaris ſal exorcizatum, ſiſque omnibus, qui te ſumpſerint animæ tutamentum, atque huic familiæ in remiſſionem peccatorum, in ſanitatem mentis, in protectionem animæ, in confirmationem ſalutis, ad expellendas omnes dæmonum inſidias, tentationeſque vincendas; in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Oremus.

Rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis, in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum, quam tu Domine ſanctifi † cando ſanctifices, benedi † cendo benedicas, ut fi † at omnibus accipientibus perfecta medicina, in nomine Domini Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Oremus.

Te Domine ſancte; Pater omnipotens, æterne Deus ſuppliciter deprecamur, ut benedi † cere digneris, hanc creaturam ſalis, quam in uſum humani generis, tribuiſti; ut qui ex ea guſtaverit, non moriatur, in æternum, ſed ad gratiam æterni premii pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Exorcizo te, creatura ſalis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum † qui te per Helizæum prophetam in aquam mitti juſſit ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium; ut ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco in quo aſperſum fueris, omnis ſpiritus immundus adjuratus per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti, benedi † cere & ſanctifi † care tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei † Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu † Chriſti Filii ejus Domini noſtri; & in virtute Spiritus † ſancti; ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtaticis, per virtutem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chri-

Digitized by Google

qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum † vivum, per Deum † ſanctum, per Deum † totius ſæculi Creatorem, ut virtutem accipias morbi cujuſlibet expultricem, diabolique impetus propulſantem; & in qua fueris aſperſa, ſit, propitio Deo, defenſa quæcumque domus; & ſicut per aſperſionem ſanguinis Agni, liberatæ ſunt ab angelo exterminatore Hebræorum familiæ; ita, Domine, domus hæc una cum famulorum famularumque tuarum domiciliis præſentiſſimum ſentiat tuæ protectionis auxilium. In ipſius † nomine te exorcizo, qui verbo ſuo fontes ſcaturire præcepit; in ipſius nomine † te exorcizo, qui filios Iſraël, per medium mare, ſicco veſtigio mirabiliter tranſire conceſſit; in ipſius nomine † te exorcizo, quem in Jordanis alveo Joannes baptizavit, ùt omnes maligni ſpiritus errores, omneſque à dæmonibus injectæ fantaſiæ per aſperſionem tui deleantur, propulſenturque: per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedi † ctionis infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc unda reſperſerit, careat enim immundicia, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſi quid eſt quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus deffenſa. Per virturem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Exorcizo te creatura aquæ, per Deum vivum † & verum, & per Jeſum † Chriſtum Filium ejus, & Spiritum † ſanctum, ut per hanc creaturam aquæ, ſævientis inimici tota vis comprimatur, omnes fugentur diaboli exercitus, retundanturque ſatanæ incurſiones; per virtutem & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem tibi, Domine, aquam hanc, quam produxiſti de venis petrarum, benedi † cendam ac vivificandam offerimus, ut omnibus corporum animarumque medeatur languoribus; ac ſicut exaudire dignatus es famulum tuum Helizæum, qui cum veniſſet ad aquas Jordanis, accepit ſal & miſit in vas fictile, bene † dixit, aſperſit & ſanatæ ſunt aquæ; ſic me ſervum tuum benigniſſimam majeſtatem tuam ſuppliciter deprecantem exaudire; atque hanc creaturam ſalis & aquæ benedi † cere ac ſanctifi † care digneris, ut ubicumque aſperſa fuerit, ſive in hominibus, ſive in pecoribus, ſive in agris, ſive in pratis, aut in puteis, vel in cubilibus, vel in tricliniis, vel in ſta-

bulis, diabolus confuſus abſcedat: Per virtutem & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, exaudi preces noſtras, ſicut exaudire dignatus es famulum tuum Moyſen humiliter deprecantem, ut Pharaonis populum tuum inſequentis exercitus, rubri maris fluctibus immerſus necaretur, & ſicut exaudire dignatus es Helizæum prophetam, qui, cum populus tuus aquam guſtare non poſſet, eo quod eſſet amarior, ſal accepit & projecit ad exitus aquarum, bene † dixitque eas, majeſtatem tuam humiliter orans ac deprecans, ut ſanare dignaretur aquas iſtas, ita ut non eſſet in eis ultra mors neque ſterilitas; & protinus ſanatæ ſunt aquæ. Ita, tu Domine, benedi † cere digneris hanc aquam, ut ubicumque inimicus celatus fuerit, ſtatim abreptus effugiat, ſitque illi hæc aqua, velut urens flamma ardorque ignis inextinguibilis, nobis autem Domine, ſit aqua aſperſionis, aqua virtutis, aqua refrigerans, aqua, denique, æſtum in nobis concupiſcentiarum extinguens; ut vitiorum noſtrorum ſopitis ignibus, eluſiſque quotquot contra nos intenduntur dæmonum machinis, agamus tibi, Domine ſancte, Pater omnipotens, laudes & gratias. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedixiſti quinque panes, & duos piſces, unde ſatiata ſunt quinque millia hominum, te ſupplices deprecamur, ut benedi † cere digneris hanc aquam, ut quicumque vel modicè guſtaverit, vel tantillum aſperſus fuerit ab ea, uberrimos quaſi multiplicantis munificentiſſimæ manus, benedictionis effectus conſequatur, mentis & corporis plenam integramque percipiat ſanitatem, fidei corroborationem, charitatis augmentum, ſpei ſecuritatem, perfectamque ſalutis æternæ conſequendæ fiduciam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.

Oremus.

Te igitur invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, ut hanc creaturam aquæ benedi † cere ac ſancti † care digneris, ut omnis ſpiritus immundus locum in ea ultra non habeat, ſed ubicumque aſperſa fuerit, angelorum tuorum deſcendat exercitus. Per virtutem & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Hic ſinguli preſbyteri capientes unuſquiſque pauxillum ſalis ponunt illud in aquam, dicentes:

Commixtio ſalis & aquæ pariter fiat, In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † ſancti. Amen.

Tum ſenior ſolus dicit.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Digitized by Google

Oremus. *proſequuntur omnes.*

CAPUT IX. *De arrept. ſeu energ. &c.*

Deus invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, te, Domine, trementes & ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore † ſanctifices, ut ubicumque fuerit aſperſa per invocationem tui ſancti nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus-ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Præſta nobis, quæſumus, Domine Deus, per hanc creaturam ſalis & aquæ, ſalutare remedium, ut ubicumque in nomine tuo benedi † cta interceſſerit, ad animæ & corporis proficiat ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut benedi † cere digneris hanc aquam, ad ſerpentis antiqui lethale venenum funditus evacuandum, ut ad hujus aquæ in tuo nomine exorci † zatæ, benedi † ctæ, ac ſanctifica † tæ præſentiam, diſpereat ſicut cera à facie ignis, fiatque nobis hæc creatura ſalis & aquæ ſalutare remedium, ne unquam aliquid in hac familia tua generetur mortiferum, aut ſi quid fortè jam invectum eſt, non permaneat. Et ſicut per orationem Heliſæi ſervi tui, in dulciſſimas converſæ ſunt amariores Jordanis aquæ, ſic in virtute hujus creaturæ ſalis & aquæ, omnis ſolvatur è famulorum famularumque tuarum cordibus amari animi langor. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Preſbyteri omnes porrectâ ſuper aquam palmâ dexterâ dicunt.

Te autem adjuro, creatura aquæ, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per eum te adjuro, qui te in principio ſeparavit ab aridâ: adjuro te, per Deum † vivum, qui te de paradiſi fonte manare, & in quatuor diviſam flumina, univerſam terræ ſuperficiem irrigare præcepit: adjuro te per eum, qui te in Cana Galilææ convertit in vinum; qui ſuper te, tanquam in ſolido terræ elemento, pedibus ſuis ſanctis ambulavit: per eum te adjuro, qui in te Naamam Syrum à ſua lepra mundavit, ut per ipſius nomen ac virtutem efficiaris aqua ſan † cta, aqua bene † dicta, aqua quæ corporum ſordes lavet exteriùs, mentium delicta mundet interiùs, quæ corporum animarumque noſtrarum langores ſanet, morbis medeatur; ut ſalubrem te, medicalem, efficacemque præbeas, nec ullas in te maligni ſpiritus impreſſiones admittas aut retineas, ſed efficiaris fons exorcizatus ſalis &

Digitized by Google

aquæ, ut ubicumque aſperſa fueris in hominibus, in pecoribus, in domiciliis, in agris, in tricliniis, in cubilibus, in puteis, in ſtabulis; inde illicò confuſus nequam ſpiritus abſcedat. Per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, qui ab initio mundi benedicere dignatus es omnem creaturam, benigniſſimam miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut deſuper mittas virtutem ac benedi † ctionem ſuper hanc aquam, ut ubicumque in tuo nomine fuerit aſperſa, ſit locus ille per te munitus, & ſanctificatus; exeat ſpiritus immundus, fugienſque recedat ab eo, ita ut ad illum reverti aut accedere non præſumat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus verbo procreata ſunt omnia, cujus ſpiritu ſanctificata ſunt univerſa munda, ſana, & ſancta; ſuppliciter invocamus ſanctum atque admirabile nomen tuum ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, quam in virtute tua exorci † zamus, in nomine tuo benedi † cimus, ut ſuper eam Spiritum-ſanctum tuum mittere digneris, ut ubicumque vel effuſa fuerit vel aſperſa, ſit in præſidium protectionem, ac ſalutem; & ſicut per ſanguinem agni protectæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum, ita & per aſperſionem hujus aquæ, quicquid adverſari nobis poteſt ſive in mente, ſive in corpore, procul ab hoc tuo ſancto domicilio repellatur. Te autem, immundiſſime ſpiritus, per tremendum Dei vivi nomen adjuro, ut ubicumque, vel effuſa, vel aſperſa, fuerit hæc creatura ſalis & aquæ, ſive in hominibus, ſive in pecoribus, ſive in domiciliis, ſive in agris, ſive in cubilibus, ſive in tricliniis, ſive in puteis, ſive in ſtabulis, inde continuò confuſus & expaveſcens aufugias; in nomine Dei † Patris, & Fi†lii, & Spiritus †-ſancti. Qui vivit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Domine Deus noſter, miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ac petimus, ut deſcendat Spiritus ſanctus tuus ſuper hanc aquam, eamque benedi † cere, ac ſancti † care digneris: deſcendat ſuper eam benedi † ctio cœleſtis, deſcendat virtus ex alto, ut ſit benedi † cta & ſancta hæc creatura ſalis & aquæ; quique Jordanis alveum primus ſanctificaturus intravit, ipſius dextera †, ipſius virtus †, ipſius gloria †, ipſius benedi † ctio, ipſius ſancti † catio deſcendat ſuper hanc aquam, ut quicumque biberint, vel aſperſi fuerint ab ea, ſint benedicti in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Præſta nobis, quæſumus, Domine Deus, per hanc creaturam ſalis & aquæ, ſanitatem mentis, integritatem corporis, ſalutis remedium, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei; ut per ineffabilem miſericordiam

Digitized by Google

tuam ſalvi & liberi eſſe mereamur hic & in æterna ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc ſubdiaconus hanc lectionem ſolus incipit, dicens:

Lectio libri Regum.

Moxque diſtinctiori voce omnes proſequentur.

In diebus illis: dixerunt viri civitatis ad Helizæum; ecce habitatio hujus civitatis optima eſt, ſicut tu, Domine mi, perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt & terra ſterilis. At ille ait: afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal, qui cum attuliſſent egreſſus ad fontem aquarum miſit in eum ſal, & ait: hæc dicit Dominus, ſanavi aquas has, & non erit in eis ultra mors, neque ſterilitas; ſanatæ ſunt ergo aquæ uſque ad diem hanc, juxta verbum Helizæi, quod locutus eſt.

Deinde ſolus diaconus dicat.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Joannem.

(Omnibus ſe ſignantibus.)

℟. Gloria tibi Domine.

Tum proſequuntur omnes (excepto ſubdiacono) clara, gravi, & diſtincta voce, intermiſſaque primum brevi morula.

In illo tempore: vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic eſt de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans, & teſtimonium perhibuit Joannes dicens quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum, ſed qui miſit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto; & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

Tunc ſenior dicat:

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.

Deinde preſbyteri omnes ſimul dicant.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare: nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus virtuti ſubdita ſunt univerſa, cujus verbo procreata ſunt omnia, per Chriſtum Dominum noſtrum: Et ideo, ineffabilem tuæ benignitatis abundantiam humiliter ac ſuppliciter imploramus, ut ſupermittendo ſupermittas Spiritum-ſanctum tuum ſuper hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua ſancti ✝ cata in nomine ſanctæ Trinitatis, cujus infinitam excellentiam inceſſanter laudant angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates, cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant, cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas deprecamur ſupplici confeſſione dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Digitized by Google

Dominus Deus Sabbaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua: hoſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in excelſis.

Exaudi ergo, Domine, preces noſtras & concede, ut quemcumque ſeu ſanationis, ſeu purgationis cauſa, per manus ſervorum tuorum hæc unda reſperſerit, ſit illi in ſalutare remedium, quod vitia detergat, pullulare virtutes faciat, ad exequendas Chriſtiani muneris partes, robur augeat, perfectamque corporis & animæ conferat ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

En igitur, aqua, quæ lucis ſimilitudinem habes, quæ ſub cœlo, quæ ſuper cœlum, quæ ſub terra, quæ ſuper terram; ſuper quam etiam Spiritus Domini, quaſi tibi incubans ferebatur. En, inquam, ſuper te invocatum eſt nomen ſanctum, nomen glorioſum, nomen admirabile Dei, qui te in uſus hominum ſua potentia procreavit, qui per te immundis lavacrum, ſitientibus potum ſubminiſtravit, qui te per angelum ſuum ſalutarem ægrotantibus medicinam olim conſtituit. Adjuro ergo te per † Spiritum Dei vivi, adjuro te † per lignum myſterii, quo percuſſæ, dulces factæ ſunt aquæ Marah, ut ubicumque vel in hominibus, vel in pecoribus, vel in quibuſlibet locis, aut ſeminatis campis, vel in qualicumque creatura, in nomine Dei viventis aſperſa fueris: inde protinus quorumcumque Dæmoniorum, ſive Biothanatorum, ſive errantium, ſive præcantorum, ſive denique quorumlibet immundorum ſpirituum malignitas omnis, infeſtatioque depellatur, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui nomen eſt Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Oremus.

Ineffabilis clementiæ Deus, qui per ſanctum angelum tuum in deſerto fontem Agar oſtendiſti, ex eoque Hiſmaëlem ſitientem potaſti qui extremis populi tui miſertus anguſtiis ac neceſſitatibus, famulum tuum Moyſen, petram percuttere, & ex ea aquam prodire juſſiſti, benedicere, ac ſanctifi † care digneris hanc aquam in nomine tuo, † ſancte Pater, & in nomine dilecti Filii † tui, & in virtute Spiritus † ſancti, ut ubicumque aſperſa fuerit, omnes illico diſſolvantur, explodanturque ſævientis inimici artes & machinæ: ac ſicut ad domum Raguelis angelum tuum Raphaël mittere dignatus es, qui Aſmodæum colligaret, ſic quoque malignum dæmonem in dexteræ tuæ potentia, atque in magnitudine virtutis tuæ, frænare; necnon etiam nefarios ejus impetus in robore ac fortitudine brachii tui compeſcere, conterere, ac effringere digneris; ne vel huic habitaculo tuo ſancto, vel omnibus qui in eo ſunt, ullis unquam machinis, dolis, aut artibus, per ſe, vel per miniſtros ſuos nocere prævaleat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate, &c.

Conjuratio ſatanæ.

Exorcizo te, nequam ſpiritus, auctor diabolicæ fraudis, atque inventor maliciæ, cum omnibus angelis, ac ſatellitibus tuis; præcipiens tibi in nomine ſanctiſſimæ ac individuæ Trini † tatis, Pa † tris, & Fi † lii,

CAPUT IX *De arrept. ſeruenerg. &c.*

& Spiritus † ſancti, ut exeas ab hac creatura ſalis & aquæ, cum omnibus illuſionibus, cum omnibus infeſtationibus, cum omnibus maliciæ tuæ artibus, ita ut ubicumque creatura iſta vel ingreſſa fuerit vel aſperſa, omnes inde tuæ malignitatis effectus, omnes maliciæ tuæ artes adinventioneſque propulſentur, ac diſpereant. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum viſibilium & inviſibilium creatorem, qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, inſtaurator & conditor elementorum omnium, quæ tu mirabiliter à primis mundi naſcentis exordiis de nihilo produxiſti, miſericordiam tuam ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ, benedi † cere ac ſanctifi † care tua pietate digneris, ut quodcumque vel ipſa reſperſerit, vel ablutum fuerit ab ea, nullus ei nocere poſſit ampliùs ſpiritualis nequitiæ dolus, nulla fraus, nulla impugnatio, ſed ſpiritus immundus ſtatim ab eo confuſus exterrituſque procul aufugiat, ita ut nullam habeat ulteriùs in eo commorandi poteſtatem. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum, &c.

Extenta ſuper aquam dextera dicant.

En tibi, aqua, facta eſt de cœlo virtus ac poteſtas, ad dæmonum impetus propulſandos, comprimendaſque ſpiritales neqvitias; ſed & ad coercendos, ac effugandos ipſos dæmones, ut quantùm diſtat cœlum à terra, lux à tenebris, tantùm & elongetur ipſe diabolus cum miniſtris ſuis, cumque omnibus maliciæ ſuæ tetris artibus, machinationibus, dolis, fraudibus ac præſtigiis, à ſervis & ancillis Dei, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc ſenior aſpergat altare, deinde fratres, tum populum dicens, (pro diverſitate temporis.)

℣. Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, &c. *vel*, Vidi aquam, &c.

Quibus aſperſis, idem ſenior ſolus dicit,

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis (*Tempore paſchali additur* Alleluya.)

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Omnibus qui adfuerunt huic officio ſancto,
Tribuat Deus mentem ſanam in corpore ſano.

Atque his ita peractis omnes, præeunte cruce ordine quo venerant, in ſacriſtiam revertentur. Deinde lavantur in aqua ſic benedicta furioſi, qui ſanitatem ex hujuſmodi lotione conſequi ſolent.

CAPUT X

CAPUT X.

De ſeparatione leproſorum.

CAPUT X. De ſeparatione leproſorum. Leproſi ab aliis ſeparati.

I. NE forte ex convictu & habitatione leproſorum aliquod communi reipublicæ ſaluti ſuboriretur periculum, prudenti prorſus conſilio ſanxit eccleſia ut ab omni hominum ſanorum conſortio ſeparati degerent. Et quidem id in veteri teſtamento inſtituerat Moiſes, nec propriæ hac in re ſorori pepercit, quam extra caſtra ob lepram deduci juſſit. Id etiam in novo plura decrevere concilia, ex quibus unicum hic concilii Vaurenſis ſtatutum cap. 21. ſubjicio: [Licet compaſſive miſerationis effectu diligendi ſint, fraternæque charitatis brachiis ſint complectendi chriſticolæ, quos divino judicio corporalis lepræ morbus exulcerat; tamen quia morbus ipſe contagioſus exſiſtit, & ſerpit in ſanorum corpora per contactum; nos volentes eorum communionis periculo præcavere, ſtatuimus ut leproſi hujuſmodi à ſanis chriſticolis maneant ſequeſtrati, nec communes intrent eccleſias, neque forum, aut macellum, vel tabernas, ſive alia loca ſanis communia, nec pannos portent virgatos ſeu coloratos, nec pilos aut comas, nec ſepeliantur cum ſanis, ſignaque in veſtibus deferant, per quæ à ſanis patenti differentia cognoſcantur per diœceſanos ordinanda, quodque per ordinarios compellantur ad obſervantiam prædictorum.] In concilio vero Lugdunenſi III. anno 583. celebrato can. 6. Ipſorum cura epiſcopis committitur: & Gregorius papa II. in epiſtola 13. ad S. Bonifacium cap. 10. jubet ut [leproſis ſi fideles chriſtiani fuerint, Dominici Corporis & Sanguinis participatio tribuatur: cum ſanis autem convivia celebrare prohibeantur.] Idem præſcribit concilium VVormatienſe anni 868. can. 31.

Non tamen ſacra communione privati.

II. Huic decreto affine eſt illud quod de regio morbo laborantibus præſcripſit Zacharias papa in epiſtola XII. ad Bonifacium: [De his qui regio morbo vexantur inquiſiſti, ſive homines ſive equi, quid faciendum ſit de illis. Si homines ex nativitate aut ex genere hujus morbi ſunt; hi extra civitatem commanere debebunt, ad eleemoſynam vero accipiendam à populo non devitari. Si autem contigerit magnum vel parvum non nativitate ſe ſupervenienre ægritudine vexari, non eſt projiciendus, ſed ſi poſſibile eſt curandus. Attamen in eccleſia, dum ad communionem venerit, poſt omnium impletionem erit ingreſſurus adparticipandum munus.

Eadem fere erat ratio de morbo regio laborantibus.

III. Quid vero ſentiendum ſit de leproſis conjugali vinculo alligatis, diſcimus ex Alexandri papæ III. reſcripto ſequenti. [Pervenit ad nos quod hi, qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali à com-

Conjugali vinculo alligati à conjugibus non ſeparandi.

X x x

munione omnium ſeparentur, & extra civitates & villas ad loca ſolitaria transferantur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægrotantes ſequantur, ſed ſine ipſis manere præſumant. Quoniam igitur cum vir & & uxor una caro ſint, nec debeat alter ſine altero diutius eſſe: fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi qui ſunt in provincia tua viri vel mulieres qui lepræ morbum incurrant, uxores ut viros, viri ut uxores ſuas ſequantur, & eis conjugali affectione miniſtrent ſollicitis exhortationibus inducere laboretis. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungatis, ut uterque altero vivente continentiam ſervet.] Et in alio reſcripto ad epiſcopum Bathonienſem docet iterum conjugatos ob lepræ morbum non eſſe ſeparandos, immo addit: [Leproſis ſi ſe continere noluerint, & aliquam quæ ſibi nubere velit, inveniant, liberum eſt eis ad matrimonium convolare. Quod ſi virum ſine uxore divino judicio leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſana carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exegerit, eſt ſolvendum: cujus præcepti nullam in hac cauſa invenimus exceptionem.]

Caput X. *De ſeparatione leproſorum.*

Rectoribus leproſis coadjutores dandi.

IV. Idem Alexander papa ad Lincolnienſem epiſcopum ſcribens, jubet ut rectoribus eccleſiarum lepræ macula infectis coadjutor detur qui curam animarum gerat, & de facultatibus eccleſiæ congruam ſuſtentationi accipiat portionem. Quonam vero ritu leproſorum fieret ſeparatio ex ſequentibus ordinibus accipies.

ORDO I.

Ad ſeparandum leproſum.

Ex veteri codice S. Albini Andegavenſis.

Modus pro ejectione leprosorum ordinatus a Domino Raginaldo Remensi archiepiscopo et ab officialibus ejusdem.

Domini vicarii curiæ Remenſis prohibuerunt, ne in ejectione leproſorum à conſortio ſanorum celebretur miſſa defunctorum, nec ad modum agatur funeralem; ſed tantum ad eccleſiam veniant, ut ſibi placuerint, & dum audierint miſſam pro infirmis celebrandam, illic recedant, & ad locum ſibi præparatum in nomine Domini exeant. Preſbyteri tamen tenentur bonis verbis tales ad patientiam inducere, & monere orando, ut Dominus dirigat corda eorum in charitate Dei & patientia Chriſti.

Primo preſbyter indutus ſuperpelliceo cum ſtola & aqua benedicta accedat ad domum Lazari, qui Lazarus indutus tunica ſeu clamyde Lazareo debet venire ad eccleſiam cum ſacerdote & proceſſione, nec induitur pannis mortuorum, & in exitu domus aſpergitur aqua benedicta, & in introitu

eccleſia ſimiliter. Predictus vero Lazarus debet intrare eccleſiam & intereſſe ſervitio miſſa, & debet ſedere vel ſtare in uno angulo, ſeu in quodam cono chori, ne ſani inficiantur ab eo, nec debet habere cereos circa ſe, ſicut in obſequio corporum defunctorum; quia non eſt mortuus corpore, ſed propter morbum lepra ab omnibus eſt expulſus, & ideo miſſa pro ejectione ſeu expulſione ejuſdem Lazari non debet dici de Requiem, *nec debet habere luminare ſicut pro corpore defuncto; ſed miſſa celebratur de Dominica vel de Spiritu ſancto, vel ad devotionem ſacerdotis, excepto de* Requiem; *quia prohibitum eſt ne de* Requiem *celebretur; & in prædicta miſſa fit commemoratio pro infirmis, videlicet collecta* Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna, *cum ceteris, ſicut ſupra habetur inter memorias communes.... Miſſa cantata, non dicitur* ℟. Libera me Domine, de morte, *& non dicuntur commendationes defunctorum; ſed ſi leproſus voluerit confiteri, confiteatur peccata ſua in eccleſia hac vice tantummodo, preſbytero à longe ſtante.*

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

SEQUUNTUR PROHIBITIONES SEU DEFENSIONES LAZARO FIENDÆ.

QUand le Preſtre aura celebré la meſſe, doit veſtir ung ſurplis, & mettre une eſtole en ſon col, & doit donner de l'eau benoite audit lepreux; & le doit mettre hors, ſe y ne fait trop fort temps de pluye, ou autre neceſſité, le dit preſtre le doit mener au lieu où ſa maiſon eſt faite au champ, & le doit exorter en bonne patience, & en charité, en l'exemple de JESUS-CHRIST *& de ſes benoiſt ſains. Car pour avoir à ſouffrir moult triſteſſe, tribulation, maladie, meſelerie, & autre adverſité du monde, on parvient au Royaume de Paradis, où il n'y a nulle maladie, ne nulle adverſité, mais ſont tous purs & nets, ſans ordure, & ſans quelconque taſche d'ordure plus reſplendiſſant que le ſoleil, où que vous irez, ſi Dieu plaiſt, mais que vous ſoyez bon chreſtien, & que vous portiez patiemment cet adverſité. Dieu vous en doint la grace. Adonc le doit le preſtre recommander au peuple, qu'il lui faſſe aumonne, & que il le conforte en Dieu.*

Notez que ſe il eſtoit neceſſité par froit temps ou autre choſe, le preſtre pourroit faire & dire ces ennortemens & defendre à l'entrée de l'Egliſe, & n'yroit point ledit preſtre au champs.

Quand ledit meſel eſt à l'entrée de la maiſon où il doit eſtre mis pour demourer, le preſtre luy doit faire les defenſes qui s'enſuivent.

Premier: Je te defens que jamais tu n'entre en Egliſe ou mouſtier, en foire, en moulin, en marchiet, ne en compagnie de gens.

Je te défens que tu ne voiſes point hors de ta maiſon ſans ton habit de ladre, afin qu'on te connoiſſe, & que tu ne voiſes point deſchaux.

Je te defens que jamais tu ne lave tes mains ne autre choſes d'entour toy en rivage, ne en fontaine, ne que tu ne boives; & ſe tu veulz de l'eaue pour boire, puiſe en ton baril & en ton eſcuelle.

Je te defens que tu ne touche à choſe que tu marchandes ou achetes, juſqu'à tant qu'elle ſoit tienne.

Je te défens que tu n'entre point en taverne, ſe tu veulz du vin,

Digitized by Google

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

ſoit que tu l'achattes, ou que on te le donne, fais le entonner en ton baril.

Je te défens que tu ne habites à autre femme que la tienne.

Je te défens que ſe tu vas par les chemins, & tu encontre aucune perſonne, qui parle à toy, & qui ta raiſonne, que tu te mette au deſſoubs du vent, avant que ce que tu reſpondes.

Je te défens que tu ne voiſe point par eſtroite ruelle, afin que ſe tu encontres aucune perſonne, qu'il ne puiſſe pis valoir de toy.

Je te défens que ſe tu paſſe par aucun paſſaiges, tu ne touche point au puis ne à la corde, ſe tu n'as mis tes gans.

Je te défens que tu ne touches à enfans, ne leur donne aucune choſe.

Je te défens que tu ne boives, ne mangeuſes à autre vaiſſeaux aux que aux tien.

Je te défens le boire & le mangier avec compaignie ſinon avec meſeaux.

Quand il avendra que le meſel ſera treſpaſſé de ce monde, il doit être enterré en la maiſonnette, & non pas au cimetiere.

CY S'ENSUIVENT LES CHOSES QU'UN MESEL DOIT AVOIR AVANT QU'IL ENTRE EN L'HOSTEL OÙ IL DOIT ESTRE MIS.

PRemier, une tarterelle, ſouillers, chauſes, robe de camelin, une houſſe, & un chaperon de camelin, deux paires de drapeaux, un baril, un entonnoir, une couroie, ung couſtel, une eſcuelle de bois.

Item on luy doit faire une maiſon & ung puis, il doit avoir ung lit eſtofé de coutte, couſſin & couverture, deux paire de drap à lit, une hache, ou ung eſcrin fermant à clef, une table, une ſelle, une lumiere, une paelle, une aindier, des eſcuelles à mangier, ung baſſin, ung pot à mettre cuire la chair.

ORDO II.

Ex Rituali ad uſum provinciæ Remenſis anno 1585. edito.

MODUS SEPARANDI LEPROSOS A CONSORTIO SANORUM.

UBi parœco quemquam ex ſuis parœcianis lepra infectum eſſe certo conſtiterit, videlicet aut ex ſententia judicis eccleſiaſtici, aut alias legitime, illum blandis verbis primum ſolabitur, ut forti ſit animo, & ſerio apud ſe recogitet homini chriſtiano nullum morbum tetriorem aut periculoſiorem videri debere morbo animi, & Deo tamquam ſupremo Domino & clementiſſimo Patri in cunctis parendum eſſe, qui de rebus humanis ſtatuit pro ut ſaluti fidelium ſuorum magis novit expedire. Ceterum non debere animo angi, ſi pro ſancta caritate & laudabili conſuetudine chriſtianorum, quos Deo placet eo morbi genere viſitare, in poſterum à conſortio eorum qui ſani ſunt,

Digitized by Google

ſit ſeparandus : ſimulque illi diem præſcribet, quo id faciendum ſit, ex ejus tamen conſenſu, ſi fieri poſſit : & hoc in pronao etiam populo ſignificabit.

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

Conſtituto ergo die, domum leproſi veniet ſacerdos, ſaltem ſuppelliceo & ſtola, cum cruce & aqua benedicta, ſubſequente populo, quemadmodum in aliis proceſſionibus fieri ſolet, ipſumque benigne ſalutatum, & aqua benedicta aſperſum hortabitur, ut ſequatur, ſacrum miſſæ ſacrificium auditurus, & ſacerdotalem benedictionem, & ſalutaria quædam documenta recepturus. Interim dum proceditur, poteſt aliquid cantari, non tamen ex officio defunctorum, veluti hactenus in nonnullis locis fieri ſolebat ; ſed vel pſalmi pœnitentiales, vel aliqua reſponſoria, quæ ad excitandam pœnitentiam, vel implorandam Dei miſericordiam pertinent, & cum ventum fuerit ad fores eccleſiæ, iterum ſacerdos ægrotum aſpergat aqua benedicta, illique locum extra vel intra eccleſiam, ſi tute fieri poſſit, deſignabit, ubi ſeparatus ab aliis miſſam poſſit audire, quæ poterit eſſe vel de tempore, vel de feſto occurrente, vel de Sancto Spiritu, cum orationibus pro infirmo, quæ in miſſali habentur inter communes : aut certe tota dicatur pro infirmo modo qui ſequitur :

Introitus.

Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam : intende in me, & exaudi me. *Pſalmus.* Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Gloria Patri, &c. Kyrie, *ſine* Gloria in excelſis.

Oratio.

Deus qui unigeniti tui patientia antiqui hoſtis contriviſti ſuperbiam : da huic famulo tuo, quæ idem pie pro nobis pertulit digne recolere, ipſiuſque exemplo hanc adverſam valetudinem æqua mente tolerare. Per.

Addatur oratio de patrono eccleſiæ, & oratio generalis pro defunctis. Omnipotens ſempiterne Deus. *Si placet.*

Lectio libri Regum.

In diebus illis miſit Heliſæus nuntium ad Naaman principem militiæ regis Syriæ dicens : Vade & lavare ſepties in Jordane *&c. uſque* vere ſcio quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum Dominus Deus Iſraël.

℟. Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine.
℣. Conturbata ſunt omnia oſſa mea & anima mea turbata eſt valde. Alleluia. ℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. *Si dicendus fuerit tractus, dicatur :* Domine non ſecundum peccata noſtra, &c.

Secundum Lucam cap. 17.

In illo tempore. Dum iret Jeſus in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam caſtellum occurrerunt ei decem viri leproſi *&c. uſque* ſurge, vade : quia fides tua te ſalvum fecit.

Offertorium.

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

In te Domine ſperavi, dixi, tu es Deus meus : in manibus tuis tempora mea.

Secreta.

Deus ſub cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces & hoſtias famuli tui, pro quo ægrotante miſericordiam tuam imploramus : ut de cujus adverſa valetudine dolemus, de ejus patientia ac virtute lætemur. Per.

Communio.

Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, & ſalvum me fac in tua miſericordia, Domine : non confundar, quoniam invocavi te.

Oratio poſt communionem.

Da famulo tuo, quæſumus, Domine, in tua fide & ſinceritate conſtantiam : ut in caritate divina firmatus, nullis adverſitatibus ab ejus integritate vellatur. Per.

Interim dum celebratur miſſa, ægrotus illam devote audiat in aliquo loco ſeparatus ab aliis, non tamen ſupponatur feretro, neque tegatur panno nigro, nec habeat circa ſe cereos, ut in quibuſdam locis hactenus fieri ſolebat: ſed indutus communibus veſtimentis ſuis, finem ſacri expectet ; & confeſſus communicet, ſi velit, non tamen ad altare aliquid oblaturus accedat.

Expleto ſacro ſit menſa juxta ægroti locum, ſuper quam poſita ſint quæ ſequuntur : Veſtis humilitatis, quam alii Lazaream vocant, vulgo la Houſſe *Nola ſeu ut loquuntur veteres, clamitella, vulgo* clicquette *ou* tarterelle : *modiolus, chirotheca, & pera : quæ omnia ſacerdos benedicat hoc modo :*

Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini. Dominus vobiſcum. Oremus.

Deus cujus verbo omnia benedicuntur, & ſanctificantur, hoc humilitatis veſtimentum cum reliqua ſupellectili benedicere & ſanctificare digneris : ut famulus tuus his uti poſſit ad nominis tui gloriam, & ad animæ corporiſque ſalutem. Per.

Deinde porrigat infirmo ſingula, & veſtem primam omnium, dicens :

N. recevez ceſt habit, & le veſtez en ſigne d'humilité, ſans lequel deſormais je vous défens de ſortir hors de vôtre maiſon. Au nom du Pere, & du Fils, & du ſaint Eſprit.

Dando modiolum.

Prenez ce baril, pour recevoir ce qu'on vous donnera pour boire : & vous défens ſur peine de deſobeïſſance, de boire aux rivieres, fontaines & puits communs, ne de vous y laver en quelque maniere que ce ſoit, ne vos draps, chemiſes, & toutes autres choſes qui auroient touché vôtre corps.

Dando nolam dicat :

Prenez cette cliquette, en ſigne qu'il vous eſt défendu de parler aux perſonnes, ſinon à vos ſemblables, ſi ce n'eſt par neceſſité, & ſi avez beſoin de quelque choſe, la demanderez au ſon de cette cliquette, en vous tirant loin des gens, & au deſſous du vent.

Digitized by Google

Dando chirothecas, dicat:

Prenez ces gans, par leſquels il vous eſt défendu de toucher choſe aucune à main nuë, ſinon ce qui vous appartient, & ne doit venir entre les mains des autres. CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

Deinde dando peram dicat:

Recevez cette pannetiere pour y mettre ce qui vous ſera élargi par les gens de bien, & aurez ſouvenance de prier Dieu pour vos bienfaâeurs.

Tunc ſacerdos det illi ſuam eleemoſynam, & hortetur alios, ut idem faciant: poſtmodum deducat eum in leproſariam, præcedente clerico crucem & aquam benedictam deferente, & populo ſequente. In via autem cantetur litania, addendo in fine verſuum Miſerere ei, *&* ora, *vel* orate pro eo. *Et ſubjungantur cetera preces, quæ dici ſolent in adminiſtratione extremæ unctionis, exceptis orationibus, quarum loco dicentur duæ ex illis quæ in miſſa recitatæ ſunt, nempe* Deus qui unigeniti tui, *&* Da famulo tuo. *Et cum perventum fuerit ad fores leproſariæ, ſacerdos introducat infirmum dicendo:* Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

Deinde utatur hac vel ſimili exhortatione.

N. Voici le lieu qui vous eſt ordonné pour y faire d'oreſnavant vôtre reſidence: Je vous défens donc d'en ſortir pour vous trouver aux places & aſſemblées publiques, comme egliſes, marchez, moulins, fours, tavernes, & autres ſemblables. Cependant vous ne vous fâcherez pour être ainſi ſequeſtré des autres, dautant que telle ſeparation n'eſt que corporelle; & que quant à l'eſprit, qui eſt le principal, vous toûjours autant avec nous, que fuſtes oncques: & aurez part & portion à toutes les prieres de nôtre mere ſainte Egliſe, comme ſi perſonnellement étiez tous les jours aſſiſtans au ſervice divin avec les autres. Et quant à vos petites neceſſitez, les gens de bien y pourvoyront, & Dieu ne vous delaiſſera point. Seulement prenez garde, & ayez patience, Dieu demeure avec vous.

Tunc, ſi opus ſit, ſacerdos ſtatuet crucem ligneam ante oſtium leproſariæ, & converſus ad populum, precibus & caritati omnium commendabit infirmum, prohibens omnibus, ne ullam illi verbo vel facto injuriam inferant, quin potius memores humanæ conditionis, & horrendi judicii Dei, ei liberaliter in omnibus ſubveniant.

Poſtremo parentibus vel cuſtodibus eccleſia præcipiet, ut ipſi infirmo ſaltem triginta horarum ſpatio diligenter aſſiſtant, ne propter vitæ novitatem, & inuſitatam ſolitudinem nimio mœrore confectus in aliquod grave periculum mentis & corporis incidat.

Eſt præterea notandum parvulos leproſorum non debere baptizari ſupra fontes, ubi baptizantur alii, ſed ſupra piſcinam. Quod ſi leproſus in gravem aliquem morbum inciderit; & ſacramenta eccleſiæ ſibi dari poſtularit, rem Domino gratam faciet parœcus, ſi ipſi adminiſtrarit. Et ſi contingat illum univerſæ carnis viam ingredi, poterit juxta domunculam ſuam ſepeliri, fientque ſolemnes preces pro illo, ſicut & pro ceteris fidelibus defunctis; nec debet

Digitized by Google

dici miſſa Os juſti meditabitur ſapientiam, *ut pro confeſſore, quemadmodum hactenus fieri ſolebat in aliquibus locis.*

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

ORDO III.

Ex Rituali Bituricenſi & Senonenſi juſſu Cardinalis Borbonii edito.

MODUS EJICIENDI SEU SEPARANDI LEPROSOS INFIRMOS A SANIS.

IN primis enim infirmus ſeu leproſus veſtitus toga ſeu habitu ſolito exſiſtens in domo ſua adventum preſbyteri ituri ad domum ipſius & ad eccleſiam eum ducturus non habet ignorare, ſed eum ſic expectare. Nam preſbyter indutus ſuperpelliceo & ſtola, cruce præcedente, progreditur ad domum infirmi verbis ſalutaribus alloquens eum, prætendens ei & demonſtrans quod hujuſmodi infirmitate corporali ſanitatem animæ, domumque ſalutis æternæ, benedicens Deum & laudans, patienterque tolerans, ſecure poteſt ſperare, & aliis verbis ſecundum materiam ſubjectam prolatis. Preſbyter leproſum aqua benedicta reſperſum ducat ad eccleſiam, cruce præcedente, & preſbytero ſequente, deinde infirmo. In eccleſia vero ante altare pannus niger ſi habeatur, ſupponatur duobus tretellis disjunctis, & juxta ſtet infirmus genibus flexis inter tretellos ſubtus ponitur, ſimilitudinem mortui gerens, quamvis vivat corpore & ſpiritu Deo donante, & ſic ibi devote miſſam debet audire. Qua finita, & aſperſo aqua benedicta per preſbyterum cum cruce ad locum ubi debet moram trahere deducendus eſt. Quo ibidem pervento, ſacræ ſcripturæ utendo documentis, ſcilicet, Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Unde Auguſtinus:* facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum. *Preſbyter cum palla terram ſuper quemlibet pedum ejus perducit dicendo.* Sis mortuus mundo, vivens iterum Deo. *Et eum conſolans & in patientia corroborans, verbis Iſaiæ de Domino noſtro Jeſu Chriſto dicentis:* Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & reputavimus eum quaſi leproſum, percuſſum à Deo & humiliatum. *Dicatque:* Si in infirmitate corporali cauſa patientiæ Chriſto aſſimilaveris, profecto ſperare potes, quod ſpiritu cum Deo lætaberis: hoc tibi concedat Altiſſimus in libro vitæ adſcribens te cum fidelibus. Amen.

Notandum quod preſbyter debet eum ducere ad eccleſiam, & de templo ad ſuam domum, ut defunctus cantando ℟. Libera me Domine. *Ita quod idem infirmus ſit coopertus panno nigro, & celebratur miſſa in excluſione ejuſdem ad libitum preſbyteri vel infirmi; ſed tamen conſuetum eſt dicere iſtum introitum* Circumdederunt me *quære in ſeptuageſima. Collecta:* Omnipotens ſempiterne Deus ſalus æterna credentium. *Epiſtola.* Chariſſimi triſtatur quis veſtrum. ℟. Miſerere mei. ℣. Conturbata ſunt. Alleluia. Qui ſanat ſe. *In quadrageſima Tractus.* Commoviſti. *Evangelium.* Intravit Jeſus Capharnaum. *Offert.* Domine exaudi. *Secreta. Poſtcommunio in communionis orationibus. Communio.* Redime me Deus Iſrael ex omnibus anguſtiis noſtris.

Miſſa

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

Miſſa vero celebrata, exeundo extra templum ſtare debet ad portam aſpergendo eum aqua benedicta dicens: Aſperges me &c. Miſerere mei Deus &c. Gloria Patri &c. *Et debet eum recommendare populo. Prius tamen infirmus debet confiteri in eccleſia, & non plus, & eum conducendo iterum incipit* ℟. Libera me Domine, *cum aliis verſiculis. Deinde quando pervenit in campis, facit ſicut prædictum eſt, & concludit faciendo prohibitiones ſibi in modum qui ſequitur;*

(a) Defendo tibi numquam intrare in eccleſiis, in foro, in molendino, in furno, & in ſocietatibus populorum. (a)

Item defendo tibi numquam lavare manus tuas, nec etiam alia tibi neceſſaria in fontibus, neque in rivulis cujuſcumque aquarum, & ſi vis bibere aquam, hauris cum tuo barillo vel aliquo vaſe.

Item defendo tibi ne de cetero vadas ſine habitu leproſali, ut cognoſcaris ab aliis, & noli diſcalciatus eſſe extra domum tuam.

Item defendo tibi ne tangas aliquam rem quam volueris emere in quocumque loco fueris, niſi cum quadam virga vel quodam baculo, ut cognoſcatur quid quæris.

Item defendo tibi ne de cetero intres tabernas vel alias domos, ſi velis vinum emere vel quod tibi datur, fac illud ponere in tuo barillo.

Item defendo tibi ne commiſcearis alicui mulieri, niſi tuæ cônjugi.

Item præcipio tibi eundo per itinera alicui te interroganti non reſpondeas, niſi prius fueris extra iter ſub vento, ut non de te male habeat.

Etiam quod non de cetero vadas per ſtrictam viam ne obvies alicui.

Item præcipio tibi, ſi neceſſitas urget te, per quoddam pedagium ſupra apra vel alibi, ut non tangas ſtipites, vel inſtrumenta medicantibus, quibus tranſieris, niſi prius poſueris tuas chirothecas.

Item defendo tibi quod non tangas infantulos, neque juvenes quicumque ſint, neque eis vel aliis aliquando des de tuis bonis.

Item præcipio tibi ne de cetero comedas neque bibas in ſocietatibus, niſi cum leproſis, & ſcias quod quando morieris in domo tua ſepultus eris, niſi fuerit de gratia præcedente petita in eccleſia.

Sed nota quod antequam intret domum, debet habere tunicam & caligas de griſeo, ſotulares proprios videlicet ſimplices, & ſignum ſuum, clamitellas, unum caputium, & unam togam ſcilicet houſſe; *duplicia linteamina, unum bucillum, unum infundibulum, unam corrigiam, unum cultellum, & unam ſcutellam. Domus enim debet eſſe parva, unus puteus, unum cubile ornatum linteaminibus auricael, unam aream, unam menſam, unam ſedem, unum luminare, unam pallam, unum potum, & alia neceſſaria.*

Deinde omnibus completis, ſacerdos ſibi demonſtret decem præcepta, quæ

(a) Sequentes prohibitiones & præcepta in Rituali Senonenſi lingua vernacula enuntiantur, quarum in fine hæc leguntur: *Nota, qu'il fault que copie des défenſes ſy deſſus ſoyent données au lepreux par le Curé ou Vicaire, aux deſpends de la Paroiſſe dont ils ſeront, afin qu'il n'aye cauſe d'ignorence.* Quæ vero ſequuntur in eo deſiderantur.

Digitized by Google

CAPUT X
De ſeparatione leproſorum.

ſibi fecit, & vivat in terra in pace cum proximo. Nunc demonſtranda ſunt ei decem præcepta Dei, ut vivat in cælis cum beatis, & dicit ei preſbyter populo præſente. Demonſtret ei etiam ſacerdos quod quotidie & quilibet fidelis Chriſtianus tenetur dicere devote Pater noſter, Ave Maria, Credo in Deum, Credo in Spiritum-ſanctum, *munire ſe ſigno crucis ſæpe dicendo*, Benedicite Deum, adorate & gratias Deo reddite. *Preſbyter recedit dicens :* Ayez patience, demourez en paix, & Dieu demeure avec vous.

ORDO IV.

Ex Rituali Ambianenſi.

MODUS OBSERVARI SOLITUS AD LEPROSOS COMMENDANDOS EXTRA SÆCULUM ET SANORUM COMMUNIONEM.

MOrbo per phyſicos expertos det lecto & per eccleſiaſticum judicem eſſe talem judicato, matricularii parochiæ in qua moratur leproſus provideant ſumptibus & impenſis dictæ parochiæ de neceſſariis, domo videlicet utenſilibus & funeralibus ac ſi mortuus eſſet, ſi fuerit pauper: Si autem ipſius bona ad hoc ſufficere poſſint, ſumat de eis, ne gravis parochia gravetur.

Item ſacerdos indicat populo diem qua intendit dicti leproſi ſervitium decantare, ut moris eſt in annunciandis obitibus defunctorum. Curet etiam ſacerdos excitare populum ut devotis precibus impetrent dicto infirmo patientiam. Qua adveniente die, ſacerdos indutus ſuppellicio cum ſtola exeat de eccleſia, cruce & aqua benedicta præeuntibus, iturus proceſſionaliter uſque ad domum infirmi, in cujus domus introitu benigne aſpergat aqua benedicta infirmum, ejuſque circumſtantes amicos incipiendo. ℞. Credo quod Redemtor meus vivit &c. *Quo finito, ſi ad uſque ad eccleſiam reſtat via longior, dicat ſacerdos ſeptem pſalmos pœnitentiales. Sequatur devote ſacerdotem infirmus, velatus faciem caputio ſuo, comitatu ſuorum amicorum ſociatus. Qui dum ſtatim fuerint eccleſiam ingreſſi, collocet eum ſacerdos ſub panno mortuorum ſuper tripodas, ut aſſolet extento, maneatque ibi geniculatus, ſi poſſit uſque ad finem ſervitii.*

Deinde procedat ſacerdos ad decantanda ſuffragia & miſſam pro defunctis. Ad offertorium miſſæ procedant omnes amici & propinqui infirmi, ipſo tamen ſub dicto panno ſemper manente. Miſſa debite completa, ſacerdos exhortetur infirmum ut ſacramentaliter confiteatur, præſertim ſi conſcientia remordet eum de aliquo peccato, qua confeſſione ſalubriter facta, communicet eidem viaticum, ideſt euchariſtiæ ſacramentum, poſt cujus communicationem, faciat recommendationes ſuper infirmum ſicut ſolet fieri de corpore præſenti.

In meditullio temporis paretur parva fovea in cimiterio ad quam incedant cantando ℞. Libera me Domine &c. *cum verſiculis, & eam ingrediatur infirmus, & ſacerdos accipiat terram cum pella, quam trina vice ponat ſuper caput infirmi, ſi laïcus fuerit; ſi vero fuerit ſacerdos, jaciet terram ſuper corpus ejus dicendo hanc antiphonam* De terra plaſmaſti me, &c.

Digitized by Google

Quod ſi contigerit ipſum univerſæ carnis viam ingredi, deportetur corpus ejus ad locum deſtinatum inhumandum. Quo ſepulto & humato, fiat ejus ſervitium ſumtibus defuncti, ponendo cereos & candelas in medio eccleſiæ & pro introitu miſſæ decantetur Os juſti meditabitur &c. *ſicut pro uno confeſſore non epiſcopo.*

CAPUT X. *De ſeparatione leproſorum.*

Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſto, nobis tamen occulto judicio epulonem divitem pro meritis in inferno condiri voluiſti, inopem quoque Lazarum in ſinibus Abrahæ ad imitationis exemplum miſericorditer collocaſti; præſta ut qui in hoc famulo tuo paupertatis & infirmitatis humilem tolerantiam immenſæ largitatis tuæ munus devote recolimus, hujus ſæculi ærumnas te adjuvante vincamus. Per Dominum.

Epiſtola. Juſtus cor ſuum condidit. *Graduale.* Juſtus ut palma. Alleluia. Juſtus germinabit. *Evangelium.* Nemo accendit lucernam. *Offert.* Poſuiſti Domine.

Secreta.

Placare, quæſumus Domine, humilitatis noſtræ precibus & hoſtiis; & ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidiis. Per.

Communio. Magna eſt gloria.

Poſtcommunio.

Repleti cibo potuque ſpiritualis alimoniæ, ſupplices te, Domine, deprecamur, ut hujus participatione myſterii doceas nos terrena deſpicere & amare cæleſtia. Per Dominum.

ORDO X.

Ex antiquo Rituali inſignis eccleſiæ Catalaunenſis.

MODUS OBSERVARI SOLITUS IN DIOECESI CATALAUNENSI AD LEPROSOS COMMENDANDOS ET EXTRA SÆCULUM ET SANORUM COMMUNIONEM SEPARANDOS.

MOrbo per phyſicos expertos detecto, & per eccleſiaſticum eſſe talem judicato, matricularii ſeu proviſores eccleſiarum, in qua moratur leproſus, provideant ſumtibus dictæ parochiæ de neceſſariis, videlicet domo, & utenſilibus, & funeralibus, ac ſi mortuus eſſet, ſi fuerit pauper. Si autem ipſius bona ſufficere poſſint, ſumatur de eis, ne parochia gratis gravetur.

Item ſacerdos in ſuo prono Dominica die præcedente, qua intendit ſervitium dicti leproſi decantare, ut moris eſt, ſicut pro corpore præſenti, moneat parochianos ſuos, ut in dicto ſervitio aſſiſtant, & pro eo Deum rogent. Sacerdos proceſſionaliter cum cruce & aqua benedicta vadat ad domum leproſi, & dicat in exitu domus pſalmum De profundis, *cum precibus & orationibus aſſuetis, & aſpergat leproſum aqua benedicta in exitu domus, & inducat eum in eccleſiam cantando* ℟. Libera me, *cum verſibus ſuis.*

CAPUT X. De ſeparatione leproſorum.

Indutus debet eſſe leproſus (de la houſſe gallice) *cum ſuo capitio, de quo facies ejus debet eſſe cooperta. Item dictus leproſus debet ſtare ante feretrum, durante ſervitio, genibus flexis, ſi pati poſſit: Sin autem ſedeat ſuper ſcabellum. Sacerdos faciat & dicat ſervicium, & poſt miſſam recommendationes ſicut pro corpore præſenti ſupra feretrum, nec dictus leproſus ire ad oblationem.*

His peractis, proceſſione ordinata, ſacerdos ducat eum in domum ſuam extra villam ſibi paratam cantando ℞. *vigiliarum. Quibus finitis, dicat antiphonam* Clementiſſime *cum precibus & orationibus aſſuetis, & dum pervenerint ad domum leproſi, ſacerdos accipiat terram benedictam ſibi paratam, & cum palla jaciat ſuper caput leproſi in domo, & ſupra domum dicendo hanc antiphonam:* De terra plaſmaſti me, & carnem induiſti me, Redemtor meus Domine, reſuſcita me in noviſſimo die. *Poſtea ſacerdos accipiat leproſum per ſuam veſtem, & introducat in domum ſuam dicendo hanc antiphonam:* Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. *Et mox ſtatuatur crux lignea ſatis prope introitum domus ſuæ. Deinde preſbyter dicat:*

Or ça, mon amy, d'oreſnavant demourez icy en paix en ſervant Dieu devotement, & ne vous déconfortez point pour quelque povreté que vous ayez, car vous aurez touſiours part à toute bonnes prieres, ſaint ſervice, & ſuffrages qui ſe feront en l'Egliſe. Priez ainſi Dieu devotement qu'il vous doint grace de tout ſouffrir, & porter patiemment. Et ſi ainſi le faites, vous accomplirez vôtre purgatoire en ce monde, auquel partement duquel irez en paradis ſans paſſer en purgatoire.

Item ſacerdos, aut villicus, vel ſcabinus tradat ei nolam dicendo:

Mon amy, prenez cette cliquette en ſigne qu'il vous eſt défendu, & je vous défend ſur peine d'inobedience le parler, ſi ce n'eſt par neceſſité, mais par le ſon de cette cliquette demenderez au peuple vos aumoſnes, en vous tirant touſiours à part loing de gens & au deſſus du vent.

Item tradat ei barillum:

Je vous baille ce baril pour mettre ce qu'on vous donnera pour boire, & vous défend ſur peine d'inobedience, que ny beuviez, ne puiſſiez eaux de puis, fontaines, rivieres qui ſoient commune: ne laviez vos draps, chemiſes, ne aucuns habits, & que vous ayez un vaiſeau de bois ou aultre auquel vous boirez, & un entonnouer.

Item tradat ei chirothecas dicendo:

Je vous deffend ſur peine d'inobedience que ne alliez pieds nuds, & que ne touchiez choſe du monde à la main nue par voye ne chemin, & que aux jeunes enfans ne touchiez ſans vos gans.

Sacerdos ei dicat:

Mon amy, je vous laiſſe icy en la garde de Dieu, & ayez patience, & le louez touſiours, & il demourera avec vous.

Deinde tradat ei eleemoſynam, ut ſit aliis in exemplum. Poſtea recedat in eccleſiam.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De agendis circa ægrotos in exitu animæ laborantes.

Caput XI. De agendis circa ægrot. &c.

Infirmis de vita periclitantibus ſtatim adminiſtrata ſacramenta.

I. ANTEQUAM ea quæ ad defunctorum ſepulturam pertinent exponam, operæ precium eſt hic paucis ea deſcribere quæ infirmis in vitæ extremo conſtitutis olim exhibebantur obſequia. Igitur ut primum aliquis gravem in morbum incidiſſet, non minor erat animæ quam corporis cura; ſed ſtatim atque ægroto vitæ periculum imminere cernebant, expiatis per confeſſionem apud ſacerdotem peccatis, eum extremis eccleſiæ ſacramentis, hoc eſt unctione extrema & viatico, munire ſatagebant. Idque per ſeptem continuos dies repetere non negligebant, uti obſervavimus in libro 1. cap. 7. art. 2. n. 5.

II. Ab eo tempore, immo antea, canonicum coram infirmo officium recitare non prætermittebant, nec die ſolum, ſed etiam nocte. Conſtat hic ritus ex variis Ritualibus quæ protulimus in libro 1. cap. 7. præſertim ex duobus Turonenſibus S. Gatiani ante annos 800. exaratis, regios ante 700. & Pontificali Saliſburgenſi. Quibus concinit vetus Rituale S. Martini Turonenſis, in quo hæc leguntur: [Quando canonici infirmantur & petunt viſitationem, decanus vel ſubdecanus ſonat bis campanam capituli; & poſt vadit proceſſio ad domum ægroti cum cruce & candelis & incenſo. Et facto ſervitio, ſicut in manuali continetur, crucem faciunt adorare, & poſt redeunt relinquentes cum eo ſex preſbyteros eleemoſynarios, qui die & nocte cum eo ſunt, horas ei cantantes uſque ſanus ſit, vel uſque tradatur ſepulturæ.]

Officium coram ipſis recitatum.

III. Libros Rituales confirmat praxis. Nam S. Geraldus comes Auriliacenſis, teſte S. Odone abbate Cluniacenſi in ejus Vita lib. 3. cap. 7. [Ingraveſcere ſe ſentiens, juſſit ut nocturnale coram ſe capellani peregiſſent, epiſcopo cum ſuis in eccleſia illud celebrante. Cum pſallentibus autem & ipſe pſallebat, donec poſt matutinale officium, omnes etiam horas diei compleret.] Idem de S. Ottone epiſcopo Babebergenſi legimus apud Surium 2. Julii in ejus Vita lib. 4. cap. 4. [Nocte ergo qua feſtivitas S. Pauli agebatur in ſupremo ſpiritu conſtitutus, & jam carne præmortuus, corde tamen & flagrantiſſima voluntate divinis intendebat laudibus, ita ut clericis nocturnale coram eo officium perſonantibus, ille elevatis manibus, ſurſumque oculis, deſideranter erectis, ad ſingulas lectiones, voce qua poterat Deo gratias reſponderet.] His addo exemplum Guidonis de Melloto epiſcopi Autiſſiodorenſis de quo in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 63. apud Labbeum hæc ſcribuntur. [Ex quo decubuit quotidie horas canonicas, quandiu fuit loquendi poſſibilitas, devotus ita dixit, aut ſaltem audivit.] Præponere debue-

Digitized by Google

Caput XI. De agendis circa agros &c.

rant factum S. Paulini epiſcopi Nolani qui ut ſcribit Uranius in ejus Vita n. 3. ipſa etiam qua obiit die, [Adveniente luce conſuetudinem ſuam vir ſanctus agnovit, itaque, ut ſolebat excitatis omnibus matutinum ex more & ordine celebravit.]

Quodnam eſſet illud officium.

IV. Hic uſus viguit præſertim apud monachos, ut patet ex his quæ diximus in Commentario ſuper Regulam S. P. Benedicti cap. 36. vigetque etiam hodie apud Cartuſienſes, qui conſtanter canonicas horas coram infirmis recitare ſolent. Iſtud officium idem omnino erat, quod in eccleſia perſolvere ſolebant clerici: Saltem id non obſcure innuunt loca à nobis citata ex Vita S. Geraldi & ex Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium, quibus accinit Pontificale Saliſburgenſe his verbis: [Debent etiam ex miniſtris ſanctæ Dei eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies & noctes veſpertinales laudes pleniter, *ſicut mos eſt in eccleſia.*] Verum Romæ ſingulare prorſus officium ad uſum præſertim infirmorum habebatur, quod ex vetuſto codice ms. archivi Baſilicæ Vaticanæ num. 1. Vulgavit eruditus vir Joſephus Thomaſius cum antiquo Romanæ eccleſiæ antiphonario. Illud officium quoniam in Galliis non ita facile reperitur, hic ſubjicere non gravabor.

V. Eo in codice in primis præmittitur ſequens rubrica: *Debent etiam ſacerdotes & miniſtri eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies, veſperas & matutinum cum hymno.* Deinde ſequitur officium hoc modo:

Incipit Vigilia pro infirmis.

Antiphona in 1. Vigilia.

Antiph. Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam & curabo eum.

Pſal. Beatus vir.

℣. Domine non ſum dignus, ut intres, &c.

Antiph. Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. *Pſ.* Quare fremuerunt.

℣. Nam & ego ſum.

Antiph. Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Jeſum, & ſanabantur. *Pſal.* Domine quid multiplicati.

℣. At ille ſingulis manus imponens curabat eos.

℟. Domine puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi. Ego veniam & curabo eum. ℣. Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus. Amen.

℟. Cum invocarem te, exaudiſti me Deus juſtitiæ meæ; in tribulatione dilataſti me. Miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam. ℣. Filii hominum uſquequo graves corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Miſerere.

℟. Domine, ne in ira tua arguas me; neque in furore tuo corripias me.

Digitized by Google

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. ℣. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ, & dixit. Miſerere.

IN II. VIGILIA.

Antiph. DOmine, non habeo hominem, ut dum mota fuerit aqua, mittam me in piſcinam. *Pſal.* Cum invocarem te.

℣. Dum enim ego venio, alius ante me deſcendit.

Antiph. Angelus Domini deſcendit de cælo movebatur aqua, & ſanabatur unus. *Pſal.* Domine Dominus noſter.

℣. Quicumque prior deſcendit in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

Antiph. Qui me ſalvum fecit, ipſe mihi præcepit. Tolle grabatum tuum, & ambula in pace. *Pſal.* In Domino confido.

℣. Et dixit illi Jeſus, ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

℟. Deus qui ſedes ſuper thronos, & judicas æquitatem. Eſto refugium pauperum in tribulationibus, quia tu ſolus laborem & dolorem conſideras. ℣. Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, ſperent in te qui noverunt nomen tuum. Quia.

℟. Auribus percipe, Domine, lacrymas meas, ne ſileas à me. Remitte mihi quoniam incola ego ſum apud te & peregrinus. ℣. Dixi cuſtodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea. Quoniam.

℟. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris Domine in ſermonibus tuis. ℣ Amplius lava me ab injuſtitia mea, & à delicto meo munda me. Miſerere mei.

IN III. VIGILIA.

Antiph. MUltitudo languentium veniebant ad eum, & ſanabantur omnes. *Pſal.* Domine quis habitabit. ℣. At ille ſingulis manus imponens curabat illos.

Antiph. Conſerva me, Domine, quoniam in te ſperavi. *Pſal. Idem.*

℣. Dixi Domino, Deus meus es tu.

Antiph. Vade ad Jordanem, & lavare ſepties, & recipiet caro tua priſtinam ſanitatem. *Pſal.* Exaudiat te Dominus.

℣. Miſit ad eum Eliſæus nuntios dicens:

℟. Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi, Domine. ℣. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me, deduxiſti me. A finibus.

℟. Peccata mea, Domine, ſicut ſagittæ, infixa ſunt in me. Et antequam vulnera generent in me; ſana me, Domine, medicamento pœnitentiæ, Deus. ℣. Sana me, Domine, & ſanabor; ſalvum me fac & ſalvus ero medicamento.

Digitized by Google

IN MATUT.

Antiph. Domine puer meus. *Pſal.* Dominus regnavit. ℣. Domine non ſum dignus.

Antiph. Domine non ſum dignus. *Pſal.* Jubilate. ℣. Nam & ego.

Antiph. Vade ad Jordanem. *Pſal.* Deus Deus. ℣. Miſitque.

Antiph. Qui me ſalvum fecit. *Pſal.* Benedicite.

Antiph. Omnes qui habebant. *Pſal.* Laudate. ℣. At ille ſingulis.

℣. Sana me Domine.

Hymnus ad officium pro infirmis.

Chriſte, cæleſtis medicina Patris,
Verus humanæ medicus ſalutis,
Providæ plebis precibus potenter
Pande favorem.

En nos infirmos tibi ſupplicamus;
Quos nocẽs peſtis valitudo quaſſat:
Ut pius morbum releves jacentem,
Quo quatiuntur.

Qui poteſtate manifeſtus adſtans,
Mox Petri ſocrũ febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque ſalvans
Centurionis.

Ferto languenti populo vigorem,
Afflue largam populis ſalutem,
Priſtinum more ſolito reformes
Viribus ægros.

Corporũ morbos animæque ſana;
Vulnerum cauſis adhibe medelam,
Ne ſine fructu cruciatus urat
Corpora noſtra.

Omnis impulſus perimens recedat,
Omnis incurſus crucians liqueſcat,
Vigor optatæ foveat ſalutis
Membra dolentis.

Fletibus noſtris miſerere, Chriſte:
Sub quibus te nunc petimus mederi,
Ut tua noſter recubans medelam
Sentiat æger.

Quo per illata mala dum gravatur
Eruditorum numero decorus,
Utpote ſcandat, ſociante fructu
Regna polorum.

Gloria Patri Unigenitæque,
Proli & Paraclito tibi, ſancte ſemper
Simplici ſanctæ quoque Trinitati
Sidera clament.

In evangelium antiph. Quodcumque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Alleluia. *Cant.* Benedictus.

℣. Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo.

VI. Idem etiam officium recitabatur olim in diœceſi Turonenſi, ut patet ex pervetuſto codice eccleſiæ S. Gatiani, in quo poſt ritus Unctionis extremæ à nobis tom. 2. pag. 132. relatis habetur hæc rubrica: *Debent etiam ſacerdotes & miniſtri ſanctæ Dei eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis recitare per ſingulos dies veſperas & matutinas cum hymno* Chriſte cæleſtis, *& cum antiphonis & reſponſoriis, ſive lectionibus ad hoc pertinentibus.*

Communio pauio ante mortem infirmis porrecta.

VII. Præter ſacram communionem quam una cum extrema unctione, per ſeptem continuos dies infirmis dare ſolebant, cum ingraveſcente morbo anima in exitu laborare incepiſſet, Corporis & Sanguinis Chriſti iterum participes fiebant, ut cæleſti hoc recreati Viatico viam univerſæ carnis facilius feliciuſque ingrederentur. Ita videre eſt in antiquis libris Ritualibus bene multis. Nam in Pontificali Prudentii Trecenſis

cenſis epiſcopi qui ante annos 840. ſanctitate florebat, poſt miſſam *pro infirmo qui proximus eſt morti* nonnulla habentur in quibus hæc leguntur: [Summopere cavendum eſt, ut ante exitum, ſive jejunus ſit infirmus, ſive refectus cibo, viaticum ſacræ communionis accipiat.] Antiquum Pontificale Saliſburgenſe. [Mox, inquit, ut viderint infirmum ad exitum propinquare, communicandus eſt de ſacrificio ſancto, etiamſi comediſſet, ipſo die, & faciant letaniam antequam anima exeat de corpore.] Veteres conſuetudines Farfenſis monaſterii: [Mox ut anima ad exitum appropinquare viſa fuerit, communicandus eſt homo ipſe Corpore & Sanguine Domini, etiamſi ipſa die comederit, quia ipſa communio erit ei in adjutorium contra diabolum & inſidias ejus.] In antiquo etiam Breviario Caſſinenſis monaſterii tempore Oderiſii abbatis ſcripto ſub cujus fine habetur *obſequium circa morientem*, inter alia præſcribitur ut data infirmo abſolutione, communicetur etiamſi eadem die comederit, deinde legantur coram eo Paſſiones. His addo antiquum Pontificale inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria, cujus hæc verba: [Cum vero infirmus ad exitum appropinquaverit, ſi adhuc compos mentis ſit, ſi non communicaverit ipſo die, communicandus eſt de ſancto ſacrificio, etiamſi comediſſet eodem die.]

VIII. Idem decernunt antiquæ leges eccleſiaſticæ. Concilium Nicænum I. can. 13. [De his qui excedunt antiqua & canonica lex nunc quoque ſervabitur, ut ſi quis vita excedat, ultimo & maxime neceſſario viatico ne fraudetur.] Capitulare epiſcoporum anno 802. editum: [Omnibus infirmis ante vitæ exitum viaticum & communionem Corporis Chriſti miſericorditer tribuant.] Concilium Aquiſgranenſe anno 836. celebratum cap. 2. can. 5. [Si autem infirmitate depreſſus fuerit; ne confeſſione atque oratione ſacerdotali, necnon & unctione ſanctificati olei per ejus negligentiam careat: denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam chriſtianam Domino Deo ſuo more ſacerdotali cum acceptione ſacræ communionis, corpuſque ſepulturæ, non ut mos eſt gentilium, ſed ſicut chriſtianorum.]

IX. Hæc omnia confirmat praxis omnium pæne ſeculorum, ut demonſtrare in promtu eſſet, niſi prolixitatem vitare decreviſſemus. Et certe Paulinus diaconus in Vita S. Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi n. 47. felicem S. Pontificis exitum litteris conſignat his verbis: [Honoratus ſacerdos eccleſiæ Vercellenſis..... deſcendens obtulit Sancto Domini Corpus, quo accepto, ubi glutivit emiſit ſpiritum.] Sanctus Paulinus Nolanus epiſcopus, teſte Uranio in ejus Vita, morti cum proximus eſſet Symmachum Benedictum, & Hiacinthinum epiſcopos [quaſi profecturus ad Dominum juſſit ſibi ante lectum ſuum ſacra myſteria exhibere, ſcilicet ut una cum ſanctis epiſcopis oblato ſacrificio animam ſuam Deo commendaret.] S. Germanus Autiſſiodorenſis epiſcopus: [Salutifero confortatus Viatico apud Ravennam] obiiſſe traditur in Hiſtoria Autiſſiodorenſium epiſcoporum. S. Benedictus, referente S. Gregorio in lib. 2. Dialogorum cap. 3. [cum languor per ſingulos dies ingraveſce-

Digitized by Google

Caput XI De agendis circa ægros &c.

ret, ſexta die portari ſe in oratorium à diſcipulis ſuis fecit, ibique exitum ſuum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit, atque inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans erectis manibus ſtetit & ultimum ſpiritum inter verba orationis expiravit.] Idem Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 10. *de egreſſu animæ Spei abbatis* loquens, [convocatis, inquit, fratribus aſtans in medio Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis ſumſit, moxque cum eis myſticos pſalmorum cantus exorſus eſt, qui, illis pſallentibus, orationi intentus, animam Deo reddidit.] Et capite 15. ſimilia habet de tranſitu Romulæ ancillæ Dei, & cap. 35. de Eleutherio. S. Maurus Beati Benedicti diſcipulus, ut ſcribit Fauſtus in ejus Vita n. 70. [ante altare Beati Martini ſuper cilicium ſtratus ſui recubans cum exitum ſuum vivificorum muniſſet perceptione Sacramentorum, adſtantibus qui relicti erant diſcipulis, feliciter migravit ad Dominum.] Eamdem praxim eruere poſſem ex Vita S. Arigii Vapincenſis epiſcopi & ex multis aliis veterum teſtimoniis à nobis ultro prætermiſſis, unum aut alterum ſubjungam. S. Gregorius abbas Trajectenſis, teſte Lindgero in ejus Vita n. 22. [communione ſacri Corporis & Sanguinis Domini accepta, aſpiciens ad altare mente cæleſtibus intentus ad Dominum perrexit.] De Gaufrido Martello Andegavenſi ita ſcribit Chronicon Andegavenſe ad annum 1106. [ad mortem percuſſus, & optime confeſſus, Dominico accepto corpore, & adorata cruce eadem nocte, proh dolor! occubuit.]

X. Porro eadem lex valebat pro infantibus non ſecus ac pro adultis, unde in libro 1. capitularium Benedicti Levitæ cap. 155. decernitur, [ut preſbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.] Hanc tamen poſtea legem quoad infantes abrogavit eccleſia, unde Thomas Cantipratenſis lib. 2. de Apibus cap. 28. refert infanti cuidam necdum ſeptenni & morti proximo Sacramentum Corporis Chriſti poſtulanti denegatum fuiſſe *propter generalis concilii vetitum*, quod tamen haud dubium porrectum fuiſſet niſi concilii prohibitio obſtitiſſet.

Quonam ritu adminiſtraretur eis communio.

XI. Quonam vero ritu conſtitutis in extremo infirmis euchariſtia porrigeretur, diſce ex ms. Pontificali Prudentii Trecenſis epiſcopi. Eo in codice poſt ordinem ad viſitandum infirmum, ſeu ad dandam extremam unctionem duæ habentur miſſæ una *pro infirmo*, altera *pro infirmo qui proximus eſt morti*. Binis hiſce miſſis hæc ſequentia ſubjiciuntur.

D*iem adventus ſolus Pater ſcire pronuntiat, neſcienti vigilare & orare præcipit.*

Secundum Marcum.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Videte, vigilate, & orate &c. *uſque ad* quod autem dico, omnibus dico, Vigilate.

Sequitur Paſſio ſecundum Marcum.

Erat autem Paſcha & azyma poſt biduum, &c.

Digitized by Google

Ante Paſſionem ſuam Chriſtus Dei Filius Patri de clarificatione ſua loquitur.

CAPUT XI. *De agendis circa ægrot. &c.*

Sublevatis Jeſus oculis in cælum dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te *&c. uſque ad* dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

Poſtea incipiatur. Hæc cum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron *&c. uſque in finem Paſſionis.*

Si autem infirmus ita in lecto detentus eſt, ut ad eccleſiam vel miſſam ire non poſſit ; ſacerdos accipiat librum Sacramentorum, ſtolam ad collum habens, ſumma cum devotione veniat ad infirmum, ſalutans eum verbis divinis. In primis dicat collectam ad diem pertinentem, & epiſtolam ; poſtea legat evangelium. Deinde dicat : Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Sequitur præfatio uſque* Sanctus. *Inde dicat :* Oremus præceptis ſalutaribus, *cum oratione Dominica uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum. *Poſtea communicet eum. Sequitur oratio poſt communionem ſummopere cavendum eſt, ut ante exitum, ſive jejunus ſit infirmus, ſive refectus cibo, viaticum ſacræ communionis accipiat.* Hactenus Pontificale Prudentii ordinem miſſæ ſiccæ ad communicandum infirmum mirifice deſcribens. Ex quibus colliges ſiccas miſſas, quas hactenus frequentant Cartuſiani non ita recentes eſſe, ac arbitrentur nonnulli.

XII. Sacra accepta communione, infirmi, fratribus præſentibus, parentibus ultimum pacis oſculum porrigebant, quam conſuetudinem apud monachos præſertim viguiſſe ab initio monaſtici ordinis ad noſtra uſque tempora fuſe demonſtravimus in libro 5. de Antiquis monachorum Ritibus capite 9. eamque à Judæis ad chriſtianos tranſiviſſe facile colligitur ex Philone, qui de Joſepho Patriarcha loquens, ſuper ipſius à beſtiis morte Jacobum Patrem ejus lugentem ac loquentem inducit hoc modo : [Si tibi ſepulcrum contigiſſet in terra propria, nec mihi defuiſſet ſolatium ; aſſediſſem officioſe ægrotanti, *impendiſſem morienti extrema oſcula*, clauſiſſem oculos, mortuum laviſſem lacrymis.] Hunc ſancti Patriarchæ de morte filii ſui luctum, longe ſuperant S. Ambroſii gemitus in libro 1. de Exceſſu fratris ſui Satyri n. 19. ubi ritum quo de agimus ea qua præditus erat eloquentia expreſſit his verbis : [Nihil mihi profuit ultimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus in os inſpiraſſe morienti ; putabam enim quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te ipſe transfunderem. *O infelicia illa ; ſed tamen dulcia ſuprema oſculorum pignora ! O amplexus miſeri inter quos exanimum corpus obriguit, halitus ſupremus evanuit !* Stringebam quidem brachia, ſed jam perdideram quem timebam ; & extremum ſpiritum ore relegebam ut conſortium mortis haurirem.] &c. An vero ad hujuſmodi ritum referri debeant ea quæ de S. Paulino ſcribit Uranius in ejus Vita, quod ſcilicet proximus morti [preſbyteris, & diaconibus atque omnibus clericis exemplo Dominico pacem hæreditariam prædicavit :] & quod de S. Deſiderio Caturcenſi epiſcopo legimus in ejus Vita cap. 19.

Oſculum morienti à parentibus datum.

quod ſcilicet *omnibus valedicto* animam exhalavit. Clarius idem uſus exprimitur in Vita S. Bennonis Miſnenſis epiſcopi cap. 31. ubi poſt factam ad ſuos canonicos orationem, [ſingulorumque manibus *pro more deoſculatis*, illos hymnis ac pſalmis juſſit inſiſtere, ipſe vero devota ad Deum oratione habita, accepto prius eccleſiaſtico commeatu, feſſi tandem corporis ſarcinam depoſuit.] Qui locus confirmat etiam ea quæ antea diximus de viatico ſeu eccleſiaſtico commeatu infirmis morte imminente porrigendo. His diutius immorari ſupervacaneum exiſtimamus, cum eum ritum non apud chriſtianos tantum ac Judæos viguiſſe doceant nos non vulgares ſcriptores, ſed etiam apud Ethnicos, juxta illud Virgilii lib. 4. Æneidos

Extremus ſi quis ſuper halitus erat
Ore legam.

Et iſtud Ovidii.

Excipias
Hanc animam ore pio.

Chriſtiani olim omnes in cinere & cilicio defuncti.

XIII. Exceptis amicorum & propinquorum oſculis, infirmus ad terram cinere & cilicio ſtratam deponebatur. Neque enim decebat *chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori*, ut dicebat olim S. Martinus apud Sulpitium. De hoc ritu plura diximus in libro 5. de Antiquis monachorum ritibus; at ne quis forte exiſtimet hunc morem iſtorum dumtaxat proprium extitiſſe; haud abs re erit illuſtrium aliquot virorum exempla proferre, qui in cinere & cilicio defuncti ſunt, ut ex his facile quiſque colligat id communi uſu apud omnes chriſtianos receptum fuiſſe. Profero itaque illuſtres epiſcopos tres, Arigium VVapincenſem, Herifriduus & Guillelmum Autiſſiodorenſes. Et de primo quidem in ejus Vita hæc lego: [Nudato corpore ante altare S. Euſebii cum cinere & cilicio jacens, viaticum Corporis & Sanguinis Domini Iſicii de manu epiſcopi & Diconcii preſbyteri, cum accepiſſet, ait gratias ago] &c. De ſecundo vero Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 41. hæc tradit: [Aderat clerus ejulans, & pro exitu animæ pſalmos decantans, moxque præparatis cineribus, & ſuperjecto cilicio, ut virum decet chriſticolam, deſuper extendi juſſit.] Guillelmus vero qui circa finem ſæculi XII. obiit ex eadem Hiſtoria cap. 57. interrogatus [utrum in cinere & cilicio, ſicut decet chriſtianum, vellet obire; id ipſe voce qua potuit & geſtu annuit & popoſcit.] Iſtis tribus epiſcopis duos adjungo inſignes cardinales, Petrum Damiani Oſtienſem & Matthæum Albanenſem epiſcopos, quorum primus de ſeipſo loquens libro 6. epiſt. 19. hæc habet: [Dum hæc & ſimilia itero, funereæ mihi parantur exequiæ, ſacra olei delibutione perungor, in cineris & cilicii ſtrato tamquam illi emoriturus exponor.] De altero Petrus Venerabilis in libro 2. miraculorum ita ſcribit: [Fratres autem rogaverat, ne ſe caſu aliquo niſi in cinere & cilicio chriſtianorum more mori permitterent.] Epiſcopis & cardinalibus ſocium dabo Summum Pontificem Gelaſium II. de quo Pandulfus apud Angelum de Nuce in notis ad lib. 4. Chronici Caſſinenſis cap. 64. [Suis, inquit,

ac multis fratribus undique convocatis facta confeſſione, ac Corpore & Sanguine Redemtoris acceptis, & juxta normam monaſticam ſtrato terræ corpuſculo, ſancta illa anima carne ſoluta eſt.] Quid, quod nec reges ipſi in ſæculo potentes iſtud humilitatis obſequium refugerunt? Notanda plane hac in re pietas Ludovici VI. Francorum regis qui extremo morbo decumbens, & [præcipiens tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus] eſt, ut ſcribit Sugerius in ejus Vita. De hoc ritu hæc legimus apud Anonymum Tutonenſem in ſuo MS. Speculo Eccleſiæ. [Quando homo debet mori, cum jam videtur laborare in extremis, debet poni ad terram ſuper cinerem, vel ad minus ſuper paleas, per quod innuitur quia cinis eſt & in cinerem debet reverti. Et hoc fit ad exemplum S. Martini, qui ita ut aliis in ſe daret exemplum, in cinere jacens finivit.] Ubi vides antiquum eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem in eo temperari, quod infirmus ſuper paleam poſſet, non ad terram nudam deponi. Hac indulgentia utuntur monachi Cartuſienſes, qui in tertia ſtatutorum compilatione cap. 2. [infirmus, inquiunt, morti appropinquans non ponatur ſuper benedictum cinerem, prout vult antiquum ſtatutum, propter periculum accelerandæ mortis, ſed dumtaxat lectus in quo jacet modico cinere conſpergatur.] Antiquæ iſtius diſciplinæ reſtat adhuc aliquod veſtigium nonnullis in locis, ut in Lexovienſi diœceſi ubi ſacerdos infirmos extremæ unctionis oleo illiturus, prius eos cinere conſpergit dicens: Memento homo quia cinis es & in cinerem reverteris. Sed & hodie Ciſtercienſes B. Mariæ de Trappa infirmos ſuos morti proximos in paleam cinere conſperſam deponunt.

Poſtea ſuper paleam.

XIV. Jam vero ſi quis ordinem deponendi infirmi in cinerem & cilicium ſimul ac benedictionem ipſius reſcire deſiderat: præſto ex veteri Rituali Catalaunenſi & ex ms. codice Cl. V. Petri Menardi quibus concinit Pontificale ms. Conſtantinopolitanum & decimus Ordo Romanus ex Vulgatis Muſæi Italici tomo 2.

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE CILICII SI QUIS INFIRMUS INUNCTUS VEL ALIUS SANUS ILLUD RECIPERE VELIT.

℣. ADjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ miſericordiam tuam quærentibus hoc indumento veſtitis & miſericordiam & veniam tribuiſti, oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum

Digitized by Google

Caput XI *De agendis circa ægros &c.*

quod vocatur cilicium benedicere & ſanctificare digneris, ut quicumque eo pro peccatis ſuis indutus fuerit, & miſericordiam imploraverit, ſanitatem corporis ac veniam & indulgentiam tuæ miſericordiæ conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedictio cineris.

Oremus.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis & miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti; exaudi nos propitius, ut hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ miſericordiæ implorantes utuntur, benedicere & ſanctificationis tuæ gratiam ſuper eum infundere digneris, ut quiſquis illius aſperſus fuerit pulvere, indulgentiam & remiſſionem cunctorum à te pio Domino percipere mereatur delictorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tunc extende in terram cilicium, & de cinere benedicto ſuper illud à ſacerdote fiat crux & aquæ benedictæ aſperſio, & ſuper illud ponatur infirmus vel alius. Deinde fiat crux cum aqua benedicta & cinere ſuper pectus illius, & dicat:

Recordare quia cinis es & in cinerem reverteris.

Et rurſus ſacerdos dicit ad illum: Placent tibi cinis & cilicium ad teſtimonium pœnitentiæ ante Deum in die judicii. ℟. Placent. *Et tunc ſacerdos ſuperponens cilicium dicit:* Apud Deum miſericordia & copioſa apud eum redemtio. Ita enim lapſis hominibus ſubvenit, ut non ſolum per baptiſmi & confirmationis gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ & unctionis medicinam ſpiritus humanus vitæ reparetur æternæ. ℟. *Infirmus.* Deo gratias.

XV. Addit Anonymus Turonenſis: [Et debet legi Paſſio Domini vel pars illius ante morientem, ſi litteratus ſit, ut ſic ad majorem commoveatur compunctionem à compunctione ad confeſſionem, à confeſſione ad peccatorum remiſſionem. Item crux debet ad pedes eſſe erecta, ut eam moriens cernat, ut magis conteratur. Et debet recta facie jacere, ut ſemper cælum aſpiciat. Et hoc quoad exemplum B. Martini, qui rogatus à preſbyteris ut mutato latere corpus verſaret, cum febricitans ſtratu ſuo nobili cilicio recubaret. Sinite me, inquit, cœlum videre, ut Spiritus dirigatur ad Dominum.]

CAPUT XII.

De obſequiis defunctis ſtatim poſt eorum obitum exhibitis.

I. OBSEQUIA defunctis ſtatim poſt obitum quatuor præſertim exhibebant veteres. Simul enim ac efflaverat aliquis animam, clauſis ejus oculis, corpus ipſius lavabant, pretioſis unguentis delibutum condiebant, congruis ſibi veſtimentis induebant, ac tandem ipſius animam fuſis ad Deum precibus hymnorum & pſalmorum decantatione Deo commendabant. Hæc omnia paucis hic demonſtranda ſunt.

Caput XII. De obſequiis defunctis, &c. Obſequia quatuor erga defunctos.

II. Prævaluit ſemper apud chriſtianos præclara illa S. Auguſtini ſententia lib. 1. de Civitate Dei cap. 13. [non contemnenda & abjicienda eſſe corpora defunctorum, maximeque juſtorum atque fidelium, quibus tamquam organis & vaſis ad omnia opera bona ſanctus uſus eſt Spiritus.] Ut igitur præcipuum illis honorem exhiberent, compreſſis demortuorum oculis, omnem ab eorum cadaveribus immunditiam, quam ex diutina infirmitate aut aliunde contrahere potuerant, extergere ſatagebant: Hinc illa corporum lotio, ab antiquis ſcriptoribus adeo celebrata, Græcis, Romanis, Judæis ex æquo communis; ita ut his diutius immorari ſupervacaneum prorſus videatur. Unum dumtaxat hic Æliani proferam teſtimonium de Dardanenſibus, [Dardanenſes, inquit, Illyricos ter tantum lavari audio per totam vitam: poſt partum, & cum nuptias ineunt, & poſt mortem.] Quomodo autem Judæi ſuos lavarent mortuos diſcimus ex Johanne Buxtorfio Synagogæ Judaicæ cap. 35. [Aqua calida, ait, ſtudioſe abluitur mortuus, ut purus & mundus ſit, cum peccatorum ratio reddenda erit. Ovum inſuper acceptum cum vino agitantes permiſcent, & capiti illius illinunt.] Non mirum igitur ſi Chriſti Domini Corpus factum a Joſepho ab Arimathia ablutum fuiſſe docuerint ſancti Patres nonnulli, præſertim Chryſoſtomus & Theodoretus. Unde & Epiphanius in homilia de Sepultura Domini eumdem Joſephum alloquens: [Anne, inquit, aqua Dei illius corpus abluis, qui omnes à peccatis abluit & expiavit, omnibuſque puritatem tribuit.]

Corporis lotio Græcis Romanis & Judæis communis.

III. Eamdem conſuetudinem ſtatim ab initio accepit à Judæis ipſis Eccleſia, nam Acta Apoſtolorum Sabithæ religioſæ feminæ mortem deſcribentes, illam capite 9. exprimunt his verbis: [Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum laviſſent, poſuerunt illam in cænaculo.] Eumdem ritum commendat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. ubi de Chriſtianorum

Ipſis etiam Chriſtianis.

Digitized by Google

caritate erga extinctos peſte in civitate Alexandrina hæc habet: [Hi ergo ſanctorum corpora ſupinis manibus græmioque excipientes, oculos illis & ora claudentes, bajulantes ea humeris ſuis, componentes, adhæreſcentes illis, complectentes, *lavacro* & veſtimentis ornantes, paulo poſt eadem officia ab aliis conſecuti ſunt.] Et Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptiſmo: [In extrema ætate es, ultimumque trahis ſpiritum, & ut mortuus *laveris* expectas.] Ejuſdem meminit etiam alter Gregorius, qui Turonenſem eccleſiam ſub finem ſæculi VI. non ſine ſanctitatis laude regebat. Nam lib. 2. Hiſtoriæ Francorum agit de S. Servatio Tungrenſi epiſcopo, qui [ablutus à fidelibus juxta ipſum aggerem publicum eſt ſepultus.] Et lib. 6. cap. 46. narrat quo modo Malulfus Sylvanectenſis epiſcopus Chilpericum regem [ablutum veſtimentis melioribus induit, nocte in hymnis deducta, in navi levavit, & in baſilica S. Vincentii quæ eſt Pariſiis ſepelivit.] Ejuſdem ritus fit etiam mentio in libro de Gloria Confeſſorum cap. 75. ubi de Reticio Auguſtodunenſi epiſcopo, & cap. 81. ubi de Mariano Recluſo. Duobus hiſce adjungo tertium Gregorium papam qui in libro 3. Dialogorum cap. 17. ſic loquitur: [Cujuſdam pauperculæ maritus juxta defunctus eſt, quem *ex more* lotum, veſtimentis indutum, & ſabano conſtructum ſuperveniente veſpere ſepelire nequiverunt.] Ubi vides hoc humanitatis obſequium non ſolum epiſcopis, principibus, ac nobilibus, ſed etiam pauperculis exhibitum fuiſſe, idque *ex more*, ſimili prorſus modo. Et libro 4. cap. 16. ubi de tranſitu Tarſillæ virginis, [Cumque, inquit, corpus ejus *ex more* mortuorum ad lavandum eſſet nudatum., longæ orationis uſu in cubitis ejus & genibus camelorum more inventa eſt obdurata cutis excreviſſe.] Infinita hujuſmodi exempla congerere poſſem quibus ſuperſedendum eſt.

Caput XII De obſequiis defunctis, &c.

Cadavera aromatibus condita.

IV. Lotum cadaver antiqui variis unguentis & aromatibus condiebant. Fuit hic ritus Ethnicis maxime familiaris, Romanis, Græcis, Ægyptiis. Et de Romanis quidem teſtis eſt Plinius in Hiſtoriæ Naturalis lib. 12. cap. 1. [Poſtea unguenti voluptas à Romanis inter laudatiſſima atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt, honoſque is & ad defunctos pertinere cœpit.] Scribit tamen Alphonſus Salmeronius in Tractatu 49. de Sepultura Chriſti. [Romanos ejuſmodi odoramentis & aromatibus eos ſolos efferre conſueviſſe, quos in Deorum numerum referre voluerint.] Sed unde id acceperit reſcire cuperemus. Quam ſtudioſi fuerint unguentorum græci diſces ex Athenæo lib. 15. De Ægyptiis iterum Plinius lib. 2. cap. 37. [Ægyptiis, inquit, mos eſt cadavera adſervare medicata.] Cui concinit Tullius Tuſculan. 1. [Mortuos Ægyptii condiunt & eos domi ſervant.] Quanam vero ratione id peragerent deſcribit Diodorus Siculus apud Plinium lib. 1. cap. 91. his verbis: [Quam primum ad ſecti cadaveris curationem convenere (*hi qui cadavera condiunt*,) unus per hiatum, manu ad præcordia immerſa, quicquid inteſtinorum eſt, præter cor & renes extrahit. Alius alvum cum viſceribus ſingulis repurgatam vino palmeo, aromaticiſque odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures xxx. unguento primum cedrino aliiſque

aliiſque delibutum reddunt. Myrrha deinde ac cinamomo aliiſque non longiori tantum conſervationi, ſed etiam fragrantiæ aptis conditum propinquis reddunt.]

V. Morem hunc ex Ægyptiis in Palæſtinam facile advehere potuerunt Iſraelitæ, apud quos familiarem fuiſſe cadaverum unctionem ex variis evangelii locis nullo negotio eruitur. Nam Matthæi 26. indignantibus diſcipulis, quod mulier pretioſum unguentum in Servatoris noſtri caput effudiſſet, ipſe reſpondit: *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.* Sive ut habet Marcus cap. 14. *prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.* Vel ut Johannes cap. 12. *Sinite illam ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.* Unde quod poſt Chriſti Paſſionem Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jeſum, id abſque ullo dubio ex more gentis egiſſe aſſerendum eſt.

VI. Quod in caput ſuum factitatum fuiſſe viderunt chriſtiani, id ipſum in ejus membris præſtare non neglexerunt: unde & martyrum corpora, quotiens abſque periculo fas eſſet, immo nonnunquam cum propriæ ſalutis diſcrimine, ſepulturæ tradituri condiebant. Ita S. Eupli diaconi, qui ſub Diocletiano & Maximiano Catanæ martyrii palmam promeruit, [ſublatum corpus à chriſtianis & conditum aromatibus ſepultum] tradunt ejus Acta apud Ruinartium. Ita S. Calepodii corpus [acceptum cum gaudio epiſcopus (Callixtus) linteaminibus involvit, aromatibus condivit & honorifice cum hymnis & laudibus ſepelivit in cœmeterio ejuſdem.] Ut habent Acta S. Callixti. Hinc & Maximus præſes invictiſſimo martyri Tarachio exprobrans ſimul & comminans ajebat: [Putas quia mulierculæ aliquæ poſt mortem corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire, nequiſſime? Nam & modo cogitabo ut reliquias tuas exterminem.] Hinc & apud Minutium Felicem inter crimina quæ chriſtianis à gentilibus objiciebantur, [non floribus, inquiebant, caput nectitis, non corpus honoribus honeſtatis, *reſervatis unguenta funeribus.*]

VII. Neque vero ſolis martyribus, ſed aliis quoque fidelibus hoc honoris obſequium præſtabant, cujus rei teſtis eſt Tertullianus latinorum Patrum antiquiſſimus. Nam in Apologetico cap. 42. hæc habet: [Si Arabiæ quærantur, ſciant Sabæi pluris & carius ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Deis fumigandis.] Et libro de Reſurrectione carnis: [Proinde enim & corpora medicata condimentis ſepulturæ mauſoleis & monumentis ſequeſtrantur.] Et libro de Idololatria ſcribit aromata [hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque inſuper (*ſcilicet Chriſtianis*) ad ſolatium ſepulturæ] reſervari. Simili modo Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 8. [Nimiæ, inquit, unguentorum unctiones, juſta quæ fiunt mortuis potius quam familiarem vitæ redolent conſuetudinem.] Hinc & Prudentius in hymno ad exequias defunctorum unctionis ritum his canit verſiculis:

[Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt.

Digitized by Google

CAPUT XII. *De obſequiis defunctis, &c.*

Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.]

Prudentio concinit alter Poeta, Orientius a nobis editus in tomo 1. novæ noſtræ Collectionis veterum ſcriptorum. Nam in Commonitorii libro 1. agens de futura reſurrectione. Ita habet.

[Non modo quæ tumulis bene condita ſaxa reſervant,
Aut Arabum ſolidans pulvis odorque tenet.
Sed dicto citius firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis] &c.

Tam claris & evidentiſſimis auctoritatibus accedit S. Auguſtini teſtimonium Sermone 177. novæ editionis n. 7. [*Si dives mortuus conditur aromatibus, non erit nulla putredo, ſed ſera.*] Et Sermone 361. n. 12. [*Ægyptii ergo ſoli credunt reſurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum. Morem enim habent ſiccare corpora & quaſi ænea reddere: Gabbaras ea vocant.*] Ejuſdem conſuetudinis meminit etiam liber Pontificalis in Vita Sixti III. qui paulo poſt S. Auguſtini obitum Summi apicis thronum conſcendit: Baſſi [corpus Sixtus epiſcopus cum linteaminibus & aromatibus manibus ſuis tractans recondidit & ſepelivit ad B. Petrum apoſtolum in cubiculo parentum ejus.] Poſſem his adjungere Gregorium Nyſſenum Oratione in funere Meletii, & Gregorium Nazianzenum epiſt. 18. ubi eumdem morem commemorant, ut & Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Confeſſorum capp. 35. & 106. At non prætertibo Corippi teſtimonium lib. 3. ubi de funere Juſtiniani Imperatoris ita canit:

[Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.]

Supervacaneum prorſus eſt plura hujuſmodi teſtimonia veterum congerere, quibus plures paginas opplere haudquaquam eſſet difficile. Neque vero exiſtimandum eſt primis tantum eccleſiæ ſæculis hunc ritum obtinuiſſe. Nam & longe ſequioribus poſtea obtinuit. Nam S. Anſelmi Cantuarienſis archiepiſcopi facies balſamo peruncta legitur apud Cadmerum lib. 2. n. 74. & apud Bollandum April. 22. & Guillelmi Autiſſiodorenſis epiſcopi in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium capite 57. Haimerici quoque Podienſis epiſcopi Antiochiæ defuncti, atque Henrici I. Anglorum regis corpus aromatibus conditum ex Orderico Vitali Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 9. & 13. uti & margaritæ uxoris Henrici VII. imperatoris ex Vita Baldevvini epiſcopi Trevirenſis apud Baluzium Miſcellaneorum tom. 1.

Mortui cum pretioſis veſtibus ſepulti.

VIII. Venio nunc ad tertium mortuis exhibitum obſequium, quod in veſtitu repoſitum fuiſſe diximus. Et de gentilibus quidem id conſtat ex Homero, Plutarcho, Juvenali, & aliis. Chriſtianos autem cum veſte plerumque ſepultos fuiſſe, & quidem pretioſa demonſtrat Euſebius libro 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. ubi Aſturii Romanæ urbis

Senatoris egregium facinus narrat, qui [cum Marini martyris ſupplicio intereſſet, humeris ſuis impoſitum cadaver, candida ac pretioſa veſte amictus, bajulavit & magnifico cultu ornatum decenti tradidit ſepulturæ.] Clarius alia verſio: [Sancti Marini martyris cadaver tollit, ſplendida & pretioſa veſte obtegit, atque humeris impoſitum inde deportat] &c. Idem diſcimus ex S. Auguſtini expoſitione in pſalmum 48. [Sed pompa eſt funebris, excipitur ſepulcro pretioſo, involvitur *pretioſis veſtibus*, ſepelitur unguentis & aromatibus.] Quam pretioſæ porro fuerint illæ veſtes docet S. Hieronymus in Vita S. Pauli primi Eremitæ his verbis: [Cur & mortuos veſtros auratis involvitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus lachrymaſque non ceſſat? An cadavera divitum niſi in ſerico putreſcere nequeunt?] Et S. Chryſoſtomus homilia 84. [Tu cum audieris nudum Dominum reſurrexiſſe, ceſſa quæſo ab inſana funeris impenſa. Quid ſibi hoc ſuperfluum vult & inutile diſpendium, quod ipſis plurimum affert detrimenti; mortuis vero nullam utilitatem ſed damnum potius. Sumtuoſa namque ſepultura, nonnunquam cauſa eſt ut fures cadaver effodiant & nudum & inſepultum projiciant.] Quod divitum cadaveri timebat Chryſoſtomus id Hadriano papæ primo contigiſſe docet ejus Vita Muſei Italici tom. 1. verum illud timendum plane non erat egregiis illis chriſtianis, qui in Jordane fluvio baptizati, Sindones quibus induti fuerant in baptiſmo ſibi ad ſepulturam reſervabant, uti legitur in Antonini martyris Itinerario. Sed neque Guillelmo Autiſſiodorenſi epiſcopo, qui paulo antequam è vivis excederet rogabat [quod in vilioribus veſtimentis ſacerdotalibus quæ in eccleſia B. Stephani erant ſepeliretur,] ex hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 57.

IX. Veſtes autem cuilibet mortuo erant propriæ. Quapropter epiſcopi cum pontificalibus omnibus inſignibus ſepeliebantur. Sane id moris fuiſſe Romanorum Pontificum aſſerit Vita Adriani papæ I. his verbis: [Sepulto itaque Summo Pontifice & univerſali papa Adriano, apoſtolicis infulis involuto, uti mos eſt Romanum ſepelire epiſcopum.] Eumdem uſum communem fuiſſe aliis etiam pontificibus infinitis comprobare poſſem exemplis. Inſigne nobis ſuppeditat Vita S. Ignatii patriarchæ Conſtantinopolitani: quippe ſtatim ut obiit, [illum ſacro patriarchæ ornatu ex more domeſtici veſtiunt, & venerandum Jacobi fratris Domini ſuperhumerale cum veneratione illi induunt, quod ante aliquot annos Hieroſolymis ſibi miſſum tanta veneratione proſecutus eſt, ac ſi ipſum Jacobum apoſtolum & primum in eo humerali pontificem ſpectaret. Hoc propterea voluit ut ſecum ſepeliretur.] Aliud ſuggerit Anonymus in Vita S. Cuthberti Lindisfarnenſis epiſcopi apud Bollandum 20. Martii. [A navigantibus ad inſulam noſtram delatus, toto corpore lavato, capite ſudario circumdato, oblatis ſuper ſanctum pectus poſitis, veſtimenta ſacerdotalia indutus, in obviam Chriſti calceamentis ſuis præparatis, in ſindone cerata curatus, animam habens cum Chriſto gaudentem, corpus incorruptibile requieſcens, & quaſi dormiens in ſepulcro lapideo honorabiliter in baſilica depoſuerunt.]

Quæ cuilibet mortuo erant propriæ.

CAPUT XII. *De obſequiis defunctis, &c.*

Euchariſtia cum mortuis ſepulta.

X. Quod de oblatis ſeu hoſtiis ſuper pectus ſancti pontificis poſitis hic dicitur an de Euchariſtia ſeu de conſecrato pane intelligendum ſit merito hic inquiri poſſet. Certe ſepultam olim cum mortuis fuiſſe Euchariſtiam conſtat ex ſancti Baſilii facto apud Amphilochium, cujus fragmentum refert Æneas Pariſienſis epiſcopus in libro adverſus Græcos Spicilegii tom. 7. ubi dicitur aliquando hoſtiæ conſecratæ particulam ſecum ſepeliendam conſervaſſe; & ex libro 2. Dialogorum S. Gregorii papæ capite 24. ubi S. Benedictus adoleſcentem monachum poſito cum reverentia ſuper ejus pectore Corpore Dominico ſepeliri juſſit. Verum id prohibuerant concilia Carthaginenſia III. can. 6. & VI. can. 83. his verbis: [Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam impertiatur. Scriptum eſt enim accipite & comedite. Cadavera neque accipere poſſunt, neque comedere.] Et concilium Autiſſiodorenſe can. 12. [Non licet mortuis nec Euchariſtiam nec oſculum tradi, nec velo vel palliis eorum corpora involvi.] Quod decretum renovavit S. Bonifacius Moguntinus epiſcopus in Statutis cap. 20. Spicilegii tom. IX. Nihilominus tamen exemplum ex Vita S. Cuthberti petitum de Euchariſtia intelligit Anonymus Turonenſis in ſuo mſ. Speculo Eccleſiæ. [Qualiter autem debeant ſepeliri, inquit, docet Beda dicens, quod corpus ſancti Cucuberti advectum fuit ad eccleſiam, & erat corpus velatum ſindone: & ipſe erat indutus lineis inſtitis & ceratis, & calceamenta habebat in pedibus, ut paratus eſſet occurrere Chriſto in aera: quod ſuper pectus erat oblata. Mirum eſt quod dicitur. Mirum quoque quod dicit Gregorius quod ſuper mortuum poſita fuerat hoſtia. Quidquid factum ſit antiquitus, nunc idipſum facere ratio vetat & uſus.] Ita ſcribebat auctor ille ſub finem ſæculi XII. Euchariſtiam nihilominus cum mortuis ſepultam fuiſſe poſt concilium Autiſſiodorenſe quod inclinante ſæculo VI. celebratum eſt; immo etiam poſt Bonifacium diſcimus libro Inventionis ſeu Tranſlationis corporis S. Udalrici ſæculo V. Benedictino pag. 475. ubi Berno abbas Augienſis loquitur hoc modo: [Inventum eſt igitur corpus ſanctiſſimi confeſſoris ſuper aurum & topaſion pretioſum, cum quibuſdam particulis pontificalium induviarum necdum vetuſtate conſumtarum; & in dextro latere ad caput pyxis argentea admodum nitens in ſaccello Holoſerico, & in pyxide, ut quidam dicebant, *Sanguis Domini & alia Sancta* continebantur. Inventa eſt etiam ciſtella ſerata admodum magna, quæ omnia plena erant & referta reliquiis ſanctorum.] Hic locus non ſolum Euchariſtiam cum mortuis ſepultam fuiſſe demonſtrat, ſed, uti diximus, veſtes etiam epiſcopales; id quod amplius confirmat Gerardus monachus in Vita ejuſdem S. Udalrici, ubi narrat Hildegardem religioſam & nobilem feminam [camiſale cera perfuſum (attuliſſe,) ut ſacro corpori caute ſecreto circumdaretur, *ne ſacerdotalis paratura qua indutus erat*, cito à terra conſumeretur: quia ipſe adhuc vivens præcepit ne tabulatum ligneum corpori ejus ſuper poſuiſſent, ſed puræ terræ imponerent, & ligneo operculo cooperirent.] Præterea Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi refert tempore Richardi abbatis S. Vitoni repertum fuiſſe corpus Berengari cum *caſula*

Digitized by Google

& ſandaliis. Herimannum vero Metenſem epiſcopum *cruce, mitra & pallio* decoratum fuiſſe ſepultum. Acta Tranſlationis S. Dunſtani archiepiſcopi Cantuarienſis Sæculo V. Benedictino teſtantur annulum in ipſius digito inventum fuiſſe: unde non dubium quin aliis pontificalibus ornamentis decoratus idem ſanctus ſepulturæ traditus fuerit. Idem de S. Anſelmo, qui aliquanto poſt Dunſtanum Cantuarienſi præfuit eccleſiæ, narrat Edmerus. S. Bennonem Miſnenſem epiſcopum cum caſula & baculo paſtorali Sepultum fuiſſe legimus in ejus Vita n. 32. apud Surium 16. Junii. De S. Hugone vero Lincolnienſi epiſcopo hæc ſcribit Matthæus *Paris* in Hiſtoria ad annum 1200. [Ante ſane viri Dei ſepulturam dum pro eo exequiæ mortuorum agerentur, & ipſe more pontificum diſcooperta facie jaceret, mitram habens in capite, chirothecas in manibus, annulum in digito, cum ceteris pontificalibus ornamentis.] &c. His omnibus præponere debuiſſem Theodoreti auctoritatem, qui in Philotheo cap. 17. docet epiſcopos olim pontificali veſte indutos fuiſſe ſepultos, cui adjicio vitam Adalberonis Metenſis epiſcopi, in qua idem traditur.

Preſbyteri quomodo ſepeliendi.

XI. Ut epiſcopi pontificalibus, ita preſbyteri aliique clerici congruis ſuis ordinibus ornamentis induti ſepeliebantur. Audiendus hanc in rem Anonymus Turonenſis in ſuo ms. Speculo Eccleſiæ: [Sigillum cereum in modum crucis compactum & aquam benedictam continens ſuper caput defuncti ponimus, quod eſt ſignum baptiſmi & chriſtianitatis ſuæ, & teſtimonium quod ipſe fidem Chriſti habuit in mente. Clerici vero ordinati cum illis indumentis in quibus fuerunt ordinati debent & ſepeliri, & ſacerdos cum illis cum quibus aſſiſtit altari; monachus vero cum cuculla ſua, quod eſt profeſſionis ſuæ ſignum. Super pectus vero ſacerdotis debet poni calix loco ſigilli, quidquid ſit de oblata: quod ſi non habetur ſtannens ſaltem Samius, ideſt fictilis. Samos enim eſt inſula, ubi primo facta ſunt vaſa figuli. Epiſcopus debet habere anulum, quia ſponſus eſt: ceteri ſacerdotes non, quia ſponſi non ſunt, ſed amici ſponſi vel vicarii. Item capilli debent clerico tonderi, corona fieri, barba radi.] Hodie in percelebri eccleſia Biſuntina canonicis ſepeliendis in manibus ponitur cartula hanc confeſſionis formulam continentem: *Confiteor Deo omnipotenti Beata Mariæ Virgini, omnibus Sanctis, & vobis fratres, peccata quæ feci, corde, ore, opere, & omiſſione, mea culpa, Deus, mea culpa, mea graviſſima culpa. Ideo deprecor vos ut oretis pro me.* Aliam fidei formulam pectori ſuo ſibi ſepeliendo juſſerat Mauritius epiſcopus Pariſienſis, ut ſcribit Rigordus in vita Philippi Auguſti, hæc verba continentem: *Credo quod Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Hic referri poteſt epitaphium Guillelmi epiſcopi abbatis S. Germani à Pratis quod ipſe ſibi adhuc vivens poſuerat hoc modo: ***Hic jacet Guillelmus epiſcopi humilis abbas S. Germani à Pratis, qui quamvis ſim pulvis & vermis, credo tamen reſurrectionem carnis.***

Confeſſionis formula cum mortuis ſepulta.

Digitized by Google

Caput XII. De obſequiis defunctis, &c.

Quomodo ſepulti diaconi.

XII. Diaconis olim ſi non datàm dalmaticam ſaltem eorum feretro ſuper impoſitam colligo ex S. Gregorii papæ libro 4. Dialogorum cap. 40. ubi de Paſcaſio diacono hæc habet : [Cum temporibus Symmachi apoſtolicæ Sedis præſulis eſſet defunctus , ejus dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt.] Idem tradit Aimoinus monachus Floriacenſis lib. 1. Hiſtoriæ Francorum cap. 11. Martyres quoque non ſine dalmatica aut colobio purpurato ſepeliri mandavit Eutychianus papa, ſi libro Pontificali ſit fides. Summorum etiam pontificum feretrum olim dalmatica obtegebatur ; verum id fieri prohibuit prædictus S. Gregorius papa edito hoc decreto : [Ex more quippe fidelium hujus ſedis rectoribus mos nltra meritum erupit, ut cum eorum corpora deferuntur, hæc dalmaticis contegant, & eas deinde dalmaticas pro ſanctitatis reverentia ſibimet partiendas populus ſcindat : & cum adſint multa à ſacris corporibus apoſtolorum martyrumque velamina, à peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reverentia ſervetur : de qua re præſenti decreto conſtituo ut feretrum quod Romani pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.] Ad iſtud decretum referri poteſt canon 3. concilii Arvernenſis : [Obſervandùm ne palliis vel miniſteriis divinis defunctorum corpora obvolvantur.] Et canon 7. [Ne opertorio Dominici Corporis ſacerdotis umquam corpus dum ad tumulum evehitur obtegatur, ne ſacro velamine uſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur.] Hujuſmodi decretis paruit S. Bernardus Hildesheimenſis epiſcopus, qui ut legimus in ejus Vita num. 43. apud Surium 20. Novembris, [præceperat adhuc vivens, ut feretrum quo ad tumulandum corpus ejus efferebatur , non pallio, ut moris eſt in talis perſonæ funereo obſequio, ſed cilicio obtegeretur.]

Quomodo imperatores & reges.

XIII. Quæ hactenus de veſtibus defunctorum dixi ad epiſcopos, preſbyteros, aliosque inferiorum ordinum clericos ſpectant. Venio ad laicos quos ſimili modo veſtitos fuiſſe ſepultos conſtat , & quidem in habitu cuilibet ordini proprio nam imperatores , imperialibus inſignibus redimiti , reges regalibus , milites militaribus , alii ſuis, terræ mandabantur. Id aliquod exemplis comprobo. Conſtantini Magni , qui primus imperatorum chriſtianam religionem profeſſus eſt , funus deſcribens Euſebius in lib. 4. de illius Vita cap. 66. [Poſt hæc , inquit, milites ſublatum e lecto corpus in arca aurea depoſuerunt , eamque purpurea obtectam veſte Conſtantinopolim deportarunt, atque in præcipuo imperialis palatii cubiculo ſublimem collocaverunt. Dehinc aurea ſuper candelabra luminibus undique accenſis , admirabile ſpectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo umquam mortalium ab ipſo orbis condıtu viſum in terris fuerat. Quippe in medio conclavi regalis palatii funus imperatoris in arca aura ſublime jacens regiis inſignibus , purpura ſcilicet & diademate exornatum multi circumdantes noctu atque interdiu vigiles cuſtodiebant.] Quo cum ornatu ſepultus fuerit Honorius imperator aliqua ex parte diſcimus ex epiſtola Bullingeri ad Vadianum inter Philologicas a Goldaſto editas , ubi de inventione facta

mauſolei iſtius imperatoris & duarum ejus conjugum anno 1543. in ſubterranea Vaticana eccleſia ſic diſcurrit. [Erant hæc cadavera palliis aureis involuta, ipſæque calvariæ aureis cinctæ diadematibus.... oſſa adhuc cohærentia ſimul cum veſtibus ſtatim ad attactum ſenſumque aeris abierunt in pulverem. Aurum ex veſtibus collectum & purgatum ponderabat libras circiter lxxx. In pectore alterius maſſa racemi ſpecie dependebat, compoſita ex auro, adamante, ſmaragdo, atque aliis gemmis. Appoſita erant & vaſa aliquot perforata forma clepſydrarum odoris gratia concinnata] &c. Caroli magni imperatoris funus ita deſcribit monachus Ergoliſmenſis in ejus Vita cap. 24. [Corpus ejus aromatizatum eſt, & in ſede aurea ſedens poſitum eſt, in curvatura ſepulcri, enſe aureo accinctus, evangelium aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis humeris in cathedra, & capite honeſte erecto, ligato aurea catena ad diadema. Et in diademate lignum crucis poſitum eſt. Et repleverunt ſepulcrum ejus aromatibus, pigmentis & balſamo, & muſco, & theſauris multis in auro. Veſtitum eſt corpus ejus veſtimentis imperialibus & ſudario ſub diademate facies ejus operta eſt. Cilicium ad carnem ejus poſitum eſt, quod ſecreto ſemper induebatur, & ſuper veſtimentis imperialibus pera peregrinalis aurea poſita eſt, quam Romam portare ſolitus erat. Sceptrum aureum & ſcutum aureum, quod Leo papa conſecraverat, ante eum poſita ſunt dependentia, & clauſum & ſigillatum eſt ſepulcrum ejus.] His concinunt ea quæ leguntur in Chronico Novalicienſi n. 32. ubi de inventione corporis Caroli-magni facta tempore Ottonis III. imperatoris: [Intravimus ergo ad Carolum; non enim jacebat, ut mos eſt aliorum defunctorum, ſed in quandam cathedram quaſi vivus reſidebat coronam auream erat coronatus, ſceptrum cum Wantonibus indutus tenens in manibus, a quibus ipſæ jam ipſæ ungulæ perforando proceſſerant.... ſtatimque Otto imperator albis eum veſtimentis induit.]

CAPUT XII. *De obſequiis obſequiis, &c.*

XIV. Regum Francorum ſepeliendorum ritum infra exhibebimus, in quibus regalia omnia inſignia adhiberi præcipiuntur. Quales fuerint Anglorum principum uſus patet ex Matthæo Paride ad annum 1183. ubi Henrici junioris regis funus ita deſcribit: [Corpus in lineis veſtibus quas habuit in conſecratione ſacro chriſmate delibutus regaliter involutum apud Rotomagum delatum eſt, & in eccleſia cathedrali prope majus altare cum honore tanto principi congruo tumulatur.] Et de Henrico II. ad annum 1188. [Dum portarentur ad ſepeliendum, regio indutus apparatu, coronam in capite habens auream, & chirothecas in manibus, calceamenta auro texta, annulum magnum in digito, & in manu ſceptrum, accinctuſque gladio, diſcooperto vultu jacebat.]

XV. De militibus aliiſque viris nobilibus quid ſentiendum ſit diſcimus ex ms. Hiſtoria monaſterii S. Florentii Salmurienſis, ubi de tumulis tempore Frederici abbatis hoc eſt ſæculo XI. eo in cœnobio repertis hæc lego: [Tumulum quoque longo poſt tempore haud longe à monaſterio cum aperuiſſent, quoddam philacterium ſuper corpus defuncti Quomodo milites.

Caput XII *De obſequiis defunctis, &c.*

invenerunt, quem cum ceteris in monaſterio collocaverunt. Alium vero in loco quo domus infirmorum quæ in veteri clauſtro ſita eſt, aperientes, ſpatam cum vagina juxta eum invenerunt, quem comitem aut magnum Potentem fuiſſe æſtimaverunt: quia antiquitus perſonæ cum ſigno ſuæ potentiæ tumulabantur: mulieres quoque cum armillis & inauribus & annulis variiſque ornamentis.] Huc referenda ſunt ea quæ ſcribit Paulus Warnefridi in Hiſtoriæ libro 5. cap. 34. de Longobardis: [Si quis aut bello aut quomodocumque extinctus fuiſſet, conſanguinei ſui intra ſepulcra ſua perticam figebant, in cujus ſummitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc verſa eſſet ubi eorum dilectus obiiſſet.] Turci etiam ſuos milites cum propriis armis ſepeliebant, cujus rei teſtis eſt auctor Hiſtoriæ Belli Sacri n. 54. Muſei Italici tomo 1. ubi hæc habet: [Cum mortuis (ſuis ſcilicet militibus) ſepeliebant pallia, bizantios, arcus, & ſagittas, & alia plurima ornamenta.]

Pauperes.

XVI. Quin & ipſi pauperes veſtibus amicti ſepeliebantur, ſaltem id colligere licet ex S. Hieronymi verbis in Epitaphio Paulæ. [Quis, inquit, inopum moriens non illius veſtimentis obvolutus eſt?] Veſtibus propria ſuæ arti nonnunquam adjiciebantur inſtrumenta. Ita S. Meinvercus Paderbornenſis epiſcopus in monumento cujuſdam opificis, qui conſtruendo eccleſiam defunctus erat, [poſuit ad caput ejus trullam ejus & malleum ad poſteritatis monumentum,] ex ejus Vita num. 17. apud Surium 5. Junii.

Feminæ.

XVII. Denique feminas etiam cum veſtibus ſepultas fuiſſe conſtat ex his quæ narrat Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Confeſſorum cap. 35. de ſepulcro effracto in baſilica S. Venerandi, in quo repertum eſt incorruptum cadaver puellæ cujuſdam [veſtimentum autem, inquit, quod artus tegebat exanimes agnarum erat, inlæſumque, nulla putredine reſolutum.... Autumabant autem quidam noſtrorum ob candorem veſtimenti holoſerici in albis tranſiiſſe. Aiebant enim anulos murenulaſque aureas circa eam repertas fuiſſe.] Et in libro 8. Hiſtoriæ Francorum cap. 21. ſcribit propinquam uxoris Boſonis-Guntranni in baſilica urbis Mettenſis ſepultam [cum grandibus ornamentis & multo auro.] Ubi quod de multo auro dicit, in memoriam revocat id quod refert idem Gregorius in libro de Gloria Martyrum cap. 106. de quadam femina avara, cujus epiſcopus [juſſit reſerato ſepulcro pecuniam ſuper corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi quæ congregaſti; pauperibus vero Chriſti non deerit unde ſuſtententur.]

XVIII. Perſeveravit diu uſus veſtiendi mortuos, perſeveratque adhuc apud monachos & religioſos viros, clericoſque pleroſque. Sed tempore Durandi jam pene totus obſoleverat præterquam in Italia. Sic enim ille in Rationalis lib. 7. cap. 35. n. 40. [Debent quoque fideles Chriſtiani ſepeliri induti ſudariis, pro ut provinciales obſervant, quod ſumunt ex evangelio, in quo legitur de ſudario & ſindone Chriſti. Quidam vero cilicio inſuuntur, ut hac veſte inſignia pœnitentiæ repræſentent. Nam cinis & cilicium arma ſunt pœnitentium. Nec debent indui

veſtibus

Digitized by Google

Caput XII. *De obſequiis defunctis, &c.*

veſtibus communibus, pro ut in Italia fit: & ut quidam dicunt debent habere caligas circa tibias & ſotulares in pedibus, ut per hoc ipſos eſſe paratos ad judicium repræſentetur. Clerici vero, ſi ſunt ordinati, illis inſtrumentis induti ſint quæ requirunt ordines quos habent: Si vero non habent ordines ſacros, more laicorum ſepeliantur. Verumtamen licet in aliis ordinibus propter paupertatem hoc ſæpius omittatur, in ſacerdote tamen & epiſcopo nullo modo prætermittendum eſt.]

Pſalmorum recitatio coram defuncto.

XIX. Quartum defunctis exhibitum obſequium erant ipſæ preces quæ coram mortui cadavere donec terræ mandaretur non ceſſabant, maxime pſalmorum recitatio. Hujus conſuetudinis teſtis eſſe poteſt Hieronymus epiſt. 30. in Epitaphio Fabiolæ. [Necdum, inquit, ſpiritum exhalaverat, necdum debitam Chriſto reddiderat animam; & jam fama volans tanti prænuntia luctus totius urbis populum ad exequias congregabat, ſonabant pſalmi & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebat alleluia.] Clarius S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum cap. 12. ubi de S. Monica, [Ubi illa, inquit, efflavit extremum Spiritum, puer Adeodatus exclamavit ad planctum, atque à nobis omnibus coercitus tacuit, eoque à fletu cohibito, pſalterium arripuit Evodus, & cantare cœpit pſalmum; cui reſpondebamus omnis domus: miſericordiam Domini in æternum cantabo. His ſuffragatur Gregorius Turonenſis libro 7. Hiſtoriæ Francorum cap. 1. ubi de obitu S. Salvii Albigenſium epiſcopi hæc habet: [Corpus defuncti extrahunt, aqua diluunt, veſtimentis induunt, & feretro ſuperponunt, atque in pſallentio fletuque labentem exigunt noctem.] In monachorum monaſteriis totus conventus circa defunctum diu noctuque pſallebat, at nocte in duas treſve turmas diſtribuebatur, uti demonſtravimus in libro V. de Antiquis monachorum ritibus.

CAPUT XIII.

Quo tempore & loco ſepelirentur defuncti.

Caput XIII. *Quo temp. & loco ſepel. def.* Mortui ſeptimo ab obitu die ſepulti.

I. NON unum & idem fuit apud omnes intervallum obitum inter & ſepulturæ diem. Servius in lib. V. Æneidos Virgilii ſcribit apud Romanos ſeptem dies à morte ad funeris exportationem interceſſiſſe. Servio concinit Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 3. cap. 7. his verbis: Corpus defuncti [diebus ſeptem ſervare ſolebant, ara conſtituta, ubi odores incenderent, quæ acerra dicta eſt. Græcis vero ſeptemdecim diebus corpora antequam crema[illegible]tur; totidemque noctibus ſervare mos erat.] Et Polydorus Virgi[illegible] lib. 6. de Rerum inventione cap. 10. [Septem exactis diebus, magna frequentia funus efferebatur.] Idem temporis intervallum obſervatum

CAPUT XIII *Quo temp. & loco ſepel. def.*

eſt in funere S. Wolfgangi Ratiſponenſis epiſcopi, quippe ut legimus in ejus Vita cap. 39. corpus ejus [in die à tranſitu illius ſeptimo ad civitatem Ratiſponam honorifice eſt perlatum: ubi cum apud S. Petrum fuiſſet ſuſceptus, ac vigiliarum miſſarumque celebrationibus Domino foret commendatus, ſuſtollentes cum magna reverentia portabant eum per ſingula urbis monaſteria, noviſſime vero ad eccleſiam B. martyris Emmeranni... ſepultus eſt.] Septem quoque interceſſerunt dies à tranſitu S. Annonis Colonienſis archiepiſcopi, uti videre eſt in ejus Vita apud Surium 4. Decembris.

Alii quarto. II. At vero B. Adalbero Mettenſium epiſcopus quarto tantum die poſt obitum multarum congregationum ad ejus corpus vigiliis præcedentibus ſepulturæ traditur apud Labbeum bibliothecæ novæ tom. 1. p. 682. Eumdem dierum numerum in ſuis exequiis obſervari voluit Pelagia S. Aredii mater. Nam teſte Gregorio Turonenſi libro de Gloria Confeſſorum cap. 104. [Cum urgeretur febribus, & eſſet in tranſitu, petiit filium dicens: Quæſo, fili dulciſſime, ne me ante diem quartum ſepeliatis, ut venientes famuli famulæve omnes videant corpuſculum meum, nec ullus fruſtrêtur ab exſequiis meis de his quos ſtudioſiſſime enutrivi.] Cujus votis obtemperatum eſt.

Abbates tertio. III. Abbates olim, tertio ab obitu die demonſtravimus in libro 5. de Antiquis eccleſiæ ritibus cap. 12. id quod amplius conſtat ex vita S. Sylveſtri abbatis apud Surium die 26. Novembris. Mathildis quoque comitiſſa poſt diem tertium ſepulturæ mandata eſt, ut refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi pag. 167. Idem de B. Paula aſſerit S. Hieronymus. Ita enim in ejus Epitaphio: [Hebræo, Græco, & Latino ſermone pſalmi in ordine perſonabant, non ſolum triduo, donec ſubter eccleſiam, & juxta ſpecum Domini conderetur, ſed per omnem hebdomadam.]

Alii ipſo obitus die. IV. Plurimi vero eadem qua obierant die ſepulti leguntur, aut ſi pro eis ſacrificium offerri nequiverat, ſaltem ſequenti. Ita ſancto contigit Pachomio, [eo ſiquidem defuncto, inquit ipſius vitæ ſcriptor, ejus venerabile corpuſculum diſcipuli ejus ſicut decebat pro more curantes, totam noctem ſuper illum duxere pervigilem, pſalmos, hymnoſque cantantes, ſequenti vero die ſepelierunt eum.] S. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus ſtatim ab obitu in eccleſiam delatus poſt oblatum ſacrificium in Ambroſiana baſilica donatus eſt ſepultura ex ejus Vita ſcripta à Paulino n. 48. De S. Fulgentio Ruſpenſi antiſtite hæc tradit auctor ipſius vitæ vir gravis & accuratus: [Ipſomet die obitus ſanctum ejus corpus ſepeliri minime potuit; ſed in oratorio monaſterii tota nocte illa in pſalmis hymnis & canticis ſpiritualibus vigilare monachos ſimul & clericos invitavit.] Igitur ſi commode fieri quiviſſet eadem qua animam efflaverat die ſepulturæ mandatus fuiſſet. De venando autem Arvernenſi præſule ita Gregorius Turonenſis in lib. 2. Hiſtoriæ Francorum cap. 13. [In ipſa Dominici natalis vigilia tranſiſſe refertur. Mane autem facto proceſſio ſolemnitatis funeris ejus obſe-

Digitized by Google

quium fuit.] Idem uſus non obſcure colligitur ex S. Gregorii papæ libro I. Dialogorum cap. 10. ubi ſic loquitur: [In eadem Tudertina urbe Marcellinus quidam bonæ actionis vir ipſo ſacratiſſimo veſperaſcente jam ſabbato paſchali defunctus eſt. Cujus corpus cum longius eſſet efferendum, eodem die ſepeliri non potuit.] Niſi enim longius corpus illius fuiſſet efferendum, aut ſi non *veſperaſcente*, ſed illuceſcente die, obiiſſet, eadem haud dubium die ſepultus fuiſſet. Denique Carolus-magnus imperator [ſepultus eſt eadem qua defunctus die] ut ſcribit Eginardus in ejus vita. Idem tradit Theganus cap. 7. Econtra vero Theodoſius junior imperator, referente Theodoro lectore lib. 2. Hiſt. trigeſimo poſt mortem die ſepulturam accepit.

V. Jam vero ſi quis reſcire deſiderat cur tanto temporis intervallo ſepultura deferretur. Reſpondeo hanc moram ſeu dilationem erga Reges præſertim, principes, nobiles, epiſcopos, aut abbates obſervatam fuiſſe, ut ſatis ſuperque eſſet ſpatii ad ſolemnem & defuncto dignam funeris pompam præparandam, (hinc etiam hodie Regum Francorum funus ad diem quadrageſimum differtur:) atque ut epiſcopi comprovinciales, aut vicini abbates ad defuncti exequias convenire poſſent, juxta antiquam eccleſiæ diſciplinam, quæ epiſcopos ab epiſcopis comprovincialibus ſepeliri volebat: cujus rei extat concilii Valentini anno 524. celebrati ſtatutum canone 4. [Si quis autem, ut fieri ſolet, antiſtes obitu repentino diſceſſerit & conlimitanei ſacerdotes de longinquo minime adeſſe potuerint, uno die tantum cum nocte exanimatum corpuſculum ſacerdotis maneat, non ſine fratrum ac religioſorum frequentia, vel pſallentium excubatione ſervatum, à presbyteris cum omni diligentia in loculo conditum ſeorſum, non ſtatim humetur; ſed honorifice commendetur donec ſine mora invitato undecumque pontifice, ab ipſo ut condecet ſolemniter tumuletur, ut & injuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus obſervetur.] Et concilium Aurelianenſe II. can. 5. [Nullus epiſcopus ad ſepeliendum epiſcopum conficta occaſione diſſimulet, ne cujuſlibet corpuſculum diutius inhumatum negligentia interveniente ſolvatur.] In canone Valentini concilii maxime notanda ſunt verba hæc *Et mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus ſervetur*. Nam concilium novam in eccleſia diſciplinam haudquaquam inducebat, ſed antiquam renovabat. Eamdem etiam poſtea ſub graviſſimis pœnis renovavit concilium Toletanum VII. edito hoc canone 3. [*Si quis* ſacerdotum ſecundum ſtatuta Valentini concilii ad humanda decedentis epiſcopi membra venire commonitus pigra voluntate diſtulerit, appellantibus clericis obeuntis epiſcopi apud Synodum ſive apud metropolitanum epiſcopum tempore anni unius, nec faciendi miſſam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Preſbyteri autem ſive clerici, quibus major honoris locus apud eamdem eccleſiam fuerit, cujus ſacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis aut jam mortui aut continuo antiſtitis morituri ad commonendum epiſcopum tardi inveniantur, aut per quamcumque moleſtiam animi id negligere compro-

Epiſcopi à comprovincialibus ſepulti.

Digitized by Google

bentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur.] In libro etiam Pontificali ſtatutum à Benedicto papa III. reperio, [ut cum epiſcopus vel preſbyter aut diaconus moreretur; pontifex una cum omnibus epiſcopis & preſbyteris & diaconibus, nec non & reliquis clericis ad ejus ſepeliendum corpus & commendandam animam convenirent.]

CAPUT XII. Quotenus & loco, ep. ir. d.f.

VI. Horum omnium canonum praxim videre eſt apud Gregorium Turonenſem libro de Vitis Patrum cap. 6. ubi de S. Gallo Arvernenſi epiſcopo ita habet: [Jacuit autem in eccleſia triduo, aſſiduo inſtante pſallentis cum magna frequentia populi. Epiſcopis autem quarta die advenientibus eum de eccleſia levaverunt, & portantes in S. Laurentii baſilicam, ibi ſepeliunt.] Similia ſcribit in lib. 4. Hiſtoriæ Francorum cap. 6. & iterum in libro de Vitis Patrum cap. 7. de S. Gregorio Lingonenſi antiſtite ait ipſum Divionenſe caſtrum ubi ſe tumulari juſſerat delatum, [advenientibus autem quinto die epiſcopis ab eccleſia ad baſilicam Beati Johannis] ad humandum evectum fuiſſe. Hugo abbas Flaviniacenſis in ſuo Chronico teſtatur etiam S. Madelvei epiſcopi Virdunenſis in S. Vitoni eccleſia [occurrentibus vicinarum urbium epiſcopis.] terræ fuiſſe mandatum. Geranñus Autiſſiodorenſis epiſcopus [ab Abbone ejuſdem civitatis venerando pontifice aliiſque duobus epiſcopis ad officium ſepulturæ illius occurrentibus,... decenter tumulatus] legitur in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 42. Ad Sancti etiam Hugonis Gratianopolitani epiſcopi [venerandas exequias tres accurrerunt epiſcopi, Dienſis, Gratianopolitanus, Carnotinus,] teſte Guigone in ejus Vita n. 33. apud Bollandum 1. Aprilis. Similia exempla repetere poſſemus ex Vita S. Udalrici epiſcopi Auguſtani n. 76. & ex Vita S. VVolfgangi Ratiſponenſis n. 39. ſæculo V. Benedictino. Sed hæc ſufficiant.

Leges de non humandis in urbibus mortuis.

VII. Jam vero quod ſpectat ad ſepulturæ locum non una omnium fuit nationum conſuetudo. Alii enim extra alii intra urbes mortuos inhumabant. Athenienſibus [lege Solonis prohibitum erat ne intra urbem ſepelirentur,] ut ſcribit Cicero lib. 2. de Legibus. Eandem legem apud Corinthum obtinuiſſe conſtat ex Pauſaniæ libro 2. [Accedentibus, inquit, ad eam occurrere in via tumulos, cùm alios, tum prope ipſam portam Diogenis Syñopenſis, quem Canem Græci appellarunt.] Apud Sicyonios etiam vetus lex humari quemquam intra muros vetabat, ut auctor eſt Plutarchus in Vita Arati. Idem de Smyrneis tradit Cicero in Oratione pro Flacco, & de Syracuſanis in Tuſculan. V. Plato etiam in libro 12. de Legibus non modo in agris fieri ſepulcra, ſed agros ſteriles nullique uſui alii aptos deſtinat funeribus. Apud Romanos antiquiſſimæ XII. Tabularum leges à Græcis petitæ ita habent: [In Urbe ne ſepelito, neve urito.] Quæ leges circa annum CCC. à Roma condita ſcriptæ feruntur. Ipſi poſtea imperatores leges dederunt de non ſepeliendis intra Urbis pomœria defunctis. Nam Adrianus reſcripto mulctam aureorum quadraginta fiſco inferendam decrevit tam in eos, qui quempiam intra mœnia humaſſent, quam in ipſos magiſtratus qui id paſſi eſſent,

Digitized by Google

locumque publicari & corpus exhumari transferrique juſſit. Extat ejus decretum in Digeſt. lib. 47. tit. 12. de Sepulcro violato §. 5. Intra urbes quoque ſepeliri mortuos vetuiſſe Antoninum Pium autor eſt Julius Capitolinus in ejus Vita.

CAPUT XIII. Quo temp. & loco ſepelir. def.

Leges aliæ ipſis oppoſitæ.

VIII. Non defuere tamen & ex Græcis & ex Latinis qui intra urbium ambitum inhumarentur nam Lycurgus Spartanorum Legiſlator mortuos in ipſis urbibus & prope Deorum ædes ſepeliri voluit, ut juventus aſſueſceret non metuere aut horrere mortem. Ita videre eſt apud Plutarchum in Lycurgo. Polybius etiam Hiſtoriæ lib. 8. refert Tarentinos cum Oraculo didiciſſent beatiores ſe fore, ſi cum pluribus habitarent, intra urbem mortuos ſuos recondere cœpiſſe. Immo etiam in ipſis Deorum fanis aliquando humata fuiſſe functorum cadavera diſcimus ex Arnobio lib. 6. adverſus gentes, [quid, inquit, quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas?] His ſuccinunt ea quæ ſcribit Prudentius adverſus Symmachum:

[Et tot templa Deûm Romæ quot in Urbe ſepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noſter populus veneratus adorat.]

Romæ quoque ex ſingulari privelegio in urbe ſepultura nonnumquam à Senatu concedebatur, ut conſtat ex Cicerone lib. 2. de Legibus.

Chriſtiani primo extra urbes ſepulti.

Cœmeteriorum urbis deſcriptio.

IX. Quod de gentilibus diximus, idem & de chriſtianis aſſerendum eſt. Nam primo extra Urbem ſepeliebantur omnes, ut probant varia quæ hactenus Romæ extra civitatem cernuntur cœmeteria, quæ quidem ita deſcribit Paulus Aringhus in ſua Roma ſubterranea lib. 1. cap. 1. num. 9. [Urbis cœmeteria, ut rei ac nominis originem altius repetamus, loca quædam ſubterranea ſunt, extra mœnia per circuitum ſita, proximis ſub collibus, variis cuniculis, multiplicibuſque anfractibus in parte inferiori effoſſa, quæ antra, aut cavernas, vel ſpeluncas, vel certe etiam cryptas proprio aptoque vocabulo appelles. Hæc tamen parum introrſum, aut nihil fere lucis admittunt, & à viis quæ frequenti perambulantium pede teri conſueverunt, ipſomet loci ambitu diſtinguntur. Hæc rurſum in varios ac multiformes vicos & angiportus ſubdividuntur: ita ut intuentibus labyrinthi cujuſdam faciem præ ſe ferant. In parietibus autem ferro hinc inde excavata ſepulcra cernuntur, humanis excipiendis recondendiſque cadaveribus deſtinata. Porro ejuſmodi cœmeteria talis ac tantæ amplitudinis ſunt, ut unumquodque eorum curioſis percurrentium ac perſcrutantium oculis civitatem haud exiguam vel ipſo repræſentare aſpectu videatur. Statis enim quibuſdam locis, ut in civitatibus potiſſimum, quas incolunt homines, ampliora quædam & longe lateque protenſa ſpatia, ad ſacros nimirum peragendos fidelium conventus, videre eſt: & quod majorem infert admirationem, ejuſmodi cœmeteria duplicato interdum ac triplicato etiam ordine conſtant, & unum ſubter aliud in imis terræ viſceribus altius defoſſum at-

Digitized by Google

atque depreſſum reperitur: ita ut vaſtorum inſtar ædificiorum diſtega aut triſtega apte ad habitandum diſpoſita queant merito computari.] His ſatis concinunt ea quæ ſcribit S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 40. [Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris ejuſdem ætatis & propoſiti diebus Dominicis ſepulcra apoſtolorum & martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietem habent corpora ſepultorum; & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant in infernum viventes, & raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen demiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur: Horror ubique animos ſimul ipſa ſilentia terrent.] His ſimilia oſtendes apud Prudentium Periſteph. Hymno 11. Ex hac prolixa Romanorum cœmeteriorum deſcriptione ſatis conſtat primos chriſtianos in Urbe non fuiſſe conditos. His ſuffragatur Sozomenus libro 7. Hiſtoriæ cap. 10. ubi de tranſlatione corporis S. Meletii hæc habet: [Per idem tempus Meletii cadaver Antiochiam deportatum, & juxta loculum Babylæ martyris depoſitum eſt. Aiunt porro per totam viam publicum ex imperatoris juſſu cadaver illud intra urbes receptum *præter morem inſtitutumque Romanorum*.] Eumdem uſum viguiſſe etiam in Galliis colligimus ex Gregorii Turonenſis variis locis. Nam in libro de Gloria Confeſſorum cap. 80. ubi de Urſino Biturigum primo epiſcopo & à diſcipulis apoſtolorum in Gallias miſſo, [in campo, inquit, inter reliqua ſepulcra populorum ſepulturæ locatus eſt.] Et in libro 10. Hiſtoriæ Franc. cap. 31. de S. Gatiano Turonenſis eccleſiæ primo antiſtite: [Sepultus eſt in ipſius vici cœmeterio, quod erat chriſtianorum.] Et lib. 1. ejuſdem Hiſtoriæ narrat Armentium epiſcopum, qui in Briccii ſedem intruſus fuerat, è vivis exceſſiſſe cùm ille apoſtolica auctoritate in ſuam rediret eccleſiam; cumque illi venientes, inquit, portam civitatis ingrederentur, ecce iſtum per aliam portam mortuum efferebant.] De Martino quoque papa I. ita ſcribit Anaſtaſius in epiſtola ad Occidentales quæ refertur in conciliorum tom. 6. p. 74. [Poſitus eſt autem in tumulis ſanctorum extra muros Cherſonitarum civitatis quaſi ſtadio uno.] Eumdem uſum confirmat concilium Bracarenſe II. can. 18. [Placuit ut corpora defunctorum nullo modo in baſilica ſanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt deforis circa murum baſilicæ, uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuſlibet defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere.]

Caput XIII. *Quo temp & loco ſepelir. def.*

Sepulturæ extra eccleſias.

X. Ex hoc concilii Bracarenſis decreto conſtat non ſolum extra civitates, ſed etiam extrà eccleſias condita fuiſſe defunctorum corpora. Extant complures ea de re leges eccleſiaſticæ. Concilium Nannetenſe canone 6. ex ms. codice bibliothecæ Puteanæ citatum ab Henrico Valeſio

in notis ad Euſebii lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 50. [Prohibendum eſt etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut porticu aut in exedris eccleſiæ.] Theodorus Cantuarienſis archiepiſcopus in ſuo Capitulari n. 68. Spicilegii tom. 9. [In eccleſia ſanctificata nulli mortui ſepeliuntur. Si autem mortui antequam fuerit ſanctificata ſepulti ſunt, non ſanctificetur.] His ſuffragatur Teſtamentum S. Ephræm diaconi apud Boll. 1. Februarii. [Si quis, inquit, fallacibus rationibus auſus fuerit ſub altari me collocare, ſupernum ac cæleſte altare talis numquam videat. Non enim decet vermen putredine ſcatentem in templo & ſanctuario Domini reponi, ſed neque alio in loco templi permittatis me poni.] Idem confirmat auctor Vitæ S. Fulgentii apud Bollandum 1. Januarii his verbis: [Primus in baſilica pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum neque ſacerdotem neque laïcum ſepeliri antiqua conſuetudo ſinebat; ſed magnæ vis dilectionis removerat impedimentum conſuetudinis.] De S. Lindgero epiſcopo Monaſterienſi ſcribit etiam Altfridus in ejus Vita lib. 2. n. 8. quod [non erat umquam conſentiens ut in eccleſia conſecrata ſepeliretur corpus humanum.] In eccleſia Carnotenſi nullus hactenus ne pontifex quidem conditus eſt. In Turonenſem etiam S Martini baſilicam nullus canonicorum inducebatur, ſed aut in S. Venantii aut aliam vicinam eccleſiam, ex qua precibus abſolutis & aliis eccleſiaſticis officiis ad cœmeterium deportabatur. Similem conſuetudinem paſſim in Galliis viguiſſe diſcimus ex Anonymo Turonenſi in ſuo ms. Speculo, ubi confirmans quæ diximus hæc habet: [Sola corpora ſanctorum debent in eccleſia ſepeliri aut epiſcoporum. Beatus tamen Martinus in Polyandro publico fuit ſepultus. Gallicana enim eccleſia ita privilegiata eſt, quod homines non ſepeliuntur in urbibus: quia extra civitates ſunt cœmeteria ab epiſcopis benedicta. Nec etiam in matres eccleſias ſolebant corpora introduci: unde in vicis antiquis ſunt adhuc eccleſiæ duæ; una quæ mater eſt, alia quaſi filia, ad quam ſolebant corpora deportari, ibique vigiliæ & miſſæ officium celebrari.]

Caput XII. Quo temp & loco ſepelir. def.

XI. Poſtea tamen epiſcopis, abbatibus, aliiſque inſignioribus perſonis aut ſingulari ſanctitatis nota conſpicuis conceſſa eſt in templis ſepultura. Concilium Moguntinum anno 813. celebratum can. 52. [Nullus, inquit, mortuus infra eccleſiam ſepeliatur, niſi epiſcopi, aut abbates, aut digni preſbyteri, vel fideles laici.] Concilium Meldenſe anni 845. cap. 72. [Nemo quemlibet mortuum in eccleſia quaſi hæreditario jure, niſi quem epiſcopus, aut preſbyter pro qualitate converſationis & vitæ dignum duxerit, ſepelire præſumat.] His addo Theodulfi Aurelianenſis epiſcopi decretum in Capitulari art. 9. [Antiquus in his regionibus in eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata & ad offerendas Deo hoſtias præparata cœmeteria ſive polyandra facta ſunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in eccleſia ſepelietur, niſi forte talis ſit perſona ſacerdotis, aut cujuſlibet juſti hominis quæ per vitæ meritum talem

Epiſcopis & aliis conceſſa in eccleſiis ſepultura.

Digitized by Google

vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit.

CAPUT XIII.

Quo temp. & loco ſepelir. def.

XII. Longe tamen ante hæc decreta ſolebant epiſcopi in eccleſia condi. De Conſtantinopolitanis egregium habemus teſtimonium Pulcheriæ Auguſtæ in epiſtola ad S. Leonem papam quæ inter ejus Pontificis epiſtolas in nova editione extat poſt 58. [Super hæc , inquit , ſciat tua ſanctitas quoniam præcepto noſtri Domini & tranquilliſſimi principis mei conjugis in glorioſam civitatem Conſtantinopolitanam ſanctæ memoriæ epiſcopi Flaviani corpus allatum eſt , & in baſilica apoſtolorum , *in qua conſueverant prædeceſſores epiſcopi ſepeliri* , competenter eſt poſitum.] Dioſcorus Hermopoleos epiſcopus ſplendidiſſima honoratus ſepultura conditus in baſilica quæ eſt ad Quercum legitur apud Socratem lib. 6. Hiſt. eccl. cap. 17. tametſi falli Socratem exiſtimet Henricus Valeſius in notis ad hunc locum cum ea Dioſcoro tribuat quæ Ammonio fratri ejus potius conveniant. Nam Dioſcorus ex Sozomeno in baſilica S. Mocii ſepultus eſt. S. Johannes Alexandrinus. Eleemoſynatius vulgo nuncupatus in Oratorio S. Tychonis conditus eſt ex ejus Vita n. 49. Nicetium quoque Lugdunenſem epiſcopum, in baſilica humatum ſcribit Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Confeſſorum cap. 61. Alter Nicetius Trevericæ urbis antiſtes [a ſæculo migrans ad baſilicam S. Maximini prædeceſſoris ſui ſepultus eſt ,] teſte eodem Gregorio ibidem cap. 94. & in lib. de Vitis patrum cap 17. Idem auctor eodem libro cap. 4. aſſerit Quintianum Arvernorum præſulem in baſilica S. Stephani ad lævam altaris conditum fuiſſe. Eccleſia Virdunenſis S. Vitoni [ab antiquo , ab ipſis ſcilicet naſcentis eccleſiæ primordiis , cœmeterium epiſcoporum] ejuſdem civitatis fuit , ut ſcribit Hugo Flaviniacenſis in Chronico, Senonenſium archiepiſcoporum eccleſia S. Petri , ut colligitur ex Clarii Chronico Spicilegii tom. 2. Autiſſiodorenſium pontificum templum S. Germano dicatum , canonicorum vero ejuſdem urbis eccleſia S. Euſebii , ex Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium. In Anglia Rex [Edilbertus eccleſiam B. apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis conſtruxit , ac diverſis donis dotavit , in qua & ipſius Auguſtini & omnium epiſcoporum Dorobernenſium ſimul & regum Cantiæ poni corpora poſſent.] Ut auctor eſt Beda in libro 1. Hiſtoriæ gentis Anglorum cap. 33.

Epiſcopi ſub altari conditi.

XIII. Non ſolum in eccleſia, ſed in ipſo eccleſiæ ſanctuario immo ſub ipſo altari ſepeliebantur epiſcopi : cujus moris luculentum nobis exhibet teſtimonium S. Ambroſius in epiſtola 22. ad ſororem ſuam, his verbis : [Hunc ego locum (ſub altari) prædeſtinaveram mihi ; dignum eſt enim, ut ibi requieſcat ſacerdos , ubi offerre conſuevit.] Iſtius ritus cauſam reddit Cardinalis Bona in libro 1. Rerum Liturgicarum cap. 19. ubi ſic loquitur : [Hac eadem de cauſa veteris Eccleſiæ Patres epiſcopos orthodoxos ſub altari ſepelire conſueverunt , ut cum ipſis ſacrificia & ordinationes fierent : quia ad ſervandam fidei unitatem & ad legitimam ſucceſſionem indicandam communionem viventis epiſcopi cum anteceſſore defuncto neceſſariam exiſtimabant.] S. Valerius Conſetanenſis epiſcopus ſi non ſub altari ipſo ſaltem ante illud ſepultus traditur apud Gregorium.

Digitized by Google

Gregorium Turonenſem lib. de Gloria Confeſſorum cap. 84. Idem de Adalberone Mettenſi epiſcopo legimus in ejus Vita apud Labbeum Bibliothecæ novæ tom. 1. At vero S. Anno Colonienſis epiſcopus in choro ſepeliri recuſavit, cujus rei cauſam interrogatus reſpondit: [Id ego ea cauſa nolo, ne tu tuique ſimiles ad ſepulcrum meum orandi cauſa venturi, fratribus divina officia perſolventibus moleſtiam exhibeatis] inquit ipſius Vitæ Scriptor lib. 3. cap. 4. apud Surium 4. Decembris. Eadem forte de cauſa factum eſt quod idem auctor infra cap. 15. obſervat, in choro eccleſiæ S. Petri Colonienſis nullum canonicum quantumvis ſanctum ſepultum fuiſſe. S. Venerandus Arvernorum epiſcopus non ſub altari ſed ſub Analogio conditus fuit, ut ſcribit Gregorius Turonenſis in lib. de Gloria Confeſſorum cap. 37. [Eſt, inquit, ibi & ſepulcrum ipſius ſancti Venerandi epiſcopi, à quo hæc Ædes nomen accepit, ſub Analogio compoſitum, ſuper quod caput feneſtellam quicumque vult, immittit, precans quæ neceſſitas cogit.]

CAPUT XIII. Quo temp. & loco ſepelir. def.

XIV. Præter epiſcopos & abbates quos in eccleſia vulgo conditos fuiſſe demonſtravimus in libro V. de Antiquis monachorum ritibus, idem privilegium imperatoribus, regibus, aliiſque illuſtribus perſonis conceſſum plurima probant veterum Scriptorum teſtimonia. Nam Euſebius in libro 4. de Vita Conſtantini imperatoris cap. 6. teſtatur ipſum Conſtantinopoli inſignem ædem in memoriam SS. Apoſtolorum erexiſſe, atque hunc ſibi locum poſt mortem deſignaſſe, quo ſcilicet precationum quæ in honorem apoſtolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret.] [Cum igitur, inquit Euſebius, duodecim illic capſas quaſi ſacras quaſdam columnas in honorem ac memoriam apoſtolici collegii erexiſſet, ſuam ipſius arcam in medio conſtituit, quæ ſenas utrinque apoſtolorum capſas diſpoſitas habebat. Atque id in eo loco ubi corpus ipſius poſt mortem decenter diſponendum eſſet, ſolertiſſime providit.] Scribit tamen S. Johannes Chriſoſtomus homilia 25. in epiſtolam 2. ad Corinthios Conſtantinum ſepultum fuiſſe in veſtibulo ædis Apoſtolorum, quaſi eorum janitorem: quem cum Euſebio ita conciliat Henricus Valeſius, ut Conſtantinus voluerit cadaver ſuum in medio apoſtolorum humari; conſtantius vero, ſeu quivis alius, id alibi locaverit; maxime cum Zonaras ſcribat Conſtantium patris ſui funus depoſuiſſe in templo apoſtolorum in peculiari porticu quam ad idipſum extruxerat. Clodoveus Francorum rex in baſilica S. Petri conditus legitur apud Gregorium Turonenſem lib. 2. Hiſt. cap. 43. Childebertus in Pariſienſi S. Vincentii nunc S. Germani; Chlotarius & Sigebertus in Sueſſionenſi S. Medardi, Dagobertus & alii quamplures in Dionyſiana Cantuarienſis S. Petri eccleſia Regum Cantiæ conditorium fuit teſte Beda à nobis citato, Angliæ reges in Veſtmonaſterienſi S. Pauli baſilica deponebantur, alii denique aliarum nationum reges in templis ſepultura donati ſunt. Idem de reginis aſſerendum eſt & de eorum proximis. Nam & Landegiſelus Nantildis reginæ frater in eccleſia S. Dionyſii ſepultus legitur in libro de Geſtis Dagoberti regis c. 26. Floacatus major-domus

Imperatores in eccleſia conditi.

Reges, reginæ & viri illuſtres.

Digitized by Google

Caput XIII. *Quo temp. & loco ſepelir. def.*

Burgundiæ [ſepultus eſt etiam in eccleſia S. Benigni ſuburbano Divionenſi,] inquit, Fredegarii chronicon cap. 90.

XV. Quid quod & aliis communiter fidelibus ſepulturam in templis dari permittit S. Gregorius papa. Nam in libro 4. Dialogorum cap. 50. inquitens [an proſit animabus mortuorum ſi corpora in eccleſia fuerint ſepulta?] Reſpondet: [Quem gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in eccleſia ſepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem ſacra loca conveniunt; ſuorum quorum ſepulcra conſpiciunt recordantur, & pro eis preces fundunt. Nam quos gravia peccata deprimunt, non ad abſolutionem potiuſquam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in eccleſiis ponuntur.] Idem reſponſum reddidit Nicolaus papa I. ad interrogata Bulgarorum cap. 99. Aliquot exempla ſepultorum in eccleſia ſubſequentibus capitibus refert idem S. Gregorius papa; cap. 51. ſanctimonialis cujuſdam in eccleſia Portuenſi; cap. 52. Valeriani Patricii in eccleſia Brixienſi; cap. 53. Valeriani Mediolanenſis eccleſiæ defenſoris in eccleſia S. Syri; cap. 54. tinctoris cujuſdam in eccleſia S. Januarii. Meminit etiam Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Confeſſorum cap. 65. Senaroris cujuſdam in eccleſia ſepulti; & in libro 1. de Gloria Martyrum cap. 89. Antonini viri in Deum iniqui & omnibus hominibus odibilis in Toloſana S. Vincentii baſilica conditi. Idem auctor in lib. 4. Hiſtoriæ cap. 34. ait Palladium quemdam, qui ſibi mortem conſciverat, *non juxta chriſtianorum cadavera poſitum fuiſſe.*

CAPUT XIV.

De reliquis ſepulturæ ritibus.

Caput XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib.*

Defuncti à quibus deferentur in tumulum.

I. INDICTA ad ſepeliendum defuncti cadaver die, omnes qui funeri intereſſe debebant, ad illius domum conveniebant; unde ad eccleſiam primum, indeque ad tumulum illud efferebant. Hoc autem in uſu poſitum fuit, ut corpus parentis à filiis, cognatorum à conſanguineis, imperatorum à principibus ſenatus ad tumulum deportaretur. Id ipſum ſatis indicat S. Ambroſius in libro 1. de exceſſu fratris ſui Satyri n. 36. ubi ſibi ipſi ita exclamat: [O dura cervix, quæ tam lugubre onus, conſolabili licet obſequio, geſtare potuiſti!] Et certe in funere S. Macrinæ feretrum ipſius ſuſtinebat S. Gregorius Nyſſenus frater ipſius cum Araxio epiſcopo, [poſteriores vero feretri partes ſubierunt alii duo de clero inſignes viri, uti ipſe teſtatur in ipſius Vita cap. 24. Corpus vero S. Hugonis Lincolnienſis epiſcopi à regibus, comitibus & principibus ad eccleſiam delatum legitur apud Mathæum *Paris* in Hiſt. ad annum 1200. De feretri bajulis conſuetudinem ſui temporis ita

expſimit Anonymus Turonenſis in ſuo ms. Speculo Eccleſiæ: [Debet autem corpus perferri ad tumulum à conſimilibus; ut ſi fuerit diaconus à diaconis, ſi ſacerdos à ſacerdotibus, miles à militibus, alicujus fraternitatis confrater à ſuis confratribus. Mulieres non debent ferre corpus ne appareat membrorum eorum nuditas.]

CAPUT XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib.*

II. Feretrum præibat clerus & populus faces ſeu cereos geſtantes, id quod innumeris cum poſſit exemplis comprobari, inſigniora dumtaxat hic quædam apponam. Acta proconſularia martyrii S. Cypriani Carthaginenſis epiſcopi apud Ruinartium teſtantur ipſius corpus poſitum fuiſſe [cum cereis & ſcolacibus (ideſt facibus) in areis Macrobii procuratoris quæ ſunt in via Mappalienſi juxta piſcinas cum voto & triumpho magno.] S. Gregorius Nyſſenus deſcribens funus S. Macrinæ ſororis ſuæ, [ex utraque parte, inquit, præcedebat non exiguus diaconorum miniſtrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accenſos cereos manibus geſtabant.] Idem in funere illuſtris matronæ S. Paulæ præſtitum fuiſſe declarat S. Hieronymus his verbis: [Tranſlata eſt epiſcoporum manibus, & cervicibus feretro ſubjicientibus, cum alii pontifices lampades cereoſque proferrent.] Similiter & S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Julianum ubi agens de funere Conſtantii imperatoris hæc habet: [Celebri pompa deducitur, religioſiſque his etiam noſtris officiis, hoc eſt nocturnis cantionibus & cereorum ignibus, quibus nos Chriſtiani pium è vita diſceſſum ornandum exiſtimavimus.] His accedit Gregorius Turonenſis in Hiſtoriæ Francorum libro 8. cap. 10. ubi de Clodoveo Chilperici filio, Rex, inquit, [convocato igitur epiſcopo civitatis, cum clero & populo, ac cereorum innumerabilium ornatu, ad baſilicam S. Vincentii detulit tumulandum, non minus plangens nepotes mortuos, quam cum vidit filios proprios jam ſepultos.] Denique Corippus Poëta deſcribens funeream pompam Juſtiniani imperatoris lib. 3 ita canit:

Cerei in funeribus delati.

——— [Tota populus proceſſit ab aula
Mœſtaque funereas accendunt agmina ceras,
Omnis in exequias ſexus convenit & ætas
Hinc levitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus canit inde chorus; vox æthera pulſat.]

Notanda ſunt verba Baudoniviæ in Vita S. Radegundis ubi agens de ipſius exequiis hæc habet: [Liberæ, quæ ante eam cereos portaverant, totæ in gyro ſepulcri adſtabant. Unaquæque in ſuo cereo ſuum nomen dabat ſcriptum: totæ uni ex famulis cereos ipſos juxta ordinationem tradebant. Fit contentio in populo. Alii dicebant, cereos ipſos in ejus ſanctum ſepulcrum mitti debere: Alii dicebant non.]

III. Ex citatis Corippi verſiculis colliges per totam, qua funus ducebatur, viam pſalmos & hymnos decantatos fuiſſe: id quod amplius patet ex S. Gregorio Nyſſeno ſororis ſuæ Macrinæ funus ita deſcribente: [Cum igitur nocturna pervigilatio, ut in martyrum celebritate, canendis pſalmis perfecta eſſet, & crepuſculum adveniſſet, confluentium

Pſalmi in funeris deductione decantati.

Digitized by Google

CAPUT XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib.*

vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo pſalmorum decantationem fletibus interpellabat.... Itaque confluentem populum in genera diſtribuens, mulierumque multitudinem admiſcens virginum choro, virorum autem turbam adſcribens monachorum cœtui, unum quemdam ex utriſque ſtudui aptum concinnumque tamquam in pſalmos canentium congreſſum, ex communi omnium concentu apte conjunctum ordinem conſtituere.] Et non multo poſt: [Quæ quidem pompa non carebat myſterio, cum à principio uſque ad finem decantatio pſalmorum eadem voce triplicique canentium ordine, ſicut ille trium puerorum cantus, abſolveretur.] Idem eruitur ex Sulpitii Severi epiſtola 3. ad Baſulam de obitu & funere S. Martini: [Hoc igitur Beati viri corpus uſque ad locum ſepulcri hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur.] Et ex Antonio monacho in Vita S. Simeonis Stylitæ, ubi dicitur ductus [ab epiſcopis cum pſalmis & hymnis Antiochiam. Tunc vero, inquit, omnes è civitate eidem obviam prodeuntes cum pſalmis & hymnis, & cum multis lampadibus portaverunt corpus ad eccleſiam.] In Actis etiam Danielis Stylitæ apud Surium 11. Decembris hæc lego: [Statuerunt ex utraque parte homines, qui faces ferrent, & lampades tenerent in manibus, & ea canerent quæ cani ſolent in decurſu.] Hinc & Victor Vitenſis in Hiſtoria Vandalicæ perſecutionis libro 1. deflens catholicis illatas ab Arianis injurias, quis ſuſtineat, inquit, atque poſſit ſine lacrymis recordari, dum præciperent noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam duci.] Hunc ritum confirmat concilium Toletanum III. can. 22. his verbis: [Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis tantummodo & pſallentium vocibus debent ad ſepulcra deferri.] Sed & Juſtinianus imperator in ſua Novella 59. conſtituit [Non minus quam octo aſceteria ſive canonicas, quæ pſallerent & tres acolythos qui cereos deferrent, cujuſvis funeri intereſſe debere.]

Epiſcoporum funus per varias deductum eccleſias.

IV. In epiſcoporum exequiis corpus defuncti per varias à clero deducebatur eccleſias antequam deponeretur in tumulum, in quibus preces & abſolutiones ſolemnes pro ipſius animæ requie fiebant. Ita videre eſt in funere S. VVolfgangi epiſcopi, qui, ut ait vitæ ipſius ſcriptor, [cum apud S. Petrum fuiſſet ſuſceptus ac vigiliarum miſſarumque celebrationibus Domino foret commendatus, ſuſtollentes cum magna reverentia portabant eum per ſingula urbis monaſteria, noviſſime vero ad eccleſiam B. Martyris Emmerammi, cujus honorem, dum vixerat, intimo affectu excolebat. Qua miſſarum ſolemniis & exſequiarum officiis ricte peractis magnifice atque honorifice ibidem ſepultus eſt.] Idem contigit in exequiis Annonis archiepiſcopi Colonienſis, cujus corpus per ſeptem continuos dies cum ſolemni pompa ad varias ſingulis diebus eccleſias delatum eſt, uti videre eſt in ejus Vita apud Surium 4. Decembris. Notat etiam Durandus in rationalis lib. 7. cap. 35. ſecundum locorum quorumdam morem tres ab elatione è domo ad eccleſiam perviam fieri pauſas, in quibus tres ſuper mortuum fiebant abſolutiones.

Digitized by Google

V. Delato in eccleſiam defuncto, conſuetæ pro eo preces perſolvebantur, miſſæque ſacroſanctum ſacrificium offerebatur, ſine quo non ſolebant humari mortui. [Poſt miſſam, inquit Anonymus Turonenſis in ſuo ms. Speculo eccleſiæ ſtat chorus circa feretrum, & finito ℟. dicunt orationem ſacerdotes quotquot adſunt: unus tamen qui dignior eſt cæteris alta voce, ceteri depreſſa. Candelas ardentes tenent in manibus.] CAPUT XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib.*

VI. Oratione finita, ad ſepulturæ locum deferebatur. Is ab epiſcopo benedictus eſſe debebat, ſacratumque ab eo altare plerumque habebat, ut colligere eſt ex Gregorii Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum cap. 106. ubi refert quid ad S. Radegundis funus contigerit. Nam cum ad ejus exequias celebrandas Pictavenſem ſe contuliſſet in urbem, interpellaretque abbatiſſam ne propter Merovei epiſcopi illæ differrentur: [Ad hæc abbatiſſa reſpondit: Et quid faciemus ſi epiſcopus urbis non advenerit: quia locus ille quo ſepeliri debet, non eſt ſacerdotali benedictione ſacratus. Tunc cives, inquit Gregorius, & reliqui viri honorati, qui ad exequias beatæ Reginæ convenerant, imperant parvitati meæ, dicentes: Præſume de caritate fratris tui & benedic altare illud. Confidimus enim de ejus benevolentia, quod moleſtum non ferat ſi feceris, ſed magis gratiam referat. Præſume, precamur, ut caro ſancta ſepulturæ reddatur. Et ſic ab illis injunctus altare in cellula ipſa ſacravi.] Addit Gregorius: [Dehinc accedimus ad ſepulcrum. Nam providentia abbatiſſæ capſam ligneam fecerat, in qua corpus aromatibus conditum incluſerat, & ob hoc foſſa ſepulturæ ſpatioſior erat.... Tunc facta oratione diſceſſimus, reſervantes epiſcopo loci, ut ab eo, celebrata miſſa tegeretur operculo.] Tumuli benedictio.

VII. Deponebatur poſtea mortuus in tumulum. Tumulus autem ille vulgo erat lapideus, ut probant varia quæ adhuc quotidie in antiquis cœmeteriis reperiuntur monumenta, poſſetque confirmari ex epiſtola 49. S. Hieronymi ad Innocentium ubi de muliere ſepties icta ſic ſcribit: [Clerici quibus id officii erat, cruentum linteis cadaver obvolvunt, & foſſam humum, lapidibus conſtruentes *ex more* tumulum parant.] Imperatoribus, regibus aut aliis illuſtribus viris marmoreus erat aut porphyreticus. Hinc S. Ambroſius ſollicitus de funere Valentiniani imperatoris epiſtola 53. ad Theodoſium ſcribens. [Eſt hic, inquit, porphyreticum labrum pulcherrimum, & in uſus hujuſmodi aptiſſimum: nam & Maximianus Diocletiani ſocius ita humatus eſt. Sunt tabulæ porphyreticæ pretioſiſſimæ, quibus veſtiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur.] Ita etiam Otto II. imperator [in atrio B. Petri apoſtoli in labro porphyretico ſepultus] legitur apud Leonem Marſicanum in Chronico Caſſinenſi lib. 2. cap. 9. Olim poſtquam coronatus eſſet imperator mox illi qui dicuntur monumentorum ædificatores quatuor aut quinque minutias marmorum ſumebant puſillas de diverſis coloribus, & ingredientes ad illum dicebant: Domine quaſi metallo Imperium tuum jubet fieri monumentum tuum? inſinuantes illi ut tamquam homo cor- Tumulus lapideus.

Digitized by Google

CAPUT XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib*

ruptibilis & tranſitorius curam haberet ſuæ ipſius animæ, uti ſcribit Leontius in Vita S. Johannis Alexandrini epiſcopi, vulgo eleemoſynarii nuncupati. Nonnulli tumulum ſibi viventes præparabant ut Joſephus ab Arimathia, & Antoninus ille, de quo Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Martyrum cap. 89. qui in Toloſana S. Vincentii baſilica *ipſe ſibi vivens vas depoſuerat*.

Situs mortuorum in tumulo.

VIII. Situs autem mortuorum in tumulo is erat, ut ſupini deponerentur, vultu ad cælum converſo, quia ſolo in cælo ſpes noſtra fundata eſt; capite ad occidentem poſito, pedibus ad orientem directis. Carolus-magnus tamen in ſede aurea compoſitus eſt ſepultus, ut ſupra vidimus.

In tumulo quæ ponerentur.

IX. Præterea in tumulo una cum cadavere, inquit Guillelmus Durandus in libro 7. Rationalis cap. 35. [in quibuſdam locis ponitur aqua benedicta, & prunæ cum thure: aqua benedicta, ne dæmones qui multum eam timent ad corpus accedant: Solent namque deſævire in corpora mortuorum, ut quod nequiverunt in vita, ſaltem poſt mortem agant. Thus vero ibi ponitur propter fœtorem corporis removendum &c. Hædera quoque vel laurus & hujuſmodi quæ ſemper ſervant virorem in ſarcophago corpori ſubſternuntur: Ad ſignificandum quod qui moriuntur in Chriſto vivere non deſinent. Nam licet mundo moriantur ſecundum corpus, tamen ſecundum animam vivunt & reviviſcunt Deo. Alia tamen conſideratione habebant in funeribus antiqui cypreſſos, quia videlicet ſicut cypreſſus cæſa non iterum ſurculeſcit, ſed tota moritur, ita homo mortuus non reviviſcit.] &c. Similia habet Anonymus Turonenſis in ſuo ms. Speculo. Et certe S. Valerius Conſoranenſis epiſcopus in tumulo [lauri etiam folia ſub ſe habebat fracta,] teſte Gregorio Turonenſi lib. de Gloria Confeſſorum cap. 84. Addit Anonymus Turonenſis: [Quidam ſortilegi contra fidem agentes, ponunt quinque ſolidos ſupra pectus mortui: & in hoc imitantur morem gentilium, qui in ore mortui ponebant denarium, ut habeat qui porrigat ore trientem.]

X. Depoſiti in tumulo & operculo contecti terra obruebantur. Is erat communis chriſtianorum ſepeliendorum uſus. Sed in Ægypto mortuorum cadavera ſuper lectos domi reſervabantur, ut patet ex S. Athanaſio in Vita S. Antonii cap. 57. & ex Caſſiano Collat. cap. In Italia etiam illuſtrium defunctorum loculi non in terra, ſed in locis ſublimibus ponebantur: quod Mediolani in porticu eccleſiæ S. Nazarii obſervare licet. Verum anno MDLXI. Pius IV. ſtatuit (quod refert Johannes Franciſcus Firmatus in diario ſuo, ut deponerentur [capſæ defunctorum quæ erant in muris eccleſiæ in altum: & fuit mandatum ordinariis, ut fieret in eorum eccleſiis. Quod fuit multis in locis exſequutum non ſine vivorum dolore.] Sic Mediolani Carolus Borromæus ſanctiſſimus ille antiſtes ac Pii nepos, corpora Trivultiorum quæ in prædicta porticu S. Nazarii ſublimibus locis locata erant, humo infodi curavit, loculis tamen in ſummo vacuis relictis. Hæc obſervatio eſt

Mabillonii in Commentario prævio ad Ordinem Romanum. Simile olim decretum in Galliis ediderat Theodulfus Aurelianenſis epiſcopus in cujus Capitulari art. 9. hæc lego: [Corpora verò quæ antiquitus in eccleſia ſepulta ſunt nequaquam projiciantur; ſed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum faſtigio apparente eccleſiæ reverentia conſervetur. Ubi verò tanta eſt multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile ſit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco conſtructo ubi religioſè & pure Deo ſacrificium offerri valeat.]

Tumuli elati in eccleſiis non faciendi.

XI. Inter leges eccleſiaſticas Kenetii regis Scotorum, quæ habentur conciliorum tom. 7. cap. 5. iſta habetur: [Sepulcrum omne ſacrum habeto, idque crucis ſigno adornato, quod ne pede conculcas aliquando caveto.] Hujuſmodi fuit ſepulcrum Burchardi comitis de quo Odo Foſſatenſis in ejus Vita, [illa autem, inquit, tabula ſepulcri ipſius ab anteceſſoribus noſtris optime operata ac decorata fuit, ſuper pectus ejus crux deaurata cum litteris A & Ω ſuperpoſita fuit.] Hic obſervare lubet id quod ſcribit Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. 7. cap. 35. [In quocumque loco extra cœmeterium chriſtianus ſepeliatur, ſemper crux capiti illius apponi debet ad notandum illum chriſtianum fuiſſe, quia hoc ſignum diabolus valde veretur, & timet accedere ad locum crucis ſignaculo inſignitum.] Cujus rei praxim videre eſt in Prologo Hiſtoriæ peregrinorum euntium in Jeruſalem ad liberandum S. Sepulcrum, cujus hæc verba: Ita plenæ omnes viæ ſepulcris ſanctorum peregrinorum habentes fixas cruces ad capita.]

Crux apponenda ſepulcro.

XII. Præter ſalutiferum crucis ſignum, in ſuperiori aut in interiori lapide ſepulcri incidebantur & imagines Chriſti aut apoſtolorum, vel tituli nomen dignitatemque defuncti continentes. Ita Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Confeſſorum cap. 35. narrat in baſilica S. Venerandi reperta eſſe [multa ex marmore pario ſepulcra ſculpta, in quibus ipſæ hiſtoriæ ſepulcrorum de virtutibus Domini & apoſtolorum ejus expoſitæ ſunt.] Et cap. 36. ait repertum in eadem baſilica unum ſepulcrum, in cujus [fronte ſuperiore habetur ſcriptum *Sanctæ memoriæ Gallæ.*] Et capite 105. tumulum fuiſſe in vico Pariſiorum nullo opertum tegmine, in quo habebatur ſcriptum: *Hic requieſcit creſcentia ſacrata Deo puella.* Ejuſdem ritus teſtis eſt Prudentius in carmine de S. Hyppolito, ubi hæc habet:

Epitaphia.

[-- Innumeros cineres ſanctorum Romula in urbe
Vidimus, ô Chriſti Valeriane ſacer.
-- Inciſos tumulis titulos & ſingula quæris
Nomina, difficile eſt ut replicare queam.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen aut epigramma aliquod]

XIII. Ethnici defunctorum ſuorum ſepulcra floribus & coronis ſpargere ſolebant, hunc morem antiquiores chriſtianos non ſecutos fuiſſe haud obſcure colligitur ex Minutio Felice in Octavio, ubi inter alia

Tumuli floribus reſperſi.

Digitized by Google

CAPUT XIV *De reliquis ſepulturæ ritib.*

quæ chriſtianis objicit Cecilius crimina, illud eſt: *Coronas etiam ſepulcris denegatis.* Conſueviſſe tamen poſtea ſuper mortuorum tumulos varios ſpargere flores patet ex Prudentio in hymno pro exequiis.

[Nos tecta fovebimus oſſa,
Titulumque & frigida ſaxa
Violis & fronde frequenti
Liquido ſpargemus odore.]

Hinc S. Ambroſius in Conſolatione de Obitu Valentiniani imperatoris, *n. 56.* [Non ego, inquit, floribus tumulum ejus aſpergam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium eſt Chriſtus.] Et S. Hieronymus in epiſtola 26. ad Pammachium: Cæteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, purpureoſque flores & dolorem pectoris his officiis conſolantur.]

XIV. Redeo ad exequiarum ritus. [In exequiis, inquit Anonymus Turonenſis, circa tumulum dicuntur ſeptem pſalmi cum antiphonis & ſequuntur ſeptem orationes, ſcilicet ut quicquid in ſeptenario hujus vitæ homo dum viveret deliquit, per hunc pſalmorum & orationum ſeptenarium deleatur, vel ut ſabbatum animæ, id eſt requiem æternam conſequatur. Deinde ſequitur octava antiphona, ſcilicet *Clementiſſime Domine*, quæ octavam id eſt reſurrectionem præfigurat: unde in oratione dicitur, *ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret.* In primis itaque vii. pſalmis & orationibus requiem petimus animarum, in octava verò oratione & antiphona & requiem animarum & ſanctam inter ſanctos reſurrectionem corporum, unde & duæ antiphonæ ſequuntur octavam antiphonam.] &c. Et non poſt multa addit: [Poſt infoſſionem debent redire ad eccleſiam ſeptem pſalmos pœnitentiales dicendo, poſt quos ſequitur oratio ſatisfaciat tibi quæſumus. Qua finita debent clericis erogare, & majoribus ordinibus magis, & minoribus minus dare.]

Oratio funebris.

XV. Olim ſive ante ſive poſt mortui inhumationem fiebat ad eos qui convenerant ſolemnis ſermo, vel in defuncti laudem, vel ad excitandos fideles ut inſtantes ad Deum preces funderent pro ipſius animæ requie, ita Rodulfus abbas S. Vitoni [Miſſa dicta, *ſermone dato*, terræ redditus eſt,] apud Hugonem Flaviniacenſem. Ita in funere S. Udalrici epiſcopi Wolfgangus qui exequiis præerat, [publica miſſa expleta, omnes in commune ſobrio & cauto ſermone admonuit, ut pro illa ſancta anima intima intentione cordis devote exorent, ut ab omni vinculo delictorum, abſoluta Deo donante perenni gaudio in ævum cum ſanctis & electis Dei perfrui mereretur.] Ita etiam in S. Bonaventuræ [exequiis primam miſſam celebravit frater Petrus Tarentaſienſis epiſcopus cardinalis Oſtienſis, & ſermonem habuit propoſito themate, *Doleo ſuper te mi frater Jonata*,] qui totus fuit in Sancti laudem ex ejus Vita apud Surium 14. Julii. Hodie perraræ ſunt orationes illæ funebres præterquam in regum aut illuſtrium perſonarum exequiis; niſi forte apud Carthuſienſes monachos, qui eas ex antiqua & laudabili conſuetudine hactenus conſervarunt.

XVI. Reſtat ut de precibus ſeu ſuffragiis olim pro defunctis Deo oblatis,

Digitized by Google

oblatis breviter aliquid dicamus. Principem locum tenere debent incruentum miſſæ ſacrificium quod non ſemel ante mortui exequias offerebatur. Certe Vita S. Bonaventuræ a nobis modo citata commemorat *primam* miſſam in ſancti Cardinalis funere dictam, quæ neceſſario ſupponit ſecundam. Hodie pleriſque in locis tres cantantur pro mortuis miſſæ ante ſepulturam, prima de B. Maria, ſecunda de Spiritu-ſancto, tertia de defunctis. Non debeo hic prætcrire conſuetudinem antiquam quam ſervat hactenus inſigne monaſterium S. Audoeni Rotomagenſis, ubi cum celebrans ſacerdos ad offertorium miſſæ pervenerit, ab omnibus ſacerdotibus in choro exiſtentibus defunctus frater abſolvitur hoc modo: Præcentor acceptam ſtolam collo cujuſque ſacerdotis imponit, tum ille ex cartula ſibi exhibita ſequentem pro defuncto abſolutionem recitat:

CAPUT XIV. *De reliquis ſepulturæ ritib.* Miſſæ plures dictæ ante ſepulturam. Abſolutio defuncti.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælis: de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit: ipſe te abſolvat N. per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, aut operatione negligenter egiſti, & à nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad hujuſmodi forte ritum ſpectat id quod legitur in tertia Compilatione Statutorum Cartuſienſium cap. 2. [Abſolutio defuncti poſt ſepulturam in clauſtro de quo loquitur Statutum, non debet fieri per modum abſolutionis ſacramentalis, ſed per modum orationis.] &c. Hic præterire non poſſum abſolutionem quam Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis miſit ad Eloiſſam ſepulcro Petri Abaelardi ſuſpendendam, in epiſtola 25. inter Abaelardinas hoc modo:

Ego Petrus Cluniacenſis abbas, qui Petrum Abaelardum in monachum Cluniacenſem recepi, & corpus ejus furtim delatum Heloiſſæ abbatiſſæ & monialibus paracleti conceſſi, auctoritate Dei & omnium ſanctorum abſolvo eum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.

XVII. Præterea celeberrima fuit defunctorum commemoratio die ab obitu tertio, ſeptimo & trigeſimo, cujus meminerunt Amalarius lib. 4. de Divinis Officiis cap. 42. Hincmarus Remenſis archiepiſcopus articulo 14. Capitulorum preſbyteris anno 852. datorum, & Vulgatus Alcuinus libro de Divinis Officiis cap. 5. S. Ambroſius in libro 2. de Exceſſu Satyri meminit diei ſeptimi. At vero in Oratione de obitu Theodoſii imperatoris notat aliquos obſervare diem tertium & trigeſimum, alios autem ſeptimum & quadrageſimum. Theodorus Cantuarienſis archiepiſcopus in ſuis Capitulis ſelectis Spicilegii tom. 9. eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, qualis ſua ætate vigebat, commemorans, [Prima, inquit, & Tertia, & Nona, & trigeſima die pro eis miſſa agatur, inde

Suffragia pro defunctis.

DDdd

Caput XIV *De reliquis ſepulturæ ritib.*

poſt annum, ſi voluerint, obſervatur.] Eccleſiæ Orientalis morem diſcimus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. cap. 42. in quo hæc leguntur: [Quod ſpectat ad mortuos, celebretur dies tertius in pſalmis, lectionibus, & precibus, ob eum qui tertia die reſurrexit; item dies nonus in recordationem ſuperſtitum & defunctorum; atque etiam dies quadrageſimus juxta veterem typum: Moſem enim ita luxit populus; denique anniverſarius dies, pro memoria ipſius.] Quibus ſuffragatur Vita S. Theodoſii Cœnobiarchæ n. 17. apud Bollandum 11. Januarii: Jubet autem pater omnia ipſi fieri quæ lex vult fieri mortuis; tertianas, inquam, novenas, & conſequenter etiam quadragenas.] Et Juſtinianus imperator in Novella 133. cap. 3. [Sed neque aliquam excogitent occaſionem aut viri ad monaſteria muliebria ingrediendi, aut mulieres viris deputata, occaſione horum quæ circa funus aguntur (quas utique memorias vocant) & tertiam & nonam convenientes diem, & dum quadraginta compleantur.] Idem docet Euſtratius preſbyter magnæ eccleſiæ tractatu 3. de defunctorum animis apud Photium in Bibliotheca cap. 171.

Tricenarium S. Gregorii.

XVIII. De triginta miſſis, quarum originem S. Gregorio adtribuunt, hæc lego in Lugdunenſi miſſali antiquo monaſterii Athanacenſis. [Sequuntur miſſæ dicendæ in trentenario S. Gregorii quod quicumque dixerit, vel dici fecerit, obtinebit tres annos & tres quadragenas indulgentiarum per Dominum Innocentium papam datarum. Et primo debet ſacerdos qualibet die qua ipſe celebraturus eſt invocare gratiam Spiritus-ſancti, & deinde dicere nocturnum illius diei, deinde ſeptem pſalmos pœnitentiales cum precibus & ſequentibus orationibus. Poſtquam vero celebraverit, dicat vigilias mortuorum, & hoc omni die cum magna devotione & ſuorum peccatorum confeſſione. Aliqui verò dicunt totum pſalterium uſque ad pſalmum *Dixit Dominus Domino meo*, & jejunant omni die. Tamen ſecundum Romanam eccleſiam in S. Sebaſtiano Romæ miſſæ iſtæ ſunt. Prima miſſa dicti trentenarii debet eſſe de Dominica prima Adventus, ſecunda de Nativitate Domini, tertia de S. Stephano protomartyre, quarta de S. Johanne Evangeliſta, quinta de Innocentibus, ſexta de Epiphania, ſeptima de octava Epiphaniæ, octava de Purificatione B. Mariæ, nona de Sepuageſima, decima de Dominica prima quadrageſimæ, undecima de Dominica ſecunda quadrageſimæ, duodecima de Dominica quarta quadrageſimæ, decima tertia de Annunciatione B. Mariæ Virginis, decima quarta de Dominica in Ramis Palmarum, decima quinta de Cœna Domini, decima ſexta de Reſurrectione Domini, decima ſeptima de Aſcenſione Domini, decima octava de feſto Pentecoſtes, decima nona de SS. Trinitate, verum in miſſis communibus, viceſima de Dominica ſecunda poſt Pentecoſten, vigeſima ſecunda de S. Johanne Baptiſta, vigeſima tertia de SS. Petro & Paulo, vigeſima quarta de S. Maria Magdalene, vigeſima quinta de S. Laurentio, vigeſima ſexta de Aſſumtione B. Mariæ, vigeſima ſeptima de ſancta Cruce, vigeſima

Digitized by Google

octava de S. Michaele, vigeſima nona de S. Gregorio vel de omnibus Sanctis, trigeſima & ultima de mortuis.] Vide ſi lubet concilii Celichytenſis anni 816. canonem 10. de Suffragiis epiſcopis mortuis concedendis.

XIX. De anniverſariis quæ recurrentibus annis ipſo obitus die celebrari ſolent nihil habeo dicendum, unum duntaxat hic obſervabo, olim in ſolemni officio quod in Ludovici VI. Francorum regis anniverſario decantabatur, lectiones de vita ejuſdem principis à Sugerio abbate ſcriptas recitatas fuiſſe. Ita teſtatur Chronicon Mauriniacenſe his verbis: [Si quis vero infirmitatis illius, qua decubuit, anguſtiam, vel chriſtianæ confeſſionis eminentiam, quam vivens tenuit, moriturus edidit, aut ipſius mortis modum, pretioſum etiam ſepulturæ locum plenius ſcire deſiderat; *quaſdam lectiones, quæ à Sugerio viro ſapienti edita in ejus anniverſario leguntur, ſtudioſe revolvat.*] In percelebri etiam S. Dionyſii templo ante annos ſexaginta in ſolemni anniverſario Dagoberti regis Vita ipſius lectionum vice recitabatur. Qui ritus poſtquam monaſterium Dionyſianum noſtræ S. Mauri Congregationi adgregatum, ita mutatus eſt ut in officio lectiones ex libro Job recitentur; vita vero Dagoberti fratribus in refectorio exiſtentibus legatur.

Vita defunctorum in anniverſario lecta.

CAPUT XV.

In quo varii ad juvandos morientes & ſepeliendos mortuos referuntur.

ORDO I.

Ex ms. codice monaſterii S. Benedicti Floriacenſis, annorum circiter 900.

INCIPIT ORDO UNGENDI INFIRMUM.

ID eſt poſt expletionem miſſæ exuet ſe preſbyter caſula. Quem precedet ſubdiaconus cum euchariſtia, & miniſtri cum candelabris & thuribulo, cum cruce quoque & aqua benedicta. Quem omnis congregatio ſubſequetur canentes pſalmum. Miſerere mei Deus. *Cum autem pervenerint ad hoſtium, faciat ſacerdos ſignum ſancta crucis, & ſic ingrediatur domum. Dicatque* Pax huic domui. *Ter. Cui tertio reſpondeant idem. Deinde incipiatur antiphona:* Benedic Domine domum iſtam. *Tunc aſpergat aqua benedicta domum cum antiphona:* Aſperges me. *Qua finita, adjungat:* Dominus vobiſcum. *Collecta.* Exaudi nos Domine. *Tunc proſequantur antiphona cum ſeptem ſpecialibus pſalmis.*

Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea: & anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine convertere, & eripe animam meam. *Pſal.* Domine ne in furore tuo. j. *Antiph.* Delictum meum cognitum feci tibi, Domine, & injuſtitiam meam non abſcondi *Pſal.* Beati quorum. *Antiph.* Ne derelinquas me, Domine, Deus meus ne diſcedas à me. *Pſal.* Domine, ne in furore, ij. *Antiph.* Cor contritum & humiliatum ne deſpicias Deus, ſed propter magnam miſericordiam tuam miſerere mei Deus. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Antiph.* Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. *Pſal.* Domine exaudi, j. *Antiph.* Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio. *Pſal.* De profundis. *Antiph.* Ne intres in judicio cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſal.* Domine exaudi. ij.

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo, ut non in æternum iraſcaris ei.

Oratio ſuper infirmum.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius preces noſtras, & libera cor famuli tui, de malarum temptatione cogitationum: ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per Dominum.

Alia.

Deus qui inluminas omnem hominem venientem in hunc mundum: Inlumina, quæſumus, cor famuli tui gratiæ tuæ ſplendore, ut digna majeſtati tuæ cogitare & diligere valeat. Per in unitate ejuſdem.

Item alia.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, qua oris noſtri alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem & anguſtiam attendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, adverſitatem repellas, effectumque petitioni noſtræ largiens clementer exaudias. Per.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum N. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem, deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude vitiatum eſt; & unitati corporis eccleſiæ tuæ membrorum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrimarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per Dominum noſtrum.

Item alia.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per Dominum.

Digitized by Google

Alia.

Majeſtatem tuam, quæſumus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem ſed peccatorum vitam ſemper inquiris: reſpice flentem famulum tuum N. attende proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatietur. Ingreſſus cubiculum regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per eumdem.

Item alia.

Domine Deus, qui per apoſtolum tuum locutus es: infirmatur quis in vobis? Inducat preſbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungucntes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratia Spiritus-ſancti langores iſtius infirmi, & ejus ſana vulnera ac dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, & plenam ei interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde: ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus & ſanatus, ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Per Dominum.

Alia.

Oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum N. per angelum ſanctum ſuum viſitare, lætificare & confortare dignetur. Qui vivit.

Item alia.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti: ita & famulum tuum N. à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per.

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum, in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove quam creaſti: ut caſtigationibus emendata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per.

Item alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana vulnera ejus atque dimitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per.

Et ſic perungant ſinguli ſacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, faciendo cruces in collum, & guttur, & pectus, & inter ſcapulas, & ſuper quinque ſenſus corporeos, & in ſupercilia oculorum, & in aures intus & foris, & in narium ſummitatem ſive interius, & in labia exterius, & in manus ſimiliter exterius, id eſt deforis, ut maculæ quæ per quinque ſenſus mentis & corporis fragilitate carnis aliquo modo inhæſerunt, hac medicina ſpiritali & Domini miſericordia pellantur.

Unctiones ſuper infirmum.

Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.

Digitized by Google

CAPUT XV *In quo variu ad juv. &c.*

ut more militis uncti præparatus ad luctam poſſis aëreas ſuperare catervas.

Alia.

In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Sit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum.

Item alia.

Ungo te de oleo ſancto, invocata magni creatoris majeſtate, qui juſſit Samuhelem prophetam ungi David in regem. Operare, creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed habitet in eo virtus Chriſti altiſſimi & ſanctificatio Spiritus-ſancti.

Super oculos.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, ut quicquid inlicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per.

Super cerebrum.

Ungo te oleo ſancto, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Obſecrans miſericordiam ipſius Domini ac Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & ſalus, quatinus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, priſtinam & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem. Per eumd.

Ad aures ſuper & infra.

Ungo aures has ſacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione nocui auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per.

Ad nares.

Ungo has nares de oleo ſacro, ut quicquid noxæ contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta emaculet medicatio. Per.

In labiis exterius.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quicquid ocioſa & etiam criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante expurgetur hac unctione. Per.

In collum.

Ungo collum tuum de oleo ſancto, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.

In guttur.

Ungo guttur tuum de oleo ſancto exorcizato, ut propicietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes langores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſanet in bonis omnibus deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate vivit. Per Dominum.

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas ſive medium locum ſcapularum de oleo ſacrato,

Digitized by Google

ut ex omni parte munitus ſpiritali protectione, jacula diabolici impetus contempnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis expellere. Per Dominum.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter perſtare valeas adverſus aëreas catervas. Per.

Ad manus.

Ungo has manus de oleo conſecrato, ut quicquid tactu inlicito vel noxio peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes infra, ſuperque.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid ſuperfluo vel nocuo inceſſu commiſerunt, iſta aboleatur perunctione. Per eundem.

Poſtea orationem.

Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis: quatinus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, merearis priſtinam recipere ſanitatem. Per eumdem.

Item collecta.

Domine Jeſu Chriſte, qui es ſalvatio & redemptio noſtra, & qui es vera ſalus & medicina, & à quo omnis ſanitas & medicamentum venit: qui apoſtoli tui voce nos inſtruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ poſtulemus miſericordiam pietatis: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. ab illa mirabili ſummitate cælorum: ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio jam portrahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eo libidinum & febrium æſtus, dolorum ſtimulos, ac vitiorum optere cruciatus, ægritudinum & cupiditatum tormenta diſſolve, ſuperbiæ inflationem tumoremque compeſce, ulcera & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna cordiumque ac medullarum & cogitationum ſana diſcrimina, conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis, typicíſque adeſto periculis, veteres immenſaſque remove paſſiones, opera carnis ac ſanguinis materiamque compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue: Sicque illum jugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas. Fiatque illi hæc olei ſacra perunctio concita morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente Salvator mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus. Per.

Alia.

Propitietur Domiuus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus & corroboret ac ſanet in bonis omnibus deſiderium ipſius, qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum.

Digitized by Google

Item alia.

Deus qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu : inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum N. ex adverſa valitudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ præſta medicinam. Per.

Alia.

Deus qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti : conſerva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Item alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis : adeſto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per Dominum.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur : ſuper hunc famulum tuum N. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis, perfecta reparetur. Per.

Item oratio ſuper infirmos.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitate laborantibus ; majeſtatem tuam ſupplicitet exoramus, ut mittere digneris ſanctum angelum tuum, qui famulum tuum N. in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate gubernas : ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum N. liberatum ægritudine & ſanitate donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, eccleſiæ tuæ ſanctiſque altaribus tuis, cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per.

Benedictiones ſuper infirmum.

Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te deffendat. Intra te ſit, ut te reficiat. Circa te ſit, ut te conſervet. Ante te ſit, ut te cuſtodiat. Poſt te ſit, ut te conſervet. Super te ſit, ut te benedicat. Qui cum Patre, & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, ſanet te Deus Filius, inluminet te Deus Spiritus-ſanctus, corpus tuum cuſtodiat, animam tuam ſalvet, cor tuum inradiet, ſenſum tuum dirigat, & ad ſupernam vitam te perducat. Qui in

in Trinitate perfecta vivit & regnat. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item alia.

Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei, corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodiri & conſervari faciat, mentem tuam inluminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ in te augeat, ab omni malo te liberet, dextera ſua te defendat, qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvare & conſervare dignetur in unitate Spiritus ſancti Deus. Per.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Benedicat te Dei Filius, qui de ſupernis ſedibus, pro nobis Salvator deſcendit. Benedicat te Spiritus ſanctus qui in ſimilitudinem columbæ in flumine Jordanis requievit in Chriſto. Ipſe te in Trinitate ſanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium. Qui cum Patre.

Item alia.

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te Jeſus Chriſtus, inluminet te Spiritus-ſanctus omnibus diebus vitæ tuæ, confirmet te virtus Chriſti indulgeat tibi Dominus univerſa delicta tua.

MISSA PRO INFIRMO QUI PROXIMA EST MORTE.

OMnipotens ſempiterne Deus, conſervator animarum, qui quos recipis pie ad emendationem coerces: te invocamus, Domine, ut medelam tuam conferre digneris animæ famuli tui ill. qui in corpore patitur membrorum debilitationem, vim laboris, ſtimulos infirmitatum. Da ei, Domine, gratiam tuam, ut in hora exitus ſui de corpore abſque mortalis peccati macula tibi datori proprio per manus ſanctorum angelorum repreſentari mereatur ejus anima. Per.

Super oblata.

Adeſto, Domine, pro tua pietate ſupplicationibus noſtris, & ſuſcipe hoſtiam quam tibi offerimus pro famulo tuo ill. jacentem in grabato, ſalutem non corporis ſed animæ petente: præſta omnipotens Deus indulgentiam ei omnium iniquitatum ſuarum, propter immenſam miſericordiam tuam, & per interceſſionem ſanctorum tuorum ill. per hoc quod ſuſtinet flagellum corpore à ſanctis angelis tuis anima ejus ſuſcepta pervenire mereatur ad tuæ gloriæ regnum. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem quam tibi, Domine, offerimus pro famulo tuo ill ut des ei cæleſte deſiderium & in exitu corporis ſui Spiritus refrigerium quæſumus Domine.

Ad complendum.

Gratias agimus, Domine, multiplicibus largitatibus tuis, quibus animas in te ſperantium ſatiare conſueſti. Nam ſiſi de tua pietate precamur, ut miſereri digneris famulo tuo ill. ne prævaleat adverſus eum

EEee

adverſarius in hora de exitus ſui de corpore, ſed tranſitum habere mereatur ad vitam. Per.

Item alia missa.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis laborantibus, qui temperas flagella: te, Domine, ſupplices exoramus, ut viſitatione tua ſancta erigas famulum tuum ill. de hac ægrotatione qua tenetur, & præſenta eum eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumem ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Alia.

Exaudi nos omnipotens & miſericors Deus, & viſitationem tuam conferre dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem diverſa vexat infirmitas. Viſita eum, Domine, ſicut viſitare dignatus es ſocrum Petri, puerumque Centurionis, Tobiam & Sarram per angelum tuum ſanctum, & reſtitue eum ad priſtinam ſanitatem: ut mereatur in atrio domus tuæ dicere: caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Per.

Super oblata.

Sacrificium, Domine, hoc quod tibi offerimus placatus intende, & opem tuam, noſtris temporibus clementer impende, & famulum tuum N. ex adverſa valitudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ concede medicinam. Per.

Poſtcommunionem.

Deus piiſſime & miſericordiſſime, qui quos diligis corripis, & quos recipis ad emendationem flagellas: Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, & famulo tuo ill. per myſterii tui perceptionem & longioris vitæ tempora & tam animæ quam corporis ſanitatem precamur tribuas. Per.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte: & hunc famulum tuum ill. liberatum ægritudine & ſanitate donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, eccleſiæ tuæ ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per.

Item missa pro infirmis.

DEus in cujus libro ſunt vocabula notata mortalium: concede nobis omnibus veniam delictorum; & præſta, quæſumus famulo tuo infirmo, quem immenſus languor excruciat, tua miſeratio reparet ad medelam; & ſi ei ambitio piaculi adduxit dolorem, adducat etiam confeſſio ſalutis optabilem ſanitatem. Per.

Digitized by Google

Super oblatam.

Sana, quæſumus Domine, vulnera famuli tui ill. ægritudines ejus perime, peccata dimitte, & hanc oblationem, quam tibi pro eo offerimus, benignus ſuſcipe: & ſic eum flagella in hoc ſæculo, ut poſt tranſitum ſanctorum mereatur adunari conſortium. Per Dominum.

Ad complendum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ideo delinquentibus occaſionem tribuis corrigendi, ut non ſit in eis quod puniat cenſura judicii: Ob hoc te pie Pater expoſcimus, ut hoc accipias pro ſacrificio laudis, quod famulus tuus N. atteritur virga correptionis. Sana eum quæſumus, Domine, ab omnibus infirmitatibus, quod te medicante & plenitudinem ſalutis recipiat, & tuis ſemper juſſionibus pareat. Per.

MISSA PRO INFIRMIS.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis ill. pro quibus miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate gratiarum tibi in eccleſia tua referant actionem. Per.

Super oblata.

Deus cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt: ſuſcipe preces & hoſtias famulorum tuorum ill. pro quibus miſericordiam tuam ægrotantibus imploramus, ut de quorum periculo metuimus, de eorum ſalute lætemur. Per.

Præfatio.

Æterne Deus. Qui famulos tuos ill. ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant: patenter oſtendens quod ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio, dum præſtas ut operetur nobis etiam ipſa infirmitas ſalutem. Per Chriſtum.

Ad complendum.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmos noſtros oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentari mereantur. Per.

MISSA IN HONORE SANCTI SIGISMUNDI REGIS ET MARTYRIS ET PRO FEBRICITANTIBUS.

OMnipotentem Deum, qui per ſanctos apoſtolos & martyres ſuos diverſa ſanitatum dona largiri dignatus eſt, fratres cariſſimi, intentis precibus deprecemur, ut præſenti famulo ſuo ill. qui quartani typi vexatione fatigatur, per interceſſionem famuli ſui ill. Sigiſmundi regis & martyris clementer ſuccurrat, & ad ſanitatem priſtinam revocare dignetur. Per.

Super oblata.

Offerimus tibi, Domine, munera tua, in nomine electi tui martyris

Digitized by Google

Sigiſmundi, pro præſenti ægroto ill. qui quartano typo laborat: ut ab eo febrium ardores repellere jubeas, & tuo ſemper in omnibus muniatur auxilio. Per.

Præfatio.

Æterne Deus. Qui famulum tuum ideo corporaliter verberas, ut mente proficiat, potenter oſtendens quod ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio. Dum præſentem operaris etiam in ipſa infirmitate medicinam: Tu ergo Domine Deus noſter, qui electo tuo Sigiſmundo regi triumphum martyrii contuliſti, tua enim eſt miſericordia, tua ſunt dona. Domine omnipotens Pater, ut per communicationem Corporis & Sanguinis tui, in honorem electi tui Sigiſmundi, tempeſtatem ab eo frigoris excutias, febrium ardorem repellas, & ad ſanitatem priſtinam illum revocare digneris, qui ſocrui beati Petri apoſtoli integram reſtituiſti corporis ſanitatem Chriſte, illum Salvator mundi. Per quem majeſtatem.

Ad complendum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui conceſſiſti fidelibus tuis obtinere quæ juſte precantur: ſuſcipe propitius preces noſtras per interceſſionem beati Sigiſmundi regis & martyris tui, pro præſenti famulo tuo ill. ægroto, qui quartano typo febricitat. Concede propitius, ut quod devotis mentibus petimus, celebriter conſequi mereatur. Per.

Alia.

Da nobis, Domine, ut ſicut publicani precibus & confeſſione placatus es; ita & huic famulo tuo ill. placare & precibus aſpira: ut in confeſſione flebili permanens, & petitione perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & ſacramentis reſtitutus, rurſus cæleſti gloria mancipetur. Per.

RECONCILIATIO POENITENTIS AD MORTEM.

DEus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concluderis; ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ januam aperis. Pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ termino non repellis: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. remiſſionem ſibi omnium delictorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eum, piiſſime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum eſt, & unitati corporis eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte. Miſerere gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua ad ſacramentum reconciliationis admitte: Quia nullius animæ in hoc corpore conſtitutæ difficilis apud te aut tarda curatio eſt. Fidelis enim es in verbis tuis, qui converſum peccatorem non longa temporum ſpatia differendum, ſed mox ut ingemuiſſet dixiſti eſſe ſalvandum. Per.

Digitized by Google

INCIPIUNT ORATIONES IN AGENDA MORTUORUM.

Cum anima in agone ſui exitus diſſolutione corporis viſa fuerit laborare, convenire ſtudebunt fratres vel cæteri, quique fideles. Et canendi ſunt ſeptem pœnitentiæ pſalmi. Id eſt. Duo Domine ne in furore, *& duo* Domine exaudi. Beati quorum. *Et* De profundis. *Et* Miſerere mei Deus. *Atque agenda eſt latania, pro ut permiſerit ratio temporis. Et ſecundum quod in cauſa egreſſuri perſpici poterit, vel æſtimari.*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. *Ter.*

Sancta Maria, Ora pro eo.
Sancte Michahel, Ora.
S. Gabrihel,
S. Raphahel,
S. Joannes B.
S. Petre, iij.
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Johannes,
S. Philippe,
S. Thoma,
S. Bartholomæe,
S. Matthæe,
S. Jacobe,
S. Symon,
S. Thaddæe,
S. Mathia,
S. Marce,
S. Luca,
S. Barnaba,
Omnes S. Patriarchæ,
Omnes S. Prophetæ Dei,
S. Stephane,
S. Koenelme,
S. Line,
S. Clete,
S. Clemens,
S. Dyoniſii,
S. Ruſtice,
S. Eleutherii,
S. Sebaſtiane,
S. Tyburti,
S. Marcelline,
S. Petre,
S. Marce,
S. Marcelliane,
S. Tranquilline,
S. Coſma,
S. Damiane,
S. Victorine,
S. Syxte,
S. Corneli,
S. Cypriane,
S. Laurenti,
S. Chriſogone,
S. Georgii,
S. Ignati,
S. Yppolite,
S. Mauritii,
S. Exuperii,
S. Candide,
S. Victor,
S. Innocenti,
S. Vitalis,
Omnes SS. Agaunenſes,
S. Policarpe,
S. Juſtine,
S. Symphoriane,
S. Adriane,
S. Criſpine,
S. Criſpiniane,
S. Luciane,
S. Maximiane,
S. Juliane,
S. Quintine,
S. Cucuphas,
S. Saturnine,
S. Gervaſi,
S. Protaſi,

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

S. Nazarii,
S. Celſe,
S. Prote,
S. Hiacinthe,
S. Marcelle,
S. Gereon cum ſoc.
S. Lantberte,
S. Leodegari,
S. Thimothæe,
S. Vincenti,
S. Antonine,
S. Anaſtaſii,
S. Euſtaſii,
S. Private,
S. Ferreole,
S. Bonifacii,
S. Pancrati,
S. Valentine,
S. Chriſtophore,
S. Juſtine,
S. Vite,
Omnes SS. Martyres Dei,
S. Benedicte, iij.
S. Sylveſter,
S. Leo,
S. Hylarii,
S. Bricii,
S. Ambroſi,
S. Hieronyme,
S. Auguſtine,
S. Florenti,
S. Baſili,
S. Paule,
S. Effrem,
S. Anaſtaſii,
S. Antoni,
S. Johannes,
S. Symeon,
S. Macharii,
S. Equici,
S. Honorate,
S. Libertine,
S. Fortunate,
S. Frigdiane,
S. Sabine,
S. Stephane,
S. Gregorii,
S. Germane,
S. Marcelle,
S. Chodoalde,
S. Severine,
S. Mederice,
S. Medarde,
S. Remigii,
S. Procule,
S. Zeno,
S. Aniane,
S. Audoene,
S. Pharo,
S. Euſebii,
S. Sulpiti.
S. Eligi.
S. Donate,
S. Albine,
S. Columbane,
S. Maximine,
S. Maxenti,
S. Filiberte,
S. Hermlande,
S. Luſiane.
S. Felix,
S. Silvine,
S. Urbane,
S. Richarii,
S. Marcialis,
S. Arnulfe,
S. Cæſarii,
S. Regule,
S. Vandregiſile,
Omnes SS. Confeſſores Dei,
Sancta Felicitas,
S. Perpetua,
S. Petronilla,
S. Agnes,
S. Agatha,
S. Cæcilia,
S. Lucia,
S. Genovefa,
S. Praxedis,
S. Anaſtaſia,

S. Eulalia,
S. Tecla,
S. Priſca,
S. Eufemia,
S. Eugenia,
S. Radegundis,
S. Aldegundis,
S. Monogundis,
S. Criſtina.
S. Criſpina.
S. Marina.
S. Eufroſina.
S. Natalia,
S. Sotheris,
S. Brigida,
S. Suſanna,
S. Scolaſtica,
S. Sabina,
S. Reparata,
S. Julia,
S. Juliana,
S. Julitta,
S. Fara,
S. Columba,
S. Gertrudis,
S. Afra,
S. Dorothæa,
S. Theodoſia,
S. Reſtipula,
Omnes Sancti Dei, Orate pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Libera nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
A cunctis erroribus diaboli, Libera nos Domine.
Ab ira tua, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Per Crucem tuam, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut compunctionem cordis nobis dones, Te rogamus audi nos.
Ut fontem veniabilium lacrymarum nobis dones,
Ut affectum atque effectum vere penitendi nobis dones.
Ut fidem rectam, ſpem inconcuſſam, caritatemque perfectam nobis dones,
Ut continuum timorem amoremque tuum nobis largiri digneris,
Ut ſpatium pœnitentiæ nobis dones,
Ut pravas cogitationes à nobis auferre digneris,
Ut inlicitas voluptates à nobis abſcidere digneris,
Ut remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum nobis dones,
Ut gratiam S. ſpiritus cordibus noſtris infundere digneris,
Ut ad gaudia æterna nos perducere digneris,
Ut huic fratri noſtro, de Ægyptia captivitate ad te revertenti, locum refrigerii luciſque & perpetuæ beatitudinis largiri digneris, Te rog.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Filii Dei, Te rogamus audi nos.
Agne Dei qui tollis peccata mundi, dona ei requiem.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Finitis autem ſanctorum nominibus, mox incipiatur ab omnibus Reſponſum Subvenite ſancti Dei. *Quo finito, dicat hanc ſacerdos orationem ſive commendationem pro eo.*

Digitized by Google

Oratio.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui ill. ut deffunctus ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem mundanæ converſationis peccata admiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per.

Alia.

Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis tuæ affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro noſtris ſupplicare peccatis nequaquam ſufficimus. Tamen de tua confiſi gratuita pietate, & inclita benignitate, clementiam tuam depoſcimus, ut animam ſervi tui ad te revertentem cum pietate ſuſcipias. Adſit ei angelus teſtamenti tui Michahel, & per manus ſanctorum angelorum tuorum inter ſanctos & electos tuos in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Jacob patriarcharum tuorum eam collocare digneris: quatinus liberata de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, nullius jam primæ nativitatis, vel ignorantiæ, aut propriæ iniquitatis, ſeu fragilitatis confundatur erroribus: ſed potius agnoſcatur à tuis: & ſanctæ beatitudinis requie perfruatur, ut quæ, cum magni judicii dies advenerit, inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus gloria manifeſtatæ contemplationis tuæ perpetuo ſatietur. Per Dominum.

Si autem quiddam ſupervixerit, canantur alii pſalmi, vel agatur letania, uſquequo anima corpore terrenæ corruptionis abſolvatur; in cujus egreſſu dicatur.

Ant. Suſcipiat te Chriſtus, qui creavit te, & in ſinum Abrahæ angeli deducant te. *Pſal.* In exitu Iſrahel de Ægypto.

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori animam ad ſimilitudinem tuam inſpirare dignatus es, dum te jubente pulvis in pulverem revertitur: tu imaginem tuam cum ſanctis & electis tuis, æternis ſedibus præcipias ſociari, eamque ad te revertentem de Ægypti partibus blande leniterque ſuſcipias, & angelos tuos ſanctos ei obviam mittas, viamque illi juſtitiæ demonſtra, & portas gloriæ tuæ aperi. Repelle quæſumus ab ea omnes principes tenebrarum, & agnoſce depoſitum fidele quod tuum eſt: ſuſcipe Domine creaturam tuam non ex diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero, quia non eſt alius Deus præter te, Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica, clementiſſime Deus, animam ſervi tui ill. & clarifica eam in multitudine miſericordiæ tuæ. Ne memineris quæſumus iniquitatum ejus antiquarum & ebrietatum, quas ſuſcitavit furor mali deſiderii, licet enim peccaverit, tamen te non negavit: ſed ſigno fidei inſignitus, te qui omnia & eum inter omnia feciſti, fideliter adoravit, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Item antiphona.

Chorus angelorum te ſuſcipiat, & in ſinu Abrahæ te collocet, ut cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Pſal. Dilexi quoniam, *uſque* Ad Dominum cum tribularer.

Sequitur

Sequitur oratio.

Diri vulneris novitate perculſi, & quodam modo cordibus ſauciati, miſericordiam tuam, mundi Redemptor, flebilibus vocibus imploramus, ut Kari noſtri ill. animam ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, revertentem blande leniterque ſuſcipias; & quas illa ex carnali commemoratione contraxit maculas, tu Deus inolita bonitate clementer deleas, pie indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc laudem tibi cum cæteris reddituram & ad corpus quandoque reverſuram, ſanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti vivis & regnas.

Tunc rogat pro eo orare ſacerdos.

Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam. Anima ejus in bonis demorabitur. Et non intres in judicio. A porta inferi.

Oratio.

Partem beatæ reſurrectionis obtineat: vitamque æternam habere mereatur in cælis per te Chriſte Jeſu, qui vivis & regnas Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Deus cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem, præſta quæſumus, ut anima famuli tui ill. terrenis exuta contagiis, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per.

Tunc lavatur corpus defuncti.

Oratio poſt lavationem corporis antequam de domo efferatur.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui ill. quam de ergaſtulo hujus ſæculi vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, ut abſoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter ſanctos & electos tuos in reſurrectionis gloria reſuſcitari mereatur. Per.

Tunc cum reſponſo: Subvenite ſancti Dei, *& aliis reſponſis defunctorum deportatur. Et cum adpropinquatum fuerit eccleſiæ canitur pſalmus:* Miſerere mei Deus, *cum antiphona:* Requiem æternam. *In eccleſia autem requieſcet corpus defuncti, quoadusque pro anima ejus miſſa canatur, & offeratur ab omnibus quibus fuerit viſum.*

INCIPIUNT MISSALES ORATIONES.

QUæſumus, Domine, ut animæ famuli tui ill. cujus obitus ſui diem primum, tertium, ſeptimum, triceſimum, commemoramus, ſanctorum tuorum atque electorum largire digneris conſortium, & rorem miſericordiæ tuæ perennem infunde. Per.

Secreta.

Animam famuli tui ill. Domine, ab omnibus vitiis & peccatis conditionis humanæ hæc abſolvat oblatio, quæ totius mundi tulit immolata peccatum. Per.

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo variì ad juv. &c.*

Præfatio.

Æterne Deus, qui quamvis humano generi mortis inlata conditio pectora noſtra contriſtet, tamen clementiæ tuæ dono ſpe futuræ immortalitatis erigimur, ac memores ſalutis æternæ, non timemus lucis hujus ſuſtinere jacturam, quoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur ſed mutatur; atque anima corporeo ergaſtulo liberatur. Horrent mortalia dum immortalia conſequuntur: unde quæſumus ut famulus tuus ill. beatorum tabernaculis conſtitutus, evaſiſſe ſe carnales glorietur anguſtias, diemque judicii cum fiducia voto glorificationis expectet. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro anima famuli tui ill. offerimus, quem hodie carnali corruptione liberaſti, quæſumus, Domine, placatus accipias, & quidquid humanæ conditionis ſubreptione contraxit expedias, & tuis purificatus remediis, ad gaudium ſempiternum perveniat. Dieſque noſtros.

Ad complendum.

Proſit, Domine quæſumus, animæ famuli tui ill. divini celebratio ſacramenti, ut ejus in quo ſperavit & credidit æternum capiat te miſerante conſortium. Per Dominum.

Poſt celebrationem denique miſſæ ſtat ſacerdos juxta feretrum, & dicit hanc orationem.

Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine ill. quoniam nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum tribuatur remiſſio. Non ergo eum tua quæſumus judicialis ſententia præmat, quem tibi vera ſupplicatio fidei chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo Trinitatis.

Sequitur reſponſum: Subvenite ſancti Dei. ℣. Chorus angelorum eam ſuſcipiat, & in ſinu Abrahæ eam collocet. Kyrie eleiſon.

Oratio.

Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius, te ſupplices deprecamur, ut quicquid anima famuli tui ill. vitiorum tuæque voluntati contrarium fallente diabolo, & propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius & miſericors ablue indulgendo: eamque ſuſcipi jubeas per manus ſanctorum angelorum tuorum. Deducendam in ſinum patriarcharum tuorum, Abraham ſcilicet amici tui, & Iſaac electi tui, atque Jacob dilecti tui: quo aufugit dolor & triſtitia atque ſuſpirium, fidelium quoque animæ felici jocunditate lætantur, & in noviſſimo magni judicii die inter ſanctos & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparaſti diligentibus te. Per.

Digitized by Google

Sequitur reſponſum: Antequam naſcerer. ℣. Commiſſa mea paveſco, *& ter* Kyrie.

Oratio.

Fac quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo defunćto ill. miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem; qui tuam in votis tenuit voluntatem, & quia hic illum vera fides junxit fidelium turmis, illic eum tua miſeratio ſociet angelicis choris. Per Dominum.

Tunc rogat pro eo orare ſacerdos: Et ne nos inducas in temptationem. Requiem æternam. A porta inferi.

Oratio.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui ill. quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per.

Et ſic levatur de eccleſia cum antiphona: Aperite mihi. *Pſal.* Confitemini.

Piæ recordationis affectu, fratres cariſſimi, commemorationem faciamus cari noſtri ill. quem Dominus de temptationibus hujus ſæculi aſſumpſit: obſecrantes miſericordiam Dei noſtri, ut ipſe ei tribuere dignetur placidam & quietam manſionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas, ut conceſſa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc ſæculo proprio vel alieno reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate ſua deleat & abſtergat. Quod ipſe præſtare dignetur.

Ant. Ingrediar in locum tabernaculi. *Pſal.* Quemadmodum.

Sequitur oratio.

Obſecramus miſericordiam tuam omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es: ut animam famuli tui ill. quem hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accerſire juſſiſti, blande & miſericorditer ſuſcipias: non ejus dominentur umbræ mortis, nec tegat eum chaos, & caligo tenebrarum, ſed exutus omnium criminum labe in ſinu Abrahæ patriarchæ collocatus, locum refrigerii & lucis ſe adeptum eſſe gaudeat, & cum dies judicii advenerit cum ſanctis & electis tuis eum reſuſcitari jubeas. Per.

Antiph. Hæc requies mea. *Pſal.* Memento Domine David.

Sequitur oratio.

Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, & in quo electorum animæ, depoſito carnis onere, plena felicitate lætantur: præſta ſupplicantibus nobis, ut anima famuli tui ill. quæ temporali per corpus viſionis, hujus luminis caruit viſu, æternæ illius lucis ſolatio potiatur. Non eum mortis tormentum attingat, non dolor horrendæ viſionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena conſtringat, ſed conceſſa ſibi venia delictorum omnium optatæ quietis conſequatur gaudia repromiſſa. Per.

Item antiph. De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine probaſti me. *Exponitur in ſepulchro.*

Digitized by Google

Item oratio.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri ill. quem Dominus de laqueo hujus ſæculi liberare dignatus eſt, cujus corpuſculum hodie ſepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Jacob, collocare dignetur; ut cum dies judicii advenerit, inter ſanctos & electos ſuos eum in parte dextera collocandum reſuſcitari faciat, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo in unitate Spiritus-ſancti, vivit & regnat Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio.

Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intueri: da famulo tuo ill. cujus depoſitioni hodie officia humanitatis exhibemus, cum ſanctis & fidelibus tuis beati muneris portionem. Per.

Alia.

Deus vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui te à peccatoribus exorari voluiſti: exaudi preces quas ſpeciali devotione pro anima famuli tui ill. tibi lacrymabiliter fundimus, ut liberare eam ab inferorum cruciatibus, & collocare inter agmina ſanctorum tuorum digneris; veſte quoque cæleſti & ſtola immortalitatis indui, & paradiſi amenitate confoveri jubeas. Per.

Item.

Deus qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui ill. quam vera, dum in corpore maneret, tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: ut ſegregata ab infernalibus clauſtris ſanctorum mereatur adunari conſortiis. Per.

Alia.

Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intueri, qui univerſorum es conditor & redemptor, miſericordia quoque peccatorum, & tuorum beatitudo ſanctorum: da famulo tuo ill. cujus depoſitioni hodie officium humanitatis exhibemus, cum ſanctis & electis tuis beati muneris portionem, eumque à corporeis nexibus abſolutum, in reſurrectione electorum tuorum facias præſentari. Per.

Item.

Temeritatis quidem eſt, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo noſtro audeat commendare, ſed quia terra ſuſcipit terram, & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in ſuam redigatur originem: tuam piiſſime Pater lacrymabiliter quæſumus pietatem, ut hujus famuli tui ill. animam quam de hujus mundi voragine cœnulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui ſinu recipias, & refrigerii rore perfundas. Sit ab æſtuantis gehennæ truci incendio ſegregata, & beatæ requiei te donante conjuncta, & quæ illi ſunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ: tu eas gratiæ mitiſſima lænitate indulge, nec peccati recipiat vicem: ſed indulgentiæ tuæ piam ſentiat bonitatem, cumque finito mundi termino, ſupernum cunctis

Digitized by Google

inluxerit regnum, novus homo ſanctorum omnium, cœtibus aggregatus, cum electis tuis reſurgat in parte dextera coronandus. Per Dominum.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Alia.

Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes; Deum cui omnia vivunt fideliter deprecamur, ut hoc corpus cari noſtri ill. à nobis in infirmitate ſepultum, in ordine ſanctorum tuorum reſuſcitet, & ejus ſpiritum ſanctis ac fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus. Per.

Tunc rogat pro eo orare ſacerdos, & dicit capitula ſicut & ſupra & partem beatæ reſurrect. *ut ſupra.*

Pſal. Miſerere mei Deus. Requiem æternam.

Abſolve, Domine, animam famuli tui ill. ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per. Requieſcat in pace. Amen.

MISSA PRO DEFFUNCTO NUPER BAPTIZATO.

DEus qui ad cæleſte regnum non niſi renatis per aquam & Spiritum-ſanctum pandis introitum, multiplica ſuper animam famuli tui ill. miſericordiam tuam, & cui donaſti cœleſtem & incontaminatum tranſitum poſt baptiſmi ſacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

Super oblata.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris pro anima famuli tui ill. pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, ut eam ſanctorum tuorum conſortio ſociare digneris. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro anima famuli tui ill. benignus aſſume, eumque regenerationis fonte purgatum & periculis vitæ hujus exutum, beatorum numero digneris inſerere ſpirituum. Dieſque noſtros.

Ad complendum.

Propitiare, Domine, animæ famuli tui ill. ut quem in fine iſtius vitæ regenerationis fonte mundaſti ad cæleſtis regni beatitudinem facias pervenire. Per.

MISSA PRO DEFFUNCTIS DESIDERANTIBUS POENITENTIAM ET MINIME CONSEQUENTIBUS.

SI quis pœnitentiam petens, dum ſacerdos venit fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerint, & ipſe per motus aliquos ſatisfecit, ſacerdos impleat omnia circa pœnitentem ut mos eſt.

Digitized by Google

Ad miſſam.

Omnipotens & miſericors Deus, in cujus humana conditio poteſtate conſiſtit, animam famuli tui ill. quæſumus omnibus abſolve peccatis, & pœnitentiæ fructum quem voluntas ejus optavit proventus mortalitatis non perdat. Per.

Super oblata.

Satisfaciat tibi, Domine, quæſumus, pro anima famuli tui ill. ſacrificii præſentis oblatio, & peccatorum veniam quam quæſivit inveniat, & quod officio linguæ implere non potuit, deſideratæ pœnitentiæ compenſatione percipiat. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. cujus depoſitionis diem ill. celebramus, quæſumus, Domine, ut placatus accipias, & ineffabili pietate concedas, ut quod exequi præventus condirione mortali miniſterio linguæ non potuit, mereatur indulgentia ſempiterna. Per.

Poſt communionem.

Deus à quo ſperatur humani corporis omne quod bonum eſt, tribue per hæc ſancta quæ ſumpſimus, ut ſicut animæ famuli tui ill. pœnitentiam velle donaſti, ſic indulgentiam tribuas miſeratus optatam. Per.

Missa pro deffuncto episcopo.

PRæſta, quæſumus Domine, ut anima famuli rui ill. epiſcopi, quem in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus decoraſti, in cæleſti ſede glorioſa ſemper exultet. Per.

Super oblata.

Suſcipe, quæſumus Domine, hoſtias pro anima famuli tui ill. epiſcopi, ut cui pontificale donaſti præmium, dones & meritum. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. epiſcopi, quæſumus, Domine, placatus accipias, & cum præſulibus apoſtolicæ dignitatis quorum eſt ſecutus officium, habere tribuas ſempiternæ beatitudinis portionem. Dieſque noſtros.

Poſt communionem.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut animam famuli tui ill. epiſcopi in congregatione juſtorum æternæ beatitudinis jubeas eſſe conſortem. Per.

Missa pro deffuncto sacerdote.

DEus qui inter apoſtolicos ſacerdotes, &c.

Super oblatam.

Preces noſtras quæſumus Domine, quas in famuli tui atque ſacerdotis tui ill. depoſitione deferimus, propitius exaudi, ut qui nomini tuo miniſterium fidele pendit, perpetua ſanctorum ſocietate lætetur. Per Dominum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem quam tibi pro depoſitione famuli & ſacerdotis tui ill. deferimus, quæſumus Domine placatus intende, pro qua majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eum in numero tibi placentium cenſeri facias ſacerdotum. Dieſque noſtros.

Poſtcommunionem.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & animam famuli tui ill. ſacerdotis in vivorum regione æternis gaudiis jubeas ſociari. Per Dominum.

MISSA IN AGENDA PLURIMORUM SACERDOTUM.

CONcede, quæſumus omnipotens Deus, animabus famulorum ac ſacerdotum tuorum ill. felicitatis æternæ conſortium, quibus donaſti ſacri altaris tui conſequi miniſterium. Per.

Super oblata.

Munera, Domine, tibi dicanda ſanctifica; & his animas famulorum & ſacerdotum tuorum ill. ab omni labe humanæ conditionis abſolve, quibus totius mundi delevisti peccata. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro animabus famulorum & ſacerdotum tuorum ill. quæſumus ut placatus accipias, pro quibus majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut electorum miniſtrorum tuorum, quorum ſecuti ſunt officium, jubeas etiam beatitudini ſociari. Dieſque noſtros.

Ad complendum.

Quæſumus omnipotens Deus, ut animæ famulorum ac ſacerdotum tuorum ill. cæleſtis gloriæ præmia conſequantur, quibus ſpiritalis gratiæ munera contuliſti. Per.

ITEM ALIA MISSA PRO SACERDOTE.

DEus cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe pro anima famuli & ſacerdotis tui ill. preces noſtras, & lucis ei lætitiam, atque in regione ſanctorum tuorum ſocietatem concede. Per Dominum.

Super oblata.

Pro requie, Domine, animæ famuli tui ſacerdotis, ſuſcipe hoſtiam, quam te Deo Patri pro nobis obtuliſti benignam, ut quia cauſa hominum deſcendiſti de cœlis, te redeunte mereatur numerari ſanctorum conſortiis, qui cum Deo Patre.

Ad complendum.

Hæc nos communio, quæſumus Domine, purget à crimine, & animæ famuli & ſacerdotis tui ill. cæleſtis gaudii tribuat conſortium, ut ante thronum gloriæ Chriſti tui ſegregata cum dextris, nihil commune habeat cum ſiniſtris. Per.

Digitized by Google

Missa pro deffunctis fratribus.

DEus veniæ largitor & humanæ ſalutis amator, &c.

Super oblata.

Deus cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ, & animabus quibus tui nominis dediſti confeſſionem, per hæc ſacramenta ſalutis noſtræ cunctorum remiſſionem tribue peccatorum. Per.

Ad complendum.

Præſta quæſumus, miſericors Deus, ut animæ pro quibus ſacrificium laudis tuæ offerimus majeſtati, per hujus virtutem ſacramenti à peccatis omnibus expiatæ lucis perpetuæ, te miſerante recipiant beatitudinem. Per.

Missa pro deffuncta femina.

QUæſumus, Domine, pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ ill. & à contagiis mortalitatis exutam, in æternæ ſalvationis parte reſtitue. Per.

Super oblata.

His ſacrificiis, Domine, anima famulæ tuæ ill. à peccatis omnibus exuatur, ſine quibus à culpa nemo liber exiſtit, ut per hæc piæ placationis officia perpetuam miſericordiam conſequatur. Per.

Ad complendum.

Inveniat, quæſumus Domine, anima famulæ tuæ ill. lucis æternæ conſortium, cujus perpetua gratia conſecuta eſt ſacramentum. Per.

Missa pro uno deffuncto.

SUſcipe, piiſſime Deus, in ſinum patriatchæ Abrahæ animam famuli tui ill. eamque ſanctis & electis omnibus adjunge, nec ei noceat culpa carnis ad pœnam, ſed proſit illi tuæ miſeratio pietatis ad veniam. Per.

Super oblata.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris pro anima famuli tui ill. ill. pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, ut eam ſanctorum cœtibus conſociare digneris. Per.

Ad complendum.

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui ill. in congregatione juſtorum æternæ beatitudinis jubeas eſſe conſortem. Per.

Alia.

Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui ill. remiſſionem quam ſemper optavit mereatur percipere peccatorum. Per.

Digitized by Google

Missa plurimorum deffunctorum.

Deus cui proprium eſt miſereri & preces exaudire ſupplicantium, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum, ut te miſerante à peccatorum vinculis abſolutæ, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per.

Super oblata.

Hoſtias tibi, Domine, humili ſupplicatione pro animabus famulorum famularumque tuarum deferimus, ut per hæc ſalutis noſtræ ſacrificia perpetuam tuæ benedictionis miſericordiam conſequantur. Per.

Ad complendum.

Divina libantes ſacramenta, concede quæſumus omnipotens Deus, ut hæc eadem nobis proficiant ad ſalutem, & animabus pro quibus tuam deprecamur clementiam proſint ad indulgentiam. Per Dominum.

Alia.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium, præſta propitius, ut animæ famulorum famularumque tuarum à noſtræ mortalitatis tenebris abſolutæ in perpetua cum ſanctis tuis luce lætentur. Per.

Item missa alia.

Fidelium Deus omnium conditor, &c.

Super oblata.

Hoſtias quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quæſumus Domine, propitiatus intende, & quibus fidei Chriſtianæ meritum contuliſti, dones & præmium. Per.

Ad complendum.

Animabus, quæſumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat ſupplicantium, ut eas & à peccatis omnibus exuas, & tuæ redemptionis facias eſſe participes. Per.

Præfatio.

Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem ſalus mundi, per quem vita hominum, per quem reſurrectio mortuorum, per ipſum te, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui ill. cujus diem ill. celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternæ ſalvationis parte reſtituas. Per quem.

ORDO II.

Ex mſ. Pontificali Prudentii Trecenſis epiſcopi.

Cum anima in agone ſui exitus diſſolutione corporis viſa fuerit laborare, fratres conveniant omnes, & canantur ſeptem pœnitentiæ pſalmi, atque

agenda eſt letania, pro ut temporis permiſerit ratio, & ſecundum quod egreſſus ejus cauſa potuerit perſtici, vel æſtima-i.

CAPUT XV *In quo varii ad juv. &c.*

Sequitur oratio poſt letaniam.

Suſcipe, Domine, animam famuli tui N. in bonum. Libera eam ex omnibus periculis infernorum, & de laqueis pœnarum & ex omnibus tribulationibus tartari.

Libera, Domine, animam ejus ſicut liberaſti Enoch & Eliam, &c.

Sequitur ℟. Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat te Chriſtus, &c.

Quo finito, dicatur pro eo hac oratio ſive commendatio: Tibi, Domine, commendamus, &c.

Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, &c.

Si autem quicquam ſupervixerit; canantur alii pſalmi, ſive legantur Paſſiones Chriſti, vel iterum agatur letania uſquequo anima corpore terrena corruptionis abſolvatur, in cujus egreſſu dicatur antiphona: Suſcipiat te Chriſtus. *Pſalm.* In exitu Iſrael.

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori animam ad ſimilitudinem, &c.

Sequitur antiphona.

Chorus angelorum. *Pſal.* Dilexi quoniam. *Canantur & alii quatuor uſque* Ad Dominum cum tribularer clamavi.

Oratio.

Diri vulneris novitate percuſſi, &c.

Tunc roget ſacerdos orare pro eo dicens: Kyrie eleiſon. Pater noſter. Requiem æternam. Ne tradas beſtiis. Anima ejus in bonis. In memoria æterna. Non intres in judicium. A porta inferi. Surge, Domine, in requiem tuam.

Partem beatæ reſurrectionis obtineat, &c.

Oratio poſt lavatum corpus.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui N. revertentem ad te, &c.

Sequitur ℟. Paucitatem dierum. ℣. Ecce in pulvere ſedeo.

Oratio antequam de domo efferatur.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui N. quam de ergaſtulo, &c.

Deus cui competit medicinam præſtare poſt mortem, &c.

Tunc cum ℟. Subvenite ſancti Dei, *& aliis reſponſoriis deportetur ad eccleſiam, & cum appropinquatum fuerit; canitur pſalmus* Miſerere mei Deus, *cum antiphona* Requiem æternam. *Deinde in eccleſia ſervetur corpus defuncti, quoadusque pro ejus anima miſſa canatur.*

Oratio ad miſſam.

Quæſumus, Domine, &c.

Poſt celebrationem miſſæ ſtet ſacerdos cum cereis & incenſo juxta feretrum, & dicat hanc orationem. Oremus.

Non intres in judicium, &c. *Sequitur.* ℟. Subvenite. Kyrie. iij.

Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, &c. *Sequitur* ℟. Antequam naſcerer. Kyrie el. *ter.* Fac quæſumus, Domine, hanc cum famulo tuo, &c.

Tunc roget ſacerdos orare pro eo. Pater noſter. Requiem æternam. A porta inferi. *Sequitur oratio.* Inclina Domine aurem tuam, &c. *Et ſic levatur de eccleſia cum antiphona* Aperite illi portas. *Pſal.* Confitemini Domino. *Et deportetur uſque ad locum ſepulcri. Oratio ante ſepulcrum.* Piæ recordationis affectu, &c. *(Sequuntur plures antiphonæ pſalmi & orationes dicendæ ante & poſt ſepultum corpus, quibus ſubjungitur hac rubrica.)*

Die autem Dominico non celebrentur agenda mortuorum, nec nomina eorum recitentur ad miſſam; ſed tantum regum, vel principum, & ſacerdotum, vel pro omni populo chriſtiano oblata vel vota reddantur. Defunctorum autem qui moriuntur die Dominico Chriſtus Filius Dei, ipſe det eis requiem, qui ſemetipſum pro ipſis, vel pro univerſo generi humano hoſtiam obtulit. NOTA.

Miſſa pro defuncto in die tertio ſeptimo & trigeſimo.

ORDO III.

Ex mſ. libro Sacramentorum bibliotheca Colbertina n. 2585. qui fuit olim S. Dionyſii.

INCIPIUNT ORATIONES IN AGENDA MORTUORUM.

Cum anima in agone ſui exitus diſſolutione corporis ſui viſa fuerit laborare; convenire ſtudebunt fratres vel ceteri quique fideles, & canendi ſunt vij. pœnitentia pſalmi, ideſt duo Domine ne in furore tuo, *& duo* Domine exaudi, Beati quorum, *&* De profundis, *&* Miſerere mei Deus. *Atque agenda eſt letania, pro ut permiſerit ratio temporis, & ſecundum quod in cauſa egreſſuri perſpici poterit vel æſtimari. In fine autem poſtquam dicitur in letania:* Ut ad gaudia æterna nos perducere digneris, te rogamus, *additur pro eo qui defungitur :* Ut huic fratri noſtro de Ægyptia captivitate ad te revertenti locum refrigerii luciſque perpetuæ beatitudinis largiri digneris, te rogamus.

Finitis autem ſanctorum nominibus mox incipiatur ab omnibus reſponſum, Subvenite ſancti Dei. *Quo finito, dicat ſacerdos hanc orationem ſive commendationem pro eo.* *Oratio.*

Tibi, Domine, commendamus, &c. *Alia.* Miſericordiam tuam, Domine ſancte Pater, &c.

Si autem quiddam ſupervixerit, canantur alii pſalmi, vel agatur letania uſque quo anima terrena corruptionis abſolvatur, in cujus egreſſu dicatur antiphona, Suſcipiat te Chriſtus, &c. *Pſal.* In exitu Iſraël de Ægypto. *Sequitur oratio.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori animam &c.

Item antiphona: Chorus angelorum, *&c. Pſal.* Dilexi, *uſque* Ad Dominum cum tribularer. *Sequitur oratio.* Diri vulneris, &c.

Tunc roget pro eo orare epiſcopus:

Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam dona ei Domine. Anima ejus in bonis demorabitur. Et non intres in judicium. A

Digitized by Google

porta inferi. Partem beatæ reſurrectionis obtineat vitamque æternam habere mereatur in cælis. Per te Chriſte Jeſu, qui vivis.

Oratio.

Deus cui ſoli competit medicinam præſtare, &c.

Tunc lavatur corpus defuncti. Oratio poſt lavationem corporis antequam de domo efferatur. *Oratio.*

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui ill. quam de ergaſtulo, &c.

Tunc cum reſponſo Subvenite ſancti Dei, *& aliis reſponſis defunctorum deportatur. Et cum adpropinquatum fuerit eccleſiæ, canitur pſalmus* Miſerere mei Deus, *cum antiphona* Requiem æternam. *In eccleſia autem requieſcet corpus defuncti quoadusque pro ejus anima miſſa canatur, & offeratur ab omnibus quibus fuerit viſum.*

INCIPIUNT MISSALES ORATIONES.

QUæſumus, Domine, pro tua pietate, &c.

Super oblatam.

Animam famuli tui ill. ab omnibus vitiis, &c.

Poſtcommunio.

Proſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui ill. &c.

Poſt celebrationem denique miſſæ, ſtat ſacerdos juxta feretrum, & dicat hanc orationem.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, &c. *Sequitur reſponſum.* Subvenite ſancti Dei. ℣. Chorus angelorum, &c. *& ter* Kyrie eleiſon. *Oratio.* Deus cui omnia vivunt, &c. *Sequitur* ℟. Antequam naſcerer, &c. ℣. Commiſſa mea paveſco. *Et iterum.* Kyrie eleiſon. *Iterum oratio.* Fac quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto, &c.

Tunc roget pro eo orare. Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam. A porta inferi. *Oratio.* Inclina Domine aurem tuam, &c. *Et ſic elevatur de eccleſia cum antiphona* Aperite mihi portas juſtitiæ, *& pſal.* 117. Confitemini Domino quoniam bonus. *Et deportatur uſque ad ſepulcrum.*

Orationes ante ſepulcrum.

Piæ recordationis affectu, &c. *Sequitur antiphona.* Ingrediar in locum tabernaculi. *Pſal.* Quemadmodum. *Oratio.* Obſecramus miſericordiam, &c. *Sequitur antiphona.* Hæc requies mea. *Pſal.* Memento Domine David. *Oratio.* Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, &c. *Sequitur antiphona.* De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine probaſti me & cognoviſti me. *Et ponitur in ſepulcro corpus defuncti.*

Orationes poſt ſepultum corpus.

Oremus fratres cariſſimi pro ſpiritu cari noſtri ill. *Oratio.* Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, &c. *Alia.* Deus vitæ dator, &c. *Alia.* Deus qui humanarum animarum, &c. *Alia.* Deus qui juſtis ſupplicationibus, &c. *Alia.* Temeritatis quidem eſt, &c. *Alia.* Debitum humani corporis &c. *Tunc rogat pro eo orare ſacerdos, & dicit capitula ſingula ſicut ſupra. Et* Partem beatæ reſurrectionis. Requiem æternam. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Oratio.* Abſolve, quæſumus Domine, animam famuli, &c.

Miſſa pro defuncto epiſcopo.

Præſta quæſumus Domine, &c.

Miſſa pro defuncto ſacerdote.

Deus qui inter apoſtolicos, &c.

Miſſa pro pluribus defunctis.

Concede quæſumus, &c.

Miſſa in die depoſitionis. iij. vij. & xxx.

Quæſumus Domine, animæ famuli tui, &c.

Miſſa in anniverſario unius defuncti.

Deus indulgentiarum, &c.

Miſſa in cimiteriis.

Omnipotens ſempiterne Deus, &c.

ORDO IV.

Ex ms. codice Romaricenſi ante annos 600. exarato.

CUm anima in agone ſui exitus diſſolutione corporis viſa fuerit laborare: convenire ſtudeant fratres, & canendi ſunt ſeptem pœnitentiæ pſalmi cum letania iſta.

Parce, Domine, parce famulo tuo quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Chriſte audi nos. Pater de cælis Deus, miſere animæ ejus, Fili Redemtor, &c.

℟. Subvenite ſancti Dei, &c. ℣. Suſcipiat eam, &c.

Proficiſcere anima Chriſtiana, &c. Libera, Domine, animam famuli tui, &c. Deus ante cujus conſpectum defertur, &c. Oramus te, Domine, pro famulo tuo, &c. Deus qui in altis habitas, &c.

*Deinde lavetur corpus. Cantentur hi reſponſi. Tam ab his qui lavant *.* ℟. Libera me Domine, &c. ℣. Clamantes. ℟. Antequam naſceret. ℣. Commiſſa mea. ℟. Subvenite ſancti. ℣. Suſcipiat eam. *Antiph.* Suſcipiat te Chriſtus. *Pſal.* In exitu Iſraël. *Antiph.* Chorus angelorum. *Pſal.* Dilexi quoniam, *uſque* Ad Dominum cum tribularer.

* Videtur hic deeſſe *quam ab aliis*.

Antequam efferatur de domo mortuus.

Pio recordationis affectu, &c. Suſcipe, Domine, animam ſervi tui ad te, &c. Tu nobis Domine, auxilium præſtare, &c. Suſcipe, Domine, animam ſervi tui quam de ergaſtulo, &c. Non intrès in judicium, &c. Fac quæſumus, Domine, hanc cum famulo tuo defuncto, &c.

Deinde roget ſacerdos orare pro anima.

Pater noſter. Requiem æternam. In memoria æterna. Ne tradas beſtiis. Requieſcant in pace. Annue nobis, Domine, ut anima famuli, &c. Suſcipe, Domine, animam ſervi tui revertentem ad te, &c. Suſcipe, Domine, ſervum tuum in bonum, &c. Deus vitæ dator, &c. Deus qui humanarum animarum, &c. Deus cui proprium eſt miſereri, &c.

Poſtquam in feretro corpus poſitum fuerit; antequam efferatur de domo, cantent antiphonam, De terra plaſmaſti, &c. *Pſal.* In exitu. *Antiph.* Qui

poſuit animam, &c. *Pſal.* Jubilate Deo.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Poſtea portetur in eccleſia, & orent omnes communiter pro anima ejus; & cantentur miſſæ. Expletis autem miſſis ſequitur per ordinem juxta feretrum.

Obſecramus miſericordiam tuam, &c. ℞. Antequam naſcerer ℣. Commiſſa mea. Kyrie, Chriſte, Kyrie eleiſon. Omnipotentis Dei miſericordiam, &c. ℞. Suſcipiat eam. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Deum judicem univerſitatis, &c. ℞. Libera me Domine. ℣. Dies illa. Kyrie, Chriſte, Kyrie eleiſon. Deus qui univerſorum es creator, &c.

Hic roget ſacerdos orare pro anima ejus.

Pater noſter. Requiem æternam. In memoria æterna. Ne tradas beſtiis animam. Non intres. A porta inferi. Erue Domine.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces, &c. *Antiph.* In paradiſum, &c. *Pſal.* Ad te, Domine, levavi animam meam. Te, Domine ſancte, Pater omnipotens, &c. *Antiph.* Aperite illi portas. *Pſal.* Confitemini Domino. Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, &c. *Antiph.* Ingrediar, &c. *Pſal.* Quemadmodum deſiderat. Diri vulneris novitate. *Antiph.* Hæc requies, &c. *Pſal.* Memento Domine David.

Quando ponitur in ſepulcrum.

Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri, &c. *Antiph.* De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine probaſti me. Opus miſericordiæ tuæ ſancte Pater, &c. *Antiph.* Non intres. *Pſal.* Domine exaudi orationem. ij. Deus pietatis & bonitatis, &c. *Antiph.* Omnis ſpiritus. *Pſal.* Benedictus. Debitum humani corporis, &c. Exequias autem celebrantes, &c. Pater noſter. *Pſal.* Miſerere mei, *& preces.* Deus apud quem omnia morientia, &c. *Antiph.* Abſolve, Domine, *Pſal.* Miſerere. Pater noſter. Commendamus tibi, Domine, animam, &c. Temeritatis quidem eſt, Domine, &c. Deus origo pietatis, &c. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper hoc corpus.

ORDO V.

Ex ms. S. Victoris n. gg. 15. annorum circiter 500.

ORDO QUALITER AGENDUM SIT, QUANDO QUIS INGREDITUR VIAM UNIVERSÆ CARNIS.

CUm anima in agone exitus ſui laborare viſa fuerit, conveniant fratres, & primo vij. pſalmos, deinde letaniam hanc decantent.

Pater de cælis Deus, miſerere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miſerere animæ ejus, &c.

Mox legatur evangelium.

Sublevatis Jeſus oculis dixit Pater.

Tunc incipiatur ℞. Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat te Chriſtus qui creavit te. *Quo finito, dicat ſacerdos, hanc orationem.* Tibi, Domine,

Digitized by Google

commendamus, &c. Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, &c. ℟. Suſcipiat te Chriſtus, *Pſal.* In exitu Iſraël. *Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi, &c. *Antiphona.* Chorus angelorum te ſuſcipiat, &c. *Pſal.* Dilexi quoniam. *Oratio.* Diri vulneris, &c.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Tunc roget ſacerdos orare pro eo.

Pater noſter. Requiem æternam dona ei Domine. A porta inferi. Et non intres in judicium. *Oratio.* Deus, cui ſoli competit medicinam præſtare, &c. Partem beatæ reſurrectionis, &c.

*Et ſtatim lavetur corpus defuncti * ut poſt lavationem antequam de domo efferatur dicat ſacerdos.* Suſcipe, Domine, animam famuli tui, &c.

* f. Et

Tunc deportetur corpus cum ℟. Subvenite ſancti Dei, *& aliis reſponſoriis. Cum autem intrent eccleſiam, imponant antiphonam;* In paradiſum, &c. *Pſalm.* De profundis. *Oratio.* Quæſumus, Domine, pro tua pietate, &c.

In eccleſia autem requieſcat corpus, quo uſque pro anima miſſa celebretur. Poſt miſſam ſtatim ſacerdos ſubinferat ei dicens orationem. Non intres, &c. ℟. Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat te Chriſtus. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Alia.

Deus, cui omnia vivunt, &c. ℟. Heu mihi Domine. ℣. Anima mea. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Item alia.

Fac quæſumus, Domine, hanc cum ſervo tuo miſericordiam, &c.

Tunc roget ſacerdos orare pro eo.

Pater noſter. Requiem æternam dona ei, Domine. A porta inferi. *Oratio.* Inclina, quæſumus Domine, aurem tuam, &c.

Tunc elevetur corpus cum antiphona. Aperite illi portas, &c. *Pſal.* Confitemini Domino. *Oratio.* Piæ recordationis affectu. *Antiph.* Ingrediar in locum tabernaculi, &c. *Pſalm.* Quemadmodum. *Oratio.* Obſecramus miſericordiam tuam, &c. *Antiph.* Hæc requies mea, &c. *Pſalm.* Memento Domine. *Oratio.* Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, &c.

Deinde injiciat ſacerdos terram ter ſuper corpus cum antiphona. De terra plaſmaſti me. *Pſalm.* Domine probaſti. Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri, &c. *Antiph.* Animam de corpore. *Pſalm.* Credidi propter. *Oratio.* Deus qui juſtis ſupplicationibus, &c. *Alia.* Deus vitæ dator, &c. *Antiph.* Abſolve Domine. *Pſal.* De profundis. *Alia.* Deus qui humanarum animarum æternus amator es, &c. *Antiph.* Tuam Deus depoſcimus. *Pſal.* Voce mea. *Alia.* Deus qui juſtis ſupplicationibus. ℟. Libera me Domine, de morte æterna, &c. *Alia.* Temeritatis quidem eſt, Domine, &c. *Antiphona.* Ne intres in judicium. *Pſal.* Domine exaudi. *Oratio.* Debitum humani corporis, &c. *Antiph.* A porta inferi. *Pſal.* Ego dixi in dimidio. *Tunc roget ſacerdos orare pro eo.* Pater noſter. Et ne nos inducas. Requiem æternam. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Alia orat.* Deus qui univerſorum creator, &c. *Item alia oratio.* Abſolve Domine quæſumus, &c.

ORDO VI.

Ex mſ. Pontificali Saliſburgenſi.

INCIPIT OBSEQUIUM CIRCA MORIENTES, VEL QUALITER AGATUR CIRCA INFIRMUM MORTE DETENTUM.

Mox ut viderint infirmum ad exitum propinquare, communicandus eſt de ſacrificio ſancto, etiamſi comediſſet ipſo die, & faciant letaniam & antequam anima exeat de corpore. Dicat ſacerdos antiphonam.

Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die videbit Deum creatorem ſuum.

Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporum lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ januam aperis, pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ hujus termino non repellis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo piiſſime Pater quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude viriatum eſt, & unitati corporis eccleſiæ membrum redemtionis tuæ annecte. Miſerere gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per.

Tunc preſbyter det viaticum, & poſt hæc dicat hanc orationem.

Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & animam famuli tui gaudia æterna ſuſcipiant; ut quem feciſti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortem. Per.

Finita iſta oratione, incipiatur ab omnibus iſtud reſponſorium.

Subvenire ſancti Dei, occurrite angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu altiſſimi. ℣. Suſcipiat eam Chriſtus qui vocavit eam, & in ſinum Abrahæ angeli deducant eam. Offerentes.

Si autem quiddam ſupervixerit, canantur pſalmi, vel agatur letania, & poſt hanc dicatur hæc oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi animam ad ſimilitudinem tuam inſpirare dignatus es, dum te jubente pulvis in pulverem revertitur; tu imaginem tuam cum ſanctis & electis tuis æternis ſedibus præcipias ſociari, eamque ad te revertentem de Ægypti partibus blande leniterque ſuſcipias, & angelos tuos ſanctos ei obviam mittas, viamque illi juſtitiæ demonſtra, & portas gloriæ tuæ aperi. Repelle, quæſumus, ab ea omnes principes tenebrarum, & agnoſce depoſitum fidele quod tuum eſt. Suſcipe, Domine, creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, ſed à te ſolo vivo & vero Deo, quia non eſt alius præter te, Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica, clementiſſime Deus, animam famuli tui N. & clarifica eam in multitudine miſericordiæ tuæ. Ne memineris iniquitatum antiquarum & ebrietatum, quas

ſuſcitavit furor mali deſiderii : licet enim peccaverit, tamen te non negavit, ſed ſigno fidei inſignitus, te qui omnia feciſti, fideliter adoravit. Qui venturus es.

Item antiphona poſt exitum animæ.

Chorus angelorum te ſuſcipiat, & in ſinum Abrahæ ibi te collocet, ut cum Lazaro quondam paupere dones ei æternam requiem. *Pſal.* Dilexi quoniam *uſque ad* Ad Dominum; *& ita per ordinem ſi ſuppetit tempus uſque ad* Super flumina; *& ſi amplius neceſſe eſt uſque ad finem pſalmorum. Deinde oratio.*

Diri vulneris novitate perculſi, & quodammodo cordibus ſauciati, miſericordiam tuam, mundi Redemptor, flebilibus vocibus imploramus, ut animam cari noſtri ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, revertentem blande leniterque ſuſcipias; & quas illa ex carnali commercio contraxit maculas, tu Deus inclita bonitate clementer deleas, pie indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc laudem tibi cum ceteris reddituram, & ad corpus quandoque reverſuram ſanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias. Qui cum Patre.

Tunc roget ſacerdos omnes pro eo orare, & ipſe & omnes dicant Kyrie eleiſon, *&* Pater noſter. Et ne nos inducas. In memoria æterna erit juſtus. Anima ejus in bonis demorabitur. Ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi. Requiem æternam dona eis, Domine. Partem primæ reſurrectionis obtineant, vitamque mereantur habere.

Oratio.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat, & ſi qua pro fragilitate carnis peccata in mundi converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per.

Oratio.

Deus cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem: præſta quæſumus, ut anima famuli tui terrenis exuta contagiis in tuæ redemtionis parte muneretur. Per.

Oratio.

Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius; te ſupplices deprecamur ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui N. per manus ſanctorum angelorum tuorum deducendam in ſinum amici tui Abrahæ patriarchæ reſuſcitandam in noviſſimo magni judicii die, & quicquid vitiorum (fallente diabolo) contraxit, tu pius & miſericors ablue indulgendo. Per.

Tunc imponant iſtam antiphonam.

Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te & in ſinum Abrahæ angeli deducant te. *Pſal.* In exitu, *& preces ut ſupra. Et roget iterum ſacerdos omnes pro eo orare.*

Suſcipe, Domine animam famuli tui N. quam de ergaſtulo hujus ſæculi vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, ut abſolutus omnium vinculo delictorum, quietis ac-

lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter ſanctos & electos tuos in reſurrectionis gloria reſuſcitari mereatur. Per.

Alia.

Ne intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quoniam nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum tribuatur remiſſio. Non ergo eum tua, quæſumus, judicabilis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Poſtea elevetur corpus, & ponatur in feretrum, proſequente ſacerdote iſtas orationes cum precibus:

Requiem æternam dona ei, Domine. ℟. Et lux.

Suſcipe, Domine, animam famuli tui N. ad te revertentem, & veſte cæleſti indue eam, & lava eam ſancto fonte vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, & inter ſapientes ſapiat, & inter martyres Chriſti coronam accipiat, & inter patriarchas & prophetas proficiat, & inter apoſtolos Chriſtum ſequi ſtudeat, & inter angelos & archangelos claritatem Dei videat, & inter viginti quatuor ſeniores cantica canticorum audiat, & inter lavantes ſtolas ſuas in fonte luminis veſtem ſuam lavet, & inter pulſantes pulſans portas apertas cæleſtis Jeruſalem reperiat, & inter videntes Deum facie ad faciem videat, & inter canentes canticum novum cantet, & inter audientes cæleſtem ſonum audiat. Per.

Alia.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui in bonum habitaculum, & da ei requiem æternam & regnum, id eſt Jeruſalem cæleſtem, & in ſinibus patriarcharum tuorum Abrahæ, Iſaac, & Jacob collocare digneris, & partem habeat in prima reſurrectione, & inter reſurgentes reſurgat, & inter ſuſcipientes corpora in die reſurrectionis corpus ſuum ſuſcipiat, & cum benedictis ad dexteram Dei venientibus veniat, & inter poſſidentes vitam æternam poſſideat. Per.

Alia.

Te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritu famuli tui N. quem ab originibus hujus ſæculi ad te accerſiri præcepiſti, ut digneris, Domine, dare ei locum lucidum, locum refrigerii & quietis; liceat ei tranſire portas infernorum & pœnas tenebrarum, maneatque in manſionibus ſanctorum & in luce ſancta, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus. Nullam læſionem ſuſtineat ſpiritus ejus, ſed cum magnus ille judicii dieſque reſurrectionis ac remunerationis advenerit, ſuſcitare eum digneris, Domine, una cum ſanctis & electis tuis, deleaſque ejus delicta atque peccata uſque in noviſſimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam conſequi mereatur. Per.

Et antequam egrediatur domum, facto ſigno, collectiſque fratribus, dicat ſacerdos hanc orationem.

CAPUT XV. *In quo varia ad hav. &c.*

Deus vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui te à peccatoribus exorari voluiſti; exaudi preces quas ſpeciali devotione pro anima famuli tui tibi lacrymabiliter fundimus, ut liberare eam ab infernorum cruciatibus, & collocare inter agmina ſanctorum tuorum digneris, veſte quoque cæleſti, & ſtola immortalitatis indui, & paradiſi amœnitate confoveri jubeas. Per.

Tunc ferent corpus in eccleſiam unanimi voce cantantes antiphonam.

In paradiſum deducant te angeli, in tuo adventu ſuſcipiant te martyres, & perducant te in civitatem ſanctam Jeruſalem. *Pſal.* Ad te Domine levavi

Tu juſſiſti naſci me, Domine, tu promiſiſti ut reſurgam, juſſu tuo veniant ſancti, ne derelinquas me quia pius es. *Pſal.* Te decet.

Et cum appropinquatum fuerit ad eccleſiam, cantetur pſalmus Miſerere mei Deus ſecundum, *cum antiphona* Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.

In eccleſia autem requieſcat corpus defuncti quo uſque agantur vigiliæ, ſed ante celebrationem vigiliarum ſtet ſacerdos juxta feretrum, & dicat hanc orationem.

Fac, quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut ſicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum tua miſeratio ſociet angelicis choris. Per.

Alia.

Omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur, cujus judicio & naſcimur & finimur, ut ſpiritum fratris noſtri, quem Domini pietas de incolatu mundi hujus tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat, & cum beata reſurrectione repræſentet, & in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob collocare dignetur. Per.

Alia.

Deus qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui, quam vera dum in corpore maneret tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem; ut ſegregata ab infernalibus clauſtris, ſanctorum mereatur adunari conſortiis. Per.

ANTIPHONÆ ET LECTIONES AC RESPONSORIA AD VIGILIAS DEFUNCTI.

Antiph. Dirige, Domine, &c. *Pſalm.* Verba mea. *Antiph.* Convertere, &c. *Pſal.* Domine ne in furore. *Antiph.* Nequando, &c. *Pſal.* Domine, Deus meus. ℣. Dirige Domine Deus meus. ℟. In conſ. Pater noſter.

Parce mihi, Domine, nihil enim ſunt dies mei, *&c. uſque* non ſubſiſtam. Beati mortui. ℟. Credo quod Redemtor, &c. Quem viſurus, &c. Tædet animam vitæ meæ *&c. uſque* de manu tua poſſit eruere. Beati. ℟. Qui Lazarum, &c. ℣. Qui venturus es,

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Manus tuæ fecerunt me, *&c. uſque* cuſtodivit ſpiritum meum. Beati. ℟. Domine quando veneris, &c. ℣. Commiſſa mea.

Antiph. In loco paſcuæ, &c. *Pſal.* Dominus regit me. *Antiph.* Delicta juventutis, &c. *Pſal.* Ad te Domine levavi. *Antiph.* Credo videre, &c. *Pſal.* Dominus illuminatio. ℣. Delicta juventutis.

Reſponde mihi quantas habeo iniquitates, *&c. uſque* comeditur à tinea. Beati. ℣. Heu mihi Domine, &c. ℣. Anima mea turbata, &c.

Quis mihi hoc tribuat *&c. uſque* ſed parcis peccatis meis. Beati. ℟. Ne recorderis, &c ℣. Dirige.

Spiritus meus attenuabitur, *&c. uſque* ubi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientia mea. Tu es Domine Deus meus. ℟. Peccantem, &c. Deus in nomine, &c.

Antiphona. Ne derelinquas me, Domine, Deus meus ne diſceſſeris à me. *Pſal.* Domine ne in furore. *Antiph.* Sana Domine. *Pſal.* Beatus qui intelligit. *Antiph.* Sitivit anima mea, &c. *Pſal.* Quemadmodum. ℣. Ego dixi Domine miſerere mei. Sana animam meam.

Ergo, dilectiſſimi, cum ſacrificium altaris ſive quarumcumque eleemoſynarum pro defunctis omnibus baptizatis offertur, quamvis pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt, quibus aut proſunt: quod utique credimus, quia omnibus, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior fiat damnatio. Poſt reſurrectionem vero, facto univerſo completoque judicio, ſuos fines habebunt civitates duæ; una Chriſti, altera diaboli; una bonorum, altera malorum; utraque tamen & angelorum & hominum. Iſtis voluntas, illis facultas non poterit ulla eſſe peccandi, vel ulla conditio moriendi: iſtis in æterna vita vere fideliterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durantibus, quo utrique ſine fine, ſed in beatitudine iſti alius alio præſtabilius, in miſeria vero alius alio tolerabilius permanebunt. Beati.

℟. Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. ℣. Qui Lazarum reſuſcitaſti de monumento fœtidum, tu eis Domine dona requiem. Et.

Conſolemur ergo in his ſermonibus noſtris invicem. Non poteſt enim non dolere cor humanum defunctis cariſſimis, ſed melius dolet, & ſub ſpe reſurrectionis ſanetur cor humanum, ne non dolendo ſit inhumanum. Maria Domino cohærebat, & mortuum fratrem dolebat. Sed quid mirum, quia Maria dolebat tunc, cum ipſe Dominus flebat. Movere quemvis poteſt, quomodo fleret mortuum ſe continuo jubente victurum. Non mortuum flebat, quem ipſe ſuſcitavit, ſed mortem, quam ſibi homo peccando comparavit. Si enim peccatum non præceſſiſſet, ſine dubio mors ſecuta non fuiſſet. Secuta eſt mors corporis, quia præceſſit mors animæ. Mors animæ præceſſit deſerendo Deum, & mors corporis ſecuta eſt, corpus deſerente anima. Deſeruit volens, & coacta eſt deſerere nolens, tamquam illi diceretur: Receſſiſti ab eo, quem diligere debuiſti, recede ab eo quem dilexiſti. Sed quia voluntarie initiati

ſumus mortem, & carnali morte Domini noſtri Jeſu Chriſti redemti ſumus quaſi ingrati, conſolemur nos, & firma ſpe teneamus, quod qui dignatus eſt nobis commori, dignabitur & nos ſecum poſt mortem carnis ad æternæ vitæ gloriam ſuſcitare. Beati.

℟. Quomodo confitebor tibi, Domine, Deus meus, quando veneris in judicio tuo: qui cor meum mundum non cuſtodivi, animam meam in carne poſitam pollui, templum corporis mei de opere iniquitatis coinquinavi: Precor te, Domine, antequam diſcutias me, miſerere mei. ℣. Tibi ſoli peccavi, Domine, miſerere mei.

Egregius namque conſolator & prædicator apoſtolus, inquit: Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & gentes, quæ ſpem non habent. Non tantum, ait: ne contriſtemini, ſed ut non ſic contriſtemini, quemadmodum gentes quæ ſpem non habent. Neceſſe eſt ut contriſtemini; ſed ubi? Ubi corpus quod vivit ex anima fit exanime, quo diſcedente anima, qui ambulabat jacet, oculi lucem non capiunt, aures nulla voce paveſcunt, omnia membrorum officia conquieverunt. Sed iſta cauſa triſtitiæ, hujus vero triſtitiæ quæ conſolatio? Quia ipſe Dominus in juſſu & in voce archangeli & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Pereat contriſtatio ubi tanta eſt conſolatio: detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem: in tanta ſpe non debet eſſe triſte templum Dei. Ibi habitat bonus conſolator, ibi qui non fallit promiſſor. Sufficiant hæc caritati veſtræ, conſoletur vos abundantius, qui non migrat de corde veſtro paraclitus Spiritus-ſanctus, cui cum Patre, & Filio, ſemper eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Beati.

℟. Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando cæli movendi ſunt & terra, dum veneris judicare ſæculum per ignem. ℣. Tremefactus ſum ego, & timeo, cum diſcuſſio venerit atque ventura ira. Quando.

Ad matutinos.

Antiph. Exultabunt, &c. *Pſal.* Miſerere mei. *Antiph.* Exaudi Domine, &c. *Pſal.* Te decet. *Antiph.* Me ſuſcepit, &c. *Pſal.* Deus Deus meus. Deus miſereatur. *Antiph.* A porta inferi, &c. *Pſal.* Ego dixi. *Antiph.* Omnis ſpiritus. *Pſal.* Laudate Dominum de cælis. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua. *Antiph.* Ego ſum, &c. *Pſal.* Benedictus Dominus Deus.

Ad veſperas.

Antiph. Placebo, &c. *Pſal.* Dilexi. *Antiph.* Hei me quia. *Pſal.* Ad Dominum. *Antiph.* Deus cuſtodit te. *Pſal.* Levavi oculos. *Antiph.* Si iniquitates. *Pſal.* De profundis. *Antiph.* Opera manuum, &c. *Pſal.* Confitebor. *Antiph.* Omne quod dat. *Pſal.* Magnificat.

Quibus peractis, deputandi ſunt qui ipſum corpus cuſtodiant quo uſque pro ipſa anima miſſæ celebrentur cum oblationibus, corpore interim in eccleſia

Digitized by Google

CAPUT XV
In quo varii ad juv. &c.

jacente. Finita autem miſſa, antequam ipſum corpus elevetur, incipiat cantor reſponſorium.

Subvenite ſancti Dei, occurrite angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat eam Chriſtus qui vocavit eam, & in ſinum Abrahæ angeli deducant eam. Offerentes.

Hic dicant omnes ſimul Kyrie eleiſon, *& orationem Dominicam.* Pater noſter. Et ne nos. Requiem æternam dona eis Domine, & lux.

Oratio.

Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro noſtris ſupplicare peccatis nequaquam ſufficimus: tamen de tua confiſi gratuita pietate clementiam tuam depoſcimus, ut animam ſervi tui ad te revertentem cum pietate ſuſcipias. Aſſit ei angelus Gabriel, ut per manus ſanctorum angelorum tuorum inter ſanctos & electos tuos in finibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob, patriarcharum tuorum eam collocare digneris, quatenus liberata de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, nullis jam primæ nativitatis vel ignorantiæ, aut propriæ iniquitatis ſeu fragilitatis confundatur erroribus; ſed potius agnoſcatur à tuis, & ſanctæ beatitudinis requie perfruatur, atque cum magni judicii dies advenerit, inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus, gloria manifeſtæ contemplationis tuæ perpetuo ſacietur. Per.

Deinde ſequatur ℟. Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum, & dediſti eis lumen, ut viderent te qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes & dicentes, veniſti Redemtor noſter. Qui.

Deinde roget ſacerdos pro eo omnes ſimul orare, ac poſtea dicat: Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quoniam nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum tribuatur remiſſio. Non ergo eum tua, quæſumus, judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis. Per.

Sequitur reſponſorium. Antequam naſcerer, noviſti me, & ad imaginem tuam, Domine, plaſmaſti me: modo reddo tibi creatori animam meam. ℣. Commiſſa mea, Domine, paveſco, & ante te erubeſco, dum veneris judicare ſæculum per ignem. Modo.

Iterum roget ſacerdos omnes pro eo orare.

Deus qui univerſorum es conditor & creator, quique es ſanctorum beatitudo: præſta nobis petentibus, ut ſpiritum fratris noſtri à corporeis nexibus abſolutum, in ſanctorum tuorum reſurrectione facias præſentari. Per.

Tunc levatur corpus de eccleſia cantando iſtam antiphonam.

In paradiſum deducant te angeli, in tuo adventu ſuſcipiant te martyres, & perducant te in civitatem ſanctam Jeruſalem. *Pſal.* Ad te Domine levavi.

Digitized by Google

Sequitur oratio.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras quibus miſericordiam tuam ſuppliciter deprecamur, ut animam famuli tui, quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per.

Deinde antiphona. Tu juſſiſti naſci me, Domine. *Pſal.* Te decet hymnus Deus.

Oratio ante ſepulcrum priuſquam corpus ſepeliatur.

Piæ recordationis affectu, fratres cariſſimi, commemorationem facimus fratris noſtri, quem Dominus de tentationibus hujus ſæculi aſſumpſit: obſecrantes miſericordiam Domini noſtri, ut ipſe ei tribuere dignetur placidam & quietam manſionem, & remittat ei omnes lubricæ temeritatis offenſas, ut conceſſa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc ſæculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate tua deleat & abſtergat. Per.

Alia.

Obſecramus miſericordiam tuam omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut ſpiritum & animam famuli tui, quem hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accerſiri juſſiſti, blande & miſericorditer ſuſcipias. Non ei dominentur umbræ mortis, nec tegat eum chaos, & caligo tenebrarum, ſed exutus omnium criminum labe, in ſinu Abrahæ collocatus patriarchæ, locum lucis & refrigerii ſe adeptum eſſe gaudeat, & cum dies judicii advenerit, cum ſanctis & electis cum reſuſcitari jubeas. Per.

Tunc incipiat cantor antiphonam: Aperite illi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam *Pſal.* Confitemini.

Oratio.

Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, & in quo electorum animæ depoſito carnis onere plena felicitate lætantur, præſta ſupplicationibus noſtris, ut anima famuli tui, quæ temporali per corpus luminis ejus viruit viſu, æternæ illius lucis ſolatio potiatur. Non eam tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ viſionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena conſtringat, ſed conceſſa tibi delictorum omnium venia optata quietis conſequatur gaudia repromiſſa. Per.

Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris, tu opem miſericordiæ tuæ largiaris, Spiritum etiam famuli tui cari noſtri, vinculis corporalibus liberatum in pace ſanctorum tuorum ſuſcipias, ut locum pœnalem & gehennæ ignem flammaſque tartari in regione viventium evadat. Per.

Hic deponatur corpus in ſepulcrum, & cantetur hæc antiphona:

Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. *Pſal.* Quemadmodum.

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Oratio.

Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu fratris noſtri, quem Dominus de laqueo hujus ſæculi liberare dignatus eſt, cujus corpuſculum hodie ſepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Jacob, collocare dignetur; ut cum dies judicii advenerit, inter ſanctos & electos ſuos in parte dextera collocandum reſuſcitari faciat. Per.

Antequam claudatur ſepulcrum.

De terra plaſmaſti me, & carnem induiſti me, Redemtor meus, Domine, reſuſcita me in noviſſimo die. *Pſal.* Domine probaſti me.

Oratio.

Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intueri: da famulo tuo cujus depoſitioni hodie officia humanitatis exhibemus, cum ſanctis fidelibus tuis beati muneris portionem. Per.

Alia oratio.

Deus pietatis & bonitatis invictæ & ſempiternæ clementiæ, te ſuppliciter poſtulamus, ut animam famuli tui N. quam de hujus ſæculi ærumnoſa peregrinatione præcepiſti vocari, univerſorum delictorum remiſſione percepta in Abrahæ gremio jubeas collocari. Obſecramus, piiſſime Pater, ut quem ſuperni fontis genitalis unda abluit, edax non audeat contingere flamma, & quem Unigeniti tui cruor redemit effuſus, non ſinatur vermibus noceri perpetuis; ſed angelici agminis deductione protectus, paradiſi tui potiatur ſuavitate ſecurus, & inter victricium triumphales catervas coronatus incedat, à dextris Filii tui retributionem recepturus aſſiſtat, & ſanctorum tuorum conſortio deputatus regnum cæleſte poſſideat. Per.

Hic claudant ſepulcrum, & cantent hanc antiphonam.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. *Pſal.* Memento Domine David.

Oratio.

Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes; Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur, ut hoc corpus cari noſtri à nobis in infirmitate ſepultum, in ordine ſanctorum ſuorum reſuſcitet, & ejus ſpiritum ſanctis ac fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur. Per.

Temeritatis quidem eſt, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo noſtro audeat commendare: ſed quia terra ſuſcipit terram, & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in ſuam redigatur originem: Inde tuam, piiſſime Pater, lacrymabiliter quæſumus pietatem, ut hujus famuli tui animam quam hujus mundi voragine cœnolenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui ſinu recipias, & refrigerii rore perfundas. Sit ab æſtuantis gehennæ truci incendio ſegregatus, & beatæ requiei (te donante) conjunctus. Et ſi quæ illi ſunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ: tu eas gratia mitiſſimæ lenitatis

lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, ſed indulgentiæ tuæ piam ſentiat bonitatem, cumque finito mundi termino, ſupernum cunctis illuxerit regnum, novus homo omnium ſanctorum, cœtibus aggregatus, cum electis reſurgat in parte dextra coronandus. Per.

Exequiis rite celebratis, membris in tumulo ex more compoſitis, poſt exitum Iſraël de Ægypto, deprecamur clementiam Dei Patris pro ſpiritu cari noſtri N. quem Dominus de laqueo hujus mundi liberavit. Cui poſſe ubique eſt & poteſtas, innumerabiles habens divitias ſpirituales, ſpiritui hujus ſubveniat ſublimis Dominus, ut ardore careat æterni ignis, adepturus perpetui regni refugium coram ſuo rege, gratificetur in gaudio genitali, ſublimi ſolio patrum præ electorum in medio juſtorum, in ſplendoribus ſanctorum, in ſede majeſtatis magnæ, in lumine regionis vivorum. Per.

Alia.

Deus qui redemtor es animarum æternitatem vitæ concede defuncto, neque evacuari paſſionis triumphum mundi morte patiaris. Per.

Alia.

Deus qui omnium habes poteſtatem, & noſti omnia antequam fiant, da reſtaurationem huic ſepulto, & reſurgentibus in te largire quietem, & tibi Domino Deo noſtro qui ſunt renati, præſta ut ſecunda mors in eis non habeat poteſtatem Salvator.

Alia.

Migranti famulo tuo, Deus, in nomine tuo de hac inſtabili vita & tam incerta, ſempiternam illi vitam ac cæleſtem concedere digneris. Per.

Commendamus tibi, Domine, animam fratris noſtri, precamurque ut propter quam ad terram tua pietate deſcenderas, patriarcharum tuorum ſinibus eam inſinuare non renuas, ſed misereris ei vivens & regnans in ſæcula ſæculorum.

Sequitur antiphona.

Læto animo pergo ad te, ſuſcipe me, Domine; quia de terra plaſmaſti me, ſpiritus de cælo introivit in me juſſu tuo, veni ut commendes terræ corpus meum: animam quam dediſti ſuſcipe illam Deus.

Oratio.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium: præſta propitius, ut anima famuli tui à noſtræ mortalitatis tenebris abſoluta in perpetua cum ſanctis tuis luce lætetur. Per.

Alia.

Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui N. remiſſionem quam ſemper optavit mereatur accipere peccatorum. Per.

Deinde ſacerdos faciat crucem ſuper ſepulcrum dicendo:

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper hoc corpus. ℟. Amen.

Similiter & reliqui presbyteri ſinguli facientes crucem ſuper ſepulcrum dicant: Signum Chriſti ſit ſuper te. *Omnibus autem reſpondentibus* Amen.

Iiii

regrediantur ad eccleſiam cum hoc ℟. Si bona ſuſcepimus. *Deinde ſequatur oratio.*

CAPUT XV. *In quo vari ad juv. &c.*

Deus origo pietatis, Pater miſericordiarum, ſolamen triſtium, indultor criminum, de cujus munere omne quod bonum dicitur procedit: teſpice propitius ſupplicum preces, & quamvis nos propria deputet indignos conſcientia, te dignum noſtris flecti petitionibus pulſamus, quantulumcumque conceditur, aures tuæ pietatis. Nam ſi omittimus, in utroque veremur eſſe rei, quoniam & te præcipis à peccatoribus exorari, noſtroque, ac ſi non merito hoc agendum, te præſtante, tribuitur miniſterio. Ergo Domine ſanĉte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui unicum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum incarnari de Virgine conſtituiſti, quo vetuſtum ſolveret proprio cruore peccatum, quique, gratia cooperante Spiritus-ſancti, dignatus eſt mortis legem pati, ut vitam redderet mundo. Ipſo opitulante animam fratris noſtri ab ergaſtulo cænulentæ materiæ exemptam ab omnibus piaculis abſolvas, non patiatur inſidias occurſantium dæmonum, propter quam miſiſti ad terras unicum Filium tuum. Libera & abſolve eam à tetra voragine inferni, quam redemiſti pretio ſanguinis unigeniti tui. Libera & abſolve eam ab æituantis incendio gehennæ, collocans in paradiſi amœnitate. Non ſentiat, piiſſime Pater, quod calet in flammis, quod ſtridet in pœnis, ſed miſericordia tuæ magnificentiæ præventa, mereatur evadere judicium ultionis, & beatæ requiei ac lucis æternæ felicitatibus perfrui, præſtante eodem unigenito tuo Domino noſtro, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Ac deinde

Anima ejus & omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen.

ORDO VII.

Ex ms. codice Gemmiticenſi tempore Theodorici abbatis exarato.

INCIPIT ORDO QUALITER ERGA INFIRMUM MORTI PROXIMUM AGATUR.

Mox ut eum viderint ad exitum propinquare communicandus eſt de ſacrificio ſancto, etiamſi comediſſet ipſa die: quia communio erit ei defenſio & adjutorium in reſurrectione juſtorum & ipſa eum ſuſcitabit. Poſt communionem perceptam legendæ ſunt paſſiones Dominicæ ante corpus jacentis infirmi, ſive à ſacerdotibus, ſive à diaconibus quouſque anima egrediatur. Similiter pſalterium ſine intermiſſione ante eum canatur.

Ordo in exitu animæ.

Cum anima in exitus ſui diſſolutione corporis viſa fuerit laborare, conveniant fratres vel cæteri quique fideles & canendi ſunt ſeptem pſalmi pœnitentiales cum letania infra ſcripta dicendo capitulum. Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioſo ſanguine tuo: ne in æternum iraſcaris ei. *Hoc dicatur tribus vicibus tam à ſacerdote quam à toto conventu.*

Pater de cælis Deus,	Miſerere animæ famuli tui.
Fili Redemptor mundi Deus,	miſerere animæ famuli tui.
Spiritus ſancte Deus,	miſerere animæ famuli tui.
Sancta Trinitas unus Deus,	miſerere animæ ejus.
Qui es trinus & unus,	miſerere animæ ejus.
Sancte Sanctorum Deus,	miſerere animæ ejus.
Ipſe idemque benignus Deus,	miſerere animæ ejus.
Sancte Salvator mundi Deus,	miſerere animæ ejus.
S. Maria,	intercede pro anima ejus.
S. Dei genitrix,	intercede pro anima ejus.
S. Virgo Virginum,	intercede pro anima ejus.
S. Michael,	intercede pro anima ejus.
S. Gabrihel,	intercede pro anima ejus.
S. Raphael,	intercede pro anima ejus.
S. Johannes,	intercede pro anima ejus.
SS. Innocentes & glorioſi martyres Chriſti,	intercedite pro anima ejus.
S. Petre,	intercede pro anima ejus.
S. Paule,	intercede pro anima ejus.
S. Andræa,	intercede pro anima ejus.
S. Jacobe,	intercede pro anima ejus.
S. Johannes,	intercede pro anima ejus.
Omnes Sancti Apoſtoli,	intercedite pro anima ejus.
S. Srephane,	intercede pro anima ejus.
S. Benigne,	intercede pro anima ejus.
S. Laurenti,	intercede pro anima ejus.
S. Vincenti,	intercede pro anima ejus.
Omnes Sancti Martyres,	intercedite pro anima ejus.
S. Silveſter,	intercede pro anima ejus.
S. Martine,	intercede pro anima ejus.
S. Benedicte,	intercede pro anima ejus.
Omnes Sancti Confeſſores,	intercedite pro anima ejus.
S. Felicitas,	intercede pro anima ejus.
S. Perpetua,	intercede pro anima ejus.
S. Scolaſtica,	intercede pro anima ejus.
S. Paſchaſia,	intercede pro anima ejus.
Omnes ſanctæ Virgines,	intercedite pro anima ejus.

Digitized by Google

Omnia ſancta agmina Sanctorum, intercedite pro anima ejus.
Omnes ſancti Patriarchæ, intercedite pro anima ejus.
Omnes ſancti Prophetæ, intercedite pro anima ejus.
Omnes ſancti Evangeliſtæ, intercedite pro anima ejus.
Omnes ſancti Monachi, intercedite pro anima ejus.
Omnes ſancti electi Dei, intercedite pro anima ejus.
Propitius eſto, Parce & dimitte ei peccata ſua Domine.
Propitius eſto, dele omnes iniquitates ejus, Domine.
Propitius eſto, libera & defende animam ejus, Domine.
Ab omni malo, libera animam ejus, Domine.
A laqueis diaboli, libera animam ejus, Domine.
Ab hoſte malo, libera animam ejus, Domine.
A poteſtate dæmonum, libera animam ejus, Domine.
Ab omnibus inſidiis malignantium, libera animam ejus, Domine.
A timore inimicorum, libera animam ejus, Domine.
Ab ira tua, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Incarnationem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Nativitatem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Circumciſionem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Apparitionem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctum Baptiſmum tuum, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Paſſionem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam piiſſimam Mortem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſanctam Deſcenſionem tuam ad inferos, libera animam ejus, Domine.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per adventum Spiritus ſancti Paracliti, libera animam ejus, Domine.
Per magnitudinem adventus tui, libera animam ejus, Domine.
Per ineffabilem potentiam tuam, libera animam ejus, Domine.
Per beatiſſimam genitricem tuam, libera animam ejus, Domine.
Per ſuffragia angelica, libera animam ejus, Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut animam famuli tui de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, liberare digneris, te rogamus audi nos.
Ut cuncta ejus peccata oblivioni perpetuæ tradere digneris, te rog.
Ut omnia vincula peccatorum ejus abſolvere digneris, te rog.
Ut omnes lubricæ temeritatis offenſas dimittere digneris, te rog.
Ut delicta juventutis ejus & ignorantiæ ne reminiſcaris, te rog.
Ut quidquid vitiorum, fallente diabolo, contra te, ei clementer indulgere digneris, te rogamus audi nos.
Ut eum ab inferorum cruciatibus liberare digneris, te rogamus.
Ut tua gratia ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, te rogamus audi nos.
Ut remiſſionem peccatorum quam ſemper optavit te largiente me-

reatur percipere, te rogamus audi nos.
Ut ei placidam & quietam manſionem tribuere digneris, te rogamus.
Ut eum in pacis ac lucis regione conſtituere digneris, te rogamus.
Ut ei quietis beatitudinem & luminis claritatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Ut beatæ requiei te donante mereatur habere conſortium, te rogamus.
Ut ei pacem & ſocietatem in regno tuo cum ſanctis & electis tuis donare digneris, te rogamus audi nos.
Ut ei ſanctum & glorioſum ac deſiderabilem vultum tuum placabilem oſtendere digneris, te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere animæ ejus. Chriſte Jeſu, miſerere animæ ejus.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona ei pacem, æternamque felicitatem, & gloriam ſempiternam.
Chriſte audi nos, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

℟. Subvenite, ſancti Dei, occurrite angeli Domini ſuſcipientes animam ejus offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat te Chriſtus qui vocavit & in ſinu Abrahæ angeli deducant. Offerentes.

Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo in nomine Dei Patris omnipotentis, &c.

Suſcipe, Domine, ſervum tuum in bonum.

Libera, Domine, animam ſervi tui de omnibus periculis infernorum & de laqueis pœnarum & de omnibus tribulationibus. Libera, Domine, animam ſervi tui ſicut liberaſti Enoc & Eliam de communi morte mundi, &c.

Deinde lavent corpus, & inter lavandum hæc reſp. canantur Libera me Domine, de viis.

℣. Clamantes & dicentes.

℟. Antequam naſcerer noviſti me.

℣. Commiſſa mea.

Antiph. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit.

Pſal. In exitu Iſrahel.

Antiph. Chorus angelorum te ſuſcipiat.

Pſal. Dilexi quoniam, *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer.

Orationes.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui revertentem ad te: veſte cæleſti indue eam, & lava eam ſancto fonte vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, & inter ſapientes ſapiat, & inter martyres coronata conſedeat, & inter patriarchas & prophetas proficiat, & inter apoſtolos Chriſtum ſequi ſtudeat, & inter angelos & archangelos claritatem Dei ſemper videat, & inter paradiſi rutilos lapides gaudium poſſideat, & notitiam myſterii Dei agnoſcat, & inter cherubim & ſeraphim claritatem Dei videat, & inter viginti quatuor ſeniores cantica canticorum audiat, & inter lavantes ſtolas in fonte luminis veſtem lavet, & inter pulſantes

——— depulſans portas apertas Hieruſalem cæleſtis reperiat, & inter videntes Deum facie ad faciem videat, & inter cantantes canticum novum cantet, & inter audientes auditum cæleſtis ſoni audiat. Per.

Caput XV In quo varii ad jav. &c.

Alia.

Suſcipe, Domine, ſervum tuum in habitaculum æternum, & da ei requiem & regnum cæleſte Hieruſalem, & in finibus patriarcharum tuorum Abrahæ, Iſaac & Jacob collocare digneris, & partem habeat in prima reſurrectione, ut inter ſurgentes ſurgat, & inter ſuſcipientes corpora in die reſurrectionis corpus ſuum ſuſcipiat, & cum benedictis ad dexteram Patris venientibus veniat, & inter poſſidentes vitam æternam poſſideat. Per.

Deus vitæ dator, &c. Deus qui humanarum animarum, &c. Deus cui proprium.

Omnes iſtæ orationes dicendæ ſunt antequam de domo efferatur mortuus.

Piæ recordationis, &c.

Suſcipe, Domine, animam famuli tui ad te revertentem, de Ægypti partibus proficiſcentem ad te, & mitte angelos tuos ſanctos obviam ei, & vias juſtitiæ demonſtra ei. Aperi ei portas juſtitiæ, & repelle ab ea omnes principes tenebrarum: Agnoſce, Domine, creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero, quia non eſt Deus præter te, Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ſervi tui: ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum quæ ſuſcitavit furor maligni deſiderii: licet enim peccaret, tamen Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum non negavit ſed credidit, & zelum Dei habuit, & Deum qui fecit omnia adoravit, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris: tu opem feras & miſericordiam largiaris. Spiritum etiam famuli tui cari noſtri vinculis corporalibus liberatum in pace ſanctorum tuorum recipias, ut locum pœnalem & gehennæ ignem flammaſque tartari evadat in regione viventium. Per eum qui venturus eſt.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui quam de ergaſtulo, &c. Non intres in judicio, &c. Fac, quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo, &c.

Deinde roget ſacerdos orare pro ipſa anima.

Pater noſter. Requiem æternam. In memoria æterna erit juſtus. Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi. Non intres in judicio cum ſervo tuo. A porta inferi. Dominus vobiſcum. Annue nobis, Domine.

Poſtquam in feretro poſitum fuerit, antequam efferatur de domo, dicant antiphonam.

Suſcipiat te, Dominus, qui vocavit & in ſinu Abrahæ angeli deducant te. *Pſal.* In exitu Iſrahel.

Ant. Qui poſuit animam ſuam ad vitam ſuſcipiat te cum ſanctis ſuis, & faciat tecum miſericordiam. *Pſal.* Domine quis habitabit.

Tunc deportetur in eccleſia cum antiphonis & pſalmis ſuperſcriptis, & orent omnes communiter pro anima ejus, & continuent ibi pſalterium ſine

intermiſſione, donec ſacerdos celebret miſſam, & abſolvat animam. Ipſa expleta, ſequitur per ordinem commendatio animæ ita:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur, fratres cariſſimi, cujus judicio naſcimur & finimur ut ſpiritum, &c.

℟. Antequam naſcerer. ℣. Commiſſa mea.

℟. Qui Lazarum. ℣. Requiem æternam. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Deum judicem univerſitatis, Deum cæleſtium, terreſtrium, &c.

℟. Heu mihi, Domine. ℣. Anima mea. Kyrie eleiſon.

Oremus.

Deus qui univerſorum es conditor, &c.

℟. Ne recorderis. ℣. Non intres in judicio. *Vel iſtum* ℟. Libera me, Domine. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Hic præcipit ſacerdos orare pro anima ejus: Pater noſter. Et ne nos. Requiem æternam dona.

Poſtea elevatur corpus de eccleſia & portetur ad tumulandum ita dicendo. Antiph. In paradiſum. *Pſal.* Ad te, Domine, levavi. *Aut iſtum Pſal.* In exitu Iſrahel. *Pſalmo finito dicitur à ſacerdote.*

Oratio.

Te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritu fratris noſtri, quem à voraginibus hujus ſæculi accerſire juſſiſti, ut digneris Domine dare ei locum lucidum, locum refrigerii & quietis: liceat ei tranſire portas inferorum & pœnas tenebrarum, maneatque in manſionibus ſanctorum & in luce ſancta quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus: ſed cum magnus dies ille reſurrectionis ac remunerationis advenerit, reſuſcitare eum digneris una cum electis & ſanctis tuis: deleas ejus delicta atque peccata uſque ad noviſſimum quadrantem, tecumque immortalitatis tuæ vitam & regnum conſequatur æternum. Per.

Ant. Aperite. *Pſal.* Confitemini.

Obſecramus miſericordiam tuam, &c.

Oratio.

Diri vulneris novitate perculſi, & quodammodo cordibus ſauciati, miſericordiam tuam mundi Redemptor flebilibus vocibus imploremus, ut cari noſtri animam ad tuam clementiam qui fons pietatis es revertentem blande leniterque ſuſcipias; & quas illa ex carnali commoratione contraxit maculas tu Deus inolita bonitate clementer deleas, pie indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc laudem tibi cum ceteris reddituram, & ad corpus quandoque reverſuram ſanctorum tuorum cœtibus adgregari præcipias, qui cum Deo.

Ant. Hæc requies mea. *Pſal.* Memento Domine David.

Quando ponitur in ſepulchro. *Oratio.*

Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri.

Alia.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv &c*

** Hic deeſt aliquid.*

Deus qui juſtis ſupplicationibus præſto es, piis miſericordiæ * ſancte Pater omnipotens, æterne Deus rogare pro aliis cogimur, qui pro noſtris non ſufficimus. Suſcipe, Domine, animam ſervi tui ad te revertentem. Adſit ei angelus teſtamenti tui Michael. Libera eum, Domine, de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, ne famulus tuus jam ullis primæ nativitatis vel ignorantiæ confundatur erroribus, ſed potius agnoſcatur à miſericordia bonitatis tuæ, & ad locum refrigerii & quietis in ſinu transferatur Abrahæ. Per.

Ant. De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine, probaſti me.

Debitum humani corporis ſepeliendi officium, &c.

Alia oratio. Temeritatis quidem eſt Domine ut homo hominem, &c.

Ant. Non intres in. *Pſal.* Domine exaudi.

Deus pietatis, & bonitatis invictæ, & ſempiternæ clementiæ, te ſuppliciter poſtulamus, ut animam famuli tui quam de hujus ſæculi ærumnoſa peregrinatione præcepiſti vocari, univerſa delictorum remiſſione conceſſa, in Abrahæ gremio jubeas collocare. Obſecramus, piiſſime, Pater, ut quem ſuperni fontis genitalis abluit unda, edax non audeat contingere flamma, & quem unigeniti tui cruor redemit effuſus, non ſinatur vermis devorare perpetuus, ſed angelici agminis deductione protectus, paradiſi tui potiatur ſuavitate, ſecuritate ſecurus, & inter victricium turmarum triumphales catervas coronatus incedat, & à dextris filii tui retributionem recepturus adſiſtat, & ſanctorum tuorum conſortio deputatus regnum cæleſte poſſideat. Per eumdem.

Ant. Omnis ſpiritus. *Pſal.* Laudate Dominum de cælis.

Sequitur oratio poſtquam corpus ſepultum fuerit.

Exequiis rite celebratis, membriſque feretro depoſitis, tumulo de more compoſito, poſt Iſrahel exitum de Ægypto deprecemur elementiam Dei Patris pro ſpiritu cari noſtri quem Dominus de laqueo hujus mundi liberavit lugubri & letali; cujus poſſe ubique eſt, & poteſtas. Innumerabiles habens divitias ſpiritales, ſpiritui huic ſubveniat Dominus ſublimis, ut ardore careat æterni ignis, adepturus perpetui regni refrigerium, coram ſuo rege gratificet in gaudio genitali, in ſublimi ſolio patrum prælectorum in medio juſtorum, in ſplendoribus ſanctorum, in ſede majeſtatis magnæ, in lumine regionis vivorum. Per Dominum qui venturus eſt.

℣. Requiem æternam. *Ant.* Abſolve Domine. *Ant.* Omne quod dat mihi Pater. *Pſal.* Benedictus.

Oratio.

Commendamus tibi, Domine, animam fratris noſtri, precamurque ut propter quam ad terras tua pietate deſcenderas, patriarcharum tuorum ſinibus eam inſinuare non renuas, & miſerere ei, qui vivis & regnas.

Alia.

Migranti famulo tuo in tuo nomine de hac inſtabili & tam incerta vita

vita, ſempiternam illam vitam ac lætitiam in cæleſtibus præſta, Salvator.

Alia.

Redemptio animarum Deus, æternitatem concede defuncto, ne vacuari paſſionis triumphum morte mundi patiaris. Qui cum.

Alia.

Deus cui omnia morientia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius; te ſupplices deprecamur, ut quicquid anima famuli tui vitiorum tuæ voluntati contrarium, fallente diabolo, & propria iniquitate contrarium atque fragilitate contraxit, tu pius & miſericors ablue indulgendo, eamque ſuſcipi jubeas per manus ſanctorum tuorum, deducendam in ſinum patriarcharum tuorum, Abraham ſcilicet amici tui, & Iſaac electi tui atque Jacob dilecti tui, quo aufugiat dolor & triſtitia atque ſuſpirium, fidelium quoque animæ felici jocunditate lætentur, & in noviſſimo magni judicii die inter ſanctos & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparaſti diligentibus te.

Alia.

Deus origo pietatis, Pater miſericordiarum, ſolamen triſtium, indultor criminum, de cujus munere omne quod bonum dicitur, procedit: reſpice propitius ſupplicum preces, & quamvis nos propria depuret indignos conſcientia, te dignum noſtris flecti petitionibus pulſamur, quantulumcumque conceditur, aures tuæ pietatis. Nam ſi omittimus in utroque veremur eſſe rei quoniam & te præcipis à peccatoribus exorari, noſtroque & ſi non merito hoc agendum te præſtante tribuitur miniſterio. Ergo, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui unicum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum incarnari de Virgine conſtituiſti, quo vetuſtum ſolvere proprio cruore peccatum ut vitam redderet mundo: ipſo opitulante, animam fratris noſtri ab ergaſtulo cænulentæ materiæ exemptam ab omnibus piaculis abſolvas. Non patiatur inſidias occurſantium dæmonum propterquam miſiſti ad terras unicum Filium tuum: Libera & abſolve eam à tetra voragine inferni quam redemiſti pretioſo ſanguine unigeniti tui. Libera & abſolve eam ab æſtuantis incendio gehennæ, collocans in paradiſi amœnitate. Non ſentiat, piiſſime Pater, quod calet in flammis, quod ſtridet in pœnis, ſed magnificentiæ tuæ munere præventa, mereatur evadere judicium ultionis, & beatæ requiei ac lucis æternæ felicitatis perfrui, præſtante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Poſt hæc dicatur pſalmus Miſerere mei Deus ſecundum. *Ipſo expleto, pro omnibus in eodem loco quieſcentibus, præcipiat ſacerdos rogare pro omnibus animabus quorum corpora ibi ſunt tumulata, ita:* Pater noſter. Et ne nos. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. *Deinde.*

KKkk

Oratio.

Deus cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis & famulabus tuis illorum & illarum vel omnibus hic in Chriſto quieſcentibus da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus abſoluti tecum ſine fine lætentur.

ORDO VIII.

Ex vetuſto Rituali monaſterii S. Eligii Moviomenſis, ante annos 500. ſcripto, quod modo ſervatur in bibliotheca Majoris-monaſterii Turonenſis.

Quando itur ad communicandum infirmum fratrem.

In primis ſacerdos induitur veſtimentis uſque ad ſtolam. Interim ſecretarius preparat crucem, candelabra, aquam benedictam: & ſacerdos reveſtitus accipit in calicem, vinum cum aqua, quaſi ad miſſam cantandam. Deinde accipit Corpus Domini, & armarius ponit nitidum toral ſuper manus ſacerdotis poſitas ſuper calicem: & ſtudioſe curat ne ullomodo toral deſuper calicem cadat. Deinde incipit armarius pſalmum Miſerere mei Deus, *ſi opus fuerit, pſal.* Deus in nomine tuo. *Pſal.* Miſerere mei, Deus, miſerere mei. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. *Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, &c. *Deinde infirmus faciat confeſſionem:* Confiteor Deo, *& Conventus reſpondeat* Miſereatur veſtri. *Deinde communicatur.*

Quando itur ad fratrem infirmum unguendum, ſicut ſuperius de communione diximus, eodem modo parati veniant, cantando Miſerere. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos, *ut ſupra. Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Beatum Apoſtolum tuum dixiſti, &c.

Iſti pſalmi dicendi ſunt à conventu interim dum ſacerdos ungit infirmum. Antiphona. Sana me Domine, &c. *Pſal.* Domine ne in furore tuo. *Antiphona.* Erat quidam regulus, &c. *Pſal.* Beati quorum. *Antiph.* Domine puer meus jacet, &c. *Pſalm.* Domine ne in furore. *Antiph.* Cor contritum, &c. *Pſalm.* Miſerere mei Deus. *Antiph.* Domine deſcende, &c. *Pſal.* Domine exaudi. *Antiph.* Domine non ſum dignus, &c. *Pſal.* De profundis. *Antiph.* Cum ſol autem occidiſſet, &c. *Pſal.* Domine exaudi.

Ad unamquamque unctionem dicatur iſta oratio.

Ad viſum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum.

Ad auditum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per auditum.

Ad guſtum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per guſtum.

Ad odoratum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per odoratum.

Ad tactum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per tactum.

Si eſt ſacerdos, exterius perunge, ſi autem diaconus aut minoris ordinis interius.

Ad inceſſum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per inceſſum.

Ad inguina.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per ardorem libidinis.

Unctione peracta, ſtatim lavatur os fratris infirmi, & oſculatur crucem adorans eam, & dicit:

Adoro te, Chriſte, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemiſti me.

Deinde oſculatur omnes, poſtea ſequuntur capitula: Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto. Nihil proficiat inimicus in eo. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Deus qui famulo tuo Ezechiæ, &c. *Alia.* Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate, &c. *Alia.* Deus qui facturæ tuæ, &c. *Alia oratio.* Deus qui humano generi & ſalutis remedium, &c. *Oratio.* Virtutum cæleſtium, &c. *Alia oratio.* Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatis noſtræ, &c. *Alia.* Exaudi, Domine, ſupplicum preces, &c. *Alia oratio.* Præveniat hunc famulum tuum, &c. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris, &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & ne ſit ab hoc famulo tuo, &c. *Alia.* Adeſto ſupplicationibus noſtris, & me qui maxime miſericordia, &c. *Alia.* Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, &c. *Alia oratio.* Deus humani generis benigniſſime conditor & miſericordiſſime reformator, &c. *Alia oratio.* Omnipotens æterne Deus, ſalus æterna credentium, &c. *Alia.* Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, &c. *Alia oratio.* Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem, &c. *Alia oratio.* Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ, &c. *Alia.* Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo, &c.

Alia.

Abſolve, Domine, animam famuli tui per interceſſionem beatiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, atque ſanctorum Confeſſorum tuorum Eligii, Lupi, Enutii, Benedicti, & omnium ſanctorum ab omni vinculo delictorum, antequam ſeparetur à membrorum compage terrenorum, & præſta ut cum cœperit a corpore ſeparari, mereatur a beatiſſimis & benegniſſimis an-

gelis ſuſcipi, atque tuis piiſſimis conſpectibus præſentari, & in ſinum beatæ requiei, te donante, deduci. Per eumdem.

Letania quando appropinquat ad mortem.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere ei.
Fili Redemtor mundi Deus, miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus, miſerere ei.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere.
S. Maria, ora pro eo.
S. Virgo Virginum, ora pro eo.
S. Michahel, ora pro eo.
S. Gabrihel, ora pro eo.
S. Raphahel, ora pro eo.
Omnes ſancti angeli & archangeli, orate pro eo.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, orate pro eo.
S. Johannes Baptiſta, ora pro eo.
Omnes ſancti patriarchæ & prophetæ, orate pro eo.
S. Petre, ora.
S. Paule, ora.
S. Andrea, ora.
S. Jacobe, ora.
S. Johannes, ora.
S. Thoma, ora.
S. Jacobe, ora.
S. Philippe, ora.
S. Bartholomæe, ora.
S. Matthæe, ora.
S. Simon, ora.
S. Taddæe, ora.
S. Mathia, ora.
S. Barnaba, ora.
S. Luca, ora.
S. Marce, ora.
Omnes ſancti apoſtoli & evangeliſtæ, orate pro eo.
Omnes ſancti diſcipuli Domini, orate.
Omnes ſancti Innocentes, orate.
S. Stephane, ora.
S. Line, ora.
S. Clete, ora.
S. Clemens, ora.
S. Sixte, ora.
S. Calixte, ora.
S. Corneli, ora.
S. Cypriane, ora.
S. Laurenti, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Gervaſi, ora.
S. Prothaſi, ora.
S. Dionyſi cum ſociis tuis, ora.
S. Nicaſi cum ſociis tuis, ora.
S. Chriſtophore, ora.
S. Sebaſtiane, ora.
S. Pancrati, ora.
S. Georgi, ora.
S. Lamberte, ora.
SS. Marcelline & Petre, ora.
S. Eligi, ij. ora.
S. Lupe, ora.
S. Eunuci, ora.
S. Silveſter, ora.
S. Gregori, ora.
S. Hilari, ora.
S. Martine, ora.
S. Remigi, ora.
S. Auguſtine, ora.
S. Ambroſi, ora.
S. Nicolae, ora.
S. Audoene, ora.
S. Leo, ora.
S. Germane, ora.
S. Medarde, ora.
S. Vedaſte, ora.
S. Achari, ora.
S. Amande, ora.
S. Caſſiane, ora.
S. Hieronyme, ora.
S. Benedicte, ora.
S. Maure, ora.
S. Bertine, ora.
S. Bono, ora.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

S. Furſir, ora.
S. Egidi, ora.
Omnes ſancti Confeſſores, orate.
S. Maria Magdalena, ora.
S. Maria Ægyptiaca, ora.
S. Felicitas, ora.
S. Perpetua, ora.
S. Tecla, ora.
S. Petronilla, ora.
S. Agatha, ora.
S. Agnes, ora.
S. Cæcilia, ora.
S. Lucia, ora.
S. Scholaſtica, ora.
S. Genovefa, ora.
S. Godeberta, ora.
S. Anaſtaſia, ora.
S. Barbara, ora.
S. Margarita, ora.
S. Gualburgis, ora.
S. Gertrudis, ora.
S. Fides, ora.
S. Hunegundis, ora.
S. Benedicta, ora.
S. Chriſtiana, ora.
Omnes ſancti, ij. orate.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Libera eum Domine.
De gladio maligno, Libera.
A morte perpetua, libera eum.
A pondere peccatorum, libera eum.
A tetra caligine, libera eum Domine.
Per crucem tuam, libera eum.
Per interceſſionem omnium ſanctorum tuorum, libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas, te rogamus audi nos.
Ut ſpiritum ejus à loco anguſtiæ liberes, te rogamus audi nos.
Ut cum fiducia diem judicii expectet, te rogamus audi nos.
Ut eum in numero placentium tibi aggregare digneris, te rogamus.
Ut eum à numero diſcerni facias malorum, te rogamus audi nos.
Ut eum in regione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas, te rogamus.
Ut eum præmia æternæ vitæ adipiſci facias, te rogamus audi nos.
Ut eum à mortifero vaſtatore defendere digneris, te rogamus.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce ei, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere ei, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona ei requiem.

Egrediente anima, benedicatur & dicatur.

Abſolve animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per.

Cum jam obierit, dicatur hac collecta præmiſſis his: Pater noſter. Et ne nos. Requiem. Non intres. A porta inferi. Piæ recordationis affectu, fratres cariſſimi, commemorationem faciamus &c. *Alia.* Deus cui omnia vivunt &c. *Alia.* Suſcipe, Domine, animam famuli tui, &c. *Dicto* Per Dominum, *conventus exit de infirmaria, incœpto* Placebo Domino, *excepto Domno abbate vel priore, & illis qui neceſſarii ſunt ad corporis lavationem, atque in triſantiis ante eccleſiam B. Mariæ finitis veſperis defunctorum cantant & officium, non alia collecta ſubſequente, neque ad veſperas, neque ad officium, neque ad matutinas, niſi* Omnipotens ſempiterne Deus cui numquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propitiare animæ famuli tui, ut qui de hac vita in tui nominis confeſſione deceſſit, ſanctorum

tuorum numero facias aggregari. Per. *Quæ dicenda eſt ab hebdomadario majoris miſſæ.*

Sciendum autem quoniam neque lavant, neque portant, nec in ſepulcro ponunt corpus alii fratres, quam qui ei ſimiles ſunt in ordine: Si eſt converſus; converſum. Mox autem ut obierit, ſecretarius aſſumtis ſecum converſis vadit, ut omnia ſigna pulſentur, & ut apportetur proceſſio, id eſt aqua benedicta, thuribulum & acerra, crux atque candelabra. Quibus allatis, ſpargit Domnus abbas vel prior ſuper defunctum ibidem, & ſuper ſtragulam in qua poni debet. Deinde incenſat corpus & ipſam. Quo facto, qui lavaturi ſunt accipiunt corpus, portantque in atriolum huic operi deputatum, armario ſemper comitante atque agente idem officium quod conventus facit cum his qui cum eo ſunt. Infirmarius præparat aquam calidam, camerarius veſtimenta. Ponitur ſuper tabulam ad hoc ſolum proviſam & deputatam. Nudatur. Interdum à vertice uſque ad plantam pedis lavatur, exceptis verendis, quæ veteri ſtaminea jugiter cooperta tenentur. Qui ſervit de thure ſine intermiſſione abundanter incenſat corpus.

Sciendum etiam quoniam non eſt conſuetudo ut refectorarii aut hebdomadarii coquinæ, aut ſacerdos, vel diaconus hebdomadarii majoris miſſæ lavent corpus defuncti. Lavatur, ſtaminea veſtitur, cuculla, caligis, nocturnalibus & ſudario quod eſt de eodem panno, de quo & ſtaminea & caligis quæ in extremitate non ſunt patulæ, ſed conſutæ.

Paratis autem à camerario acubus cum filo, capellum cucullæ deſuper ſudarium & faciem ex utraque parte conſuitur, ſuper pectus manus extra cucullam complicantur, ipſaque cuculla per loca conſuta tota ita conſtringitur, ut in nulla ſui parte ſit laxa. Nocturnales quoque calcei ad invicem conſuuntur: Tunc lavato corpore & parato, Domnus abbas vel prior ſpargit in feretrum aquam benedictam, & incenſat. Et corpus ſimiliter ponitur in feretrum, quod clauſum deſuper coopertorio operato operitur. Poſito autem corpore & portato uſque ad oſtium contra conventum: ſi conventus jam finivit officium, percutit prior ſemel tabulam. Si vero aliquantulum de officio reſtiterit; expectatur paululum donec finiatur; percuſſaque ut dictum eſt tabula, omnes inclines dicunt Pater noſter. *Abbas vel prior tunc dicit:* Et ne nos inducas in tentationem. *Et conventu reſpondente* Sed libera nos à malo. *Subinfert* A porta inferi. *Reſpondet conventus* Erue Domine animam ejus. *Dicit Domnus abbas vel prior* Dominus vobiſcum. Oremus. *Ad unum* Per Dominum *dicuntur hæ duæ collectæ:* Deus vitæ dator & humanorum corporum reparator, &c. Deus qui humanarum animarum, &c. *Et mox incœpto ab armario* ℞. Subvenite ſancti Dei, *præcedit proceſſio quam ſemper deferunt converſi ſequentibus infantibus & magiſtris, deinde cantoribus ſicut priores ſunt, & poſtea converſis, defuncto & portatoribus ſuis extremo. Et pulſantur interim omnia ſigna, donec inducatur in eccleſiam S. Mariæ. Quo inductus, verſus altare ante gradum ſuſtentatur, donec ab abbate vel priore dicatur:* A porta inferi, *cunctiſque reſpondentibus* Erue Domine animam ejus, *hæc collecta finiatur:* Deus veniæ largitor & humanæ ſalutis auctor, quæſumus clementiam tuam, &c.

Qua finita, deportatur in medium eccleſiæ B. Mariæ. Ad ſiniſtram partem ponitur ſuper formas feretrum ad hoc ſolummodo deſtinatas, & crux cum candelabris & cereis duobus jugiter ardentibus ibi ad caput ejus affigitur. Eſt etiam conſuetudo, ut quandiu defunctus inhumatus eſt, jugiter in nocte ante capitulum cereus ardeat, donec dies clara fiat. Poſtquam autem quod reſtabat de officio finitum fuerit, videlicet Exultabunt *&* Verba mea, *niſi vel matutinum vel regularis hora pulſetur, continuo pſalterium incipiatur, aliquando à dimidio conventu, nec umquam ſine pſalmodia omittitur, niſi miſſa in conventu aut hora regularis cantetur, aut pulſetur; ad quam cum pulſatur, primum ſignum, ceſſatur à pſalmodia præter ad ſolos nocturnos: tunc enim tenetur uſque ad introitum puerorum. Quando conventus eſt in capitulo vel in refectorio, prior præcipit aliquot fratribus remanere. Si eſt tempus quo fratres circa medium diem dormire ſolent, illo die non dormiunt. Nox autem pro conſuetudine, ſive magna, ſive parva ſit, in tres vigilias ſecundum ſui quantitatem partitur: ſcilicet aliquando ad unamquamque dicunt quinquaginta pſalmos, aliquando dimidium pſalterium, aliquando totum cum officio, &* Exultabunt Domino *ante officium, &* Placebo Domino *præmiſſo & ſubſequente* Verba mea, *ſine* Voce mea. *Collecta.* Abſolve Domine animam famuli tui. *Dexter chorus cum armario facit primam, ſiniſter excitatus ab armario facit ſecundam cum ſecretariis uſque ad matutinas.*

Quando ſepelitionis hora advenerit, ter aliquantulum ab apocriſario pulſatur ſignum quod in hoc officio pulſari ſolet, ut congregetur omnis conventus. Conveniunt undique fratres, & ſingulis per ſecretarios cerei diſtribuuntur. Tunc ſacerdote hebdomadario majoris miſſæ alba & ſtola cum manipulo reveſtito, armarius cum alio fratre ſuffraganeo ſuo incipit Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Ad quod cum omnes ſimiliter reſponderint, mox inclinant ſe ad orationem omnes, & ſacerdos abſque ſalutatione dicit has collectas:* Non intres in judicium, &c. *Finita collecta, ſtatim incipiunt duo fratres* ℣. Heu mihi, Domine, *cujus verſum ipſi duo cantant, & interim ſacerdos incenſat altare majus, indeque reverſus, incenſat corpus. Quo facto, incipitur* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, *eodem modo quo ſupra, & hoc fit ter.* Fac, quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo miſericordiam &c. ℟. Peccantem me. *Interim ſacerdos, ut ſuperius, incenſat altare atque corpus, & iterum* Kyrie. Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, &c.

His expletis, incipit armarius ℟. Libera me Domine, *verſum cantat armarius cum alio fratre ſuffraganeo ſuo. Sacerdos, finitis collectis, incenſat altare majus in cruce, & corpus defuncti in cruce, aſſidue cereum in manu portans. Ad miſſam quoque matutinalem, quæ pro eo celebratur, ad quam omnes ut offerant debent intereſſe, incenſat diaconus ſimiliter corpus defuncti in cruce, à capite incipiens, poſtquam incenſaverit altaria. Finito autem ultimo verſu & regreſſu, imponitur antiphona* In paradiſum &c. *cum* Pſal. In exitu Iſraël, *incepta ab armario. Hic mutatur in proceſſione, quia poſtquam ſacerdos cum proceſſione præceſſerit, & pueri cum magiſtris ſubſecuti fuerint,*

ſequuntur novitii & converſi, & poſtea cantores junioribus præcedentibus, & ultimo feretro cum portatoribus ſuis: & pulſantur omnia ſigna donec corpus in terra poſitum ſit & coopertum. Infirmi vero qui interim ſtabunt in eccleſiam B. Mariæ in clauſtro, accenſis cereis intrabunt eccleſiam poſtquam conventus exierit, & ibidem remanent cantantes officium quod conventus canit.

Conventus perveniens in cœmeterium, ita ordinate ſtat, ut hi qui de dextro choro ſunt ſtent ad dextram partem juxta eccleſiam B. Mariæ, prioribus ſtantibus verſus caput majoris eccleſiæ, & interim dum ſepelitur defunctus, à conventu cantatur iſta pſalmodia in cœmeterio & ab infirmis in eccleſia B. Mariæ. Sequitur pſalmodia canenda.

Antiphona. Aperite mihi portas juſtitiæ ingreſſus confitebor Domino. Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam. *Pſal.* Confitemini Domino.

Antiphona. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. *Pſal.* Quemadmodum.

Antiphona. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. *Pſal.* Memento Domine David.

Antiphona. De terra plaſmaſti me, carnem induiſti me, Redemtor meus Domine, reſuſcita me in noviſſimo die. *Pſal.* Domine probaſti.

Antiphona. Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſal.* Domine exaudi.

Antiphona. Omnis ſpiritus laudet Dominum. *Pſal.* Laudate Dominum.

Tunc ſubinfertur ℣. Requiem æternam dona.

Tunc ſubjungitur: Abſolve, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitatus reſpiret. *Pſal.* Benedictus.

Sacerdos autem veniens ad ſepulcrum, ſi non eſt benedictum, benedicit illud.

Benedictio ſepulcri.

Deus qui fundaſti terram, formaſti cælos, qui omnia ſydera ſtatuta fixiſti, qui captum laqueo mortis hominem lavacri ablutione reparas; qui ſepultos Abraham, Iſaac & Jacob in ſpelunca duplici in libro vitæ atque in totius gloriæ dignitate principes annotaſti: benedicere digneris hunc tumulum famuli tui, & hic eum requieſcere facias, & in ſinu Abrahæ collocare digneris, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, devictis laqueis inferorum reſurgere in ſe credentium voluiſti ſalutem. Reſpice ſuper hanc fabricam ſepulturæ: Deſcendat hic, Domine, Spiritus-ſanctus, ut te jubente, ſit in loco hoc quieta dormitio, & tempore judicii cum ſanctis omnibus reſurrectio. Per Dominum.

Benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti, deſcendat ſuper hoc ſepulcrum. Amen.

Sequitur oratio.

Ineffabilis Dei Patris unigenite Fili, qui pro nobis humanitatem noſtræ fragilitatis aſſumens, ideo in ſepulcro requieſcere paſſus es, ut nos de ſepulcris vitiorum ejiceres, tuæque gloriæ reſurrectionis ſociares: adeſto

adeſto ſupplicationibus noſtris, & fave votis humillimis, quatinus hunc tumulum, quem purificare curavimus per aſperſionem ſalis & aquæ ad receptaculum functæ carnis, reſpectu tuæ benigniſſimæ pietatis intuendo ſanctifices, † incurſus ab eo omnium iniquarum poteſtatum diſſocies, & tentamenta hoſtis callidi propitiarus elonges, ut tam eum quam locum hunc in quo poſitus fuerit, quem in nomine tuæ ſanctæ potentiæ dedicavimus, rui veri luminis impenſione perluſtrans, ſine ulla caligine peccatorum, corpus quod in illo fuerit reconditum ſanctæ quietis remuneratione confoveas, & ex eo reſuſcitatum ad gloriam futuræ examinationis deducas. Qui vivis.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Sacerdos ut venit ad ſepulcrum, ſi benedictum eſt, præſto'atur cantans pſalmos cum armario, donec videat à quibus portatur defunctus, quibus viſis dicit: Obſecramus miſericordiam tuam æterne Deus, &c. *Alia oratio.* Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, &c.

His finitis, & corpore uſque ad foſſam allato, aquam benedictam ſpargit in foſſam, atque incenſat eam. Quo facto, ſtatim ſine quolibet intervallo ponitur corpus in terram; iterumque aqua benedicta aſpergitur, & incenſatur. Tunc operculo ligneo operitur. Sacerdos autem cum pala ter mittens aliquantulum de terra ſuper illud, ſubjungit has orationes. Oratio. Oremus. fratres, cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri, &c. *Alia.* Deus qui juſtis ſupplicarionibus ſemper præſto es, &c. *Alia oratio.* Debitum humani generis, &c. *Alia oratio.* Temeriraris quidem eſt, &c.

Hoc dum agit ſacerdos nec intendit ad conventum, nec conventus ad eum, ſed ipſe cum armario & converſis qui ſerviunt de proceſſione, & eis qui ſepeliunt corpus, facit hoc officium. Peroratis autem prædictis collectis, recedit à ſepulcro, ſimul cum proceſſione, & procedit in medium cœmeterium inter pueros, qui verſis vultibus ad orientem cantaverunt pſalmos ſicut & totus conventus: ibique oratione Dominica ſub ſilentio præmiſſa, ſubinfert: Er ne nos inducas in tentationem. Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine. *Conventu reſpondente:* quia non juſtificabirur in conſpectu tuo omnis vivens, *dicit* Dominus vobiſcum. Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui, &c. *Qua finita, cerei extinguntur, & cantatur à cunctis Pſal.* Miſerere mei Deus, *pro quieſcentibus inibi.* Pater noſter. Er ne nos. A porta inferi. Dominus vobiſcum. Deus cujus miſerarione animæ fidelium requieſcunt &c. *Dicto* Requieſcant in pace, *faciunt omnes ante & retro, & inceptis vij. pſalmis redeunt in eccleſiam, præcedente proceſſione cum ſacerdote, ſequentibus infantibus cum magiſtris, ac deinde præcedentibus prioribus eodem ordine. Cum pervenerint in chorum proſternunt ſe, & finiunt pſalmos. Sacerdos vero ut intrat eccleſiam, diſveſtit ſe quam citius poteſt, & proſtratus cum aliis in ordine, finitis pſalmis cum oratione Dominica, dicit* Et ne nos inducas. A porta inferi. *Et reſpondentibus cete is* Erue Domine animas eorum, *ſubdit* Dominus vobiſcum. Oremus. Abſolve, Domine, animam famuli tui, &c. Dominus vobiſcum. Requieſcant in pace. Amen. *Fit ab omnibus ante & retro. Infirmi autem redeunte conventu de cœmeterio debent ſtare cum reverentia*

LLll

donec conventus pertranſeat, cantantes vij. pſalmos, & poſtea proſtrare ſe & illud idem agere quod conventus in majore eccleſia facit. Si vero duo defuncti aut plures fuerint, unuſquiſque crucem & duo candelabra ad exequias & ſimiliter ad ſepulturam, & aquam benedictam, & thuribulum, & proprium ſacerdotem cum collectaneo qui illud officium faciat. Totidem enim ſacerdotes alba & ſtola veſtientur quot defuncti fuerint, quamvis à ſolo hebdomadario minoris miſſæ obſequium illud quod fit in eccleſia ad quod dicitur: Non intres in judicium, *& commendatio animarum quæ fit in medio cœmeterio, & abſolutio quæ fit in eccleſia poſt ſeptem pſalmos, ſub pluralitate fiant.*

ORDO IX.

Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria.

CUm vero infirmus ad exitum appropinquaverit, ſi adhuc compos mentis ſit, ſi non communicaverit ipſo die, communicandus eſt de ſancto ſacrificio, etiamſi comediſſet eodem die. Poſt acceptam communionem juxta quorumdam conſuetudinem leguntur Paſſiones Dominicæ, ſicut in ordine, & hæc evangelia: Erat quidam languens Lazarus. *Aliud:* Ante ſex dies. *Pſalmi etiam & letania cantantur. Deinde cum viſus fuerit infirmus laborare in agone ſui exitus, ſequitur hoc modo commendatio animæ.*

℟. Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat eam Chriſtus.

Oratio.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui, &c.

Alia.

Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c. *Antiphona.* Suſcipiat te Chriſtus, &c. *Pſal.* In exitu Iſraël.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori, &c. *Antiph.* Chorus angelorum, &c. *Pſal.* Dilexi quoniam, *uſque* Ad Dominum cum tribularer. *Oratio.*

Diri vulneris novitate perculſi, &c. *Alia.* Suſcipe, Domine, ſervum tuum in bonum, &c. *Alia.* Suſcipiat te ſanctus Michael archangelus, &c. *Alia.* Proficiſcere anima Chriſtiana. *Alia.* Domine Jeſu Chriſte, Paſtor bone, &c.

Tunc roget orari pro eo.

Pater noſter. *Capitula.* Non intres in judicium. A porta inferi. Requiem æternam. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Partem beatæ reſurrectionis obtineat, &c.

Deinde poſtquam anima egreſſa fuerit à corpore, lavetur corpus defuncti, ablutumque ponatur in feretro, & portetur in eccleſiam cum antiphonis & pſalmis ſecundum conſuetudinem diverſorum. Poſt celebrationem miſſæ clerici

venientes de choro, ſtent circa feretrum in corona, & tunc preſbyter incenſato primum altari, deinde corpore defuncti, dicat: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Capitula*. Non intres in judicium cum ſervo tuo. In memoria æterna erit juſtus. A porta inferi. Anima ejus requieſcat in pace. Amen. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Caput XV. In quo varii ad juv. &c.

Oratio.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te, &c.

℟. Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat te Chriſtus. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Capitula ſicut ſupra.*

Oratio.

Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt corpora, &c.

℟. Quando veneris, &c. ℣. Commiſſa mea. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Capitula ſicut ſupra.*

Oratio.

Fac, quæſumus Domine, hanc cum famulo tuo N. defuncto, &c.

℟. Libera me. ℣. Vix juſtus ſalvabitur. *Capitula ut ſupra.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Non intres in judicium. A porta inferi. Requiem æternam. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, &c.

Antiph. Aperite mihi portas, &c. *Pſalm.* Confitemini Domino.

Tunc portetur ad ſepulchrum.

Piæ recordationis, fratres chariſſimi, affectu commemorationem, &c.

℟. Ingrediar in locum. ℣. Sicut cervus.

Oratio.

Obſecramus miſericordiam tuam omnipotens æterne Deus, &c.

Antiph. Hæc requies mea in ſæculum, &c. *Oratio.*

Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt, &c. *Antiph.* De terra plaſmaſti me. *Pſal.* Domine probaſti me.

Et tunc ponitur corpus defuncti in ſepulcro.

Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri, &c. *Alia.* Deus qui juſtis ſupplicationibus &c. *Alia.* Temeritatis quidem eſt, &c. *Ant.* Omnis ſpiritus. *Pſal.* Laudate Dominum de cælis. ℟. Libera me Domine.

Oremus.

Debitum humani corporis, &c. *Alia.* Omnipotentis Dei miſericordiam, &c. *Alia.* Deum judicem univerſitatis, &c. *Alia.* Te Domine ſancte Pater, &c. *Alia.* Deus qui univerſorum es creator, &c. *Alia.* Deus vitæ dator, &c. *Alia.* Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris, &c.

Tunc roget ſacerdos orari pro eo. Pater noſter. A porta inferi. Requiem æternam. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Partem beatæ reſurrectionis, &c. *Alia.* Deus cujus miſeratione animæ, &c. *Alia.* Fidelium Deus omnium, &c.

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo varii ad jur. &c.*

Abſolutio.

Omnipotens Deus, qui beato Petro apoſtolo tuo, ceteriſque diſcipulis ſuis licentiam dedit ligandi atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo delictorum, & quantum noſtræ fragilitati permittitur, ſis abſolutus ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen, intercedente B. Maria cum omnibus Sanctis.

ORDO X.

Ex Muſei Italici tomo II. & duobus mss. bibliotheca regia, quorum unus fuit ad uſum Aquenſis eccleſiæ exaratus.

ORDO SEPELIENDI CLERICOS ROMANÆ FRATERNITATIS.

*IN primis annuntiatio nocte fit à nuntiis per omnes eccleſias Romanæ urbis ex mandato rectorum. Mane autem facto, poſt pulſatas campanas, clerici congregantur ex omnibus eccleſiis, ſecundum diſpoſitionem prælatorum, in eccleſia ubi defunctus clericus eſt ſepeliendus, & quiſquis ſacerdos cum ſuis clericis cantet vigiliam ix. lectionum. Interim epiſcopus vel cardinalis, ſeu quilibet * magnus de archipreſbyteris, niſi dies Dominicus inſtet, juſſu rectorum miſſam celebrat pro defuncto. Finita vero miſſa, clerici omnes congregantur circa feretrum in modum rotæ, & de mandato rectorum cantant clerici illius eccleſiæ, cui à rectoribus injungitur* ℟. Subvenite. ℣. Suſcipiat. *Finito* ℟. *unus ex rectoribus dicat:* Orate omnes, *& omnes ſub ſilentio cantent* Pater noſter. *Tunc prædictus rector præcipit alicui de majoribus ut abſolvat: ille verò dicit:* Et ne nos. ℣. In memoria æterna. ℟. Ab auditu. ℣. A porta inferi. ℟. Erue. ℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu.

* *Al.* alius.

Oratio.

Abſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum ut in reſurrectionis gratia inter ſanctos & electos tuos eum reſuſcitari præcipias.

Finita vero oratione, prædictus rector præcipit alicui eccleſiæ ut cantet antiphonam Requiem æternam. *Pſal.* Te decet. *Poſtea præcipit alicui eccleſiæ ut cantet antiphonam* Sitivit. ℣. Sicut cervus. *Antiphona finita, cantent* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Iſtis cantantibus, interim quatuor epiſcopi vel preſbyteri cardinales, vel archipreſbyteri induti ſacris veſtibus cum pluvialibus & cum quatuor thuribulis aſcendunt ad altare, & incenſant illud, ſimiliter & cruces. Deinde revertuntur ad corpus & incenſant illud. Poſtea unus qui major eſt ex iſtis quatuor alta voce abſolvat, & dicat:* Et ne nos. ℟. Sed libera. *Capitula ut ſupra. Capitula non dicit niſi primus. Orationes dicuntur in tono orationum miſſæ. Oratio.* Non intres in judicium, &c. *Finita oratione, reincipiat eamdem ille qui eſt ei contradictorie poſitus, dicens* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.* Non intres in judicium. *Poſt ille qui oppoſitus*

eſt illi ſubalterne eodem modo repetat prædictam orationem. Poſtea quartus. Finita vero oratione, ad mandatum prædicti rectoris incipiat cantare collegium alicujus eccleſiæ ℞. Adeſto dolori. ℣. Verſa eſt in luctum. *Dum cantatur* ℞. *illi quatuor aſcendunt ad altare, ut ſupradictum eſt, & faciunt ut ſupra dictum eſt. Tamen ille qui primus eſt in dicendo orationem ſequentem, primus debet incenſare, cum vero reverſi ad feretrum fuerint, ille qui fuerit ultimus in prædicta oratione incipiat* Dominus vobiſcum *ſine capitulis. Oratio* Deus cui omnia vivunt. *Et faciant de iſta oratione ſicut de prima. Finita oratione, de mandato prædicti rectoris collegium alterius eccleſiæ incipiat* ℞. Ne recorderis. ℣. Ne intres. *Repet.* Requiem. *Et dum* ℞. *cantatur, illi quatuor cum incenſo aſcendant ad altare, & faciant ſicut primus: & ille qui fuit ſecundus in prima oratione, debet primo incenſare, & incipere* Dominus vobiſcum. ℞. Et cum. *Oratio.* Fac quæſumus Domine, &c. *Et quater iſta dicant ſicut prima & ſecunda.*

CAPUT XV. *In quo varii ad ſrv. &c.*

Poſtea de mandato prædicti rectoris Pater ſpiritualis veniat in medium, & reddat teſtimonium pro defuncto, ſi fuerit unctus, ſi confeſſus, & de vita ſua. Audito teſtimonio ſæpedictus rector quærit à toto clero dicens: Placet vobis ut abſolvatur frater iſte defunctus? *Reſp.* Placet. *Tunc rector rogat de voluntate omnium eum qui major eſt inter eos, vel qui fuit primus in oratione, ut ipſe abſolvat. Ille vero cui injungitur, dicit:* Orate omnes. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℞. Sed libera. ℣. In memoria, *ut ſupra. Oratio.* Abſolve. *Finita oratione jam dictus rector præcipit ſubdiacono & diacono, ut accipiant feretrum. Illi accipientes deportant eum ad tumulum, cantantes antiphonam:* In paradiſum, *& aliam* Chorus angelorum, *& dicatur oratio* Deus qui fundaſti terram, &c

NOTA.

His actis, in perſona defuncti dicatur antiphona Aperite mihi portas: *& mox aperiatur ſepultura. Pſal.* Confitemini Domino. *Item in perſona ejuſdem dicatur antiphona* Ingrediar in locum, *& ſepelitur. Pſal.* Sicut cervus. *Eo ſepulto, item in perſona ejuſdem dicatur antiphona:* Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. *Pſal.* Memento Domine David. *Antiphona.* De terra plaſmaſti me Domine, & carne induiſti me, Redemtor meus, reſuſcita me in noviſſimo die. *Pſal.* Domine probaſti me. *Antiph.* Non intres in judicium. *Pſal.* Domine exaudi. ij. *Antiph.* Omnis ſpiritus laudet Dominum. *Pſal.* Laudate Dominum de cælis. *Antiph.* Ego ſum. *Pſal.* Benedictus. *Oratio.* Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu fratris noſtri, &c. *Oratio.* Deus cui omnia vivunt, &c. *Oratio.* Temeritatis quidem eſt, Domine, &c. *Oratio.* Opus eſt miſericordiæ Domine ſancte, &c. *Alia oratio.* Debitum humani corporis, &c. *Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori, &c.

Item ad abſolvendum humano poſtquam ſepultus fuerit, cum aqua ſancta aſpergitur antequam populus recedat, & dicat ſacerdos, Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Non intres in judicium. ℞. Quia non. ℣. A porta inferi. ℞. Erue Domine. ℣. Domine exaudi. ℞. Et clamor. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum. *Oratio.* Tibi, Domine, commendamus, &c. *Pro cimiterio pſal.* Miſerere mei Deus. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℞. Sed libera.

Digitized by Google

℣. Requiem æternam. ℟. Et lux perpetua. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum. *Oratio.* Deus cujus miſeratione. *Poſtremo dicatur oratio* Abſolve, Domine. *Et ſubjungatur:* Anima ejus & omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen. *Deinde redeant in eccleſiam, cantando ſeptem pſalmos pœnitentiales cum oratione.* Abſolve.

ORDO XI.

Ex veteri Rituali inſignis eccleſiæ S. Martini Turonenſis.

Cap. 142. de morte canonicorum.

Quando canonicus mortuus eſt in clauſtro B. Martini, ſtatim ut nunciatur, qualiſcumque hora ſit, ſonat decanus vel ſubdecanus campanam capituli tribus vicibus: & tunc congregatis clericis, incipitur Beatus vir *uſque ad* Notus in Judæa *ex parte incœptoris; & in alia parte chori à* Notus in Judæa *uſque in finem. Et interim ſedent, & ſonant omnia ſigna eccleſiæ; & ſi nox eſt, ſeptimanarii dant candelas ad legenda pſalteria. Hoc dicto, dicunt ſurſum* Miſerere *cum collecta. Dum hac fiunt, ſex eleemoſynarii lavant & ſepeliunt mortuum ſecundum ordinem ſuum, & mittunt ei chirothecas in manibus, & in pedibus ſotulares. Quo peracto, vadit proceſſio ad domum cum cruce, candelabris, & incenſo; & incipit cantor* ℟. Subvenite, *cum verſu & collecta. Quibus dictis, incipit cantor antiphonam* Chorus, *& ſuccentor pſalmos, & ita canendo portat mortuum ad S. Johannem, vel ad S. Venantium. Quo depoſito, & dicta collecta, incipiunt ibi veſperas mortuorum & vigiliam cum ix. lectionibus. Quibus dictis, redeunt, ſed crucem relinquunt; & ſtatim incipiunt ſex eleemoſynarii vigiliam ſuam; & poſt, ſi tempus eſt, omnes pro fidelibus cantant miſſas. Ad caput & ad pedes ejus ſunt ad minus quatuor cerei in candelabris, & circa feretrum cacabi cum incenſo. Interim decanus vel ſubdecanus per ſervientes matriculariorum faciunt citare proceſſiones, ut veniant ad canonicum tumulandum, quorum nomina ſunt hac. Decem monachi Majoris-monaſterii ſine cruce & candelis & aqua benedicta: qua poſt capiunt in eccleſia B. Martini. Sed ad ſex priores venit totus conventus cum cruce & candelabris. Ad alios omnes venit conventus S. Juliani, conventus Bellimontis, conventus S. Coſmæ, canonici S. Venantii, S. Petri Puellarum, & monachi de Ulmo Roberti. Si clericus moritur de nocte, inhumatur poſt Primam: Si circa Primam vel poſt, ſervatur uſque in craſtinum. Proceſſionibus paratis in eccleſia ubi mortuus eſt, ſonat decanus vel ſubdecanus ter campanam capituli, & poſt vadit proceſſio ad eccleſiam cum candelis, crucem quam dereliquerant ibi capientes. Poſt cantant inſimul miſſam, quam unus cantat de canonicis B. Martini.* ℟. Si ambulem. *Tractus* Sicut cervus. *Offertorium* Erue, *cum* ℣. *Et cantantur omnia inſimul, & ſex priores offerunt panem & vinum, quæ juvenes in ſuppelliciis portant in calicibus & patenis. Alii canonici offerunt nummos. Et eſt*

Digitized by Google

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

oblatio ordini miſſa. Quibus oblatis, vadunt omnes circa feretrum, & ibi incipit cantor ℟. Subvenite; *& duo ſimplices clerici cantant* ℣. *cum* Kyrie. *Poſt cantant duo monachi S. Juliani ſecundum* ℟. Libera me, *cum* ℣. *&* Kyrie eleiſon. *Poſt duo monachi Majoris monaſterii tertium* ℟. Abſolve, *cum* ℣. *&* Kyrie eleiſon. *Et exquo incipitur obſequium, tradunt ſeptenarii in ſuppelliciis candelas omnibus de burſa mortui, quas ad tertium* ℟. *extinguunt, & ſecum portant. Candela vero canonicorum B. Martini remanent eccleſia ubi corpus eſt; & ad primum* ℟. *veniunt quatuor canonici, quibus à decano vel ſubdecano injungitur, habentes eumdem ordinem & dignitatem quam mortuus habuerat, reveſtiti albis non paratis, juxta ordinem ſuum ſtantes juxta feretrum, duo ad caput & duo ad pedes; & reveſtiunt ſe in eccleſia ubi mortuus eſt, vel in capitulo, & ſerviens matriculariorum ſervat veſtes eorum. Omnibus peractis, & officio dicto, incipit cantor antiphonam,* Chorus, *& ſuccentor pſalmos & alia ſimiliter, & unus ex hebdomadariis facit officium preſbyteri alta voce. Alii omnes preſbyteri dicunt collectam ſubmiſſa voce; & ita vadunt cantando uſque ad foſſam in clauſtro. Primo vadunt canonici S. Coſma, poſt monachi Majoris-monaſterii, poſt monachi S. Juliani, poſt canonici S. Martini & canonici S. Venantii & S. Petri cum eis, poſt moniales Bellimontis, poſt venit feretrum, & quatuor canonici reveſtiti cum eo, & ſex eleemoſynarii, qui ex quo mortuus vel viſitatus eſt ſemper ſunt cum eo, & debent cum eo manducare uſque ſepultura tradatur. Interim ſonant omnia ſigna eccleſia. Quo inhumato, recedunt omnes. Decanus vel theſaurarius debet inhumari in capitulo, priores in clauſtro cooperto, & alii omnes in clauſtro non operto. Et nota quod nulli debent inhumari in clauſtro niſi canonici. In die inhumationis mortui manducant ſex eleemoſynarii in domo ejus, & habent pelliciam mortui, & ſuppellicium, & cappam chori, capellum chori, ſi habeat, & lectum quo jacet, & culcitram cum pannis & pulvinari, & coopertorium, ſi habet, ſive tapetum vel culcitram punctam. Et matricularii habent pannos & lectum cum quibus portatur ad eccleſiam, vel quinque ſolidos pro pannis, & ſonatores quinque ſolidos pro claſſicis. Et eccleſia ad quam portatur habet duos de cereis qui ſunt circa eum, alios dividunt gentes mortui ad voluntatem ſuam. Foſſa & omnes alia expenſa fiunt de burſa mortui, vel de burſa capituli, ſi nihil habet. In craſtino incipitur tricenarius pro eo, ſi reſidentiam fecerie; ſin autem, ſeptenarius, quarum vigiliarum prima fit cum ix. lectionibus, & omnes alia cum tribus lectionibus. Et nota quod ad omnes proceſſiones mortuorum debent habere omnes cappas chori.*

ORDO XII.

Ex ms. codice Majoris-monaſterii.

De morte abbatis, et qualiter officiarii debent se habere circa sepulturam illius.

HÆc eſt conſuetudo hujus monaſterii antiqua pro abbate noſtro defuncto. A primis perſonis monaſterii, diligenter atque devote abluetur. Exinde reveſtietur atque ornabitur ex integro tanquam ad miſſam; ſuper feretrum in quo jacebit ponetur cilicium, ſuper cilicium corpus; ſuper corpus vero baculus ejus in directum locabitur. Poſt hæc feretro cooperto tapeto & optimo pallio deferetur in chorum ſic reſervandus ſuper terram uſque ad diem tertium: Et quot diebus ita erit ſuper terram, tot miſſæ celebrabuntur feſtive in conventu generali cum ℟. & tractu, ſicut in anniverſariis abbatum; & in refectorio erunt tabulæ coopertæ, vigilias ſuas habebit ſecundum conſuetudinem unaquaque nocte tres: Ad utramque vigiliam videlicet primam & ſecundam erunt pariter & cantor & armarius; cantor providebit de reſponſoriis ſuis & antiphonis ut honeſte atque feſtive cantentur: Armarius vero de lectionibus ſuis ne aliqua interveniat negligentia. Namque jubente cantore debent fratres cantare reſponſoria honeſtè & per ordinem: Similiter monente Armario debent recitari lectiones viciſſim à fratribus ſuper analogium ad caput feretri in choro. Ad tertiam vero vigiliam poſt matutinas erunt juvenes cum cuſtodiis ſuis & ſecretariis. Ad unumquodque officium illuminabuntur quinque cerei in preſbyterio ante altare, finito quoque officio extinguentur: luminaria tamen conſuetudinaria in choro jugiter ardebunt uſque mane. Duo cerei quorum unus erit ad caput feretri, alius ad pedes aſſidue ardebunt tam in die quam in nocte; ſecretarii vero per ſingula officia ſollicite procurabunt de claſſico die tertia ad miſſam matutinalem quæ pro eo dicitur illuminabuntur quinque cerei & reſtellus. Item ipſo die mox ut inchoatum fuerit obſequium hæc eadem luminaria cuncta illuminabuntur quæ tandiu ardebunt, donec totum compleatur ſepulturæ obſequium. Fratres qui cantabunt reſponſorium & tractum ad omnes miſſas dum fuerit ſuper terram, habebunt cappas. Cappam in choro tenebit non puer neque juvenis in cuſtodia; ſed frater de ſtallo qui & illud officium decenter peragat, & ſeipſum honeſte habeat: Hæc providentia penes cantorem erit: Omnes qui officium facient erunt reveſtiti prætioſis veſtimentis & cappis, ſive abbates, ſive quælibet aliæ ſint perſonæ: ſeniores duo de prioribus qui eum in mauſoleo locabunt, erunt in albis & ſtolis aliique duo fratres ſolummodo in albis, qui ſenioribus illis ad quod opus fuerit, miniſtrabunt. Die vero ſeptima ab ejus depoſitione ſero ante

ante dicto officio cum claſſico pro eo celebrabitur miſſa ſolemniter atque feſtive; & in refectorio erunt tabulæ coopertæ; & per totum annum uſque ad anniverſarium depoſitionis ejus diem, ſemper triceſimo die fiet pro eo ſicut in anniverſariis abbatum fieri ſolet ſero ante officium cum claſſico, & cæteris ſicut eſt conſuetudo. Triceſimus generalis in conventu non terminabitur cum triceſimo privato de miſſis; triceſimus enim generalis in conventu incipit computari ipſa ejus depoſitionis die. Tricemus vero privatus de miſſis die ſecunda ab ejus humationis die; & licet diverſis terminis; uterque tamen continuandus erit donec totum ex integro compleverit annum. Per totum anni circulum; illis diebus quibus miſſa matutinalis cum cappa exſolvitur; pro abbate colliget eleemoſynarius vinum de refectorio poſt cœnam. Notum ſit omnibus quod debemus abbati noſtro obeunti ſicut duobus monachis profeſſis, ſcilicet ſex miſſas & unam inſuper de gratia; tribus videlicet primis miſſis dicetur prima collecta, *Omnipotens famuli.* Quatuor vero ſubſequentibus dicetur prima collecta. *Deus cui proprium.* Clerici ſiquidem ter debent pſalterium: Et laici quater centum & quinquaginta. *Pater noſter.*

ORDO XIII.

Ex ms. codice S. Audoeni Rotomagenſis annorum circiter 400.

INUNCTIO INFIRMI.

IN eundo ad ipſum cantantur hi pſalmi: Miſerere mei Deus. *Pſal.* Deus in nomine tuo, *ſi pluribus opus fuerit. Pſal.* Miſerere mei Deus, miſerere mei. Deus in adjutorium. *Ubi autem ventum eſt ad infirmum, projecta in primis ſuper eum aqua benedicta, dicit abbas vel prior adquid venerunt. Et ſi habeat aliquas res vel claves, ut eas reſignet in manu abbatis: tum dicit ſacerdos hanc orationem præmiſſo* Dominus vobiſcum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per B. apoſtolum tuum dixiſti; infirmatur quis in vobis? Moneat preſbyteros eccleſiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei: te ſuppliciter exoramus, ut hic famulus tuus per miniſterium noſtræ unctionis, & donum tuæ ſanctæ pietatis peccatorum ſuorum veniam conſequi, & ad vitam æternam pervenire mereatur. Per Dominum.

Hac finita, cantantur ſeptem pſalmi cum antiphonis quæ ſequuntur; & iterum inunguit eum ſacerdos ſicut mos eſt: videlicet ſi eſt ſacerdos, inunguit ei manus exterius; ſi minoris ordinis, vel converſus, interius dicens:

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum.

Hic præcedit prima unctio pſalmos ſcilicet Per viſum. *Poſt incipitur antiphona* Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima

mea turbata eſt valde ; ſed tu, Domine, convertere & eripe animam meam. *Pſal.* Domine ne in furore. j.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per auditum.

Antiphona. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum : hic cum audiſſet, quia Jeſus adveniret in Galilæam, rogabat eum ut ſanaret filium ejus. *Pſal.* Beati quorum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per guſtum & illicita verba.

Antiphona. Domine, deſcende, ut ſanes filium meum priuſquam moriatur. Ait ei Jeſus : Vade, filius tuus vivit, & credidit ipſe & domus ejus tota. *Pſal.* Domine ne in furore. ij.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per odoratum.

Antiphona. Cor contritum & humiliatum ne deſpicias, Deus ; ſed propter magnam miſericordiam tuam miſerere mei. *Pſal.* Miſerere mei Deus ſecundum.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per tactum.

Antiph. Domine puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi ego veniam, & curabo eum. *Pſal.* Domine exaudi. j.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per inceſſum.

Antiphona. Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. *Pſal.* De profundis.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per illicitas cogitationes & per ardorem libidinis.

Antiph. Cum ſol autem cecidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis langoribus ducebant illos ad Jeſum, & curabantur. *Pſal.* Domine exaudi. ij.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. Dominus conſervet eum. Dominus opem ferat illi. Nihil proficiat inimicus in eo. Exurge, Domine, adjuva nos. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos, &c. *Oratio.* Reſpice, Domine, famulum tuum, &c. *Oratio.* Deus qui facturæ tuæ, &c. *Oratio.* Deus qui humano generi, &c. *Oratio.* Virtutum cæleſtium, &c. Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c. Præveniat hunc famulum &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris ne ſit, &c. Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua indigeo, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium &c. Deus infirmitatis humanæ, &c.

Digitized by Google

CAPOT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Ad apportandum autem Corpus Domini cantatur à ſacerdote iterum Pſal. Miſerere mei Deus ſecundum. *Quo allato, confitetur æger tantum. Non enim dicit* Miſereatur veſtri. *Omnes vero abſolvunt eum tantum, non enim dicunt* Confiteor. *Et ſacerdos ſolus, ſi deerit abbas, dicit* Indulgentiam & remiſſionem. *Deinde communicatur; & poſtea offertur ei crux ad adorandum & deoſculandum. Deinde oſculatur eum ſacerdos, & reliqui omnes per ordinem, ad quam oſculationem quiſque fratrum petit ei duas venias; alteram quidem ante oſculum, alteram vero poſt.*

Poſtquam autem frater ad hujuſmodi venerit infirmitatem, providetur ei unus famulus qui non habeat aliud facere, niſi ut obſequatur infirmo. Sed & in nocte famuli qui ſunt in domo infirmorum omnes diligenter excubant, ne obitus ejus improviſus eveniat. Crux debet eſſe contra faciem ejus affixa, & lumen cerei uſque ad clarum non defuerit. Si quis eſt frater ita devotus cui libeat ita excubare cum infirmo, conceditur à priore, maxime ſi talis eſt qui poſſit horas cantare regulares, & venienti ad extrema legere Paſſiones.

Famuli autem qui ſunt in talibus exercitati & periti, cum viderint horam exitus ejus imminere, cilicium expandunt, cinerem deſuper in modum crucis componunt, & ſic infirmum ſuperponunt. Mox ab uno eorum percutitur tabula coram hoſtio clauſtri crebra & continua percuſſione. Quod vero cum ſignum ſit obituri, illico ut auditur à fratribus omnes accurrunt: & quamvis noſtri ordinis non ſit currere, tam ad hoc, quam ad incendium, à nemine obſervatur ut non currat, ſed & praeceptum eſt. Sed ſi hac tabulæ percuſſio evenerit vel quando alterutra miſſa, vel quando regularis hora cantatur, quotquot ſunt foris chorum accurrunt; qui autem in choro minime, niſi quibus prior innuerit; & obedientiarii qui ad exequias aliquid ſunt facturi. Quod ſi in refectorio adhuc ſedent, & lectio necdum eſt finita, inde quoque proſiliunt, quamquam defuncti corpore lavato & in eccleſiam deportato, denuo ſit illuc redeundum, ut lectio finiatur, & pſalmus conſuetus cantetur. Accurrentes autem cantent clamando Credo in unum Deum *feriter & ſepius repetendo.*

Sed ſi exitus ejus tardior fuerit, agenda eſt ipſo Domno abbate vel priore pronunciante letania, & unicuique ſanctorum ſubjungendum eſt, Ora pro eo hoc modo.

Parce, Domine, parce famulo tuo N. quem redemiſti pretioſo ſanguine tuo ne in æternum iraſcaris ei.

Hic verſus tertio pronunciatur à priore vel ſacerdote; & totiens repetitur ab omnibus: Deinde dicitur letania ſequens:

Pater de cælis Deus,	Miſerere animæ famuli tui.
Fili Redemtor mundi Deus,	miſerere animæ ejus.
Spiritus ſancte Deus,	miſerere animæ ejus.
Sancta Trinitas unus Deus,	miſerere animæ ejus.
Qui es trinus & unus Deus,	miſerere animæ ejus.
Sancte Sanctorum Deus,	miſerere animæ ejus.
Ipſe idemque benignus Deus,	miſerere animæ ejus.

CAPUT XV *In quo varii ad juv. &c.*

Sanɛte Salvator mundi Deus, miſerere animæ ejus.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancta Dei genitrix, ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum, ora.
S. Michael, ora pro eo.
S. Gabriel, ora pro eo.
S. Raphael, ora pro eo.
S. Johannes Baptiſta, ora pro eo.
S. Innocentes, orate.
S. Petre, ora.
S. Paule, ora.
S. Andrea, ora.
S. Johannes, ora.
S. Jacobe, ora.
Omnes ſancti apoſtoli, orate pro eo.
S. Stephane, ora.
S. Clemens, ora.
S. Laurenti, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Nigaſi, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate pro eo.
S. Audoene, ora.
S. Romane, ora.
S. Silveſter, ora.
S. Martine, ora.
S. Nicolae, ora.
S. Benedicte, ij. ora.
S. Maure, ora.
Omnes Sancti Confeſſores, orate pro eo.
S. Maria Magdalena, ora.
S. Felicitas, ora.
S. Agatha, ora.
S. Scholaſtica, ora.
Omnes ſanctæ Virgines, orate pro eo.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Libera eum Domine.
De gladio maligno, Libera eum Domine.
A morte perpetua, libera eum.
A pondere peccatorum, libera eum.
A tetra caligine, libera eum Domine.
Per crucem tuam, libera eum.
Per interceſſionem omnium ſanctorum, libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas, te rogamus audi nos.
Ut ſpiritum ejus à loco anguſtiæ liberes, te rogamus audi nos.
Ut cum fiducia diem judicii expectet, te rogamus audi nos.
Ut eum in numero placentium tibi recenſere facias, te rog.
Ut eum à numero malorum diſcerni facias, te rogamus audi nos.
Ut eum in regno vivorum æternis gaudiis foveri jubeas, te rogamus.
Ut eum præmia æternæ vitæ adipiſci facias, te rogamus audi nos.
Ut eum à mortifero vaſtatore defendere digneris, te rogamus.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce ei, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere ejus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona ei requiem.

Quod ſi necdum finivit, recedat conventus, & aliquanti qui remanent pſalterium incipiunt, & obſervant vicinum exitum: quem dum perceperint, faciunt iterum tabulam percuti, ut conventus accurrat, qui ſemper debet adeſſe ad exitum, niſi pro regulari hora vel alterutra miſſa remanſerit: qui accurrentes Credo in unum Deum, *vociferant ſicut prius. Illi autem qui propter horam regularem remanſerunt, non ita currunt, ſicut alii fecerunt; ſed leniter incedunt cantando non* Credo in unum Deum, *ſed veſperas pro defuncto.*

Cum autem non dubitaverint eum obiiſſe; abbas ſi adeſt, vel prior ſignat eum manu ſua, & dicto Dominus vobiſcum, *ſubjungat* Abſolve Domi-

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

ne. *Quo facto, totus conventus incipit* Placebo Domino: *exit de infirmaria exceptis qui neceſſarii ſunt ad corporis lavationem, atqui in trinſantiis ante ipſam infirmariam finitis veſperis defunctorum, incipiunt officium. Prior vero vel ſacerdos alius qui cum corpore remanſit, finito fratre, & inchoato* Placebo Domino *ab illis qui præſentes fuerint; præmiſſo* Dominus vobiſcum, *dicit has duas collectas privatim cum aliquo præſentium fratrum, aliis proſequentibus quod inceperunt.* Dominus vobiſcum. Oremus. Piæ recordationis affectu, &c. Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, &c.

Quibus finitis, parata proceſſione ſpargit abbas vel prior aquam benedictam ſuper ſtragulam ſuper quam portari debet ad lavandum, & ſuper ipſum corpus: Deinde hoc utrumque incenſat ibidem: & ſic effertur corpus ad lavandum cum proceſſione aquæ, crucis, thuribuli, & candelabrorum: quam apportaverunt converſi de monaſterio ſignis pulſis, ad quæ pulſanda acceleraverunt mox ut perceperunt defunctum obiiſſe.

Ad lavandum aqua calida parata eſt ab infirmario, qui ibidem debet ſervire de thuribulo incenſo copioſe referto. Camerarius adeſt, qui miniſtrat acus cum filo ad conſuendam cucullam circa corpus, ſicut mos eſt. Cujus ordinis eſt defunctus, illius ordinis eſſe lavatores debent. Lavandum totum corpus à capite uſque ad pedes, coopertis ſemper verendis aliquo veteri ſtramine. Hoc notandum quod refectorarii, & coci, & ſervitores hebdomadarii miſſæ, & evangelii & epiſtolæ ſuſpenduntur ab illa lavatione, ſi conventus hoc patitur. Inter lavandum cantantur ibidem veſperæ & officium defunctorum ab uno armariorum qui ibi adeſt cum lavatoribus, & aliis pluribus. Cum lavatur, dicitur ab uno priorum vel ſacerdotum hæc collecta privatim, præmiſſo ſtatim Dominus vobiſcum.

Oremus.

Suſcipe, Domine animam famuli tui N. quam de ergaſtulo ſæculi hujus vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, ut abſoluta omnium vinculis peccatorum, quietis & lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter ſanctos & electos tuos in reſurrectionis gloria reſuſcitari mereatur. Per Dominum.

Qua finita, & lavato corpore, aſpergitur feretrum aqua benedicta & incenſatur ſicque corpus ibi collocatur, operto feretro, & finito à conventu officio, percutitur tabula à priore uno ictu, & pronunciato ab abbate vel priore ſtatim Pater noſter, *fit oratio brevis omnibus inclinatis.* Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiſcum. *Dicit has duas orationes cum uno fine.*

Deus vitæ dator & humanorum corporum reparator, &c. Deus qui humanarum animarum æternus amator es, &c.

Quibus dictis, infertur ab armario Subvenite Sancti. *Procedit proceſſio, quam per conſuetudinem converſi deferunt: Sequuntur pueri, deinde novitii, & poſtmodum priores, ad extremum corpus. Pulſantur interim omnia ſigna: portatur per capellam infirmorum, ſuſtinetur ibi à portantibus, donec finito reſponſorio* Subvenite *cum verſu, & repetitione pronuncietur à Domno abbate* Pater noſter. *Qua omnibus inclinatis finita, ſubjungit idem:* Et ne nos.

CAPUT XV
In quo vari ad juv. &c.

A porta inferi. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus veniæ largitor, &c. *abſque* Dominus, *vel* Requieſcat in pace. *Deinde ſubjungit armarius* Heu mihi Domine. *Et præcedente conventu eo ordine quo cœperat defertur in majorem eccleſiam, pulſantibus ſignis, quo uſque deponatur ſuper formas quæ ad hoc negotium ſunt parata. Crux cum candelabris ad caput ejus affigitur: incipitur pſalmodia, ubi dimiſſa eſt, hoc eſt* Exultabunt Domino. *Quo dicto, dicitur* Verba mea: *Deinde pſalterium incipitur ab omnibus. Quo finito, ſubjunguntur veſpera, officium,* Exultabunt Domino. Verba mea. *Ad quæ, id eſt veſperas, officium,* Exultabunt, *una ſola collecta dicitur, quæ eſt* Omnipotens ſempiterne Deus, cui numquam. *Ad quam inclinatur ab omnibus, ſicut ad* Pater noſter, *quotiens dicitur, ſicut etiam aſſurgitur ad* Magnificat *&* Benedictus.

Ab illa hora quo uſque portetur ad ſepulcrum, non omittitur abſque pſalmodia, niſi miſſa generalis aut hora regularis cantetur, vel ad intervalla quæ ſunt poſt orationem veſperorum ſeu tertiæ, cum reveſtiuntur miniſtri ad miſſam, ſive in die jejunii poſt orationem ſexta vel nonæ, ſi reveſtiuntur. Ad quas horas cum ſignum pulſatur, ceſſat pſalmodia, præter ad ſolos nocturnos: tunc tenetur uſque ad introitum puerorum. Quando conventus eſt in capitulo, vel in refectorio, prior præcipit aliquantis fratribus remanere. Si eſt tempus quo fratres meridiari ſolent, illo die non dormiunt. Si defunctus ante ſonitum qui fit in dormitorio obierit, ipſo die ſepeliatur. Si autem poſt, minime, niſi intervenerit aliqua rationalis cauſa, ſicut eſt raſura generalis, vel fœtor ipſius corporis, aut aliquid hujuſmodi. Et tunc debet ei reſtaurari pſalmodia, quæ fieret ei in nocte ab omnibus. Si vero ipſo die non ſepelitur; aguntur tres vigiliæ in nocte, ſive ſit æſtas, ſive ſit hyemis tempus: quarum primam agit dexter chorus cum armario, ſecundam vero ſiniſter cum ſecretariis, tertiam poſt matutinos pueri cum magiſtris. Quæ vigiliæ ſecundum longitudinem vel brevitatem noctium ſunt diſtinguendæ. Ad longiores noctes ſufficit totum pſalterium cum veſperis, officio, Exultabunt, Verba mea, *ad unamquamque vigiliam. Ad medias noctes centum pſalmi cum veſperis & cæteris ut ſupra. Ad breviores noctes quinquaginta pſalmi cum ceteris veſperis.*

In craſtino vero in capitulo; ſtatim poſt ſermonem debet abſolvi ab abbate, qui etiam abbas, ſi illa hora non eſt in capitulo, expectari debet, ſi infra monaſterium eſt; Si autem ad ipſum forte capitulum non venerit, alia re occupatus, finiri ullatenus debet præſens capitulum quin in eo vel à priore abſolvatur. Ad tricenarium privatim ſeu fratribus imponendum nulla mora debet eſſe quin initio capituli ante omnia nominatis ibidem fratribus, & in tabula ab armario per ordinem ſcriptis, à priore imponatur, ſive debeat abbas venire, ſive non. Finito capitulo ſi habent Verba mea *de anniverſario, ibi cantatur, ubi ſolet: mox percutitur tabula, & dicitur ab abbate vel priore ſtatim poſt* Benedicite, Eamus ad defunctum. *Ita fit, ſi eſt dies, quo ſoleant loqui in clauſtro, & non habentur breves deforis. Nam ſi breves habentur, unde debeat fieri officium, vel* Verba mea *in monaſterio cantari, finito capitulo, mox percutitur tabula, & dicto* Benedicite *&* Eamus ad monaſterium; *ibidem incipiunt* Verba mea *& vadunt cantando in ora-*

torium, vel utrumlibet, vel alterum tantum: deinde ad corpus.

Si ſpatium eſt ante Tertiam, ibi cantant pſalmodiam: Si ea die eſt raſura, ſtatim poſt capitulum ſepelitur: quia non eſt uſus aliquod opus fieri in clauſtro quandiu defunctus eſt ſepeliendus, præter breves qui pro eo mittendi ſunt. Et tunc ita fit. In fine capituli dicit qui tenet capitulum ſedens ſine percuſſione tabulæ: Eamus ad defunctum ſepeliendum: *tunc reſervatur* Verba mea, *quod eſt pro anniverſario, quo uſque defunctus ſit ſepultus, & raſura incipiat, ad quam per conſuetudinem ſolet dici; & ita vadunt ad defunctum ſepeliendum. Cum vero ventum fuerit in oratorio, continuo à priore pulſabitur ſignum ter quod ſimili modo ſolet pulſari quando ſepelitio debet fieri poſt majorem miſſam ad convocandos fratres. Tunc etiam continuo diſtribuuntur cerei à ſecretariis per ordinem ex utroque choro. Et ſacerdote hebdomadario reveſtito incipiunt armarii* Kyrie eleiſon, *quod ſicut ter ab eis pronunciatur, à conventu quoque repetitur. Sacerdos vero ſubjungit hanc collectam, ſine ſalutatione, ad quam totus conventus eſt inclinans, ſicut ad alias duas ſequentes.* Oremus. Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine. *Tunc inferunt armarii* Subvenite ſancti Dei. ℣. Suſcipiat. *Quo incepto ab eis, & à conventu excepto, procedit ſacerdos ad majus altare & incenſat coram & deſuper tribus vicibus; in fine deſuper crucem faciendo, deinde venit ad corpus, & incenſat illud tantummodo in cruce, & inde reddit thuribulum converſo. Conventus vero proſequitur Reſponſorium inceptum cantando: Armarii verſum, chorus repetitionem. Poſtquam armarii ſubjungunt ter* Kyrie eleiſon, *ad quem totum cantum chorus verſus eſt ad altare. Jam nunc ſacerdos ſubjungit aliam collectam omnino ſicut ſupra.* Oremus. Fac quæſumus, Domine, hanc cum famulo tuo miſericordiam, &c. ℟. Antequam naſcerer. ℣. Commiſſa mea. *Omnino tam de reſponſorio quam de incenſatione &* Kyrie eleiſon, *ſicut ſupra.* Oremus. Inclina, Domine, aurem tuam, &c. ℟. Libera me, Domine. ℣. Nunc Chriſte. *Finito autem hujus ℟. verſu, & repetitione, & incenſato altari & corpore à ſacerdote, ſubjungit armarius antiphonam hanc,* In paradiſum *cum pſalmo* In exitu Iſrael de Ægypto. *Præcedit ſacerdos cum proceſſione, infantes cum magiſtris ſequuntur. Deinde novitii, poſtmodum priores, ultimus Domnus abbas. Poſt ipſum, corpus. Stant etiam in eccleſia S. Mariæ infirmi cum cereis. Illi autem qui carne utuntur in parte ſtant, capitibus coopertis, conventus autem perveniens in cimiterium expandit ſe in modum coronæ. Sacerdos cum proceſſione vadit uſque ad ſepulcrum, & expectat ibi donec corpus veniat. Mox ut venerit, dicit has duas orationes:* Obſecramus miſericordiam. Deus apud quem mortuorum. *Pulſantur omnia ſigna ex quo corpus effertur de monaſterio uſquequo poſitum ſit in terra, & operculo coopertum. His finitis, continuo ſpargit aquam in ſepulcrum & incenſat. Quo completo, ſine mora deponitur corpus, & ipſum aſpergitur & incenſatur. Deinde operitur operculo, & poſtmodum de terra, ſacerdote prius cum pala deſuper ipſum projiciente trina vice. Nunc cerei extinguntur à ſenioribus. Sacerdos ſubjungit has quatuor orationes.* Dominus vobiſcum. Oremus. Fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Caput XV
In quo variis ad juv. &c.

noſtri, &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, &c. *Hic non dicitur* Oremus. Debitum humani corporis &c. *Neque hic dicitur* Oremus. Temeritatis quidem eſt, Domine, ut homo hominem, &c.

Hæc dum agit ſacerdos, nec ipſe intendit ad conventum, nec conventus ad eum: ſed ipſe cum armario & converſis qui ſerviunt de proceſſione & eis qui ſepeliunt corpus facit hoc officium. Conventus vero ex quo venit in cimiterium, expandit ſe in modum coronæ, & inter ſepeliendum cantantur hi pſalmi cum antiphonis. Antiph. Apetite. *Pſal.* Confitemini. *Ant.* Ingrediar. Quemadmodum. Hæc requies mea. Memento. De terra plaſmaſti me. Domine probaſti me. Non intres in judicium. Domine exaudi, ij. Omnis ſpiritus. Laudate Dominum. Abſolve, Domine. Benedictus. *Peroratis autem à conventu his pſalmis, & finitis à ſacerdote quatuor prædictis collectis, omnes inclinati dicunt.* Pater noſter. *Et ſacerdos cum proceſſione veniens in medium cimiterii, in medio conventus, inter majorem eccleſiam & illam de ſancto ſepulcro, ſubjungit* Et ne nos. Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine. Dominus vobiſcum. Oremus. Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. &c. *Qua dicta, ſtatim infert conventus* Miſerere mei Deus. *Pro his qui in cimiterio requieſcunt. Quo finito, ſubjungitur* Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua. Pater noſter. Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiſcum. Deus cujus miſeratione animæ fidelium, &c. Dominus vobiſcum. Requieſcant in pace.

Quo expleto, faciunt omnes ante & retro, & inceptis vij. pſalmis, redeant omnes in eccleſiam præcedente cum proceſſione, ſequentibus infantibus cum magiſtris, ac deinde priores. Qui ut veniunt in oratorio, continuo ſe proſtrant, ſicut ſolent facere ad letaniam, & ſic finiunt pſalmi. Sacerdos vero ut intrat eccleſiam, citius diveſtit ſe alba & ſtola, & proſtratus cum aliis, finitis pſalmis cum Requiem æternam dona ei Domine, & Pater noſter, *ſubjungit* Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiſcum. Oremus. Abſolve quæſumus animam famuli tui, &c. Dominus vobiſcum. Requieſcant in pace. Amen.

Sciendum eſt quod exquo ſacerdos revertitur de ſepulcro ad conventum, colleguntur cerei à ſecretariis, qui extincti ſunt, exquo corpus cooperculo fuit coopertum, quando quieverunt ſigna pulſari. Qui cœperunt ex quo corpus cœpit efferri de monaſterio impoſita antiphona In paradiſum *ab armario. Poſt ſeptem pſalmos, capitulum.* Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur. Dominus vobiſcum. Oremus. Satisfaciat tibi Domine Deus, &c. Requieſcant in pace. *Si non ſit monachus, non dicuntur ſeptem pſalmi, ſed benedictio ſepulcri.* Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui hominem à tuo præcepto lapſum juſta ſententia condemnaſti, &c. Domine Jeſu Chriſte, qui memor redemtionis noſtræ, &c. *Hic aſpergendus eſt tumulus aqua benedicta.* Dominus vobiſcum. Oremus. Ineffabilis Dei Patris unigenite fili, qui pro nobis humanitatem noſtræ fragilitatis aſſumens, &c.

Dominus.

Dominus Jeſus Chriſtus qui B. Petro apoſtolo ſuo ceteriſque diſcipulis ſuis licentiam dedit ligandi atque ſolvendi: ipſe te abſolvat ab omni vinculo delictorum tuorum N. Et quantum meæ fragilitati permittitur, ego abſolvo te, ſiſque abſolutus ante tribunal ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti ab omnibus peccatis tuis, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORDO XIV.

Ex ms. codice S. Audoeni Rotomagenſis.

DE RECEPTIONE NOVI ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS IN COENOBIO S. AUDOENI IN PRIMO EJUS ADVENTU ET POST EJUS OBITUM.

Domnus archiepiſcopus Rotomagenſis debet ſic recipi in eccleſia Sanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ſanctique Audoeni confeſſoris atque pontificis in novitate ſui adventus. Domnus abbas & conventus debent reveſtiri albis & cappis, crucem non ferentibus, ſed aquam benedictam, candelabra, & thuribulum. Prior portat textum evangelii uſque ad portam monaſterii. Domnus abbas non portat mitram, ſed baculum paſtoralem vel crocham ſuam, & ad dictam portam debent expectare domnum archiepiſcopum: nec debent ultra portam exire ſecundum conſuetudinem dictæ eccleſiæ. Cito quod dictus archiepiſcopus venit ad dictam portam, prior tradit textum Domno abbati: tunc domnus abbas tradit textum domno archiepiſcopo ad oſculandum, poſtea aquam benedictam, & incenſat eum, & ſic ambo intrant in monaſterium. Tunc cantor incipit Honor, virtus. *Interdum theſaurarius reliquiarum oratorium in choro ante altare apoſtolorum pro domno archiepiſcopo ordinat. Reſponſorio finito, cantor tradit librum domino abbati ubi preces & oratio ſunt.*

Oratione dicta, archiepiſcopus ſurgit de oratorio, & domnus abbas ducit archiepiſcopum in capitulo, ubi facit unam collationem, ſi placet, vel facit facere per alium. Poſtea vadit in camera ordinata pro ſua perſona, & ea die cum propria familia ſua & non extranea procuratur. In craſtino vero venit domnus archiepiſcopus in eccleſia, & pallio præcedente ante illum, & oratorio ſuo ordinato in choro ante altare apoſtolorum à theſaurario reliquiarum, ut prius. Oratione ſua facta, archiepiſcopus accipit pallium in manibus ſuis, & ponit ſuper altare, & oſculatur altare. Tunc cantor ſancti Audoeni incipit ℟. Sint lumbi veſtri. *Poſtea archiepiſcopus tradit pallium ſuum alicui ſuorum; & ſic archiepiſcopus & abbas & conventus exeunt de choro. Abbas & conventus ſunt reveſtiti in albis & cappis: abbas non portat mitram ſed baculum paſtoralem, vel crocham. Archiepiſcopus non facit portare crucem ſuam, quia crux conventus præcedit ante conventum cum thuribulo & & candelabris & aqua benedicta; & vadit conventus cum abbate uſque ad portum Morandi ante atrium B. Mariæ. Et archiepiſcopus vadit ad eccleſiam S. Hermelandi ſe diſcalciari: poſt hæc venit ad paſſum atrii B. Mariæ,*

NNnn

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

ubi abbas attendit illum. Tunc dictus abbas accipit eum per manum & tradit illum decano B. Mariæ coram capitulo dictæ eccleſiæ ſic dicendo : Ego abbas S. Audoeni trado vobis Domnum archiepiſcopum Rotomagenſem vivum, quem reddetis nobis mortuum. *Et ſic archiepiſcopus intrat in cimiterio B. Mariæ, & ibi facit juramenta eccleſiæ B. Mariæ coram decano & capitulo. Tunc Domnus abbas ſine mora cum conventu ſuo revertitur.*

Corpus mortuum Domni archiepiſcopi Rotomagenſis ſic debet reddi in eccleſia SS. Petri & S. Audoeni. Domnus abbas S. Audoeni debet eſſe in conventu ſuo non reveſtito cum baculo ſine mitra : & debent venire per navem ad introitum portæ cum cruce, candelabris, thuribulo, aqua benedicta. Decanus B. Mariæ cum capitulo debet intereſſe una cum corpore Domni archiepiſcopi : & tunc debet decanus vel alius pro eo venire ad abbatem, ubi abbas eum expectat, & dicere verba quæ ſequuntur : Vos tradidiſtis nobis Domnum archiepiſcopum vivum, nos reddimus vobis eum mortuum : ita ut craſtina die reddatis eum nobis. *Et debet ſecundum conſuetudinem monaſterii noſtri ei anulos Domini archiepiſcopi oſtendere, & ponere manum ad feretrum, & tradere abbati, & abbas ſimiliter conventui, qui eum debet deferre in choro ante altare apoſtolorum Petri & Pauli, capitulo B. Mariæ ſubſequente. Et ſacriſta debet ponere circa feretrum tot cereos per quot annos rexit archiepiſcopatum Rotomagenſem dum vivebat. Conventus debet dicere* Dirige *ante veſperas. Familia archiepiſcopi debet procurari ſi corpus fuerit præſens. Conventus inſimul dicunt pſalterium craſtina die poſt & capitulum in* Locus corruptus & intricatus. *xii. lect. abbas vel prior, vel cui abbas commiſerit cantabitur miſſa matutinalis in tribus lectionibus. Poſt primam cantabitur miſſa matutinalis ; abbas & conventus ſunt reveſtiti in albis & cappis : & erit miſſa matutinalis ad ad magnum altare, videlicet miſſam ſolemnem ; & eſt altare paratum de magnis pannis ſericis. Cantor tenet chorum cum quatuor monachis antiquis. Abbas ſi non cantat miſſam eſt in ſede ſua verſus altare. Finita miſſa monachi debent levare corpus archiepiſcopi & portare in humeros ſuos, vel per fuſtones, alias* baſtons *gallice uſque ad crucem cœmeterii S. Audoeni. Tunc amici archiepiſcopi defuncti cum decano & capitulo B. Mariæ accipiunt corpus, & portant eum ad abbatiam S. Amandi. Miſſa finita, deferunt corpus archiepiſcopi ad eccleſiam B. Mariæ.*

DE OBITU ABBATIS S. AUDOENI ROTOMAGENSIS.

PRo obſequio corporis abbatis defuncti, ſi in abbatia obiit, fertur in medio chori inter magnum candelabrum & altare apoſtolorum corpus in pontificalibus indutum mitra ſua in capite cum baculo paſtorali, cum chirothecis & annulo in manibus ſuis, cum magna luminaria, ſicut ordinatum erit ab officialibus ſuis. Placebo & Dirige *ante veſperas, ſicut in obitu Domni Nicolai abbatis. Poſt completorium dicitur pſalterium. Craſtina die poſt primam itur in capitulo. Poſt capitulum miſſa matutinalis. Ille abbas vel alius qui ordinatus fuerit ad hoc cantabit miſſam de Sancto Spiritu, vel de Sancta Maria. Conventus erit indutus in albis & cappis. Cantor cum quatuor*

antiquis formam tenebunt. Alia miſſa erit de Requiem, *& ita ille qui ad-hoc deputatus fuerit cantabit miſſam. Miſſa dicta, & corpore inhumato, omnibus completis, ad ſonum pro magna diei miſſa, & ſexta dicta, poſtea in refectorio. Illic erunt abbates, & religioſi & ſæculares, qui ſubmoniti & deputati erunt à priore & baillivo cum ſeneſcallo dictæ eccleſiæ. Poſt prandium in camera abbatis detur ab omnibus de ſpeciebus & de vino bono, &c.*

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Si autem abbas obiit extra abbatiam ſuam in aliquo de maneriis ſuis, conventus ibit contra eum ad proceſſionem in frocis ſuis uſque ad terminum præfixum cum cruce, candelabris, thuribulis, aqua benedicta, cum pluribus torchiis. Obviante mortuo, cantor incipit Libera me, *& ceteris Reſponſoriis, uſque ad eccleſiam cantando alta voce. Corpore apportato in choro, ubi debet eſſe cum magna luminaria; ut ſupra; ſi corpus indutum eſt pontificalibus ut ſupra unde quidem. Si eſt in ſuo ſarcofago, & ad vitam ſuam ordinavit, unde eſt totum reſiduum, ut ſupra de ſepultura & de foſſa in quo loco vult eſſe in vita ſua debet ordinare.*

Domnus abbas Johannes de Fontanis obiit in manerio ſuo de Rouche-rolles, *prima die menſis Maii anno Domini* 1207. *Conventus cum frocis ſuis cum cruce, candelabris &c. obviaverunt corpus circa boſcum de* Bihorel. *Corpus indutus in pontificalibus, &c. ut ante dictum eſt Capitulum B. Mariæ cum quatuor religioſis in proceſſionibus ſuis obviaverunt dictum corpus, & conventum S. Audoeni in vico de alba via, & ſimul venerunt uſque ad monaſterium dictæ abbatiæ.*

ORDO XV.

Ex ms. codice monaſterii S. Georgii in pago Rotomagenſi.

COMMENDATIO ANIMÆ.

C*Um anima in exitus ſui agone viſa fuerit laborare, conveniant monachi vel ceteri fideles quique, & dicant* Credo in unum *& ſeptem pſal. pœnitentiales, ac deinde hæc oratio tribus vicibus dicatur, ſacerdote incipiente.*

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei.

Deinde letania. Poſt Agnus, Subvenite. *Oratio.* Piæ recordationis. Proficiſcere.

Deinde lavetur corpus & poſt hæc accedat proceſſio cantando Miſerere. Requiem. Non intres. Erue Domine A porta inferi. Erue. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Deus vitæ dator. Deus qui humanarum animarum. *Poſtea portetur corpus in eccleſiam cantando* Subvenite. *Deinde veniant duo fratres ante altare, & dicant* Kyrie eleiſon, *ter. Sequitur.* Suſcipe, Domine, animam ſervi tui, &c. ℣. Qui Lazarum. Requiem. Kyrie eleiſon. *Oratio.* Non intres. ℟. Heu mihi. ℣. Anima mea turbata eſt. Kyrie eleiſon. *Oratio.* Fac quæſumus. ℟. Libera me, &c.

Tunc eat proceſſio in antea deinde priores. Poſt portetur corpus defuncti, cantore incipiente In paradiſum. *Pſal.* In exitu. *Oratio.* Te, Domine ſancte, Pater. *Antiph.* Aperite. *Pſal.* Confitemini. *Oratio.* Obſecramus miſericordiam. Deus apud quem mortuorum ſpiritus vivunt. *Benedictio ſepulcri.* Rogamus te, Domine. Sanctificetur illud. Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut abſterſis, &c.

Deinde aſpergat ſacerdos aquam benedictam poſt incenſum. Hic mittatur corpus in ſepulcrum. Ingrediar. *Pſal.* Quemadmodum. *Oratio.* Diri vulneris. Oremus. Fratres cariſſimi. Hæc requies mea. Memento. *Oratio.* Debitum humani corporis. Deus qui & juſtis ſupplicationibus. Miſericordiam tuam, Domine. *Abſolutio.* Abſolvimus te. *Hic cooperiatur corpus in ſepulcro.* De terra plaſmaſti. Domine probaſti. *Oratio.* Temeritatis. *Oratio.* Suſcipe Domine. *Antiphona.* Non intres. *Pſal.* Domine exaudi. *Oratio.* Deus cui omnia vivunt. *Antiph.* Omnis ſpiritus. *Pſal.* Laudate. *Oratio.* Suſcipe, Domine. *Antiph.* Omne quod dat. Benedictus. *Orat.* Deus origo.

Tunc roget ſacerdos orare pro anima defuncti. Pater noſter. Non intres. Dominus vobiſcum. Tibi, Domine, commendamus, *pro his qui in cœmeterio requieſcunt.* Miſerere. Requiem. Pater noſter. A porta inferi. *Orat.* Deus cujus miſeratione.

Si frater fuerit de congregatione in revertendo dicant ſeptem pſalm. pœnitentiales proſtratiſque fratribus in choro dicat ſacerdos hanc orat. Abſolve. Domine ne in furore, & Requiem æternam. Pater noſter. Non intres. A porta inferi. *Oratio.* Satisfaciat tibi, Domine.

Benedictio eleemoſynæ. Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, ſanctificator animarum, qui es Trinitas & unitas: precamur te, clementiſſime Pater, ut eleemoſyna iſta fiat miſericordia tua accepta cibum pro anima famul. tu. N. ut ſit benedictio tua ſuper omnia bona iſta. Per.

ORDO XVI.

Ex ms. codice monaſterii Pontislevii.

LA FOURME, ET LA MANIERE D'ENTERRER LE ROY.

C'Eſt la fourme & la maniere après le treſpas du Roy, comment il ſe doit porter en litiere pour porter ou lieu où il a élû ſa ſepulture.

Premierement, convient avoir une litiere portée par certains Officiers Royaux, & doit eſtre en ladite litiere une forme ou forme en ſemblance du Roy couché en lit, en grands draps; la forme toute veſtuë en forme de homme comme Roy. C'eſt à ſçavoir veſtu d'un pourpoint, tunique, & dalmatique de drap d'or à fleurs de lys fourré d'harmines, fermé deſſus l'eſpaule d'un bouton des perles, tenant en ſa main dextre un grand ſceptre, & en la main feneſtre un main de juſtice avecques anneaux eſdites mains, en ſa teſte une couronne, les ſandales, chauſſes ſemblables auſdits veſtements, avec ſoliers de

meſme, couvert ladite littiere de drap d'or, pendant de tout coſté de ladite littiere, & dedans ladite littiere vers la teſte dudit Roy à deux orilliers de velous vermeil à quatre houppes de perle chacun au pied de ladite littiere, deux lampiers d'or pleins de cire ardans continuellement juſqu'après la ſepulture, une croix, un benoiſtier, & deux aſcenſiers d'or; & pour couvrir ladite littiere, un ciel de drap d'or à quatre lances; & après la ſepulture dudit Roy, eſt couverte la place d'un drap d'azur à fleur de lys à une croix blanche de velous.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

L'an M. CCCC. LXI. *treſpaſſa le Roy Charles VII. de ce nom ou chaſtelle de Mung le jour de la Magdelaine. Dieu par ſa grace doint repous à ſon ame. Amen.*

ORDO XVII.

Ex veteri Rituali eccleſiæ Toloſanæ.

ORDO AD SEPELIENDUM MORTUUM.

PRimo *hora qua Domno cantori videbitur quod erit condecens ad eumdum quæſitum funus, pulſentur ſigna, ut omnes conveniant. Ipſis conventis, pergant bini & bini pſallentes ſubmiſſa voce alternatim cantica graduum ſine* Gloria, *& ſine* Requiem *uſque ad locum funeris, virgario & corariis precedentibus, qui virgam, crucem erectam, thuribulum & aquam benedictam deferunt. Poſtquam vero pervenerint ad locum funeris, deſiſtant cantare prædictos quindecim pſalmos: & ſtatim Domnus cantor vel hebdomadarius induat ſe ſtola & pluviali nigri coloris, & properet ad feretrum in quo funus eſt preparatum ad deferendum; & accepta aqua benedicta & thuribulo aſpergat & incenſet illud, dicens:* Kyrie eleiſon *&* Pater noſter *&* Requiem æternam, *&* A porta inferi, *&* Dominus vobiſcum.

Oratio.

Deus cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem, tribue quæſumus, ut anima famuli tui terrenis exuta contagiis in tuæ redemtionis parte muneretur. Qui vivis & regnas. ℣. Requieſcat in pace.

Poſtea dicatur officium mortuorum ibidem, ſi quæſiverit: alias autem ordinata proceſſione; accenſis luminaribus, precedente cruce cum candelabris, thuribulo & aqua benedicta, incipiet cantor antiphonam Ad te levavi *& alia reſponſoria, quæ ſibi videbuntur; & ſic bini & bini diſpoſiti pergant ad eccleſiam. In ingreſſu autem eccleſiæ ibidem ſiſtunt; & interim officians indutus ſtola & pluviali aſpergit iterato corpus defuncti dicens:* Requiem æternam, *&* A porta inferi *&* Domine exaudi. ℣. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Abſolve. *Quo dicto, ingrediuntur eccleſiam, & cantores cantant antiphonam*, Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem cur non ſuſtineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc Dominus dedit.

Si indulgentiam ille ex legitima facultate, conſequi poſſit, memoriam redigat, proponens etiam quid ad conſequendum agi debeat, ſi ipſi parocho aut confeſſario forte commiſſa ſit ipſa conceſſio, utetur formula ad id accommodata.

Procul ſecedere jubebit conjugem, liberos, domeſticos, præſertim gementes ac lugentes, eoſque item quos in vita caros ille habuit.

Magno etiam anima fructu moribundus, quatenus expedire videbitur, ad fidei articulos, aliaque ut infra confirmanda & profitenda inducetur, maxime ſi ægrotantem & morientem dæmonis impulſu aliquo modo hæſitantem aut titubantem parochus animadverterit: Interrogatus autem ægrotus verbis reſpondebit: ſin autem morbi vi reſpondere lingua non poterit, ſaltem dum mente integra eſt, nutu aut ſigno aliquo exteriori reſpondebit.

Interrogationes autem adhibebit, vulgari ſermone, ſi latine ægrotus neſciat: ſunt autem hujuſmodi.

Nonne, frater cariſſime, firmiter credis omnes articulos fidei, & quicquid ſancta Romana catholica & apoſtolica credit eccleſia? ℟. Credo.

Nonne deteſtaris, reprobas & anathematizas omnes hæreſes, & quicquid eadem deteſtatur reprobat & anathematizat catholica mater eccleſia? ℟. Deteſtor, reprobo & anathematizo.

Nonne vis mori in ſoliditate fidei catholicæ, ut verus chriſtianus? ℟. Volo.

Cognoſcis ne te multum & ſæpius offendiſſe creatorem tuum, animam tuam, & proximum tuum? ℟. Cognoſco.

Doles ex corde de omni offenſa qualitercumque contra Dominum Deum tuum, te ipſum & proximum tuum commiſſa? ℟. Doleo.

Nonne omnem quem pateris dolorem propter Deum in pœnitentiam tuorum peccatorum patienter & æquanimiter toleras? ℟. Tolero.

Nonne pœnitet ingratum fuiſſe Deo de multis beneficiis in te collatis ad ſalutem animæ tuæ? ℟. Pœnitet.

Et quod toties recidiſti in peccata poſt acceptam ab eo miſericordiam? ℟. Doleo.

Nonne cognoſcis tibi opus eſſe Dei miſericordia, & quod meritis paſſionis Jeſu Chriſti pœnitens Salvaberis? Cognoſco.

Poterit etiam quandoque cohortari & facere ut eo modo quo poteſt ſecum oret, etiam vulgari ſermone, ſi opus ſit, aliquo ex infra ſcriptis modis, pro ut viderit expedire animæ morientis.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. Dulciſſime Jeſu Chriſte, ob virtutem tuæ ſanctiſſimæ Paſſionis jube me aſcribi in numerum electorum tuorum, adjuva me Redemtor meus in hac extrema neceſſitate, ſuccurre animæ egenti, ſed in te ſolum ſperanti. Totum me tibi do non me renuas: ad te venio non me repellas; ſonet in mentis meæ auribus vox illa tua dulcis. Hodie mecum eris in paradiſo. Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui pro ſalute mundi es felle & aceto potatus ſicut tu conſummatis omnibus in cruce expirans in manus Patris commendaſti ſpiri-

tum tuum : ſic in hora mortis meæ in manus pietatis tuæ commendo animam meam, ut eam in pace ſuſcipias & electorum choris aggregari præcipias.

Deus meus, Deus meus, miſericordia mea, refugium meum, te deſidero ad te confugio, ad te venire feſtino, ne deſpicias me ſub tremendo diſcrimine poſitum, adeſto mihi propitius in his meis magnis neceſſitatibus. Ad te venio qui nullis dees. Cupio diſſolvi & eſſe tecum; in manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Reſpice in me, Domine, Deus veritatis, & præſta mihi Deus meus, ut in pace dormiam & requieſcam. Amen.

Hac item & ſimili ratione poterit cohortari.

Commenda te glorioſæ Virgini Mariæ dicens : Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & in hora mortis ſuſcipe.

Invoca angelos, tuum præcipue cuſtodem dicens :

Angele Dei, tu præſertim cuſtos mihi, aſſiſte migranti ex hac vita : Cuſtodite me angeli ab immundorum ſpirituum invaſione & animam meam in veſtrum conſortium aſſumite.

Commenda te ſanctis Dei præſertim quibus magis devotus fuiſti dicens : Sancti Dei omnes veſtro nunc mihi opus eſt patrocinio : veſtris orationibus cito mihi ſuccurrite, tu præſertim beatiſſima Virgo, tu ſancte N. vel ſancta N. in quem vel in quam confidentiam ſemper habui : in hoc extremo neceſſitatis articulo non me deſeras, ſed ſi unquam alias, nunc maxime, me apud Deum adjuva.

Contingit ſæpe archiepiſcopum aliis curis detentum, non poſſe ægrotantes viſitare, eiſque indulgentiam impartiri ; ob idque alium ſacerdotem & quandoque etiam ipſummet parochum delegare ad hujuſmodi piam functionem. Quare ponitur hic formula à delegato ſervanda, in hac functione.

Primo igitur excitabit infirmum ad contritionem : poſtea dicto per clericum Confiteor, *ipſo ægroto attente audiente, ſubjungit* Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, Abſolutionem, &c. *Tum demum indulgentiam ei impertit hoc modo :* Et ego authoritate mihi conceſſa & commiſſa impertio tibi Indulgentiam & remiſſionem peccatorum tuorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

ORDO AD SEPELIENDOS DEFUNCTOS SÆCULARES.

Defuncti corpore, ut ſupra curato, per aliquod temporis ſpatium antequam ad eccleſiam deferatur, debet campana pulſari pro ritu regionis. Tum congregato clero in eccleſia parochiali, ſeu alia viciniore ad domum defuncti procedetur ordine proceſſionis, prælata cruce & aſperſorio cum aqua benedicta in vaſculo. Quo cum perventum fuerit; accenſis luminibus, parochus ſeu alius ad quem id ſpectat, ſtola nigra indutus, ſtans ad pedes defuncti, verſus ad illum, dicit alta voce, ſed gravi : & advertat, ut genus in pronunciando ſemper mutet, ſi corpus ſepeliendum fœmina fuerit, ut in rubricis dictum eſt.

℣. Dominus

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Quæſumus Domine famulo tuo, cujus diem primum, &c.

Antiphona dupla.

Tu juſſiſti naſci me Domine, repromiſiſti, &c. *Pſalm.* 53. Deus in nomine tuo ſalvum me fac, &c. *Ant.* Tu juſſiſti, *ut ſupra.*

Interim dum pſalmus dicitur, parochus aſpergit corpus defuncti, deinde cubiculum, in quo obiit, ſi commode id fieri poſſit. Poſtea dicit:

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Abſolve, Domine, animam famuli tui, &c.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Anima iſtius & animæ omnium fidelium defunctorum, per Dei miſericordiam, requieſcant in pace. ℟. Amen.

His in domo defuncti peractis, ordinatur proceſſio ad eccleſiam hoc ordine. Præcedit crux, ſequuntur confratriæ cum habitu, ſi defunctus illius confraternitatis fuerit: tum clerus regularis; deinde ſæcularis ordine cum luminibus accenſis, ubi illa dantur, poſt clerum defertur corpus à quatuor, vel pluribus laïcis, aut confratribus, ſi alicujus fuerit confraternitatis, & interim canuntur ſequentes antiphonæ.

Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c.

De terra creaſti me: carnem induiſti me, &c.

Dextera tua, Domine, ſuſcepit me, &c.

Cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, &c.

Domine, Domine quando venero, &c.

Domine mitte angelum tuum, &c.

Si via longior fuerit ſupraſcriptæ antiphonæ repetantur quoties opus fuerit, vel dicantur pſalmi de veſperis aut nocturnis defunctorum.

In eccleſia collocato defuncti corpore, ita ut pedes ſint verſus orientem ſeu altare majus, & clero corpus circumſtante, legitur ſequens paſſio in parte ſiniſtra defuncti per diaconum, ſi ſit, alioquin per ſacerdotem.

Paſſio.

Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, ubi vis paremus tibi comedere paſcha. *Finis.* Priuſquam gallus cantet, ter me negabis & egreſſus foras, flevit amare. *Matth. c. 26.*

℟. Remitte mihi ut refrigerer Domine, &c.

Incœpto reſponſorio, ſacerdos accipit aſperſorium de manu miniſtri, & aſpergit corpus defuncti, diacono poſt eum incenſante.

Deinde per majorem ſacerdotem dicitur ſequens oratio recta.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Obſecramus miſericordiam tuam æterne omnipotens Deus, &c.

℟. Relaxentur vincula peccatorum meorum, &c.

Digitized by Google

Incœpto reſponſorio, iterum aſpergitur corpus defuncti & incenſatur ut ſupra.

Deinde diaconus vel ſacerdos ut ſupra legit.

Evangelium ſecundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis & turbis Judæorum. *Finis.* Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

℟. In manus tuas Domine, &c.

Finito reſponſorio dicuntur litaniæ flexis genibus, ut infra.

Domine miſerere. ℟. Domine miſerere, &c.

Finitis litaniis, ſi commode id fieri poſſit, miſſa pro mortuis canitur, quæ cantata aut ſi ea non dicatur: defertur corpus ordine proceſſionis ſervato ad ſepulturam, cantando antiphonas ſequentes, quæ antiphonæ & cetera quæ ſequuntur, nunquam omittuntur etiam ſi tunc corpus ex cauſa ad ſepeliendum non ſit.

Uſque in vita mea laudavi te Domine, &c.

Memorare Domine quæ ſit mea ſubſtantia, &c.

Adhæſit pavimento anima mea, &c.

Portio mea in terra viventium, &c.

Vide, Domine, humilitatem meam, &c.

Tu juſſiſti naſci me Domine, &c.

Credo quod Dominus non me derelinquet, &c.

Etenim pauci fuerunt dies mei, &c.

Tunc ſepeliendum eſt corpus defuncti, cantando antiphonam ſequentem:

Suſcipiat te Chriſtus qui vocavit te, &c.

Collocato corpore in ſepulcro ita ut ſupinum jaceat, pedibus ad orientem ſeu ad altare verſis ſacerdos aſpergit aqua benedicta corpus & ſepulcrum, & Diaconus ſimiliter incenſat, interim canuntur verſus ſequentes. Antiph.

Pſal. Levavi oculos meos in montes, &c.

Tunc repetitur Antiph. Dominus cuſtodiat te, &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui, &c.

℣. Requiem æternam dona ei Domine, &c.

℣. Anima ipſius & animæ omnium fidelium defunctorum, per Dei miſericordiam requieſcant in pace. Amen.

Ordo ad sepeliendum sacerdotem vel clericum.

Sacerdote defuncto, ſtatim debent campanæ pulſari, illius ſcilicet cui adſcriptus eſt eccleſiæ; ad inſtar ſalutationis angelicæ, tum ſignum dari per aliquod temporis ſpatium: Clerico autem in minoribus ordinibus conſtituto, una tantum campana pulſari debet, ut ſupra, tum curato cadavere & ſacris veſtibus ordini convenientibus induto, ut in inſtructionibus per aliquod temporis ſpatium antequam ad eccleſiam deferatur debent omnes campanæ pulſari ad inſtar ſalutationis angelicæ, tum ictibus de more interpolatis, duæ tantum pulſentur.

Digitized by Google

Congregato clero in domo defuncti ordine ut ſupra, dignior ſacerdos ſtola nigra indutus: & ſi defunctus ſit ſacerdos in aliqua dignitate eccleſiaſtica conſtitutus, aut funus ſolemnius ducendum ſit: ſupra ſtolam pluviali nigro etiam veſtitus: ſtans ad pedes cadaveris verſus ad illum dicit alta voce, ſed gravi.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Suſcipe animam famuli tui N. ſacerdotis vel clerici, &c.

Antiphona dupla. Tu juſſiſti Domine, &c. *cum ſuo cantu. Pſalm.* 53. Deus in nomine tuo, &c. *ut ſupra.*

Interim dum cantatur pſalm. ſacerdos aſpergit corpus defuncti tum repetita antiphona, dicit orationem ſequentem. ℣. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Abſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, &c.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua, &c.

Anima iſtius ſacerdotis vel clerici & animæ omnium fidelium defunctorum, per Dei miſericordiam requieſcant in pace. Amen.

His peractis ordinatur proceſſio ut ſupra. Dum proceditur cantantur eadem antiphonæ ſupra notata.

In eccleſia collocato cadavere ut ſupra, clero corpus circumaſtante cum candelis accenſis legitur paſſio Sancti Matth. ſupra notata per diaconum diaconalibus veſtibus nigris indutum ſi dignior ſacerdos fuerit cum pluviali.

℟. Non timebis anima, quia Chriſtus paſſus eſt, &c.

Dum cantatur reſponſorium ſacerdos imponit incenſum in thuribulum ſine benedictione, miniſtrante diacono naviculam: deinde accepto aſpergillo de manu diaconi, & facta cruci reverentia circuit loculum incipiens à parte dextra defuncti, & ter aſpergit à quolibet latere, dextro ſcilicet & ſiniſtro; diacono poſt eum ſimiliter incenſante.

Cantato reſponſorio, ſi defunctus fuerit epiſcopus, ſacerdos vel diaconus, legitur reliquum paſſionis Sancti Matthæi, ut infra.

Mane autem facto conſilium inierunt, &c.

Finis. Inter quas erat M. Magdalene & M. Jacobi & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.

℟. Deſiderium meum omnipotens audi, &c.

Incœpto ℟. *iterum cadaver aſpergitur, & incenſatur, ut ſup. Ant.* Exterfactus ſum fratribus meis, quia juſſiſti, &c. *Pſal.* 68. Salva me Deus: quoniam introierunt aquæ, &c. *Tunc repetitur antiphona.* Exterfactus ſum, *ut ſupra.*

Si vero defunctus fuerit ſubdiaconus, vel inferior clericus, cantato ℟. Non timebis, &c. *omiſſis paſſione* Mane autem, ℟. Deſiderium. *& pſal.* Salva me Deus, *cum ſua antiphona, dicitur antiphona & pſalmus ſequens.*

Antiphona dupla. Redemtor meus vivit, &c.

Pſal. 50. Miſerere mei Deus, &c. *Repetita antiphona.* Exterfactus ſum, *vel antiph.* Redemtor meus. *Pro ratione funeris dicitur ſequens oratio cum ſeq.* ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

CAPUT XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Obſecramus miſericordiam tuam æterne omnipotens Deus. ℟. Caligaverunt, &c. *Dum cantatur* ℟. *rurſus cadaver aſpergitur & incenſatur ut ſup. Quo finito, cantat ſequens Evangelium ſecundum Joannem.*

In illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis & turbis Judæorum, &c. ℟. Qui Lazarum reſuſcitaſti, &c. *Finito reſponſorio, dicuntur litaniæ ſequentes flexis genibus, duobus cantoribus in medio ad pedes defuncti verſus altare majus praintonantibus.*

Domine miſerere, &c. *Finitis litaniis, ſi commode fieri poteſt miſſa ritu pro defunctis uſitato canitur, qua cantata, celebrans depoſita caſula & manipulo, induit pluviale nigrum, & peragit officium ſepulturæ, ut infra, quod ſi miſſa non cantatur, dictis litaniis cadaver defertur ad ſepulturam, ordine proceſſionis ſervato cantando antiphonas ſequentes.* Uſque in vita mea laudavi te, &c. *reliqua ut ſupra notata. Quibus finitis, ſi defunctus fuerit epiſcopus, ſacerdos, vel diaconus, additur ſequens antiph.* In paradiſum, &c. *Qua antiphona cantata, cadaver ſepelitur, cantando antiphonas ſequentes ut ſupra. Collocato cadavere in ſepulcro, ita ut ſupinum jaceat manibus in modum crucis ſuper pectus & pedibus ad orientem ſeu altare verſus poſitis ſacerdos poſito prius in thuribulo incenſo, ut ſupra, aqua benedicta ter cadaver aſpergit & ſepulcrum. Et diaconus ſimiliter incenſat. Interim antiphona & pſal. ſeq. cantatur. Antiphona.* Dominus cuſtodiat te. *Pſal.* Levavi oculos meos, &c. *Deinde repetitur antiphona.* ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui, &c. *reliq. ut ſup. Si defunctus fuerit epiſcopus, fit idem officium quod de ſacerdote: mutato tantum nomine ſacerdotis in pontificis.*

ORDO AD SEPELIENDOS INFANTES INFRA SEPTENNIUM.

Parochus vel alius ſacerdos, dato prius campanæ ſigno ad inſtar ſalutationis Angelicæ, ad clerum populumque convocandum, omiſſis ictibus pro defunctis uſitatis; ſtola violacea indutus, & candelis accenſis in domo defuncti, dicit:

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens & mitiſſime Deus, qui omnibus parvulis, &c. *Antiph.* Hic accipiet benedictionem. *Pſal.* 23. Domini eſt terra, &c. *Incœpto pſalmo, aſpergitur ter cadaver. Eundo ad eccleſiam dicuntur antiphonæ ſequentes.* De terra creaſti me, &c. Dextera tua Domine, &c. Cum Chriſtus apparuerit, &c. Domine mitte angelum tuum, &c.

Si via longior fuerit, dicitur pſal. Beati immaculati in via, *cum ſequenti & in fine* Gloria Patri, &c.

In eccleſia collocato cadavere, dicitur ſequens antiphona dupla.

Redemtor meus vivit, &c. *Pſal.* Laudate pueri Dominum.

Incœpto pſalmo, iterum aſpergatur cadaver.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut animam hujus pueri, *vel* puellæ ab angelis lucis ſuſceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per Dominum noſtrum.

His peractis, defertur cadaver ad ſepulturam dicendo antiphonam & pſalmum ſequentem. Antiph. Juvenes. *Pſal.* Laudate Deum in ſanctis ejus, &c. *Poſt repetitur antiphona:* Juvenes. ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, &c.

CAPUT XV. *In quo varii ad inv. &c.*

ORDO XIX.

Ex Ceremoniali Ambroſiano.

DE INFIRMITATE, OBITU, FUNERE ET EXEQUIIS ARCHIEPISCOPI.

SI quando archiepiſcopus febri, morbove periculoſe laboraverit, ægrotationis initio ac deinceps aliquando, prout expedire cenſuerit, metropolitanæ eccleſiæ ſuæ capitulum, cumquo de ſpiritualis, ſanctæque vitæ officiis ac ſtudiis ſalutaria colloquia habeat, ad ſe convocet.

De ejus valetudinis periculo vicarius certiorem faciat decanum epiſcopum provinciæ, vel eo impedito, vel abſente, antiquiorem reſidentem in provincia, alioſque duos epiſcopos provinciales advocet, qui nulla mora interpoſita eum inviſant, fraterna charitate conſolentur, ſalutaribuſque conſiliis opportune juvent.

Interea idem vicarius generalis curet, ut in metropolitana eccleſia, aliiſque collegiatis, atque ab univerſis monaſteriis regularium, etiam monialium, tam in urbe, quam in diœceſi pro ægroto archiepiſcopo preces aſſidue fundantur, ſupplicationes etiam publice celebrentur. Quod ſi ægritudo diuturnior erit, a clero & populo prece religioſa oretur in omnibus eccleſiis, & ab uno quoque ſacerdote in ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio pro archiepiſcopo infirmo oratio frequenter fiat.

Cum vero periculoſe propediem mortem obiturus creditur, metropolitanæ eccleſiæ capitulum, clerumque ad ſe convocet; cui pacem charitatem ſanctarum virtutum diſciplinam ſuadeat, & eam quaſi hæreditariam relinquat, & univerſe & ſigillatim religionis cujuſlibet precibus, ſanctiſque ſacrificiis ſeſe intime commendet.

Cum in lecto jacet, frequentiſſime ſacræ euchariſtiæ pabulo ſe ſalutanter reficiat, ac recreet: & cum primum, aut etiam pro viatico ſumet, illam ei miniſtrabit archipreſbyter metropolitanæ, vel aliquis epiſcopus, ſi adſit; quem univerſus clerus cum capitulo metropolitanæ eccleſiæ proſequatur; niſi ſecus ipſe archiepiſcopus juſſerit.

Dum vero integris ſenſibus erit, (ſi tamen graviter & periculoſe la-

borat) ſacramentum extremæ-unctionis per eundem archipreſbyterum ad præſcriptum ritualis, tibi miniſtrari curabit.

Et ubi nullum, aut exiguum vitæ ſpatium ſupereſſe videbitur, animam ejuſdem Deo commendabit archipreſbyter, ſtatis religioſis, ſanctiſque precibus, ut in eodem rituali.

Adſtabunt hoc tempore canonici ordinarii, & reliquus metropolitanæ eccleſiæ clerus, pſalmoſque legent, & alias devotas orationes, donec expiret.

Poſtquam vero ſpiritum creatori reddiderit, ejus cubiculatii parabunt aquam calidam cum herbis odoriferis; atque interim incidirur & aptatur, ſi placet. Quo facto corpus lavatur à tonſore, qui barbam item illi abradit. Lavatur autem cum optimo vino albo aromarizato & calido, & loca ſpumantia implentur aromatibus, myrra, & aloë, nares & aures muſco, & demum bene fricantur manus, & totum corpus balſamo, quod œconomus ſubminiſtret.

Poſt hæc ſacriſta eum communibus indumentis uſque ad rochetum induit: Deinde ſactis veſtibus, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo à ſandaliis, uſque ad mitram, tum, & annulo, & pallio, ſpinulis, & omnibus ornamentis. Crux demum archiepiſcopalis, & baculus paſtoralis apponitur.

Paramenta autem erunt albi coloris: apponetur etiam cappa pontificalis violacea, & ſi fuerit cardinalis, ad pedes eriam erit galerus pontificalis cardinalitius. Starim vero cum ſpiritum emiſerit, pulſantur campanæ omnes civitatis, primum ſigno ſalutationis angelicæ, deinde à mortuis: atque ita pulſantur donec ſuper terra inhumatus remanebit.

Cadaver autem ita ornatum deponitur in cubiculo, in quo ſolet aſſervari crux archiepiſcopalis, ſuper aliquem pannum ſive tapetum cum cereis ardentibus, à capite & à pedibus; ad manuſque ejus apponitur crux aliqua, donec ad capellam archiepiſcopalem deferatur; ac infra.

Interea tota domus archiepiſcopalis nudatur omnibus ornamentis, ſacellumque apratur, & in ejus parietibus appenduntur panni nigri coloris; atque in medio quis paratur lectica ex tabulis, quæ antea diſtendantur ſex palmis, latitudine decem, longitudine decem palmorum, vel circa, & ſuper eam ponatur lectus ex lana, ſive pluma cum cervicali longo: magno autem panno aliquo cooperiatur lectus, & lectica coloris violacei, vel rubri, ſi fuerit cardinalis.

Hinc exinde ponenda erant candelabra magna pro imponendis ſaltem quatur intortitiis. Sit etiam in promptu capſa plumbea, pro recondendo cadavere, antequam in ſepulchrum inferatur, ut infra. Item ſcamna & ſedilia pro clero, qui ad vigilias pro defuncto dicendas invitatus erit, ut infra. Paretur præterea feretrum ad portandum corpus, in deductione funeris.

Interim familia tota induitur veſtibus lugubribus; induuntur etiam magiſter ceremoniarum, patochi & ſacriſtæ metropolitanæ.

Cum primum ergo in ſacello archiepiſcopali omnia parata fuerint,

ut ſupra, corpus ita ornatum & paratum deferetur ad prædictum ſacellum, & ponetur ſuper lectum, & accendentur intortitia. Cum accedunt ſingula collegia, capitula & conventus ad vigilias defunctorum dicendas, ad præſcriptum petitionis faciendæ; ita ut ſemper aſtent aliqui ex choro ſæculari, qui divinum hoc officium recitent.

Caput XV. *In quo varii ad juv. &c.*

Interim parantur quæ neceſſaria ſunt pro funere ducendo. & in metropolitana erigitur caſtrum doloris, cum ſedilibus circumcirca, pro canonicis ordinariis.

Pinguntur inſignia archiepiſcopi, ſuſpenduntorque circa eccleſiam, altare, & caſtrum: Ceræ tantum præparatur, quantum ſufficit pro epiſcopis qui adſunt, pro canonicis, & clero metropolitanæ, item pro pauperibus S. Martini, & S. Dionyſii, quorum cereis affiguntur inſignia archiepiſcopi. Reliquus clerus ſæcularis, & regularis, & confratriæ ſuis expenſis emptam, ſi placet, ceram deferunt. Prædicta vero omnia fiant expenſis hæredum defuncti archiepiſcopi, ita procurante œconomo.

Mox conſtituitur dies funeris à capitulo prædicto metropolitanæ. Excipiuntur epiſcopi qui advenerint pro funere, & clerus univerſus ſæcularis, & regularis, & confratriæ omnes.

Invitantur interim gubernator, magiſtratus omnes nobiles, & alii, pro ut bene viſum fuerit eidem capitulo metropolitanæ.

Præterea conſtituitur quiſnam officium celebrare debeat, & quem epiſcopum provinciæ miſſam ſolemnem pro defuncto cantare deceat: maxime ſi hujuſmodi funus fiat mane, uti conveniens eſt, licet hoc ad epiſcopum ſpectet: Item quo pacto officium abſolutionis pro illo à quatuor epiſcopis, ſi adſint, ad præſcriptum ut infra, peragendum ſit. Quod ſi nulli adeſſent epiſcopi; archipreſbyter & alii ſequentes ordinarii preſbyteri, hujuſmodi officium obeunt, pluvialibus induti. Eligatur item ab eodem capitulo aliquis, qui ſermonem habeat in funere defuncti, poſt miſſam. Parantur in ſacello archiepiſcopali paramenta, pro epiſcopis, qui aderunt.

Præparantur item cubicula, in quibus recipiatur gubernator, magiſtratus, & alii. Item alia, in quibus conſedeant epiſcopi, & capitulum metropolitanæ; idque fiat cura œconomi.

Omnibus tandem paratis, congregatoque univerſo clero, & cônfratriis eccleſia metropolitana; hora congruenti inchoatur proceſſio, hoc pacto, videlicet pauperes ſancti Dionyſii, & ſancti Martini cum intortitiis, ut ſupra, caputio panni nigri induti, cônfratriæ omnes ſcholarum, & diſciplinatorum, conventus omnes regularium, chorus ſecularis, clerici, capellani, parochi, collegia & capitula omnia, ex quibus, qui cappis utuntur, caputio caput tegant: tum veglones, clerici, ſeminarii, & aliorum collegiorum, tum clerus metropolitanæ, cum cruce uniuſcujuſque ordinis, &c. Tranſibunt omnes per viam ſubterraneam, ad ædes archiepiſcopales, & inde per portam magnam exeuntes, recta procedent per vicum ſancti Antonii, ad curſum portæ Romanæ, &, ut vulgo dicitur, ad malum cantorium, & deinde per vicum banderiorum ad ſummum templum.

Digitized by Google

CAPUT XV *In quo varii ad jur. &c.*

Dum hoc pacto proceditur, conveniunt epiſcopi, canonici ordinarii, prælati, & clerus metropolitanæ ad ſacellum archiepiſcopale, ubi omnes in ſuo ſe loco recipiunt. Conveniunt quoque gubernator, magiſtratus, nobiles, conſanguinei, & familia, qui in locis unicuique diſtinctis & aſſignatis conſiſtunt.

Diſtribuitur per ſacriſtam cera iis, quibus danda eſt; & hoc eodem tempore induitur epiſcopus, qui officio fungi debet, videlicet, alba, cingulo, amictu, cruce, ſtola, pluviali nigro, & mitra ſimplici: induuntur quoque diaconus & ſubdiaconus hebdomadarii canonici metropolitanæ, qui in miſſa miniſtraturi ſunt, ſi celebranda ſit; alioquin duo ultimi diaconi aſſiſtentes, ex prædictis canonicis, & epiſcopo ſic induto aſſiſtunt & inſerviunt de mitra & reliquis. Alii epiſcopi, ſi adſunt, induuntur rochetis, mantelloque nigri coloris & mozzeta, ſi ſint ex provincia. Unicuique epiſcopo, prælato, & canonico ordinario aſſignatur clericus ſeminarii, qui intortitium miniſtret, & in procedendo, curam habeat caudæ in locis ſordidis elevandæ.

Omnibus diſpoſitis, inchoatur officium, ut in rituali, & deinde clerus metropolitanæ proſequitur ordinem proceſſionis prædictæ, ſi tempus erit. Primo veglones & veglonisſæ cum ſua cruce, clerici ſeminariorum, collegiorum, capellani mercenarii, cantores, capellani titulares, ſacriſta, parochi, mazaconici, & notarii deferentes caputia ſupra biretum. Poſtremo crux aurea canonicorum præcedentibus duobus acolythis cum cantariis præfertur, quam canonici ordinarii bini, cum caputio in capite, trahentes caudam cappæ violaceæ, ſequuntur, quos ſingulos æquali diſtantia incedentes clericus ſeminarii prædictus ſubſequens comitatur. Deinde preſbyter ordinarius, hebdomadarius aſſiſtens cum pluviali, & poſt eum epiſcopus officium celebrans, medius inter diaconum & ſubdiaconum, ſi miſſa celebranda ſit, vel inter duos diaconos aſſiſtentes, ut ſupra.

Poſt hæc ſequuntur alii epiſcopi habentes in capite caputia mozzetæ, ſi ea utantur, ut ſupra, & prælati, poſtremo lectores metropolitanæ, & tandem cadaver, quod per canonicos ordinarios defertur, qui viciſſim mutantur poſt aliquod ſpatium, & juxta ordinem ſuum procedunt: aderunt etiam clerici ex ſeminario, qui pondus ſuſtineant. Supradicti omnes ex ordine procedent, & manibus ceram accenſam, quoadusque officium totum compleatur, ſemperque geſtabunt.

Poſt cadaver ſequuntur ſanguine propinquiores, deinde vicarii, & officiales curiæ archiepiſcopalis tum reliqui minus propinqui ipſius defuncti, deinde familia archiepiſcopalis, tum majores, inferiores famuli, omnes veſtibus lugubribus induti, & luminaria præ manibus deferentes. Poſt omnes iſtos luminaria habentes, ſequuntur curiales omnes, gubernator, ſenatus, magiſtratus, præfecti urbis, collegium juriſconſultorum, & medicorum, tum alia collegia omnia.

In procedendo cantentur divina officia, ut in rituali: deinde dum ad eccleſiam pervenitur, omnes in ſuis locis ſeſe diſponunt, videlicet cadaver:

daver ſupra menſam in caſtro doloris conſtructam collocatur, canonici ordinarii circumſiſtunt, & prælati poſt officiales chorales; in choro autem clerus omnis ſæcularis, non tamen in ſtallis Ordinariorum, familia, & conſanguinei in choro ſenatorio, gubernator, ſenatus, magiſtratus, & aliis in ſuis conſuetis locis, in quibus aderunt ſedilia; epiſcopi in eodem loco caſtri doloris ante canonici ordinarios: epiſcopus vero celebrans in faldiſtorio; & omnibus ita diſpoſitis fit officium.

ORDO OFFICII.

IN capella archiepiſcopali epiſcopus indutus, ut ſupra, ad pedes defuncti inchoat *Dominus vobiſcum*, deinde orationem *Suſcipe, &c.* Diaconus hebdomadarius antiphonam *Tu juſſiſti, &c.* Interim aſpergitur, & incenſatur cadaver per epiſcopum. Finita antiphona, cantores incipiunt pſalmum *Deus in nomine tuo, &c.* Repetitur per chorum antiphona *Tu juſſiſti, &c.* Poſtea oratio *Abſolve* ab epiſcopo: qua finita, diaconus hebdomadarius incipit *Exaltabo, &c.* quod canitur alternatim à lectoribus Mazeconicis, & cantoribus per viam. In eccleſia collocato cadavere ut ſupra, diaconus hebdomadarius paratus pro miſſa, ut ſupra, alioquin diaconali habitu indutus, etiam ſi non ſit celebranda miſſa, canit primam paſſionem *Primo die azymorum, &c.* Stans à ſiniſtris defuncti. Finita paſſione, reſponſorium per cantores *Non timebis, &c.* Interim cadaver aſpergitur a celebrante, & incenſatur à diacono ſubſequente. Finito reſponſorio, canitur altera paſſio *Mane autem, &c.* per epiſcopum celebrantem, & in loco ſuo ſine mitra ſtantem, acolytho librum ſuſtentante ante ipſum; qua finita, cantatur reſponſorium *Deſiderium, &c.* per cantores; aſpergitur & incenſatur cadaver, ut ſupra. Finito reſponſorio intonatur à diacono hebdomadario antiphona *Exter factus ſum, &c.* Tum pſal. à choro *Salva me, &c.* Repetitur à choro antiphona *Exter factum ſum, &c.* Tum ab epiſcopo *Dominus vobiſcum*, & oratio *Obſervamus.* Qua finita, dicitur reſponſorium per cantores *Caligaverunt.* Interim aſpergitur, & incenſatur cadaver, ut ſupra. Finito reſponſorio, canitur per diaconum hebdomadarium evangelium ſecundum Joan. c. 6. *In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis & turbis Judæorum, omne quod dat mihi Pater, &c.* Quo finito, canitur per cantores reſponſorium *Qui ſuſcitaſti &c.* Hoc reſponſorio finito, canonici ordinarii, prælati, & epiſcopi omnes, aliique clerici aſcendunt ad chorum, & quiſque in ſuum ſe locum recipit. Epiſcopus autem celebrans, depoſito pluviali in plano ſedis archiepiſcopalis, ſuper faldiſtorio ſedens, paramentis miſſalibus induitur, tum procedit ad miſſam canendam, ut in miſſali pro defuncto pontifice.

Abſoluta miſſa, epiſcopus, iterum exutis miſſalibus paramentis, induit pluviale, induuntur pariter alii epiſcopi pluviali, & mitra ſimplici (ſi adſunt quatuor, alioquin ſupplent digniores ordinarii preſbyteri) & præeuntibus acolythis cum cruce, luminibus, thuribulo, navicula,

Digitized by Google

vaſe aquæ benedictæ, & aſpergillo proceditur iterum ad caſtrum doloris, ubi fit abſolutio ſolemnis, prout infra in capite de Exequiis, ſecundo libro dicitur, ea quidem per canonicos ordinarios, cum quatuor prælatis, uſque ad litanias incluſive, tum diaconus hebdomadarius, ut infra.

Diaconus hebdomadarius imponit antiphonam idest *Suſcipiat te Chriſtus, &c.* Et dum dicuntur reliquæ antiphonæ à choro, ut in ſacramentali, ordinarii deferunt cadaver ad ſepulcrum, præcedentibus omnibus, & ordine proceſſionis ſervato. Sequuntur officiales cum cruce, cantariis, thuribulo fumigante, vaſe aquæ benedictæ & aſperſorio; deinde canonici ordinarii bini, tum quatuor parati ut ſupra, epiſcopus celebrans, prælati habitu, lectores &c. collocatur tandem cadaver in ſepulcro, ita ut ſupinum jaceat; manibus in modum crucis junctis ſupra pectus, & pedibus ad orientem, ſeu ad altare verſus poſitis. Solet autem collocari indutum omnibus paramentis, inſignibuſque pontificalibus, & archiepiſcopalibus, ut ſupra.

Epiſcopus celebrans antequam cadaver in ſepulcrum inſeratur, imponit incenſum in thuribulum, ter aqua benedicta cadaver & ſepulcrum aſpergit, & ter diaconus ſimiliter incenſat. Interim cantatur à choro alternatim antiphona *Dominus cuſtodiat te*, & pſalmus *Levavi oculos meos, &c.* Deinde epiſcopus celebrans, dicit *Dominus vobiſcum*, & orationem *Tibi, Domine, commendamus, &c.* & reliqua ut in Sacramentali Ambroſiano: Poſtea revertuntur omnes ad chorum, & depoſitis indumentis ſacris, recedunt.

Obſervandum quod in deponendo cadavere, valde conveniens eſt, ut illud reponatur in arca plumbea, in quo nomen, cognomen, ætas, tempus obitus deſcribatur, diligenterque claudatur, atque ita in ſepulcro recondatur.

Prædicta autem omnia, ita ut dictum eſt, plene fiant, niſi aliter defunctus archiepiſcopus in ultima ſua voluntate diſpoſuerit: dummodo hujuſmodi diſpoſitio conciliis, conſtitutionibuſque hujus eccleſiæ non repugnet, nec adverſetur: cæterum prædicta diſpoſitio ſervetur.

Quamvis autem hæc omnia plene & perfecte non poſſent fieri, ut dictum eſt, officium tamen nullo pacto omittendum erit, poteritque cadaver in aliquam capellam transferri, & officium ritu præſcripto compleri, donec in ſepulturam inferatur.

Crux archiepiſcopalis & alia hujuſmodi, quæ pro inſignibus una cum cadavere in ſepultura reponuntur, ex ferro, vel alchimia, ſaltem crux pectoralis, & annulus confici debent. Si quando corpus exenteratur, inteſtina ejus in aliquo vaſe incluſa in eadem ſepultura reponenda ſunt, mutatis tamen mutandis. Hæc eadem quoad officium ſervari poſſunt, ſi quando funus alicujus cardinalis aut alterius magni prælati, ſeu principis, Mediolani fieri contigerit cum miſſa, & aliis ut ſupra.

Digitized by Google

De exequiis.

UBi primum de archiepiſcopi; obitu nunciatum fuerit, parochi, & ſacerdotes ſinguli tam urbani, quam diœceſani, novem, poſt eum nuncium, diebus quibus per eccleſiaſtici officii ritum poſſunt miſſam de mortuis pro illius anima celebrent, aut ſaltem ſtatim pro defuncto archiepiſcopo orationem dicant, ut in æterna cito tabernacula recipiatur. Capituli vero partes erunt de archiepiſcopi obitu diœceſanos parochos quam primum certiores facere, eoſdemque hujus officii monere.

Quilibet etiam parochus populum ſuum, præſertim novem dierum ſpatio, hortetur accurate, ac diligenter, ut religioſis precibus, aliiſque piis ſuffragiis communibus mortui paſtoris animam adjuvet.

Tribus depoſitionem ſequentibus feriis, in metropolitana eccleſia archiepiſcopi exequiæ celebrantur. Canuntur vigiliæ de mortuis, & miſſa ſolemni ritu, & quidem ab epiſcopo provinciali, ſi adſit; alioquin ab archipreſbytero, & in fine fit abſolutio ut in ſacramentali.

Erigitur poſtea cænotaphium, ſeu tumba cum lecto, & ſuper illa baldachinum ſine appenſum & de eccleſiæ tribuna pendens impenſis, ut ſupra. In hujuſmodi autem exequiis plures quam viginti quatuor cerei non accenduntur, & quidem impenſa menſæ archiepiſcopalis, vel hæredum archiepiſcopi.

Interea metropolitanæ capitulum provinciales epiſcopos omnes de archiepiſcopi morte faciat certiores, qui in eccleſiis cathedralibus miſſam ſolemni cæremonia, pro ejus anima celebrandam curabunt.

Sacraque anniverſaria pro mortuo archiepiſcopo quot annis fiant in metropolitana eccleſia, quandiu proximus ejus ſucceſſor in archiepiſcopatu vixerit, & quidem viventis archiepiſcopi ſumptibus, quo ad ceram & apparatum: Capitulum verò, & clerus omnis metropolitanæ civitatis interſit.

Poſtridie autem illius diei, quo fit omnium fidelium defunctorum commemoratio, & divinum officium, & miſſæ ſacrum ritu ſolemni fiat quotannis pro defunctis archiepiſcopis expenſis menſæ archiepiſcopalis; cui actioni capitulum & reliquus metropolitanæ clerus gratis interſit.

In qualibet autem provinciæ civitate, & Mediolani præſertim, epiſcopi, & capitulum metropolitanæ publicis ſupplicationibus, ac precibus indictis, Deum pie ſancteque deprecabuntur; ut orbato gregi paſtorem dare velit juxta cor ſuum.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

ABAELARDI abſolutio ejus ſepulcro ſuſpenſa, 579
Abbas S. Martialis Lemovicenſis inter epiſcopos reſidet in conciliis, 403
Abbates cappis induti cum baculis intererſunt conciliis, 405. 413. 420. Eorum mitra qualis, 418. Depoſitorum ſigillum in capitulo confractum, 423. Defuncti ut ſepeliendi, 642, 652
Abſolutio defuncti, 651. Ut facienda, 639. In miſſa fit ab omnibus ſacerdotibus præſentibus, 579
Ægyptii ſiccant defunctorum corpora & quaſi ænea reddunt, 556
Altare in cœmeterio, 575
Altare tempore tribulationis cilicio obtectum, 429
S. Ambroſi exorciſmus, 517
Anguilla energumenis interdicta, 521
Animæ curatio Deo non difficilis, 590
Anniverſarii officium. In eo lecta defuncti vita, 581
Annunciationis feſtum die 25. Martii, 455
Aqua benedicta furioſi ſanati, 510. Ea aſpergendi excommunicati reconciliati, 444
Aqua probationis qualis eſſe debeat, 463
Arelatenſis epiſcopus concilia nationalia in Galliis convocabat, 391
Ariani eccleſiæ quomodo reconciliati, 447, 448
Arreptitii aliquando viri ſancti, 497. A dæmonio quibus modis liberati, 497, & ſeq. V. Energumeni.

B

BACULUS epiſcopi depoſiti confractus, 423
Benedictio cineris & cilicii infirmis ante mortem ſternendi, 551. Sepulcri, 634. Eleemoſynæ, 654
Blavienſis abbatia S. Romani in diœceſi Burdigalenſi ſecunda Sedes, 413. In ea celebrari ſolent ſynodi, *ibid.*
Brachio ſæculari quomodo relinquendi clerici alicujus criminis rei, 425

C

CADAVERA aromatibus condita, 554. *V.* Defuncti.
Canones in conciliis à diacono publice legendi, 399, 401, 407. Quo ordine fierent, 398, 402
Canon concilii Turonenſis de conciliis bis in anno celebrandis in baſilica S. Martini patenti in loco conſcriptus, 390
Carolimagni ſepultura, 561
Cerei in funeribus delati, 573, 574
Chriſmatis inunctio in hæreticorum reconciliatione adhibita, 447, 448, 453. Quo ritu facta, 449. A Sancto Avito prohibita, 449
Cilicium & cinis arma pœnitentium, 562
Cilicium morienti ſternendum, 645. Ejus benedictio, 551
Cilicium ſuper feretro abbatis defuncti poſitum, 642. Et epiſcoporum, 560
Cilicio induti quidam ſepulti, 562
Cilicio altare tectum tempore afflictionis, 429
Cineris infirmis morientibus ſternendi benedictio, 551

Digitized by Google

Clamor pro tribulatione quid, 428. Ipſum divina ſequi ſolebat ultio, 430
Clerici alicujus criminis rei brachio ſæculari quomodo dimittendi, 425
Cœmeteriorum Urbis deſcriptio, 567
Communio infirmorum quo ritu peracta, 618. 645. In extremo agone laborantibus porrecta, 546. & ſeq. 620. 636. Etiam infantibus, 548. Quo ritu id fieret, ibid.
Communio energumenis non neganda, 498
Concilia provincialia, nationalia, œcumenica, 390. Provincialia quando celebrata, ibid. In Galliis neglecta, ibid. Nationalia in Africa & in Galliis ſingulis annis congregata, ibid. & ſeq. Ea convocabat epiſcopus Lugdunenſis, 391. Immo Arelatenſis, 391. Eorum utilitas, ibid. Quando debeant convocari, ibid. Iis non intererant olim Summi Pontifices, 392. In iis quinam admiſſi, ibid. Conciliis aliquando præfuerunt principes laïci, ibid. Qua ratione imperatores iis præfuiſſe dicantur, 394
Concilia quibus in locis celebrata, ibid. Primarium in cis locum occupat evangelium, 395. Reliquiæ ſanctorum ad ea delatæ, 396. & imagines, 397. Qui in eis ſeſſionis ordo, 395, 399
In conciliis quæ tractanda, 406, 408, 410, 415. Diſputantium in eis verba à notariis ſcripto excepta, 397, 399. Litteræ pontificiæ in eis latinè ſemper lectæ, 397
Conciliis tunc Deus intereſſe creditur cum omnia pacificè fiunt, 399
Concilium nullus ſolvat niſi cunctis determinatis, ibid. Canones quo ordine conderentur, 398
Concilium confirmatio à Summo Pontifice, ibid.
Confeſſio energumenorum, 506, 521
Confeſſionis formula eum mortuis ſepulta, 519
Conſtantini imperatoris funus, 511. & ſepultura, 560
Coronis ornati tumuli, 577
Criminum occultorum aut dubiorum probatio per juramentum, 456. Per communionem aut trium miſſarum celebrationem, 456. Per crucis & evangelii in caput accuſati impoſitionem, 457
Crux cum evangelio primarium in concilio VIII œcumenico locum occupat, 396. Ad terram deponitur tempore afflictionis, 429, 432. Capiti imponitur ad removendam falſi criminis ſuſpicionem, 457. Eam oſculantur probandi in aqua frigida, 463, 471, 489. Ad pedes morientis collocatur, 552. Sepulcris apponitur, 577
Currere quando monachis liceat, 645

D

DÆMONUM in homines ſævitia, 497. Quibus armis ſuperata, 497. & ſeq.
Defunctorum corporum lotio, 553, 595, 604, 606, 607, 609, 623, 631, 636. Quo ritu peracta, 632, 640, 664. Defunctorum cadavera aromatibus condita, 554. Ea veſtibus pretioſis ornari improbant Sancti Patres, 557. Pſalmi coram eis recitati, 563
Defunctorum cadaver ſeptimo ab obitu die ſepulti, 563. aliquando quarto, aut tertio, vel ipſo obitus die, 564. A quibus deferretur in tumulum, 572. Quo ſitu in ſepulcro collocatum, 576, 660, 661. Ægyptios ſuper lectos domi reſervatum, 576
Defuncti abſolutio quomodo facienda, 639. A pluribus ſacerdotibus in miſſa facta, 579
Defunctorum officium, 613. Suffragia pro defunctis, 1. 3. 7. & 30. die, 579, 595, 605, 607. Sacrificium pro defunctis oblatum quid proſit, 614. Eorum memoria diebus Dominicis non agenda, 605. Eorum memoria in conciliis, 419, 420. Defuncti vita in ejus anniverſarii officio lecta, 581. Defuncti ſacerdotes in ſynodo nuntiandi, 406
Degradationis ritus, 424. V. Depoſitio.
Denarium in ore defuncti ponebant gentiles, 576
Depoſitiones epiſcoporum & aliorum clericorum per ablationem inſignium ſacerdotalium facta, 421. Sub certa verborum formula, 423. Et fractis inſignibus, 423. Depoſitos decalvabant Donatiſtæ, 423
Depoſitorum clericorum reſtitutio in primum gradum quo ritu facta, 424,

Digitized by Google

Diaconi vices epiſcoporum abſentium in conciliis gerunt, 393. Tamerſi id improber concilium Emeritenſe, *ibid.* In conciliis non ſedent, ſed ſtant, 399. 400, 409, 414. Admittendos introducunt, 394
Diaconis in ſecretario inter preſbyteros ſedere & Corpus Domini præſente preſbytero tradere illicitum, 394
Diaconi quomodo ſepulti, 560. Dominico die memoria defunctorum non agenda, 605
Donatiſtæ depoſitos epiſcopos decalvabant, 423

E.

ENERGUMENI aliquando viri ſancti, 497. Eorum confeſſio, 506, 521. Eis communio non neganda, 498. Quibus remediis à dæmone liberari poſſint, 497. Eorum adjurationi præmiſſum jejunium triduanum, 499. Eorum jejunium quale, 520. Anguilla eis interdicta, 521. Paſſio Domini ſuper eis lecta, 500
Epiſcopi cum metropolitano diem Natalis Domini & Paſchæ celebrent, 402
Epiſcopi mortui pontificalibus induti, 557. Eorum funus per varias eccleſias deductum, 574. Eis conceſſa in eccleſiis ſepultura, 569. ſub altari, 570. A comprovincialibus epiſcopis ſepulti, 565
Epiſcoporum depoſitio. *V.* Depoſitio.
Epitaphia, 577
Evangelium lex in qua eſt ſpes & remiſſio peccatorum, 474, 483, 490
Evangilium primario in loco collocatum in conciliis, 395. & *ſeq.* Illud oſculantur probandi in aqua frigida, 463, 471, 489. Capiti imponitur ad removendam falſi criminis ſuſpicionem, 457
Euchariſtia ex pane fermentato & ſale apud Græcos confecta, 455. Probandis ante judicium porrecta, 460, 461, 467, 469, 485, 487. A ſubdiacono delata in infirmorum unctione, 581. Cum mortuis ſepulta, 558. quod fuit prohibitum, 558
Excommunicationes quando & ubi promulgatæ, 433. ſub qua verborum formula, 412, 434, & *ſeq.* Ei triplex admonitio præmiſſa, 439. Dicbus Dominicis poſt evangelium miſſæ populo anuuncianda & verbis communibus explananda, 440. Aliis epiſcopis ſignificanda, *ibid.* Qui alterius parochianum excommunicare aut abſolvere non præſumebant, 442
Excommunicatorum reconciliatio à xii. preſbyteris facienda poſt reparatum damnum illatum, & ſuſcepta pœnitentia, 442. Quo ritu facta, *ibid.* & *ſeq.* aliis epiſcopis ſignificanda, *ibid.*
Excommunicati reconciliandi virgis percutiendi, 445. Reconciliati aqua benedicta aſperſi addito odore incenſi, 444
Exorciſmis expelluntur dæmones, 498
Exorciſmus S. Ambroſii 517. S. Martini, 518

F

FEMINARUM ſepultura, 562
Fidei profeſſio in reconciliatione hæreticorum, 449
Figuli vaſa primò facta in inſula Samos, 519
Floribus & coronis reſperſi tumuli, 577
Francorum reges quadrageſimo poſt obitum die ſepulti, 565
Funebris oratio, 578. 665
Furioſi aqua benedicta ſanati, 530

G

S. GREGORII Tricenarium, 580

H

HÆRETICORUM reconciliatio per impoſitionem manuum, 447. Per chriſmatis unctionem, 448. Per fidei confeſſionem, 449. A preſbyteris in neceſſitate, aliàs à ſolis epiſcopis facienda, 448. Præmiſſa triplici inſufflatione, 451. & jejunio decem aut quindecim dierum, 453. Apoſtatis difficiiùs concedenda, 448. Reconciliati apud Græcos ſeptem diebus carnes non comedunt, 454. 456
Henrici II Angliæ regis ſepultura, 561
Honorii imperatoris ſepultura, 560

I

JEJUNIUM præmiſſum hæreticorum reconciliationi, 453
Judicio probationis, 460. 461. 465. 472. Energumenorum adjurationibus, 499
Jejunium energumenorum quale, 520
Imagines ad concilia delatæ, 397. Ad terram tempore afflictionis depoſitæ, 429
Imperatoribus conceſſa in eccleſiis ſepulra, 571. Quo ritu illa fieret, 560
Impoſitio manuum in clericorum reſtitutione, 427. In energumenorum curatione, 497
Indulgentiæ conceſſæ his qui ſynodo interſunt, 414
Infantibus infirmis ſacra communio porrecta, 548
Infirmis de vita periclitantibus ſtatim adminiſtrata eccleſiæ ſacramenta, 543. Officium coram ipſis recitatum, *ibid.* Paulo antequam obirent communio eis adminiſtrata, 546. & *ſeq.* Ad mortem quomodo adjuvarentur, 591. & *ſeq.* 603. 605. 608. 610. 620. 657
Judicia per ignem, aquam frigidam, &c. quam antiqua, 437
Judicium per vomeres proprium ſervorum, 458
Judicium per ignem, &c. ſubibant vel ipſi accuſati, vel accuſantes, 458. Et quidem jejuni, 489
Juramentum ſuper ſanctorum reliquiis ad crimina repellenda, 456. Super corporibus SS. Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, S. Germani & S. Martini in concilio Compendienſi, 397

L

LAÏCI conciliis aliquando interfuerunt, immo præfuerunt, maxime principes, 393
Lemovicenſis epiſcopus Primas dictus, 403
Leonis papæ I. epiſtola ad Flavianum de erroribus Eutychetis lecta in conciliis, 410
Leproſi ſeparati ab aliis, 536. Non tamen ſacra communione privati, *ibid.* Neque à conjugibus divellendi, *ibid.* Matrimonium contrahere poſſunt, 537. Eorum filii ſupra fontes non baptizandi, *ibid.* Separandis quæ data monita, 533. 537. 542. Viaticum adminiſtratum, 540. Ægrotis data ſacramenta, 537. Defuncti ubi ſepeliendi, 534. 537. 539
Leproſis rectoribus dandi coadjutores, 532
Litteræ pontificiæ in conciliis latine ſemper lectæ, 397
Lotio cadaverum, 553. 595. 604. 606. 607. 609. 623. 631. 636. Quo ritu peracta, 632. 640. 647. 664
Lugdunenſis epiſcopus concilia nationalia in Galliis convocabat, 391

M

S. MACRINÆ funus, 573. 574
Maledictiones Scarioticæ ſupra caput depoſiti epiſcopi recitatæ, 423
Manuum impoſitio. *V.* Impoſitio.
Marcianus imperator primum latine deinde græce loquitur in concilio Calchedonenſi, 397
S. Martini exorciſmus, 518. Supra corpus ejus jurat Taſſilo Dux Bajovariorum in concilio Compendienſi, 397
Martyrum corpora aromatibus condita, 555. 557
Mediolanenſis archiepiſcopi funus, 663. & *ſeq.*
Milites quomodo ſepulti, 561
Miſſa de S. Sigiſmundo pro febricitantibus, 589. Pro infirmis, 588. Pro infirmo morti proximo, 587. Pro defuncto nuper baptizato, 599. Pro defunctis pœnitentiam deſiderantibus & minime conſequentibus, 599. Pro defuncto epiſcopo, 600. Pro defuncto ſacerdote, *ibid.* In agenda plurimorum ſacerdotum, 601. Pro defunctis fratribus, 602. Pro femina defuncta, 602. Pro uno defuncto, *ibid.* Plurimorum defunctorum, 603. In ſeparatione leproſorum, 535. 538. Et in eorum exequiis, 538
Miſſa ſemper canenda priuſquam ſepeliatur defunctus, 595. 604. 606. 608. 609. 615. 625. Plures dictæ ante ſepulturam, 579. De defunctis non dicendæ die Dominica, 638. Neque in ſeparatione leproſorum, 532. Neque de confeſſore in eorum exequiis, 538. Quam tamen nonnulli dicebant, 541
Mitra abbatum qualis, 418

Digitized by Google

Mors pœna peccati, 614
Morte non tollitur vita,ſed mutatur, 596
Morienti datum à parentibus pacis oſculum, 549
Moriuntur omnes chriſtiani in cinere & cilicio, 550. *Vid.* Cilicium & cinis.

N

NATALE Domini, die 25. Decembris, 455
Notarii conciliorum, 399. 400

O

OFFICIUM divinum ſilet tempore afflictionis, 429. Coram infirmis recitatur, 543. 545. Quod Romæ erat proprium, 544
Officium defunctorum, 615
Oratione curati energumeni, 497
Oratio funebris, 578. 665
Ordalii judicium, 460
Oſculum ab infirmo poſt unctionem omnibus porrectum, 629. 645. Morienti à parentibus datum, 549

P

PALLIIS obvolvi corpora defunctorum prohibitum, 560
Papa olim conciliis generalibus non intererat, 392. Ea confirmabat, 398. In Italia ſolus conciliorum ſtatuta condebat, *ibid.*
Paſcha venturum in conciliis prænunciandum, 402. 411
Paſſiones lectæ coram moriente, 548. 552. 604. 620. 636. 645. In eccleſia coram defuncto, 659. 661. Super energumenis, 500
Pauperum ſepultura, 562
Pacis oſculum datum in conciliis, 403. 405. 406. 411.
Preſbyteri in conciliis admiſſi, 393. Poſt epiſcopos ſedent, 399. 400
Preſbyteri occiſi quæ pœnitentia, 458.
Defunctus ut ſepeliendus, 559
Proba 'o occultorum criminum perjuramentum, 456
Pſalmi in funeris delatione cantati, 571. & *ſeq.*
Pſalterium coram defuncto recitatum, 624. 633. 640. 648.

R

S. RADEGUNDIS exequiæ, 573
Reconciliatio pœnitentis ad mortem. 550. *Vide* Excommunicatio. & Hæreticus.
Regio morbo laborantes quomodo habendi, 536
Reliquiæ ſanctorum ad concilia delatæ, 396. Ad turiam tempore afflictionis depoſitæ, 429. 432. Falſæ pro veris venditatæ, 495. Veræ à falſis igne probatæ, *ibid.* Et quo ritu, 496. Cum defunctis ſepultæ, 518
Reſtitutio clericorum antea depoſitorum, quo modo facienda, 424. 426
S. Romani de Blavia abbatia ſecunda ſedes in diœceſi Burdigalenſi, 413
Rotomagenſis archiepiſcopi primus in eccleſiam ſuam adventus qualis, 651. Et de ejus obitu, *ibid.*
Rex. Reges aliquando præfuerunt conciliis, 393
Regibus & reginis conceſſa in eccleſia ſepultura, 571. Francis 40. poſt obitum die 565. Quo ritu, 561

S

SACRIFICIUM pro defunctis oblatum quid proſit, 614
Samos inſula ubi primo facta ſunt vaſa figuli, 559
Secretarium locus ad celebrandum concilium, 394
Sepulcrum lapideum, 557
Sepulturæ in urbibus vetitæ, 566. Permiſſæ, 567. Chriſtiani primo extra urbes ſepulti, *ibid.* Et extra eccleſias, 568. Epiſcopi in eccleſiis, immo ſub a tari, 569. Canonicorum ſepulturæ locus, 641. Sepeliri in eccleſia juvat non gravato peccatis, 572
Sepultura ſeptimo ab obitu die, aliquando quarto, aut tertio vel ipſo obitus die, 564. Sed numquam niſi oblato ſacrificio, 595. 604. 606. 608. 609. 611. 625
Sepulturæ varii ritus, 572. & *ſeq.* Epiſcopi à comprovincialibus epiſcopis ſepulti, 565. Sepultura regis Francorum, 654. Infantum, 662
Seſſionis ordo in conciliis, 395. 399
Sigillum abbatis depoſiti in capitulo confractum,

confractum, 423
Spinis ſepulcra ſanctorum obtecta tempore afflictionis, 429. Eorum etiam imagines, 430. 432
Subdiaconus euchariſtiam defert cum datur infirmis extrema unctio, 581
Subſcriptiones epiſcoporum abſentium in conciliis, 398
Suffragia pro defunctis, 579
Symbolum currendo ad infirmum in extremo agone laborantem recitandum, 645. 646. 653

T

THEODOSIUS junior 50. poſt obitum die ſepultus, 565
Tricenarium S. Gregorii, 580
Tumuli floribus reſperſi, 577. Elati prohibiti, 577
Tumulus lapideus, 575. Ejus benedictio, 575

V

VESTITI defuncti, 557. Veſtiri pretioſis prohibent SS. Patres, 577. Quando veſtiri deſierunt, 562
Viaticum leproſo ſeparando datum, 540
Vita defunctorum in eorum anniverſario lecta, 581
Unctio extrema poſt viaticum, 618. A pluribus ſacerdotibus data, 583. Quibus in corporis partibus, *ibid.* Sub qua verborum forma, *ibid.* Sub quo ritu, 581, & *ſeq.* 628. 643

Digitized by Google

Errata graviora corrigenda.

PAg. 387. *linea* 12. Dominicorum, *lege* Dominorum. *pag.* 391. *linea* 17. Hilarius, *lege* Hilarus. *pag.* 392. *lin.* 21. Leo & Paſchaſinus, *lege* Leo. Er Paſchaſinus. *Ibid. lin.* 34. ſynodis, *lege* à ſynodis. *pag.* 394. *linea* 42. *poſt* Donari, *adde* celebratum fuiſſe. *Ibid. linea ultima*, conſiderunt, *lege* conſederunt. *pag.* 396. *linea* 13. Tacaſii, *lege* Taraſii. *pag.* 397. *lin.* 17. ea, *lege* ex. *pag.* 398. *lin.* 9. fieri colliguntur domi in, *lege* fidei colliguntur Domini. *pag.* 403. *lin.* 13. Lemovicum, *lege* Lemovicam, *pag.* 406. *lin.* 26. per ſermonem, *lege* poſt ſermonem. *Ibid. lin.* 31. circa hora, *lege* circa horam. *pag.* 410. *linea* 44. requirendæ, *lege* requirenda. *pag.* 418. *lin.* 13. concordem ſive diſcordem, *lege* concordent ſive diſcordent. *pag.* 423. *linea* 6. & 10. Silva, *lege* Selva. *pag.* 435. *linea* 12. vinculi, *lege* vinculis. *Ibid. lin.* 34. miſcrentur, *lege* miſereatur. *pag.* 438. *lin.* 3. prarigine, *lege* prurigine. *pag.* 439. *lin.* 28. eum, *lege* cum. *pag.* 440. *lin.* 5. & pretioſi, *lege* à pretioſi. *pag.* 441. *lin.* 37. excommunicatum, *adde* ſpectat. *pag.* 447. *lin.* 44. revertentur, *lege* revertentes. *pag.* 450. *lin.* 4. probamus, *lege* probamur. *pag.* 456. *lin.* 45. Brenua cum, *lege* Brennacum. *pag.* 448. *lin.* 8. aqueis, *lege* aquis. *pag.* 471. *lin.* 12. confiteari, *lege* confitearis. *pag.* 488. *lin.* 2. aquam, *lege* ad aquam. *ibid. lin.* 4. fiant, *lege* fiat. *pag.* 489. *lin.* 16. fugant, *lege* fugiant. *pag.* 492. *lin.* 6. accipe, *lege* accipere. *ibid. lin.* 13. incendia, *lege* incendio. *pag.* 495. *lin.* 31. S. Junii, *lege* 5. Junii. *pag.* 510. *lin.* 28. ad hominem, *lege* hominem ad. *ibidem lin.* 32. Urguat, *lege* Urgeat. *ibid. lin. ultima*, ſi tibi, *lege* ſit tibi. *pag.* 517. *lin.* 9. nequiſſima, *lege* nequiſſime. *pag.* 524. *lin.* 25. enim, *lege* omni. *pag.* 537. *lin.* 24. vous, *lege* vous ſerez. *pag.* 539. *lin.* 35. bucillum, *lege* barillum. *pag.* 540. *lin.* 12. det lecto, *lege* detecto. *pag.* 543. *lin.* 15. regios, *lege* regio. *pag.* 547. *lin.* 4. refactus, *lege* refectus. *pag.* 550. *lin.* 2. Herifriduus, *lege* Herifridum. *ibidem lin.* 40. illi emoriturus, *lege* illic moriturus. *pag.* 553. *lin.* 34. Sabithæ, *lege* Tabithæ. *pag.* 554. *lin.* 19. constructum, *lege* conſtrictum. *pag.* 556. *lin.* 33. Cadmerum, *lege* Eadmerum. *pag.* 560. *lin.* 41. aura, *lege* aurea. *pag.* 561. *lin.* 27. perlorando, *lege* perforando. *pag.* 564. *lin.* 20. die, *adde* ſepultos. *pag.* 566. *lin.* 9. pſallentis, *lege* pſallentio. *pag.* 567. *lin.* 6. imbitum, *lege* ambitum. *pag.* 568. *lin.* 14. oſtendes, *lege* offendes. *ibid. lin.* 19. publicum, *lege* publicam, *pag.* 571. *lin.* 14. feneſtram, *lege* per feneſtram. *pag.* 574. *lin.* 37. Emmeranori, *lege* Emmeranni. *pag.* 575. *lin.* 13. propter, *adde* abſentiam. *ibid. lin.* 44. quaſi, *lege* quali. *pag.* 599. *lin.* 7. tuotum, *lege* ſuorum. *pag.* 601. *lin.* 15. his, *lege* has. *pag.* 627. *lin.* 28. ſolvere, *lege* ſolveret, *pag.* 628. *lin.* 7. Moviomenſis, *lege* Noviomenſis. *pag.* 631. *lin.* 1. Furſir, *lege* Furſce. *pag.* 642. *lin.* 18. inveniat, *lege* inveniatur. *pag.* 643. *lin.* 8. tricemus, *lege* tricesimus. *pag.* 661. *lin.* 3. ducenduus, *lege* ducendum. *pag.* 664. l. 32. quis, *lege* ejus. *ibid. lin.* 37. erant, *lege* erunt.

VA1 1528876

Digitized by Google

Digitized by Google

22.G.21

Digitized by Google

Digitized by Google